# JAC. AUGUSTI THUANI HISTORIARUM SUI TEMPORIS

## TOMUS SEXTUS.

LIB. CXXIV. — CXXXVIII.
CIƆIƆC. — CIƆIƆCVII.

ITEM

NIC. RIGALTII De rebus Galliae Lib. III.


CIƆIƆCVII. — CIƆIƆCX.

HENRICUS IV.




LONDINI
Excudi curavit SAMUEL BUCKLEY
MDCCXXXIII.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY




B. Baron fecit.

# JACOBI AUGUSTI THUANI

## HISTORIARUM SUI TEMPORIS

### LIBER CENTESIMUS VICESIMUS QUARTUS.

#### EPITOME.

*SAECULARIS annus Romae magna frequentia celebratur. Henricus Barrenſis dux Romam profectus, ut abſolutionem contracti cum Katharina regis ſorore matrimonii, a pontifice obtineret.* II. *Obitus cardinalium Georgii Ratzivilii, Laur. Priuli, Inici Davali Arragonii, Lud. Madrucii, Petri Dezae, And. Auſtrii.* III. *In Belgio miles pernicioſe tumultuatur. Wachtendonca trans Rhenum cum arce a Mauritio capta. Noveſium irrito conatu tentatum. Colloquium inter Eliſabetham et Archiduces de pace propoſitum nullo ſucceſſu.* IV. *Caroli Breauteii infelix cum Silvae-ducis praeſidiariis congreſſus.* V. *Mauritius Crepacordium capit. Ad Santandreanam munitionem poſita caſtra* VII *Kal. Apr. et* VIII *Eid. Maias deditio facta. Rurſus tentatum cum* Ordinibus *colloquium nullo ſucceſſu. Circa Limburgum tumultuatur miles. Mauritius claſſem in Zelandia inſtruit, ut Oſtendae, quam Albertum obſeſſurum ſciebat, ſubveniret. Philippina munitio deditur. Fruſtra Brugenſes ſolicitati. Mauritianae naves a Spinolae triremibus ſuperatae. Munitiones ab Hiſpanis circa Oſtendam ſtructae. Albertina dedita Mauritio.* VI. *Albertus cum Iſabella Gandavum venit. Ad Neoportum a Mauritio poſita caſtra. Snaskerka et Audenburgum Alberto deduntur. Inter Albertinos et Naſſauvianos acriter pugnatum. Cruenta de Hiſpanis victoria.* VII. *A Neoportus obſidione* IX *Kal. Sextil. diſceſſum, ac poſtridie* Claud. *Burlota ictu ſcloppeti in capite accepto occubuit. Diſceſſu Mauritii munitiones circa*

*Oſtendam ſtructae novo praeſidio firmatae et luſtratus exercitus. Ambroſius Landrianus Bruxellis ex morbo deceſſit. A Batavis in Scaldis aeſtuario Albertini male accepti. Aemilia Meurſiae comitiſſa decedit, et Mauritium in comitatu heredem inſtituit.* VIII. *Navigatio Batavarum navium in Indiam Orientalem ante triennium ſuſcepta. Cerne inſula, ſeu Mauritia, et ejus deſcriptio. Javae et in ea Tubani civitatis ac Moluccarum luſtratio. Aſcenſionis inſula in itinere luſtrata.* IX. *Jacobo Scotorum regi a Joanne et Alexandro Ruvenis fratribus Gauriae comitibus paricidiali audacia, theſauri ſpe facta, illuditur. De iis ut paricidis ſupplicium ſumptum.* X. *In Pannonia Pappenſium praeſidiariorum defectione magna clades accepta. A Schuartzenburgo praeſidiarii male mulctantur, variis et exquiſitis ſuppliciis excarnificati.* XI. *Caniſa a numeroſo Turcorum exercitu obſeſſa. Mercurianus obſeſſis ſuppetias laturus aciem contra inſtruit, ſed, Turcis vallo ſe tenentibus, et interclusa undique annona, ad extremum recedit. Hujus diſceſſu infracti praeſidiarii Paradiſium praefectum ad deditionem compellunt.* XII. *Michael Walachus contra Sigiſmundum Bathorium quaſi Caeſaris auſpiciis ducit, et conſerta diu ambigua pugna caedit, et Moldaviae magnam partem in poteſtatem redigit.* XIII. *Baſtae inſtigatu Caeſar ei tandem imperium abrogat.* XIV. *In Stiria Graecii Auguſtanae confeſſionis ſociis libertas conveniendi omnino adempta.*

EX AUCTORIBUS,

*Caeſare Campana, Joanne Parvo, Batavorum navigationibus, Cornelio Tacito, Relatione Gaurianae conjurationis a Jacobo Scotorum rege publicata, Hungaricis relationibus, Actis in Stiria publicatis.*

LIBER

# LIBER CENTESIMUS VICESIMUS QUARTUS.

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

SAECULARIS[a] hic vere annus, nec tamen is, in quo populus olim convenire jubebatur ad ſpectacula, quae nec ſpectavit quiſquam nec ſpectaturus eſt, qualis a Bonifacio VIII ante CCC annos inſtitutus eſt ; ſed melius ſabbatici exemplo ad L primum annos a Clemente VI, deinde a Sixto IV, ut ſaepius rediret, ad XXV contractus, a Clemente VIII magna omnium nationum exſpectatione ac frequentia celebratus fuit. Kal. Jan. aperta Sancta Porta malleo aureo, inſigni cardinalium, praeſulum, oratorum principum, Italiae procerum ac populorum comitatu ac concurſu. Tum loca ſacra toto anno ad expiationem peccatorum luſtrata ; quoſdam etiam Proteſtanteis principes ex ultima Germania celebritas excivit, qui mutato habitu, urbis hoc anno ornatum, et populorum undique confluentium frequentiam admirati ſunt ; in iiſque Fridericus Wirtembergicus memoratur. Henricus [b] Barrenſium dux, Lotaringiae ducis filius, eo quoque profectus eſt, ut abſolutionem contracti cum Catharina regis ſorore ſectaria labe infecta matrimonii a pontifice in arcano peteret, ac deinceps cum ea conſueſcendi ad liberos ſuſcipiendos libertatem ab eo obtineret. Nam morſu conſcientiae, ita a Jeſuitis inſtructus, attineri ſe dicebat, et longo jam tempore ob id ab ea ſecubuerat. Utrumque facile regii oratoris accedentibus precibus impetravit, votique compos domum reverſus priſtinam cum uxore, quam alioqui ſumme diligebat, conſuetudinem repetiit. Rex ſub id Carolum [c] Neovillum Allincurium Villaregii filium ad pontificem legavit, ut gratias pro ſententia in matrimonii ſui cauſa lata ageret, et de nova uxore ducenda ipſum conſuleret. Mutua gratulatione exceptus et auditus eſt ; et cum placere conſilium de Maria Franciſci magni Etruriae ducis defuncti filia oſtendiſſet pontifex, datum poſtea a rege [d] Sillerio oratori ſuo negotium, ut Florentiam profectus ea de re cum Ferdinando patruo ageret. Dum Romae eſſet Allincurius, Neapolis prorex Henricus Guſmanus [e] Olivarae comes inſigni pompa cum uxore ac liberis ad urbem venit, tum ut anni expiatorii indulgentiis coram majore cum fructu participaret, tum ut penſionis annuae VIIICIↃ unciarum auri pro regno Neapolitano praeſtationi praeſens majorem dignationem conciliaret.

II. UT laetus et ſaeculari feſtivitate et hominum concurſu, ſic procerum aulae Romanae mortibus triſtis hic annus fuit. Nam nuſquam plures cardinales eodem anno mortui. Initium a Georgio Ratzivilio factum Nicolai Olicae ducis filio, viri de nomine Polono optime meriti ob adjunctam Livoniam et ſedatas in ea provincia aſſiduas diſſenſiones, ſicuti locis ſuis demonſtravimus ; qui quam Proteſtantium doctrinae addictus fuit, eamque, quantum in ſe erat, in Lithuania ſua propagavit, tam filios majorum religionis retinentes habuit. Georgius autem epiſcopus Cracovienſis a Gregorio XIII in collegium cardinalium cooptatus, hoc anno ineunte Romae ad Deum migravit. Eodem menſe poſtridie Kal. Jan. Laurentius [f] Priulus variis apud Franciſcum magnum Etruriae ducem, Philippum II Hiſpaniarum regem, Henricum III, nec non apud Gregorium XIII, legationibus ſumma cum prudentiae laude pro ſereniſſima republica defunctus, poſtea Venetorum

INTERPR. [a] *Jubilé.* [b] *de Bar.* [c] *de Neufville Sr d'Allincour.* [d] *Brulart Sr de Sillery.* [e] *Olivarez.* [f] *Priuli.*

CIↃ IↃ C.
Henricus IV.

Venetorum patriarcha, mox cardinalis a Clemente VIII creatus, in patria placide in Deum obdormivit. Menſe ſequenti [a] Inicus Avalus Arragonius Vaſtii marchionis filius a Pio IV cardinalis diaconus creatus, et poſtea epiſcopus [b] Portuenſis, XI Kal. Mart. Romae obiit ; ut et Apr. proximo Ludovicus [c] Madrucius epiſcopus Tuſculanus, cum prius epiſcopatui Tridentino renunciaſſet, ſtrenuus Philippicarum rerum in illa aula propugnator, ad S. Onufrii ſepultus. Demum Petrus Deza Hiſpaniae ſuae protector, et epiſcopus [d] Albanus XI Kal. Sept. obiit, ad S. Laurentii in Lucina depoſitus; et inde in Hiſpaniam transferendus. Annum clauſit Andreas [e] Auſtrius Conſtantiae epiſcopus cardinalis, qui nuper ſumma Belgii praefectura per Alberti gentilis abſentiam magna prudentiae et moderationis cum laude defunctus, cum ad participandam anni propitiatorii gratiam Romam profectus eſſet, ſubito morbo correptus pridie Eid. Dec. vitam cum morte commutavit.

III. Laetitiam et publicam imminuit triſtis rerum Philippicarum in Belgio ſucceſſus; pro quo ſupplicationes Romae factae fuerant, quod bellum non tam adverſus rebelleis, quam ſectarios, ab Hiſpanis ſuſceptum jactaretur. Principium a tumultu praeſidiariorum [f] Crepacordii et novae in inſula Bommelenſi ab Andrea cardinali extructae munitionis fuit; qui in loco frigore, ventis, pluviis, et omnium rerum penuria, damnato quaſi expoſiti, ſtipendio deficiente diſciplinam nullam ſervabant: jamque late exemplum ſerpebat, [g] Hamontianis, qui ſuperiore anno rebellaverant, ceteris animos facientibus. Exemplo exemplum revincendum cenſebat Mendoza, et ſeveritate in contumaces vindicandum, et III tormenta [h] Trajecto ad Moſam, et bis mille [i] Sequanos nuper a Marco Ria Varamboni marchione conductos, cum aliquot Germanis et Belgis ſelectis, quibus nihil debebatur, iis opponendos. Sed dux ſuſcipiendae expeditioni defuit, pleriſque diſſimulatione potius, quam exacta diſciplina, malum coercendum hoc rerum ſtatu exiſtimantibus, et exemplum exitialis ad [k] Sichemum ſucceſſus inter Italos et Hiſpanos in memoriam revocantibus. Itaque omiſſum ſeditioſos oppugnandi conſilium, qui jam ad bis mille pedites et CIↃ· equites excreverant. Inde occaſionem oblatam, et quod frigus hieme illa intenſiſſimum eſſet, congelatis alte fluminibus, minime ſibi e manibus eripi paſſus eſt Mauritius ad omnes caſus intentus. Itaque exeunte Januario CCC delectos trans Rhenum mittit, qui [l] Wachtendoneam oppidum, quod a Friderici Bergenſis comitis praeſidio tenebatur, aſtu interciperent. Per foſſam glacie concretam facile fuit enitentibus pomoerium ſuperare, ſtationibus ad ſtrepitum ſe minime commoventibus; quippe quae crederent Hiſpanos eſſe, qui haud hinc longe juxta Stralenam conſederant. In arce loci dominus erat Jo. [m] Gelenius cum XXX circiter defenſoribus, qui capto oppido ſtatim ad Hermannum [n] Bergenſem Friderici fratrem, qui Ruremondae erat, miſſo rei nuncio, antequam hoſtis vireis colligeret, ſubveniri ſibi petiit. Sed ſuperveniente Ludovico Naſſovio cum bis mille peditibus et toto equitatu, cui praeerat, ſperatae Hermanni ſuppetiae fruſtra fuere; et capta arce, cum nihilominus ad interius propugnaculum Gelenius cum uxore et familia ſe contraxiſſet, et ad defenſionem ſe paratum oſtenderet, tandem vi a victore facta in poteſtatem Naſſovii venit. Vix Hiſpani, qui in proximo erant, periculum evaſerunt, qui omnibus locis circa infeſtis vix per [o] Sicambros incedentes Trajectum Moſae pervenerunt. Eodem tempore [p] Noveſium irrito conatu a Mauritianis tentatum. Interea Albertus et Iſabella infans cum Mendoza, [q] Aumalio, Arauſionenſi, Antuerpia digreſſi

INTERPR. [a] *Inigo Davalos d'Arragona, fils du Marquis del Guaſto.* [b] *Eveque d'Oſtia.* [c] *Madrucci eveque de Freſcati.* [d] *d'Alba.* [e] *Cardinal d'Auſtria eveque de Conſtance.* [f] *Forts de Crevecoeur & de S. André.* [g] *Les mutinez qui avoient ſurpris Hamont au Liege, & y eſtoient.* [h] *Maeſtricht.* [i] *Francs-Comtois.* [k] *Sichenen.* [l] *Wachtendonck.* [m] *De Ghelen.* [n] *Comte Vanden Berghe.* [o] *Gueldre.* [p] *Nuys.* [q] *le duc d'Aumale, & Philippe Guillaume prince d'Orange.*

digreſſi in Flandriam deſcenderant, et [a] Gandavi perhonorifice accepti Kal. Feb. Caeſareos oratores, Carolo [b] Nutzelio verba faciente, audiverunt. Poſt gratulationes ſolemneis pro felici ex Hiſpania reditu, [c] Berkae Rhenanae, quae ad Colonienſis ſeptemviri ditionem pertinet, et ab Hiſpanis tenebatur, reſtitutio cum peteretur, Albertus actis Caeſari fratri gratiis de reſtitutione ſe excuſavit, facileque tenuit, cum Batavi ſe ab omni reconciliatione alienos oſtenderent, cujus procurandae ergo praecipue illi venerant, ut reſtitutio in aliud tempus differretur. Gandavo, [d] Tornacum, Inſulam, ac poſtremo Regiacum Atrebatum, et Cameracum, cum toto aulico comitatu ad dicendum et accipiendum civitatum jusjurandum itum, graſſante ubique militum tumultuantium malo. Ex novorum principum in Belgium adventus occaſione de pace inter Anglos et Archiduces negotium retractatum eſt, et ab Eliſabetha [e] Edmondus ad regem, ut ſe medium interponeret, miſſus, et inde ad Archiduces tranſire juſſus. [f] Verichenus viciſſim ab illis legatus; cumque de colloquio [g] Bononiae in terra Francia celebrando conveniſſet, miſſis ab utraque parte delegatis ab archiduce Baltazare [h] Zunica et Ferdinando Carillo obortis difficultatibus nihil agi potuit.

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

IV. SUB id res intervenit et caſu detrimentoſa et omine triſtis. Carolus [i] Breauteius in Caletis praenobili familia adoleſcens, ad ferociam ſtrenuus, cum pacis pertaeſus in Belgium Ordinibus militaturus cum ala equitum Gallorum ſe contuliſſet, ex ea occaſione memorabilis duelli fortunam tentavit. [k] Jacobo vicario ejus a [l] Silvae-ducis, cui Antonius [m] Schettus Grobbenduncanus praeerat, praeſidiariis capto, et de pretio pro libertate ſua Breauteium appellante; reſcriptum eſt ab ipſo, dolere Gallis, quod homines nullo pacto cum ſuis comparandi hanc de ipſis victoriam reportaſſent; ſe paratum cum duplo majore numero eorum certare, de victoria tam certum, quam cupide occaſionem, ſi quando ſe in manus dabit, rei gerendae capturum. Literae a Breauteio ſubſcriptae cum ad Grobbenduncanum, antequam Jacobo redderentur, ut fit, allatae eſſent, iis reſeratis ac lectis, cum contumeliam tantam non ferret, protinus ad Breauteium remittit, et conditionem non XL cum XX, ſed pari numero, certandi accipit, locumque et diem condicit. Vix ab utriuſque partis primariis ducibus impetratum, ut pugnandi copia fieret. Mauritius maxime rem diſſuadebat, non convenire dictitans, tali dignitate juvenem; cujus virtus alia potiore fortuna inclareſcere poterat, cum ignobilibus ac gregariis militibus, imo cum perfidis, et qui Fani [n] Gertrudis ante XII annos prodendi auctores fuerant, vitae periculum facere. Ii erant Gerardus et Antonius Abrahami fratres [o] Lekerbitkeni vulgo dicti. Breauteius petebat, ut Grobbenduncanus ipſe in partem certaminis veniret; verum ille ſe hac ratione excuſavit, quod diceret, ſibi liberum non eſſe, praecipuam Brabantiae urbem, cui cum ſummo imperio praeeſſet, injuſſu Archiducum deſerere. Quod in ipſo erat, hortatus ſuos ad rem fortiter pro decore Belgici nominis gerendam, cujus Deus illa die eos vindices eſſe voluerat, Non. Feb. emittit. Breauteius Fano Gertrudis, ubi hiemaverat, medio itinere conſedit, adverſarios opperiens; qui ubi in conſpectum venere, cum ipſe et Gerardus ex inſignibus ſe agnoviſſent, admiſſis equis concurrunt, et prima ſcloppetorum diſploſione ſternitur Gerardus, et mox Antonius frater cum duobus aliis: ſuffoſſus et Breauteii equus; ſed alio conſcenſo ad pugnam ſubito redit. Diſpar ſociorum cum Belgis congreſſus fuit, in quo plures

INTERPR. [a] *Gand.* [b] *Nutzel.* [c] *Rhinberck.* [d] *Tournay, Lille, Arras & Cambray.* [e] *Edmonds.* [f] *l'Audiencier Verreicken.* [g] *Boulogne.* [h] *de Zuniga & de Carillo.* [i] *de Breauté du pays de Caux en Normandie.* [k] *Jacques Deviſe.* [l] *Boisleduc.* [m] *Schetz Sr de Grobbendonck.* [n] *Gertruydenberg.* [o] *Lekerbitken*, Put. *Leckerbeetgen*, Met.

CIƆ IƆ C. HENRICUS IV.

plures Galli cecidere, equis fere occiſis; tandemque Breauteius ſuffoſſo uno et altero equo in pedes lapſus, poſt obſtinatum certamen a ſuis deſeritur; graviter et ipſe vulneratus. Poſt pugnam confectam capto vitam ademptam a victoribus prodidere Hiſpani: quod inter eos conveniſſet, ut ad alterutrius partis internecionem ſine ſpe gratiae pugnaretur. Qui res eas Ordinum partibus addicti ſcripſere, aliter rem memorant; literas, quas a Breauteio ſcriptas dixi, minime certamini ab initio cauſam dediſſe, ſed Breauteii verbis maligne ac falſo ad Belgas delatis provocationem a Grobbenduncano factam; cumque victores Silvam-ducis cum Breauteio captivo ac pretium pacto redirent, eum Gerardo et Antonio non comparentibus de illis ſocios interrogaſſe, cognitoque fratres in pugna cecidiſſe, irato vultu quaeſiiſſe, Ecquid pluris Breauteii pecuniam, quam fortiſſimorum virorum ſanguinem ab ipſis ultionem depoſcentium facerent? ad quae verba pudore confuſos milites Breauteium multis ictibus in Grobbenduncani conſpectu confeciſſe. Galli in eo certamine XIII, Belgae V occubuerunt: et inclinata primum ad Gallos victoria mox mutavit, et Breauteium, alternante vices fortuna, a ſuis deſertum pariter deſeruit. Is Nicolai [a] Harlaei Sancii a nobis ſaepius commemorati filiam in uxorem duxerat, forma aeque ac moribus praeſtantem foeminam, ex eaque filium ſuperſtitem ampliſſimorum bonorum heredem reliquit. Porro illa vix vigeſimum annum tunc egreſſa, cum multi illam ambirent, accedente ad moerorem ex viri fato conceptum, humanarum curarum taedio, ſolitariam vitam amplexa eſt, et in [b] Tereſiarum nuper apud nos Lutetiae inſtitutarum coenobio, quibus et grandem pecuniam ex dotalibus bonis erogavit, votum emiſit. In motu perſeverabant [c] Hamontiani, ad quos placandos miſſus Claudius [d] Burlota cum fruſtra fuiſſet, tandem XV Kal. Apr. cum iis tranſactum eſt, conventumque ut XIII menſium ſtipendia pedes, duplum eques acciperent, et quouſque praeſenti pecunia numerata eſſet, a [e] [1] Quixada tribuno [f] Dieſtam in praeſidium deducerentur.

V. AT Mauritius, qui pecuniae penuria in caſtris Albertinis laborari praecipue ſciret, idque novis in dies motibus occaſionem praebere, haud ſibi defuit, coactumque quam citiſſime potuit, exercitum [g] Dordraci CC navibus imponit; et adverſo Moſa ad [h] Crepacordium munitionem ſuperiore anno a Mendoza captam, in qua praeſidiarios tumultuare intellexerat, contendit. Dum in itinere eſt, CCCC [i] Sequanos auxiliareis a Mendoza miſſos caedit; quo ex caſu tam male animati praeſidiarii occaſionem cepere deditionis faciendae. Loci potens citra ſanguinem Mauritius ſucceſſum urget, et ad [k] Santandreanam munitionem inexpugnabilem alioqui creditam, in qua miles graſſante ubique ſeditionis exemplo haud paulo melius animatus erat, VII Kal. Apr. caſtra ponit, conſtructis hinc inde ſumma arte ad [l] Moſam et Wahalim compluribus [m] propugnaculis, quorum VII ad [n] Heſſelum vicum conſtructa de VII planetarum nominibus appellata ſunt; et canali recto excavato, qui in Wahalim influens naveis per flumen in caſtra venienteis ab infeſta obſeſſorum diſploſione defendebat, cui propterea [o] Cruci S. Andreae nomen impoſitum. Apertus etiam pluribus locis agger aqua immiſſa; ita ut ab ea parte Brabantiae auxilia ſummitti non poſſent. His peragendis totus Aprilis inſumptus, tantaque aquarum diluvio fuit, ut obſeſſis obſidentibuſque aeque noceret: nam vallum terra ubique reſtagnante duci non poterat. Itaque infeſta utrinque tormentorum diſploſione tantum res geſta, donec aquis recedentibus et ſole ſolum indurante excavari terra coepit, et

agger

INTERPR. [a] *De Harlay Sancy.* [b] *Carmelites.* [c] *les mutinez de Hamont.* [d] *la Bourlote.* [e] *Texeda.* [f] *Dieſt.* [g] *Dort.* [h] *Crevecœur.* [i] *Francs-Comtois.* [k] *Fort S. André.* [l] *la Meuſe & le Wahal.* [m] *Redoutes.* [n] *Heſſel.* [o] *la Croix S. André.*

NOT. [1] *Texeda.* Il eſt ainſi nommé par Meteren & Campana, deſquels M. de Thou s'eſt ſervi en ce lieu, & perſonne ne l'appelle Quixada. *Put.*

CIƆ IƆ C.
HENRICUS IV.

agger ſtrui ad eam partem, quae [a] Roſſemium et Hervaerdenam ſpectat, et propius ducto eo obſeſſi ad colloquium invitati. IV et III Non. Maias introducti [b] Uctenbrochius Ultrajectinae legionis tribunus, et Jo. [c] Aa itidem tribunus: ſed ſigno ex [d] Silvaducis dato, quaſi ſuppetiae propediem mittendae eſſent, colloquium aliquot dies intermiſſum. Interim promoto vallo, cum nulla auxiliorum promiſſorum ſpes relinqueretur, tandem delegati ab iis ad [e] Mauritium, qui [f] Alemi erat, miſſi, pro debitis ſtipendiis, CXXVCIƆ florenorum ab Ordinibus promiſſa, quibus acceptis locum dedituri eſſent, certis legibus; inter quas praecipua erat, ne quid illis propterea, quaſi munitionem pecunia accepta hoſti prodidiſſent, improperari poſſet. Itaque cum Gallus quidam miles petulantia linguae abreptus per convitium eos proditores nominaſſet, ſtatim Mauritii juſſu vinctus, et ut de eo poenas arbitrio ſuo ſumerent, praeſidiariis deditus fuit. Id actum VIII Eid. Maias. Tertio poſt die cum egrederentur, CIƆ CXXIV numerati ſunt. Pars major in caſtris Mauritii manſit. Capta [g] Santandreana arce, quae jactura non minoris ab Albertinis aeſtimata eſt, quam ſi Silva-ducis amiſſa eſſet, ac praeſidio valido firmata; copiae in naveis impoſitae in Flandriam, quo bellum eo anno transferri ab Ordinibus decretum erat, portantur. Conventus interea ab Alberto indictus Bruxellis celebratus eſt exeunte Aprili, in quo per Jo. Ricardotum quanta, ex rei pecuniariae penuria, provinciis Belgicis pericula impenderent, exemplis recentibus cum demonſtraſſet, ejus expediendae rationes urgebat; nec Ordines abnuebant, ſed ante Batavorum voluntatem ultimam periclitari conſultum ducebant. Igitur denuo tentata reconciliatio. Sed cum Ordines foederati, priuſquam ad conditiones deveniretur, ante omnia exterum militem omnino dimitti, hoc eſt, Hiſpanos et Italos, et arces cunctas Belgarum fidei committi peterent, Albertus, qui nec in poteſtate id ſua ſitum videret, et ſalva Philippi familiae ſuae Principis bona gratia concedi non poſſe minime ignoraret; cauſatus hoc agi libertatis publicae obtentu, ut ſicuti [h] Gandenſi pacificatione evenerat, exarmato Principe, cuncta arbitrio ſuo ſuſ-deque agerent ferrentque, teterrimamque tam in ſacra, quam civili adminiſtratione confuſionem inducerent, colloquium abrupit, et omnes ad bellum ſerio gerendum cogitationes convertit. Sed novi rurſus motus per praeſidia et in caſtris exorti non mediocriter ejus conatus retardarunt. Circa [i] Limburgum cum ad [k] Carpenam arcem tumultuatum eſſet, unaque C Hiſpani in ſeditionis ſocietatem veniſſent, vix tandem Ferdinandi [l] Lupi, qui praeerat, interventu res per totum Sextilem compoſita eſt. Miſſus et Jo. Jacobus [m] Bellijoci Comes Dieſtam, qui militem ab excurſionibus prohiberet, quibus fiebat, ut ruſtici pecuniae collationem recuſarent. Major ex caſtris ipſis motus fuit, propter viciniam graſſante exemplo: nam ex Italis et Belgis praecipue CCC circiter equites et IƆ pedites inter Graviam et [n] Venloam a ſignis diſceſſerunt, et electum ſibi [o] Gabrielem Brunorum Eugubinum conſtituerunt. Itaque contagionem veritus, ne plures ſe ad eos aggregarent, Ludovicus Velaſcus mature equitatum trans Moſam duxit. Ad eos deinde miſſus Philippus [p] Croius Sorae comes, et Auguſtinus Herrera Gandenſis arcis praefectus, qui obteſtationibus, minis, promiſſis tandem pervicerunt, ut ad officium redirent. Belgis IX menſium ſtipendia data; Italis, Hiſpanis, et Germanis omnium, quae debebantur, intra novem menſeis exſolvendorum ſpes facta. Interea Mauritius claſſem bis mille octingentarum [q] navium per [r] Dordracum traductam ante [s] Walcrenam inſulam infra [t] Rameenam arcem ſtatuit, ventum commodum opperiens, quo Oſtendam ſubire poſſet; quo ſemper reflante veritus, ne longiore in eo loco

mora

INTERPR. [a] *Roſſem & Herwaerden.* [b] *Le Sr d'Uchtenbroeck.* [c] *Vander Aa.* [d] *Boiſleduc.* [e] *le Comte Maurice de Naſſau.* [f] *Alem.* [g] *Fort de S. André.* [h] *de Gand.* [i] *Limbourg.* [k] *Carpen.* [l] *Lopez.* [m] *Belgioioſo.* [n] *Venlo.* [o] *Gabrielli Brunoro da Eugubio.* [p] *de Croy Comte de Solré.* [q] *Bateaux.* [r] *Dort.* [s] *Walcheren.* [t] *Rammekens.*

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

mora Albertus de conſilio Ordinum certus exercitum in Flandriam, quam prior ingredi feſtinabat, reduceret; XIII Kal. Quintil. cum CIↃ IↃ navibus, aliis in ſtatione relictis, quae vento commodo Oſtendam ſubſequerentur, vela facit, et ſub veſperam Biervlietam parvam in Flandrico tractu inſulam appulit, haud longe a [a] Saſſo, quod eſt canalis Gandavo in mare labentis aeſtuarium, et inde Erneſtum Naſſovium cum idoneo navium et bellatorum numero mittit, ut juxta Philippinam munitionem exſcenſionem faceret. Hiſpani, qui locum tenebant, conſpecta claſſe poſt tormenti ictum diſploſum certis conditionibus diſcedunt. Poſtridie exſcenſio copiarum eo in loco facta, et omiſſis circumpoſitis [b] Patientiae et Iſſeni-aggeris propugnaculis [c] Philippina primis caſtris [d] Aſſenedam venit, et alteris [e] Echeloum municipium opificio dives ad [f] Levam amnem; quod poſtridie quam ab eo diſceſſum eſt, igne a milite immiſſo conflagravit, ruſticorum injurias ultum eunte, qui quoſdam e ſuis pabulatum egreſſos crudeliter mactaverant, et ignominioſe ocreatos ad arbores ſuſpenderant. Inde ad [g] Malum juxta [h] Brugas poſita caſtra, ſpe concepta, ut urbes olim opulentae et per continua bella attritae belli taedio tam vicinis Ordinum copiis rebellarent. In eam rem ſcriptae a Mauritio ad Brugenſeis et Gandenſeis literae, quibus eos ad libertatem capeſſendam et immane Hiſpanorum jugum excutiendum hortabantur. Sed nihil aut literis aut internunciis profectum. Nam Brugenſes hactenus liberi praeſidium ex ea occaſione acceperunt, et ruſtici in oppida diffugientes agrum deſertum reliquerunt, ita ut miles in ſumma viatici et aliarum rerum penuria verſaretur, corruptis ubique aquis, quas cum avide aeſtate jam adulta biberet, morbis gravibus conflictabatur. Vento aſpirante cum XL naves, quae commeatum portabant, III militaribus navibus eas deducentibus, Ramecena ſolviſſent, dum ſparſae per mare feruntur, Spinola cum triremibus, quas ſuperiore anno ex mari Tyrrheno in Oceanum ad infeſtanda Belgii litora ſumma felicitate deduxerat, in tardius incedenteis invectus XVIII ex illis cepit, et cum una ex militaribus, quam [i] Blankardus vir admodum ſtrenuus ducebat, congreſſus cum malis et antennis fractis, et perforata multoties carina claſſiarios in extremam omnium rerum deſperationem adduxiſſet, tamen ad deditionem compellere non potuit, ipſo Blankardo ex vulneribus ſemianimi interminante, ſi vim ulterius facerent, fore ut injecto in pulverem nitratum igne victores victique pari ruina opprimerentur. Itaque dimiſſa navis, quae ut erat quaſſata, [k] Vliſſingam appulit, ubi poſtridie Blankardus interim mortuus pompa militari claſſiariis funus deducentibus tumulatus fuit. Mauritius ad [l] Audenburgum jam caſtra poſuerat V Kal. Quintil. ab Hiſpanis deſertum. [m] Snaskerka et Bredena munitiones circum exſtructae mox venienti patuerunt. Capta Bredenae IV tormenta; cum quibus pars copiarum, in quibus Galli, Belgae, et Helvetii erant, Oſtendam miſſa, ut Albertinam munitionem obſideret; itemque [n] Iſabellam et Grotenam, quae juxta Oſtendam in itinere [o] Neoportum euntibus in tumulis arenariis ab Hiſpanis exſtructae erant: nam iis captis Neoportum, quod expugnare in animo habebat, commodius obſideri poſſe: biduo poſt tormentis admotis poſt acrem diſploſionem ſub meridiem Albertina Mauritio dedita. Eodem die a Joanne [p] Duivenvorda Warmontio Bataviae thalaſſiarcha, qui cum IV navibus militaribus CL actuarias commeatu onuſtas ſecum trahens ſolverat, circa [q] Sluſas cum Spinolae triremibus pugnatum, vento initio remittente; unde Spinola, qui remigio rem gerebat, proſperi ſucceſſus fiduciam ceperat. Sed vehementiore mox aura ingruente mutavit fortuna, et triremes, quae oppugnabant, oppugnatae, vix ſe in tempore intra proximum canalem recipere

INTERPR. [a] *Sas de Gand.* [b] *forts de Patience & d'Iſendik.* [c] *de la Philippine.* [d] *Aſſenede.* [e] *bourg d'Eeckeloo.* [f] *Liewe r.* [g] *Male.* [h] *Bruges.* [i] *le capitaine Blankart.* [k] *Fleſſingue.* [l] *Oudenburg.* [m] *Forts de Snaeskercke & Breedene.* [n] *Iſabella & Grotendorſt.* [o] *Nieuport.* [p] *de Duyvenvoorde Sr de Warmont.* [q] *l'Eſcluſe.*

recipere potuerunt, infeſta Batavarum navium diſploſione admodum quaſſatae; acciditque, ut ictu tormenti catena, qua Turcus vinciebatur, fracta, ipſe illaeſus catenae adhuc annulum trahens ſaltu ex trireme in mare ſe dederit, et natatu ad Batavam navem incolumis pervenerit; cunctis caſum ſtupentibus et homini parci aequum ducentibus, cui tam raro beneficio fortuna peperciſſet.

VI. Ad famam hoſtilis in Flandriam exſcenſionis Albertus, qui adhuc Bruxellis erat, exercitum praemiſerat: primam aciem ducebant Ludovicus Velaſcus et Hieronymus Martinengus tribunus, in qua erant III expeditorum peditum militum CIↃ, et CCC equites; quibus et aliquot alae acceſſerunt, ex [a] Trajecti ad Moſam praeſidio, quas Ludovicus [b] Melzius ducebat. Sequebantur V CIↃ peditum, et IↃC equites, et IↃCCC pedites ex [c] ſeditioſis, qui [d] Dieſtae erant. Eos ipſe cum VIII tormentis et equitatu ac peditatu delecto ſubſequitur, ducta ſecum conjuge, ut ejus praeſentia militi pugnaturo animos faceret; et in pervigilio S. Petri [e] Gandavum venit. Heic luſtrato exercitu, in quo plerique ex ſeditioſis, plures exemplo eorum ad ſeditionem ſpectabant. Infans equo egregie ornato inſidens ordines obivit, allocutione etiam dignata; pro religione, pro legitima principe, quas perduelles oppugnatum ibant, fortiter pugnarent, et qui abſentum principum auſpiciis toties rem egregie geſſiſſent, cum ſe praeſentem habeant, cujuſque meritorum inſpectricem, eo praeſentiores animos inducerent; neque tam debitorum ſtipendiorum memores eſſent, quam majora a ſe fortunaque ſua ſperarent: praemium in victoria poſitum, vile utique nimis pro tot exantlatis laboribus futurum ſi pretio tantum aeſtimaretur. Tum preces obteſtationeſque miſcens, compellatiſque nominatim ducibus ac tribunis; Me videtis, inquit, non ſponſores alienae fidei ex longinqua Hiſpania miſſos, qui nec idonee in praeteritum cavere, nec certa in futurum polliceri conſueverunt. En me alienae, meaeque fidei in praeteritum et in futurum vobis obſidem ſiſto; proque Belgio, quod ſalutem virtuti veſtrae debiturum eſt, ego Belgii princeps, fidejubeo; mundo ipſo muliebri, ut cetera cuncta deſint, ſi opus fuerit, atque adeo inauribus, quas geſto, oppigneratis. Ad quae verba miti gravitate cum enixi adfectus ſignificatione prolata, exortae totis caſtris repente acclamationes militum: duceret quo vellet, ſe ſequi paratos; hoſtem, non pecuniam peti, potiuſque vitam, quam animos ad perdomandam perduellium contumaciam defuturos. Mauritius ab indicibus deceptus, qui tam cito venturum Albertum non crederet, ad [f] Neoporti obſidionem cuncta comparaverat, quod et ante Hiſpanorum adventum captum iri ſibi perſuaſerat. Itaque cum Neoportum iret, Joannem [g] Pironem Zelandicae legionis tribunum, cum VII ſignis peditum et II alis equitum [h] Wagemani, et Lamberti, [i] Audenburgi impoſuerat, et ad [k] Snaskerkam munitionem ſignum peditum reliquerat, qui venienteis Hiſpanos ad aliquot dies, dum ipſe exercitum in aciem inſtrueret, diſtinerent. Ipſe infra [l] Iſabellam et Grotenam cum robore omni per pontem inter eas munitiones et Neoportum iter habuit, Gallis, qui Albertinam munitionem ceperant, nec non Belgis et Helvetiis, propere ſubſequi juſſis, et in tumulis arenariis juxta oppidum caſtra munivit. Tum Kal. Quintil. trans portum partem copiarum traduxit inter Neoportum et Dunkerkam, [m] Damo et aliis propugnaculis, quae Hiſpani tenebant, in poteſtatem redactis. Erneſtus Naſſovius cum ſua legione et Scotica, quam Gulielmus [n] Edmondus ducebat, inter Neoportum et Oſtendam, quo delegati ex provinciis Ordinum imperio ſubjectis convenerant, ſtativa habuit; oppido hinc inde obſidione

INTERPR. [a] *Maeſtricht.* [b] *il Cavalier Melzi.* [c] *les mutinez.* [d] *Dieſt.* [e] *Gand.* [f] *Nieuport.* [g] *le colonel Piron.* [h] *les capitaines Wageman & Lambert.* [i] *Oudenburg.* [k] *Fort de Snaeſkercke.* [l] *Forts d'Iſabelle & Grotendorſt.* [m] *Damme.* [n] *le colonel Edmonds.*

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

obſidione cincto. Sub id a Wagemano exploratum miſſo allatum, Albertum cum toto exercitu jam Gandavum veniſſe. Qua re, quod praeter opinionem acciđiſſet, perculſi delegati, ſubito id per Wagemanum Mauritio ſignificandum curant; qui tamen aeſtuario interjecto non ita cito in ulteriorem partem copias tranſmittere potuit, ut ſe cum aliis conjungeret, et obviam venienti Archiduci proficiſceretur. Itaque dum inter impedimenta ſerius evadit miles, Erneſtus Naſſovius cum ſua et Scotorum legione ad pontem, qui praeſidio ſervabatur, praemiſſus, ut aditum hoſti ab illa parte intercluderet; interim Snaskerka ab Hiſpanis capta et Audenburgum a Pirone deditum. Utrobique contra leges dictas male mulctati dedititii; quod Albertus culpa in ſeditioſos, in quos plenum imperium non habebat, rejecta excuſavit. Vix habita fides de Alberti adventu, niſi cum conditiones in Audenburgi et Snaskerkae deditione dictas et ipſius Alberti manu ſubſcriptas delegati viderunt. Interea Erneſtus ad pontem occupandum properabat, per quem antequam eo adveniret, jam Albertinorum partem tranſiiſſe, partem per lacunas paulo infra ulterius progreſſas comperit. Itaque ad tumulos proximos ſubito ſe recepit, vix ſpatio ad inſtruendam aciem conceſſo, ubi Alberto inſtante, acriter pugnatum, cum pernicie tandem Naſſoviorum, quippe qui numero impares et imparati ſubita vi oppreſſi ſunt. Periere in eo conflictu CIↃ veterani, magnam partem ex Scotica Edmondi legione; et in iis ſtrenui ordinum ductores Arturus [a] Stuartus, Jo. [b] Kilpatricus, Hugo [c] Nisbethus, Jo. [d] Strachanus, Jo. [e] Michael. Capti Robertus [f] Barclaeus et Andreas [g] Moravius; et pugna confecta contra belli leges interfecti. Eandem ſortem experti ſunt tres ex legione Zelandica [h] Nooti tribuni, et [i] Giſtellus ex legione Pironia, ac fere omnes captivi extra pugnam crudeliter mactati. Erneſtus et Edmondus cum ſtragis reliquiis inſequente hoſte ad Albertinum munimentum receptum habuerunt: amiſſis praeterea duobus tormentis, quae ſecum trahebant. Poſt tantum ſucceſſum in caſtris Albertinis deliberatum inter belli duces fuit, vim inhibere, an inſtandum Dei favori placeret. Et prudentiores ſic cenſebant, a pugna in praeſens abſtinendum, et hoſti caeſo ex deſperatione minime addendos animos: nam plerunque victis redire in praecordia virtutem, cum neceſſitas pugnandi omnem periculi metum diſcuſſit. Sic autem victoriae partae fructum conſervari poſſe et majore ſucceſſu cumulari, ſi ulterius promota caſtra contra hoſtem attonitum muniant, intercluſo ad Oſtendam per terram aditu; nam brevi fore, ut extrema rerum omnium penuria premantur: quam ſi claſſe conſcenſa effugere conentur, ſingulos carpi, et confuſos haud magno negotio opprimi poſſe. Contra alii diſputabant; victoriam vel parva mora interpoſita amitti; opportunos rerum tranſitus ad res gerendas majus momentum habere, quam virtutem militum. Proinde ſucceſſus urgendos, et antequam Naſſoviani ex pavore animos colligant, victis ac fugientibus inſiſtendum; conſilium ex eventu dari: ubi facto potius quam conſilio opus eſt, plus mora quam temeritate peccari. Arridentis fortunae blanditiis illecto Alberto facile perſuaſum, ut aleam proelii cum Mauritio tentaret. Protinus ab eo Petrus [k] Calleeus curator exercitus cum IↃC equitibus delectis praemiſſus, ut de hoſte cognoſceret. Tum inſtructa eo ordine acies: IX alae equitum, V vexilla ſcloppetariorum equitum, V loricatorum cum IↃC equitibus ex Dieſtae ſeditioſis ſecundum litus incedebant, VIII machinas bellicas ſecum trahentes: ſequebantur III Hiſpanorum legiones, II Italorum, V Belgarum, II Sequanorum, III Germanorum, cum aliquot ſignis ex legione Friderici [l] Bergenſis Comitis, [m] Neoportum recta tendentes; eo conſilio,

INTERPR. [a] *Stuart.* [b] *Kilpatrick.* [c] *Nisbet.* [d] *Strachan.* [e] *Michel.* [f] *Barclay.* [g] *Murray.* [h] *Vandernoot.* [i] *le capitaine Ghiſtelle.* [k] *Gallego commiſſaire general de l'armée.* [l] *Vanden Berghe.* [m] *Nieuport.*

conſilio, ut Mauritium imparatum in ipſo aggere opprimerent. Omnino erant xcIↃ peditum, et CIↃ IↃ equites. Contra Mauritius reductis copiis, quas trans portum duxerat, aciem haud longe ab oppido inſtruxit, eo ordine. In prima acie, quam Ludovicus Naſſovius Erneſti frater ducebat, III agmina peditum erant, et in iis XLI cohortes, hinc inde duobus equitum agminibus tectae; in media, cui praeerat Mauritius, IV agmina peditum ex XXV cohortibus conflata, et II equitum. In fronte Georgius Everardus [a] Solmenſis ſtabat cum Friderico gentili ſuo: ultimum agmen ducebat Olivarius [b] Templius; in quo erant III agmina peditum, et in iis legio Erneſti Naſſovii et aliquot equitum alae: tormenta in primo cornu inter marę et tumulos arenarios loco idoneo collocata; quibus contraria Alberti infra tumulos juxta mare oppoſita erant. Heic Mauritius poſt preces publice in caſtris conceptas Callecum eminus venientem conſpicatus, ſuos acri oratione compellat; Vicimus, inquiens, commilitones, et victoria nobis ab hoſtibus ipſis defertur; qui ſi ſe vallo inter nos et Oſtendam muniviſſent, aut fame interclufos ad deditionem adegiſſent, aut in conſcendenda claſſe nos aggreſſi fudiſſent, et ſine certamine omnino deleviſſent. Nunc proſpera pugna inflati inſoleſcunt, nec animo reputant, quam minime omnium ſucceſſus in bello reſpondeant, alternante in horas vices fortuna, quae victoriam alatam modo ad hos, modo ad illos arbitrio ſuo transfert. Adeo difficile eſt moderationem in victoria ſervare; qua bene uti qui ſciunt, illos non ſua prudentia, quae in his caſibus plerunque hebeſcit, ſed Dei juſtas cauſas foventis ductu regi conſtantiſſime credendum eſt. Adverſa nos contra fortuna admonere debet, ut cautiores in re gerenda ſimus; et cum optandam nobis pugnandi copiam ab hoſte ultro fieri videamus, minime occaſionem deſeramus, conſiliumque generoſum ex praeſenti rerum facie capiamus. Hinc mari, hinc hoſte claudimur. In claſſe nullum tutum perfugium; quam proinde longius a litore juſſi recedere, diſploſione in latus hoſtium directa, haud alioqui inutilem futuram; virtute perrumpendum eſt, et ne fame moriamur hodie vincendum. Quibus dictis, per [c] Mortarium et Frenelium, qui rei tormentariae praeerant, a diſploſione initium pugnae factum hera ſecunda poſt meridiem. Cum ſe utrique contraria verberatione aliquandiu infeſtaſſent, Hiſpani, qui in latus a navi praetoria per litus diſcurrente aſſiduis tormentorum ictibus laceſſebantur, litus deſerunt, et in tumulos proximos ſervatis ordinibus ac reductis tormentis evadunt; tum acerrime et ambiguo diu certamine inter adverſas acies, tumulis crebris conſpectum plerunque adimentibus, diſtinctas pugnatur. Prima impreſſione Lud. Naſſovius, qui equitatui praeerat, Albertinos equites, quos Mendoza ducebat, fundit. Sed reſtituto ab aliis certamine et recentibus in locum feſſorum ſuccedentibus loco pulſi Naſſoviani, ita ut prima acies inclinaret; in qua Angli duce Franciſco [d] Veero, et Henrici Friderici Naſſovii nova legio ex Belgis conflata; Helvetii a tergo, quos Erneſtus Naſſovius ducebat, et Galli Dommervilla duce rem gerebant. Jamque Friſii et Batavi, qui in media acie erant, ſolvebantur, parſque in ſubjectum mare accedente aeſtu tum vicinum praecipitabant, pars in fugam ſe conjiciebant, ſoluſque Veerus cum Horatio fratre undique ab Albertinis circonfuſus ordines ſervabat; cum Mauritius novam Henrici Friderici fratris legionem revocat, et in ultimo agmine collocatos confertim properare jubet. Tum ordines circumiens nutanteis alloquio firmat, palanteis ad ſigna cogit, et aut vincendum aut oceani fluctum ad tumulos proxime allidentem epotandum dicit: pro libertate, vita, fortunis certari, nullam niſi in victoria ſpem reliquam; omnia exitum circonſpicientibus infeſta, ſoli virtuti patere, cujus cum egregium tot proeliis experimentum feciſſent, nunc eandem tam neceſſario tempore inducerent,

CIƆIƆC. HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Comte de Solms.* [b] *de Tempel.* [c] *Mortier & Frenel.* [d] *Vere.*

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

inducerent, et vincere certi redintegratis animis fortiter pugnam capeſſerent. Interim inter pedites obſtinate certabatur; pes pedi, vir viro collatus, ſariſſae ſariſſis inſertae. Dum in eo ſunt, [a] Gendus et Godardus Balenus Germanici equitatus duces capto ſpatio per latus jam laborantibus Albertinis incumbunt, et facta acri impreſſione peditatum hoſtilem omnino ſolvunt, ſunduntque, ſeditioſis ſumma omnia facientibus, ut dedecus et infamiam defectionis ſtrenue pugnando eluerent; qui fere ad internecionem caeſi ſunt. Albertus, qui fortiter et ipſe eo die pugnaverat, levi vulnere circa auriculam accepto, cum equitatum diſſipatum, peditatum magnam partem caeſum videret, nequicquam ordines obeundo cunctos hortatus, ut durarent, et denuo pugnam inſtaurarent; tandem precibus ſuorum victus a certamine abſceſſit, et cum [b] Aumalio et reliquiis exercitus [c] Brugas verſus iter intendit. Periere ex ſuis ad VI CIↃ; Scotis Angliſque, ubi ſe victores ſenſere matutinae ſtragis memores, ultionis occaſionem arripientibus. Deſiderati ex Italis alicujus nominis Jo. Paulus [d] Gabus major centurio legionis Italicae, Gabriel [e] Batallia, Corn. [f] Marianus, Jo. Baptiſta [g] Cariſeus, Caeſar [h] Calcanus, Baltaſar [i] Suicus, [k] Bonianus eques Melitenſis, Latinus [l] Prata comes, Septimius [m] Fabius, alii; ex Hiſpanis Rodericus Garſias, et Petrus ex familia [n] Toletana, Didacus [o] Villa, Ferdinandus [p] Dias, et alii fere CCC alicujus nominis. [q] Baſtocus Hibernorum tribunus, et [r] Colaſius, qui ſe Farae comitem ſumma impudentia indigitabat. Capti Franciſcus Mendoza Alberti vicarius, Lud. [s] Veliar, Gaſpar [t] Zapena et ipſe graviter vulneratus, [v] Salmenſis comes, Hier. [w] Rho, Flaminius [x] Vallaverdes, Veſpaſianus et Decius [y] Maggii; alii complures. Pueri nobiles Carolus [z] Reſini comes, Arturus [aa] Croius, Didacus Guſmanus, perhumaniter a Mauritio ad Albertum ſine pretio remiſſi; capta et CV ſigna et VI tormenta. Tum amiſſa mane recepta tam ſigna quam tormenta; ex Mauritianis amplius bis mille deſiderati, iis connumeratis qui matutino certamine occubuerant, in iiſque ſtrenui equitum duces Hamiltonius, [bb] Contelerus, et Bernardus: recedentem potius quam fugientem hoſtem ne ſui longius perſequerentur Mauritius inhibuit, ne eodem, quo Albertus, errore peccaret; et quod Ludovicum Velaſcum haud hinc longe cum IIII CIↃ Germanorum recentium conſediſſe intellexiſſet. Itaque tanquam victor in loco pugnae pernoctaſſe ſatis habuit. Poſtridie pompa militari, triumphanti ſimilis, Oſtendam ingreſſus eſt, praeſentiaque ſua injuriam a captivis, quos ſecum trahebat, prohibuit; Scotis et Anglis ultra modum exacerbatis ob recentem ſuorum heſterni diei ab Hiſpanis factam lanienam. Albertus mox ad provincias ſcribit, et ſuppetias ad cladem, quam verbis elevat, ſarciendam petit. In Hiſpaniam, ne ſecus factum Rex interpretaretur, miſſus Auguſtinus Herrera Gandenſis arcis praefectus, et poſt eum Lud. Velaſcus, qui ſolo fortunae plus virtute in proeliis ſibi tribuentis vitio, non ducum culpa peccatum fuiſſe oſtenderent, et validiora auxilia in annum ſequentem peterent. Cum vero Mauritius ex [cc] delegatorum, qui Oſtendae erant, conſilio Neoportum denuo obſidione cinxiſſet, ductis trans portum copiis, non tamen id tanta cura fieri potuit, ut non IↃC auxiliares in oppidum penetrare potuerant; quos rurſus CIↃ delecti duce Claudio [dd] Burlota ſecuti ſunt. In eo erat et Jo. Jacobus [ee] Bellijoci comes, cum ſua equitum ala,

qui

INTERPR. [a] *Les capitaines Gend & Balen.* [b] *le duc d'Aumale.* [c] *Bruges.* [d] *Gabbo.* [e] *Battaglia.* [f] *Mariane.* [g] *Cariſea.* [h] *Calcano.* [i] *Suico.* [k] *il cavalier Buongiovanni.* [l] *il conte Latino Prata.* [m] *Settimio de Fabii.* [n] *de Tolede.* [o] *de Villa.* [p] *de Dias.* [q] *Baſtock.* [r] *Colas vice-ſeneſchal de Montelimart, al. comte de la Fere.* [s] *de Villar.* [t] *Zapena.* [v] *de Salms.* [w] *Rho.* [x] *Villaverde.* [y] *Maggi.* [z] *le comte Charles Reſin.* [aa] *de Croy.* [bb] *Conteler.* [cc] *deputez des Eſtats.* [dd] *la Bourlote.* [ee] *Belgioioſo.*

qui IIII Eid. Quintil. acri eruptione Mauritianos in vallo uſque oppugnavit. Poſtridie et pari eruptione pugnatum haud magno utrinque damno.

VII. Tandem cum Mauritius videret, praeſidiariis ad defenſionem paratis, longiorem fore obſidionem, quam vel ſtatus rerum praeſens, vel militum a laboribus requiem quaerentium alacritas pati poſſet, obſidionem ſolvere decrevit; et reductis cis portum copiis, militem, tormenta, impedimenta in naveis impoſuit, ac Oſtendam ſexto poſt die reverſus eſt; ubi de munimentis circum ſtructis in poteſtatem redigendis deliberatum fuit. Ad Iſabellam haud longe ab Albertino, quod paulo ante ceperat, e maris regione juxta tumulos arenarios in pratis ſubjectis caſtra poſita, ut [a] Clara et Grotena venientibus auxiliaribus aditus intercluderetur, II tormentis in tumulis collocatis, quae aditum ſervabant, et IIII verſus Oſtendam directis, quae Iſabellam pulſabant, alia et VI propius admota. XIII Kal. Sextil. coepta verberatio. Cum parum proficeretur, de mutanda oppugnationis ratione conſultatum fuit; dumque in eo ſunt, Albertini rurſus inſtructa acie ad Claram munitionem apparuere, qui a tergo omnia amica habebant, totumque Flandriae litus excepta Oſtenda tenebant, et infeſtam commeatus per mare ſubvectionem Mauritianis faciebant. Nam Fridericus Spinola cum triremibus ſuis vicinum litus legens naveis onerarias plerunque carpebat; navarchos remo mancipabat, naveis ipſas ictibus tormentorum apertas deprimebat. Igitur ab obſidione tandem diſcedi placuit, reductis in naveis tormentis. Id actum IX Kal. Sextil. Poſtridie cum nondum copiae omnino ſe recepiſſent, Burlota tot obſidionum et memorabilium expeditionum dux, dum incautius ex pomoerio abeunteis ſpectat, ictu ſcloppeti in capite accepto occiſus eſt, magno ſui Archiducibus relicto deſiderio : non aeque ab Hiſpanis et Italis deſideratus; quippe quibus ſe, nimia arrogantia et ex meritis capta fiducia homo nullis natalibus, inviſum atque ad extremum intolerabilem reddiderat. Is vili loco in Lucemburgico agro natus, Lutetiae Pariſiorum chirurgicam didicerat, et Carolo Mansfeldio comiti apud nos degenti operam in ulcere cruris curando addixerat; cum quo et in Belgium conceſſit, et ex chirurgo miles ſtrenuus, ſolertia et forti induſtria tantum brevi ſub Mansfeldio profecit, ut inter clariſſimos legionum tribunos numerari meruerit; partis ingentibus bonis, quae ad diſpares heredes pervenerunt. Albertina munitione mox ſolo aequata, et deductis ex propugnaculis vicinis praeſidiis, exercitus in naveis imponitur. Ipſe Mauritius Oſtenda cum L ſignis peditum, et VII equitum, pridie Kal. Sextil. ſolvit, cum triremibus mare tranquillo vi remigii in naveis appellentibus aliquoties ſine magno utrinque damno conflictatus. Ubi in Hollandiam expoſitus fuit exercitus, copiae per praeſidia [b] Bergis ad Somam; Bredae, [c] Hueſdae, Neomagi, et ad Gertrudis montem diſtributae. Poſt digreſſum Mauritii quatuor dies Brugas commoratus Albertus, Friderico Bergenſi mandat, ut cum Germanica legione, quae cum Lud. Velaſco erat, et altera nova Varamboni comitis, ac tertia Burlotae, munitiones circum Oſtendam ſtructas firmaret; Albertinam deſtructam quam citiſſime poſſet inſtauraret. Cumque ſub id Henricus Guſmanus cum pecunia ex Hiſpania veniſſet, luſtratae copiae, et equitum praecipue alae, quae multum ob ſeditiones imminutae erant, ſuppletae; et in his VI Hiſpanorum, Joannis Bracamontii, cui et Gaſparis Zapenae ex vulneribus mortui legio attributa eſt; [d] Michaelis Tiliae, Philippi [e] Agiliaris, Gulielmi [f] Verdugi, Joannis [g] Silvae, et Ferdinandi [h] Gevarae. III Italorum, Caroli [i] Vicecomitis, Pauli Aemilii Martinengi, et Caroli [k] Sangrii;

IV

INTERPR. [a] *Forts de Clara & Grotendorſt.* [b] *Bergenopzoom.* [c] *Heuſden, Nimegue, & Gertruydenberg.* [d] *Miguel Tellez.* [e] *d'Aguilar.* [f] *Verdugo.* [g] *de Silva.* [h] *de Guevara.* [i] *Viſconti.* [k] *di Sangre.*

IV denique [a] Sequanorum. Nec multo poſt Ambroſius Landrianus, qui vicarii generalis titulo equitatui univerſo praeerat, multis rebus geſtis clarus belli dux, ex febre, ob quam proelio intereſſe non potuerat, Bruxellis deceſſit; in cujus locum Nicolaus Baſta Epirota eques, ſub Albano magnam belli peritiae laudem adeptus, ab Alberto ſuffectus eſt. Diverſa parte Ludovicus Naſſovius, ut militem in hibernis tumultuantem occuparet, bis mille equites ex omni numero delegit, et CIↃ pedites, cum quibus in Colonienſem agrum diſcedens, inde Limburgum et Lucemburgicum agrum intrat, grandi ubique imperata pecunia, et collationem recuſanteis ferro flammaque vaſtans. Contra quem miſſus Hermannus Bergenſis comes cum ſeditioſis, qui Dieſtae erant, et [b] Moſa ad Trajectum tranſmiſſo cum VII alis equitum ex vicinis praeſidiis cum legione Germanica Barlaimontii comitis, quam [c] Griſolius regulus ducebat, ſe conjunxit. Quorum adventu cognito Naſſovius poſt infeſtam excurſionem mature copias trans Rhenum ad Emmericum reduxit. Major jactura in Scaldis aeſtuario ab Alberto accepta ab trireme nuper [d] Dordraci conſtructa ad refraenandas Spinolae per mare excurſiones. Ei [e] Vipculus homo ſtrenuus praeerat, et vicarii titulo is Turcus, quem natatu ad Batavas naveis incolumem evaſiſſe diximus; qui cum ea ac IV [f] celocibus treis triremeis, quae [g] Sluſis ſtationem habebant, nave Zelandica oneraria forte capta, recedenteis inſecuti, nave recepta magno damno eas affecerunt, et in fugam conjecerunt: eodemque ſucceſſu Scaldim noctu ingreſſi, praetoriam, quae in Antuerpiae conſpectu in ancoris ſtabat, XX C amphorarum capacem, XVI tormentis aliiſque minoribus machinis egregie firmatam, claſſiariis et militibus aut occiſis aut praecipitatis: Bruxellenſeis item et Mechlinienſeis naveis, et alias V olcadas vi cepere cum omni apparatu, et L machinas omnis generis, [h] Vliſſingam victores abduxere. Magno id Antuerpianorum pavore actum, qui pejora veriti totum triduum portas urbis clauſas tenuerunt, rejecta in ſtationariorum incuriam culpa; ad quos caſtigandos miſſus ab Alberto, cui graviſſimus is caſus fuit, Carolus [i] Ligneus Arembergi comes maris praefectus: quoſdam ignominioſe exauctoravit, in alios ſeveritate majore uſus eſt. Sub id menſe Aprili Aemilia Walburga [k] Meurſiae comitiſſa multum provecta aetate fatis conceſſit, qua viva crebrae de ditionibus ejus a Colonienſi ſeptemviro vi occupatis controverſiae excitatae: mortua ea denuo recruduerunt; quippe Mauritio ab ea in Meurſiae comitatu herede inſtituto, qui tantam ſucceſſionem manu armata crevit.

VIII. ANTE triennium claſſis in Indiam Orientalem a Batavis miſſa fuerat, VI navibus inſtructiſſimis conſtans: quarum primae Mauritio dictae Jac. [l] Cornelius Nekius thalaſſiarchae titulo; II Amſterodamo [m] Wibrandus Warvicus provicario, III Hollandiae Simon Lambertus, IV Zelandiae Nicolaus Joannes [n] Meleknapius, V Geldriae Joannes [o] Bruinus, VI Ultrajectinae Joannes Martinus; [p] celocibus duabus Vrieſlandiae et Tranſiſelanae Joannes Cornelius et Simon Janſonius, praeerant: qui cum Kal. Maii Texela ſolviſſent, anno CIↃ IↃ XCVIII [q] Gomeram et Palmam Fortunatas inſulas XVI Kal. Jun. praeterlegerunt, et VI Eid. Jun. commodo vento lineam aequinoctialem tranſierunt: ac demum IX Kal. Sextil. Bonae Spei promontorium tenuerunt, quod ab eadem linea XXXV gradibus abeſt. VI Eid. Sextil. foeda tempeſtate ſuborta, coruſcationibus et fulgetris crebris admiſtis, et caligine tetra ad ea accedente, Praetoria et Hollandia cum celoce Tranſiſelana a ceteris aberrarunt, primum in S. Mariae inſulam delatae; ubi loci regulum cepere, qui vacca

INTERPR. [a] *Francs-Comtois.* [b] *Maeſtricht.* [c] *le baron de Griſolles.* [d] *Dort.* [e] *Wipcul.* [f] *Chaloupes.* [g] *l'Eſcluſe.* [h] *Fleſſingue.* [i] *de Ligne.* [k] *Meurs.* [l] *Corneille Necq.* [m] *Wibrant de Warwic, Vice-amiral.* [n] *Melcnap.* [o] *Bruin.* [p] *Pataches nommées Friſe & Overyſſel.* [q] *Gomera & Palma, iſles de Canaries.*

vacca et vitulo traditis ſe ab iis redemit. Tandem Javam verſus curſu directo Bantamam eo anno exeunte appulerunt, praedones ab oppidanis initio crediti; cum quibus poſtremo familiaritatem contraxerunt, et Mauritii nomine munera proregi obtulerunt. Eodem reliquae v poſt menſem venere, magno gaudio a ſociis exceptae; quae per S. [a] Laurentii inſulam iter habuerunt, curſu Euronotum verſus ad S. Sebaſtiani promontorium reflexo, et inde ad Cernen, alias Mauritiam dictam appulerunt; de qua in ſuperioribus demonſtratum eſt. In eam exſcenſione facta xiv Kal. Sept. portum repererunt L navibus capiendis idoneum, fundo xiv orguyarum, in quo ancoras jecerunt; aqua et dulcis abunde ſuppetebat: et cum omni rerum copia abundaret locus, nulla in eo hominum veſtigia apparuerunt. Circuitus valde eminens et montibus fere ſeptus, nubibus undequaque tectus, vaporibuſque terrae ita circundatus, ut niſi e proximo aegre conſpici queat. Solum glareoſum et ſaxoſum eſt; interior terra arborum feraciſſima, quae tanta denſitate ſuccreſcunt, ut aditus per eam non pateat. Ebeni inter eas frequentes; ejuſdem generis ligna rubentia et alia cerae inſtar flaventia ibidem naſcuntur, nec non palmites cocorum more provenientes, quarum ſuperiore parte nodus ſeu caput protuberat; quo reſecto medulla ſuaviſſima eſitantibus eruitur, ex qua et nonnunquam Batavi remedia parabant ventri purgando et roborando conducentia. Itaque cum nullam terram, ex quo naveis conſcenderant, huc uſque tenuiſſent, in qua ſe reficerent, plerique ſcorbuto tentati in ea inſula, quae alioqui aere ſaluberrimo fruitur, priſtinam valetudinem brevi recuperarunt. Piſcibus praeterea abundans mare, in rivos ſalſos inſulae tanta copia excurrentibus, ut manibus caperentur, et haſtis confoderentur; unoque jactu tot capti ſunt, ut in complures dies ad victum univerſis claſſiariis ſufficerent. In iſta piſcium multitudine L viſebantur propter immenſam latitudinem a nautis tabulae menſariae vocitati; et Raia inſignis, quae cauda reſecta iv ulnas in longitudinem porrecta vix ſcaphae potuit inferri. Teſtudinum vero terreſtrium tanta moles, ut ſuper una quatuor homines facile ad inceſſum ejus promoverentur, et in teſta unius decem epulati ſint. Pſittaci coerulei, et corvi Indici pſittacis duplo majores tribus coloribus variati; turtures inſuper frequentes, aliaeque tanto numero aves, ut manibus facile caperentur, indicio certiſſimo has terras hactenus ab hominibus habitatas non fuiſſe. Admiranda inter alias avis, cycni magnitudine, capite craſſo, quae alarum loco treis quatuorve pennas nigriores enatas geſtat; corpus ei rotundum, fereque globoſum; cauda caret, cujus vice quatuor pennas criſpas habet; cocta caro mali ſaporis eſt: ſuavior alterius avis [b] Rabae dictae, quae forficis in modum diductam caudam habet, ita miti natura, ut in nidis inſidens facile manibus capiatur. Admiranda et palma arbor granditate foliorum, adeo ut unicum ad tegendum hominem contra imbreis ſufficiat; ejus ſi truncus perterebretur, et in foramen tubulus ſeu canna immittatur, ſuccus copioſus ex vulnere fluit, qui guſtatus vino Hiſpanienſi haud abſimilis eſt; ſed ultra biduum aſſervatus aceſcit. Ex [c] Cerne vi Non. Oct. v naves ſolverunt, et v ac iv Kal. Nov. ſolem recta ſupra verticem habuerunt. Tandem ubi univerſae Bantamam convenerunt, iv ex iis magna vi piperis, nucium myriſticarum, caryophyllorum, macis, cinnamomi, quanta unquam apud nos fuit, onuſtae in Bataviam vela fecerunt, et vi Kal. Sextil. felici navigatione confecta Amſterodamum appulerunt. iv reliquae Molucas verſus iter intenderunt, et xii Kal. Feb. ad [d] Tubanum civitatem in [e] Java inſula primariam diverterunt, perhumane et liberaliter a loci regulo exceptae, qui aulam nobilitate frequentem habet, equeſtribus ludis ſe crebro oblectante; quorum ſpectacula hoſpitibus novis admodum fuere grata. Ipſe rex tota Java potentiſſimus ac ditiſſimus praegrandi elephanto inſidens et tunica holoſerica tectus,

INTERPR. [a] *Madagaſcar.* [b] *Rabos forcados.* [c] *l'Iſle Maurice.* [d] *Tuban.* [e] *Java Major.*

CIƆ IƆ C.
HENRICUS IV.

tectus, inſigni ſpiculatorum pompa per plateas incedebat, et lautiſſimae domi pro loci ratione habitabat, conclavibus diſtinctis et gynaeceo praecipue, in quo ad CCC concubinas ſepoſitas habebat. Equi apud eos ſtatura humili, pedes teneros habent ad curſum pernices, cumque noſtris omnino conveniunt, niſi quod poſterior pars eis depreſſior: horum alendorum ſtudioſiſſimi ſunt Tubani, nemoque fere alicujus exiſtimationis inter illos, qui equum domi non alat. Ephippiis holoſericis aut ex corio Hiſpanico draconibus horribilibus et cacodaemonum diris formis inſignitis et inauratis utuntur; ad fraena varios lapillos pro ornatu alabaſtri inſtar candidiſſimos adhibent. Inde ad [a] Maduram Kal. Feb. deferuntur, oryzae feraciſſimam. Inſulani ex rapto per mare curſitantes fere vivunt, vicinis fere injurioſi; quos nihilominus patientiſſimos experiuntur, quippe qui ſe iis vel maleficis egere ſciant. Nam abſque Madurenſis ſoli proventu eſſet, omnes inſulani circumpoſiti fame et inedia perirent; pingue adeo apud eos terrae uber perpetuis exundationibus molleſcit, ut eam araturi buculi aut homines vix genu tenus aqua extent. Quod idem accidit oryzae meſſem facturis. Nec Batavi a maleficio eorum illaeſi fuere, pleriſque in appulſu interfectis, aut diram in captivitatem abductis; quos grandi pretio aegre a graſſatoribus redemerunt. [b] Arasboia, quod eſt inſulae oppidum, XVI Kal. Mart. tandem ſolverunt, crebraſque inſulas praetervecti ad [c] Blaviam Kal. Mart. appulerunt, et tertio poſt die [d] Amboinam ſubierunt, ac [e] Matelam oppidum in montana regione ſitum. Heic draconum ſpecie triremeis inſulanorum illorum more egregie inſtructas admirati ſunt; cum quibus piraticam faciunt. Humaniter tamen ab iis accepti, etiam domo ad exponendas merces ſuas impetrata. Cum in ea inſula ſaccharo, caryophyllis alioqui abundanti ſufficiens mercium copia onerandis IV navibus non eſſet, Batavi iter inter ſe dividunt, et conventum, ut Zelandia et Geldria [f] Bantam Molucarum primariam progrederentur: Amſterodama et Ultrajectina ad alias Molucas peterent. Binae Bantam tenuerunt a linea auſtrali IV gradibus ſitam Eid. Mart. ubi a Luſitanis myriſticarum nucium, macis, caryophyllorum, quae omnia praeſtantiſſima gignit inſula, non exigua copia oblata. Ea XXV milliaribus ab Amboina abeſt, milliarium V ambitu. Ejus primaria urbs Nera, ad quam ex continenti Sinarum regione negotiatores, nec non et ex Malaca crebro commeant, et mercimonii cauſa tribus menſibus morari ſolent. Inſulani fere pagani ſunt. Quidam et dirae Mahumetanae ſuperſtitioni addicti, ſuorum rituum obſervantiſſimi. VI aut VII in ea urbes, quae infeſtiſſimis odiis inter ſe plerunque decertant. Grandaevi apud eos ſenes, multique CXXX annorum conſpiciuntur. Foeminae rem domeſticam curant, et raro in publicum prodeunt. Viri otiantur, et in plateis deſides inambulant. Oneratis hic navibus Batavi IV Non. Jul. Banta diſcedunt, Amboinam verſus tendentes, totoſque XL dies curſu continuato ad Javam venerunt Sextili exeunte; qua praeternavigata XVII Kal. Oct. ſub tropico capricorni fuerunt, ac quinto poſt die XXVI graduum et XV minutarum altitudinem habuerunt. Demum XII Kal. Dec. ſuperato Bonae Spei promontorio, decimo poſt die tropicum capricorni tranſmiſerunt, ac poſtridie ſolem verticalem habuerunt in XXII graduum XX ſcrupulorum altitudine. Heic in laetitiae ſignum diſploſa tormenta, et VII Eid. Dec. ad S. Helenae inſulam appulerunt. Inde pergentes III Kal. Feb. hujus anni in V graduum altitudine eclipſim Lunae, et biduo poſt arcticum polum longo tempore non viſum conſpexerunt, et IX Kal. Mart. ſub cancri tropico navigarunt, ac tandem Aprili exeunte Texelam re fere feliciter confecta incolumes reverſi ſunt. [g] Ultrajectina et Amſterodama duos menſeis Amboinae commoratae cum VIII Eid. Maias ſolviſſent, V Kal. Jun. tum Ternatem inſulam acceſſerunt,

INTERPR. [a] *Iſle de Madura.* [b] *Arosbay.* [c] *Iſle Blau.* [d] *Amboina.* [e] *Matel.* [f] *Iſle de Banda.* [g] *Navire nommé Amſterdam, & une autre Utrecht.*

acceſſerunt, et rex magno [a] Karcollarum ſuarum, quae compluria tabulata habent, numero ad Praetoriam acceſſit, et poſt longam de pretio caryophyllorum altercationem tandem convenit, ut Baer, id menſurae genus eſt, LIV octonis regalibus aeſtimaretur. Baer autem IↃCXX libras apud eos pendit. A rege et impetratum, ut V ex Batavis in inſula remanerent cum puero, quibus relictae merces cum magna pecunia, ut caryophyllos recenteis commercarentur, et interim dum naves redirent, pro mercibus permutarent. Inſula rerum eſculentarum valde ſterilis eſt: panem ex arbore indigena conficiunt, quam detruncant finduntque, fiſſamque malleo ex craſſa arundine facto tandiu verſant, tunduntque, dum farina decidat lignorum ſegmentis ſimilis, Sagge apud eos dicta: ex ea paneis pinſunt valde candidos quadrilateros manus magnitudine. Cum Luſitanis, qui in [b] Tidore proxima inſula excubant, [c] Ternatenſibus continua bella: in furti deprehenſos apud eos ſeveriſſime vindicatur. Rex illis locis L amplius parvas inſulas ſibi ſubjectas habet: ante palatium lapide ſtructum, nam cetera aedificia ex craſſa arundine condita ſunt, grandis machina depoſita erat, quam Franciſcus Dracus olim juxta defoderat, poſtea ab inſulanis eruta. Defectus ſolis lunaeque cum ſuperſtitione obſervant, quippe qui perſuaſum habeant, id certiſſime regis vel primatis alicujus obitum portendere; itaque planctu ejulatuque dolorem teſtantur. Cumque, dum Batavi in inſula eſſent, VIII Eid. Sextil. circa veſpertinam horam octavam luna obſcuraretur, tympanis et pelvibus more ſuo pulſatis luctus publici ſignum dederunt. Batavi rebus ſuis divenditis et exoticis in naveis impoſitis XIIII Kal. Sept. Ternate ſolvunt, et inter innumeras toto illo tractu ſparſas inſulas curſu directo diu circa lineam aequinoctialem navigarunt, et Madurae infeſtae ineunte Nov. propinquaverunt. Eid. menſis cum ad [d] Jaketram inſulam appuliſſent, cognoverunt Zelandiam et Geldriam ante treis menſeis ex [e] Banta ſolviſſe. Tandem curſu continuato XVIII Kal. Feb. hujus anni [f] Bantamam in Java inſula jam hoſpitio familiarem redeunt. In civili adminiſtratione apud eos memorabile, quod ſiquis opulentior in civitate decedat ſine liberis, aut non uxore ducta, ejus omnia bona ad fiſcum devolvuntur. Quo fit, ut patres liberis ſuis mature de nuptiis proſpiciant, eoſque vix duodecenneis cum uxoribus binis, terniſque plerunque conjungant. Homicidii nulla apud eos fit gratia. Itaque ſi quis aliquem occiderit, cum neceſſario ſibi moriendum eſſe ſciat, in furias agitur, et obvium quemque interficit; nullo ſexus aut aetatis diſcrimine, donec a conferta turba capiatur aut obruatur. Sed raro vivi capiuntur, eo uſque caedibus latrociniiſque poſt homicidium graſſantes, donec a plebe circonventi interficiantur. Batavi in patriam redituri XII Kal. Feb. Bantama ſolverunt, et poſt trium menſium navigationem VII Eid. Maias hujus anni, trombas eminus conſpicati, ſe juxta Bonae Spei promontorium eſſe ſenſerunt, in altitudine XXII graduum; et ſeptimo poſt die S. Helenae inſulam ſub meridiem conſpexerunt, in qua triduum commorati: XII Kal. Jun. ipſo Pentecoſtes die digreſſi ſunt, et ad Aſcenſionis inſulam decimo poſt die a linea VIII gradibus ſitam venerunt, montibus ubique horridam, apris frequentem; unde magna admiratio Batavis ſuborta, quippe qui nihil herbidi in ea repererunt, ex quo victitare poſſent. Teſtudines et in ea crebrae tanta magnitudine, ut pleraeque XL libris pendant. Pridie Kal. Jun. navibus conſcenſis, cum magna rerum penuria ab eo tempore conflictati eſſent, Amſterodamum incolumes Sextili exeunte pervenerunt. Illuſtrior longe [g] Olivarii Nortii eodem anno ac fere tempore navigatio inſtituta fuit; qua circondato toto habitabili orbe triennii et XXIV dierum ſpatio Magellanicum fretum certius exploravit,

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Karcolles, petits batimens de mer.* [b] *Tidore.* [c] *ceux de Ternate.* [d] *Jakatra.* [e] *Banda.* [f] *Bantam.* [g] *Olivier Vander Noort, ou Sr de Nort.*

CIƆ IƆ C. HENRICUS IV.

exploravit, et tabula exactiſſime delineata aliis navigabile reddidit; ſed ſerius ille anno ad ſuos rediit, de cujus proinde ſucceſſu donec ad annum proximum devenerimus, plura dicere ſuperſedebimus. Nunc ad propiora veniamus.

IX. Insigniori nuſquam mendacio fortuna cuiquam illuſit, quam Jacobo Scotorum regi, alioqui ab omni avaritia maxime omnium alieno: nam quod de Ceſellio Baſſo memorat Tacitus, qui Neroni, ſpe facta de immenſa auri vi a Didone Phoeniſſa, ut veroſimile eſſe aiebat, poſt conditam Carthaginem recondita, tam facile impoſuit, periculo caruit, et tantum ſeu credulitate prodentis, ſeu vanitate adſeverantis expiatum eſt. Heic ad ludibrium etiam vitae diſcrimen acceſſit. Sed et nuſquam illuſtriori exemplo patuit, regum ſalutem Deo curae eſſe, fruſtraque conari, atque adeo divinae voluntati eos obniti, qui poteſtatibus a Deo conſtitutis aut reſiſtunt, aut inſidias ſtruunt. Jacobus forte ad [a] Falcolandiam ſe quotidiana cervorum venatione oblectabat, cum Non. Sextil. mane equum cum aulico omni comitatu conſcenſurus, ut ſolita oblectamenta repeteret, Alexandrum [b] Ruvenum Joannis comitis [c] Gauriae fratrem germanum [d] Pertho, quod alias Joannis fanum dicitur, cui praeerat Gaurius, venientem obvium habuit; qui inſolita ſalutandi ratione capite ad regis genua demiſſo ipſum ſeductum vultu dejecto, et oculis perpetuo humi defixis compellat, et veſpera proxima plebeium hominem ex oppidanis caput pallio velantem ſibi in loco ſolitario viſum narrat, et ad eum verba facientem. Cum tremere hominem et inter reſpondendum animi vagum hallucinari animadvertiſſet, aucta ſuſpicione pallium rejeciſſe, et urnam ingentem auri ad os uſque plenam ſub axilla ejus deprehendiſſe; igitur cum in urbem ſecum clam reduxiſſe, vinctumque cum vaſe conclavi, ad quod niſi per multas fores a ſe obſeratas, nullus patet aditus, incluſiſſe, nemine facti ne fratre quidem conſcio; et ſummo mane ad ipſum veniſſe, ut ſecreti participem faceret: proinde orare, ut quam primum eo veniat, et fortunae beneficio utatur. Rex initio laudata ejus benevolentia ſe excuſare, nec aequum et honeſtum eſſe, huic ut ſe negotio immiſceret; ſolos quippe theſauros in terra repertos ad fiſcum pertinere. Ad haec cum Alexander ruſtico propoſitum fuiſſe diceret, theſaurum in terram defodere, rex retulit, longe diverſa eſſe, animum defodiendi habuiſſe, et defoſſum inveniſſe: ad extremum cum urgeret index, et nimium ſcrupuloſe rem expendere regem diceret; interim id reſciturum fratrem, alioſque regni proceres, nec occaſioni defuturos; et in auro repetendo majorem deinceps fore difficultatem: heic rex adoleſcentis verba ad animum revocans in ſuſpicionem venit, aurum eſſe peregrinum a Jeſuitis ad novos in Scotia motus excitandos illatum; nam idem antea ſaepius ab iiſdem factitatum meminerat. Itaque comitem Alexandro domum reverſuro e domeſticis dare conſtituerat, qui hominem et nummorum notam, nam non bene id ſibi properanti perſpectum aiebat Alexander, viſeret. Verum ille contra proteſtari, et non niſi periculoſe ſecretum alteri, antequam rex ipſe coram id videret, credi poſſe vociferari. Ex animo ſe loqui et ſingulari, quo regem de ſe bene meritum proſequebatur, affectu; petere igitur, ne rex eo venire dedignetur, quoque majore id ſilentio fiat, exiguo cum famulatu inter venandum a comitibus deflectens Perthum ocyus contendat. Rex Alexandrum ſemper a puero dilexerat, et inter cubicularios adſciverat. Et cum Gulielmus parens ejus in crimen vocatus olim, dum regnum a proregibus adminiſtraretur, capite luiſſet, rex poſtea imperii capax bona paterna ipſi fratrique integra reſtituerat: itaque nihil ſiniſtri de utroque ſuſpicatus. Cum tamen abſurde pleraque interdum ab Alexandro dicta viderentur, ab Edmondo [e] Stuarto Leviniae duce, qui ſororem Ruvenorum in uxorem

INTERPR. [a] *Palais de Falkland.* [b] *Ruthven.* [c] *le Comte de Gowry.* [d] *Perth.* [e] *Stuart, duc de Lenox.*

uxorem duxerat, percontari coepit, an amentia unquam, aut delirio illum corripi advertiſſet; nam vix ſana mente ſibi videri; et in geſtu vultuque, ſi non omnino alienati, at certe perturbati animi manifeſta ſigna deprehendi. Cum Levinius nihil tale in adoleſcente ſibi compertum reſponderet, Alexander ex illo colloquio in ſuſpicionem adductus regem adit, enixeque rogat, neminem in negotii conſcientiam aſciſceret, nec quo eſſet ipſum ducturus cuiquam ſequendi poteſtatem faceret. Cum vero rex ſubridens, ſe non bene in pecunia numeranda verſatum diceret, ideoque adeſſe quempiam oportere, qui ipſius partes ea in re ſubeat; praefracte a juvene reſponſum, nulli ad theſaurum, praeterquam regi, aditum patefactum iri; eo ſemel a rege conſpecto, poſtea quoſcunque voluerit, advocari poſſe. Viſus hic ſermo durior regi, ſuſpicionem inſidiarum fecit. Sed cum jam in itinere eſſet, aliaeque aliis ſuccedentes conjecturae animi anxium in contrarium raptarent, a priore ſententia diſcedere turpe exiſtimabat. Itaque iter perſequitur, gnaviter inſequentibus domeſticis, quamvis injuſſu regis; inſederat quippe ſuis ex feſtinatione regis opinio, cum ob facinus in [a] Oliſandi domo in [b] Anguſia perpetratum [c] Perthum contendere, ut hominem nocentem comprehenderet, et turbas cientem praeſentia ſua anteverteret; propere et eum ſecuti ſunt Levinius et [d] Marriae comes, poſt venationem permutatis equis. Alexander ad latus regis ſemper haerebat, et ut equo calcaria adderet, inſtabat, prius fratre per unum et alterum, quos ſecum adduxerat, nuncium monito, regem in itinere eſſe, et prandium venienti pararet. Tandem Perthum perventum. Joannes quaſi rei ignarus regi occurrit, fratri palam ſuccenſens, quod ſe de adventu regis non in tempore monuiſſet: nam fore ut familiarius, quam deceat, acciperetur. Dum tarditatem excuſat [e] Gaurius et tenuitatem apparatus in non expectatum regis adventum rejicit, hora abiit. Interim cuncta circonſpicere, et dum rex eum alloquitur, a propoſito abludentia plerunque reſpondere. Alexander contra, ut mendacio fides conſtaret, coram fratre regis colloquium devitare, atque orare, ut miſſum ſe faceret, ne ex eo, quod erat, ſuſpicione conjectaret. Tandem ubi rex aſſedit, non poſt prima fercula ſtatim, ut in illa aula aſſolet, nec niſi ſecundis menſis remotis Levinius et Marrius, aliique nobiles ad prandium invitati; quo videlicet temporius rex ſurgeret, illi ſerius regi praeſto eſſent. Ipſe Joannes non una cum hoſpitibus ſuis, ut patriae fert conſuetudo, aſſedit, ſed ex coenaculi conclavi communi egreſſus menſae regis, ſicuti antea, cogitabundus aſtitit. Quo nomine illum per jocum rex increpuit, quaſi minus comiter convivas ſuos excepiſſet. Poſtea ubi ſurrecturum eum vidit Alexander, ut fraudis ſuſpicionem tolleret, in arcano monet, tempus ſecreti urgere, verum fratris praeſentiam obſtare: proinde rex eum aliquo amandaret. Igitur rex ſumpto poculo ad Gaurium converſus, Quanquam non dubito, inquit, te moris exterarum nationum in accipiendis hoſpitibus probe gnarum eſſe, tamen Scotus cum ſis, de recepta inter nos conſuetudine, ne domi peregrineris, te commonefacere officii mei eſſe duxi. Quando ergo nec mihi propinaſti, nec convivis tuis ad menſam adſidere dignatus es, qua in re non parum in hoſpitalitatis leges peccaſti, En tibi propino, idemque poculum hoſpitibus tuis ut praebeas, meoque nomine genio ut indulgeant jubeas, volo. Ad quae verba digreſſus cum gaudio, rex, praeeunte Alexandro, et Thoma Areskino equite, ut ſe ſequeretur, fruſtra advocato, per coenaculum illud commune, in quo ſui cibum ſumebant, tranſiens, cochleam aſcendit, et per quatuor conclavia fores ſemper obſerante Alexandro ad ſecretius cubiculum deducitur, ubi theſauri promiſſi cuſtodem non vinctum, ſed pugione armatum conſpicatus, ſero ſe in inſidias praecipitaſſe ſenſit; nam

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Le baron d'Oliphant.* [b] *province d'Angus.* [c] *Perth.* [d] *Mar.* [e] *le Comte de Gowry.*

CIƆ IƆ C.
HENRICUS IV.

nam occluſa ſubito cubiculi janua Alexander huc uſque intectus pileum ſuperbe in caput rejicit, et pugione rapto, pectorique regis admoto ſilere juſſit. Tum improperata Gulielmi patris innocentis morte ſe vindicem tam injuſtae caedis adeſſe profeſſus eſt : eum eſſe theſaurum, quem ſe illi oſtenſurum receperat. Quibus dictis pugionem immittere parantem prohibuit cuſtos Andreas [a] Henderſonus nomine, ex Gaurii famulitio, qui heri juſſu mane cum Alexandro [b] Falcolandiam profectus fuerat, et primus de regis adventu nuncium ad ipſum attulerat. Tantula ab inſtanti periculo mora interjecta, ex pavore animum colligens rex, ut erat inermis, nam prae feſtinatione poſt venationem gladium minime cinxerat, verba contra vim parantem adhibet, et qua pollebat dicendi facultate ad percuſſorem conversus, multa ad mitigandum ferocientis animum commemorat: videret, quid ſceleris contra ſe innocentem moliretur ; quod ſi ſtaret ſententia male praemeditatum facinus exſequi, apud ſe reputaret, id inultum non fore ; nam ſuperare a Deo datos in ſpem regiae ſucceſſionis liberos, qui paternae caedis memores ab ipſo olim rationem eſſent repoſcituri ; nec defuturos regii nominis amantiſſimos ſubditos, qui tam indignam principis ſui mortem impunitam non ſinant ; et ut haec abſint, Deum ultorem futurum, et vel ex lapidibus ſuſcitaturum, qui nefandum parricidam ad perniciem uſque conſtantiſſime perſequantur. Ad patris ipſius mortem quod ſpectaret, Deum conteſtari, nullo conſcientiam ſuam propterea ſtimulo attineri ; quippe cum in ea aetate tunc eſſet, ut alieno potius quam ſuo arbitrio regeretur, et notam eſſe factionis tunc in regno pollentis potentiam ; ad haec in ea re nihil niſi rite et ſecundum regni jura ac leges actum eſſe : ſed viciſſim recordari ipſum debere, ni ingratus ſit, quot beneficiis ab eo tempore totam Ruvenorum familiam demeruerit, priſtinis poſſeſſionibus ac dignitatibus reſtitutis, et ipſis ſororibus in aula tanquam in paterno ſinu educatis, et conjugis ſuae cubiculo poſtea praepoſitis : ſed et aliud eſſe, quo praecipue eum tangi oporteat, eandem in religione, quam uterque profitetur, conſenſionem, eadem ſacra, eoſdem ritus ; et ante oculos perpetuo obverſari debere ſancti et aeterna memoria digniſſimi viri Roberti [c] Rolloci, cujus ſe diſcipulum profiteretur, monita. Illum nunc adeſſe, crederet ; aut ſi praeſentem nollet, innocentiſſimi praeceptoris animam ipſum olim accuſaturam ſibi perſuaderet, exprobraturamque non hunc animum tamque ſceleratum conſilium ex ſua diſciplina hauſiſſe. Pro extrema ſive deprecationis, ſive expoſtulationis clauſula fidem regiam religioſe obligabat, ſi propoſitum mutaret, ſe nemini mortalium quid inter ipſos negotii interceſſiſſet revelaturum, et ſi quidem aliunde retegatur, minime permiſſurum, ut quidquam periculi ex eo ipſi crearetur. Perorantem truci vultu intueri primo viſus Alexander, moxque ſive oratione placatus, ſive ab Henderſono, quem adjutorem ſperaverat revocatus, retecto capite et in priſtinam reverentiam compoſitus religioſe pollicetur, ſe regem, ſi nullo clamore emiſſo ac ſine ſtrepitu ſe contineret, incolumem dimiſſurum ; tantum expectaret, dum Joannes frater ad colloquendum cum ipſo ſiſteretur. Cum replicaret rex, Quid mihi cum fratre tuo negotii ? quid tibi ex indecora hac captivitate mea poſt praeteritorum gratiam factam redit ? Ille retulit, ſe denuo polliceri, ſi quieſceret, vitam ſalvam ei futuram ; cetera ex fratre, ubi accerſitus venerit, intellecturum. Et ita rege Henderſoni cuſtodiae commendato ; additoque ut illi, ſibique ſimul caveret ; alioqui fore, ut ſi quid ei accidat, id ipſius periculo ceſſurum eſſet, ad fratrem pergit. Digreſſo percuſſore rex jam ſecurior cuſtodem interrogat, an facti conſcius et caedis patrandae cauſa advocatus fuiſſet. Neganti facile habita fides, quippe cum toto eo tempore, quo Alexander cum rege fuerat, non deſtitiſſet furentem obſecrare, ne quid

INTERPR. [a] *Henderſon.* [b] *Falkland.* [c] *Rollock.*

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

quid in regem gravius admitteret. Itaque cum rex fidem dediſſet, ſe quieturum, donec Gaurius adveniſſet, cuſtodem rogat feneſtras aperiat, et ſi quem e nobilibus illac tranſeuntem videret, juſſu regis accerſat. Id ſedulo ab Henderſono factum. Interim Gaurius, ut magis falleret, et ſceleri ſive patrando tempus, ſive patrato evadendi commoditatem quaereret, per appoſitum hominem coram nobilibus ad prandium haerentibus renuntiari curat, regem per poſticum abiiſſe. Quo audito, quiſque ad equum diſcurrit, et ad ſequendum regem omnes facto agmine contendunt: a janitore tamen conſilii ignaro in exitu moniti regem ſibi non viſum, et adhuc intus eſſe, Gaurio nequidquam contra eum nequam et mendacem appellante, ſubſtiterunt ex iis plerique. Tum Alexander cum fratre in arcano colloquitur, ab eoque acerbe increpitus, quod in eo, quod jam factum oportuerat, adhuc cunctaretur, protinus quaſi in propoſito confirmatus, nec tam ſuperbo, ut antea, quam ad deſperationem compoſito vultu ad regem redit, expanſiſque brachiis omnem vitae ſpem praeciſam dicit, regique jamjam moriendum eſſe. Confeſtimque quaſi reum vincturus, ſancto Dei nomine exſecrandum in modum ſaepius dejerato, periſcelidem manibus innectere conatur, ſive cunctatione ſubiturae poenitentiae locum daturus, ſive ea vecordia fuit, ut in tanto ſcelere juris formam ſervandam putaret. Incumbente Alexandro, et vinciri regem oportere clamitante, rex generoſum ſpiritum in tanto diſcrimine gerens, Mentieris, inquit, liber princeps natus ſum, liber moriar. Tum ut ſe ex ejus manibus extricaret, magna vi connixus, dextraque gladio ne exereretur appoſita, gulam ſiniſtra invadit; et inde conſcientiae morſu percuſſori vireis adimente, hinc certo periculo novum robur addente, tandem ſuperior evaſit: et per feneſtram, dum [a] Levinius et Marrius cum Gaurio eventum anxie opperiente equos expectarent, ſe prodi vociferatur; vocemque exaudientes illi, quanquam Gaurius regis eam eſſe vocem cum aſſeveratione pernegaret, huc illuc aditum quaerentes diſcurrunt. Rex interim poſt longam cum Alexandro colluctationem cum eum extra cubiculum pertraxiſſet, et capite ſub axilla preſſo cochleae foribus affixiſſet, enſe etiam in ſuam perniciem ſtricto conjurati manibus extorto, Joannes [b] Ramiſaeus eques ſupervenit, ſtrictoque pugione bis terque confoſſum Alexandrum per cochleae gradus praecipitem dedit. Eodem tempore Thomas [c] Areskinus, intellecta regis voce, cum Joanne, qui galeam a domeſticis ſumpſerat, quaſi nocentem aliquem comprehenſurus, acriter conflixit; et niſi hero ſervi praeſto fuiſſent, manu in gulam injecta ſub pedes miſſum proculdubio interfeciſſet. Verum ab iis diſturbatus ad Ramiſaei vocem in cubiculum contendit cum Hugone [d] Hereſio, et ſemianimem Alexandrum per gradus dejectum nacti ambo extremis vulneribus confecerunt. Eos continuo, ubi ſurrexit, cum ſeptem ſatellitibus armatis propere inſequitur Gaurius, et ut erat galeatus ac gladium manu utraque vibrans horrendis cum dejeramentis ad unum omneis morte perituros proclamat. Ad cujus conſpectum rex gladium, quo rem gereret, ubique quaerens, intra cubiculum a ſuis vi retractus eſt; clauſoque oſtio Areskinus, Hereſius cum ſervo, et Ramiſaeus, cum Gaurio manus conferunt: tandemque ipſe, qui ſervis animos ſua pugnacitate faciebat, ab Hereſiano per praecordia transfixus; ſervi multis vulneribus ſaucii per gradus detruſi ſunt. Levinius et Marrius fruſtra per cochleam, qua regem aſcendiſſe viderant, aditum quaerentes, fruſtraque vectibus diu per obſtantia viam moliti, nec niſi poſt ſeſquihoram, jam rege a praeſenti periculo liberato et Gaurio conſpirationis auctore ante ipſius pedes proſtrato, in cubiculum penetrare potuerunt. Rex illis adventantibus e veſtigio in genua

INTERPR. [a] *Le duc de Lenox & le comte de Mar.* [b] *Ramſay.* [c] *Erskine.* [d] *Herris.*

CIϽ IϽ C.
HENRICUS IV.

genua procumbens pro tanto periculo devitato, et inſperata de parricidis victoria Deo gratias prolixe egit; ſubinde obſecrans, ut quem tanto periculo praeter meritum ullum ad nominis ſui gloriam defungi voluiſſet, eidem ad procurandam illius propagationem porro animos faceret, ſpirituque principali confirmatum in glorioſo adeo decurrentem ſtadio ſemper incitaret. Ad rei famam de Gaurio, fratreque ejus interfectis, per urbem ſparſam, cum adhuc incertum eſſet, quid caedi eorum cauſam praebuiſſet, ingens populi ad aedeis concurſus factus, propiorque ſeditioni res videbatur, cum rex per feneſtram ſe oſtentans, manuque ut quieſcerent imperans, tumultum compeſcuit, ac magiſtratu in conclave vocato, rem, ut geſta erat, expoſuit. Tum cadavera parricidarum, donec de iis ſtatueretur, publicae cuſtodiae commendavit, et literas ſcriptaque, ſi quid forte quod ad conjurationem amplius detegendam faceret, reperiri poſſet, diligenter ſcrutatus, nihil praeter manticam magicis characteribus ac vocabulis incantatoriis plenam invenit. His peragendis tempus ad octavam horam veſpertinam extractum, antequam rex Falcolandiam petiturus in viam ſe daret, qui re jam evulgata per compita inter incedendum innumeram ex omni hominum genere multitudinem incolumitatem feſtis vocibus gratulantium ubique obviam habuit; tum ignes toto regno in publicae laetitiae ſignum excitati. In Joannem ut magicae ſuperſtitioni ſumme addictum poſtea anquiſitum; et quarto poſt die [a] Perthi a cancellario, theſaurario, ſecretario, advocato, et Georgio [b] Humio Spoto, Roberto et Jacobo [c] Melvillis equitibus, Jacobus [d] Wemius Bogianus, qui arctam familiaritatem cum Joanne, dum Venetiis eſſent, et poſtea in Scotia habuerat, et Gulielmus [e] Rindius interrogati multa in eam rem reſponderunt; ex Talmudica et Cabaliſtica Judaeorum credulum juvenem notas illas ſecretas ac ſuperſtitioſas voces hauſiſſe, quas per traditionem datas et a Deo in Paradiſo prolatas aiebat, eoque majoris efficaciae eſſe ſibi perſuaſerat, quam ullas poſtea a Prophetis et Apoſtolis uſurpatas. Obſervatumque fuit, quandiu characteres illi, quos geſtare conſueverat, de collo ſuſpenſi manſerunt, ne guttulam quidem ſanguinis per vulnera, quibus periit, manaſſe; ubi dempti fuerunt, copioſum toto corpore cruorem effluxiſſe. Interrogatus et ab iiſdem de conjuratione Andreas Henderſonus conſentanea iis, quae memoravi, reſpondit, et ſe ab initio facti ignarum; ubi in rem ventum eſt, Alexandro ſemper verbis, manibuſque reſtitiſſe, pugionem vulnus intentaturo eripuiſſe; itaque ſaepius ab ipſo increpitum, quaſi ad patrandum facinus denegata opera, exitii utrique ea die cauſam praebiturus eſſet. Secuta dein crimine digna animadverſio, et cadavera parricidarum ignominioſe ad ſupplicium rapta, bona proſcripta ſine ſpe gratiae aut reſtitutionis, et poſtremo Ruvenorum nomen tanquam infame et deteſtandae memoriae omnino aboletum; decretumque ut ſuperſtites duo fratres, gentileſque omnes eo depoſito maternum aut alterius familiae adoptivae, aliena item inſignia avitis omiſſis ſumerent. Parricidae avum habuerant Patricium [f] Ruvenum, cujus conſilio et opera Henricum Jacobi regis parentem in Davide [g] Rizio de medio tollendo ante annos XXXIV uſum diximus; ob id a regina cum marito reconciliata exagitatus, natale ſolum exilio mutavit, et in Anglia ad [h] Caſtrum-novum in magna rerum anguſtia deceſſit. Gulielmus ejus filius [i] Gauriae comes a Jacobo creatus, poſtea, quod caedi Henrici participaſſe diceretur, ſecuri percuſſus eſt; ejuſque mortem ulturi filii tanto ſe piaculo cum certa veluti totius familiae inter Scotos perantiquae internecione, nec alio ex nobilitate in facti conſcientiam adhibito, ſumma imprudentia obligaverunt.

X. IN

INTERPR. [a] *Perth.* [b] *Hume de Spot.* [c] *Melvil.* [d] *Wemyſs de Bogy.* [e] *Rind.* [f] *Lord Ruthven.* [g] *Rizzio.* [h] *Newcaſtle.* [i] *Gowry.*

X. In [a] Pannonia magnam hoc anno res Chriſtiana cladem accepit Pappenſium praeſidiariorum defectione, et Caniſa amiſſa. Pappam praecipuum contra Turcos propugnaculum CIↃ CC praeſidiarii ſeu Galli, ſeu Belgae tenebant, re ad [b] Javarinum ſuperiore anno feliciter geſta nobilitati, eoque inſolentiores redditi cum ſtipendium in tempore non repraeſentaretur, tumultuari coeperunt, ab Adolfo [c] Schuartzenburgo aliquoties placati. Sed cum verbis tantum res ageretur, neque pecunia promiſſa adnumeraretur, ſeditio major quam antea recruduit; factioſique inter eos, Hiſpanorum exemplo edocti, quo magis in omnem eventum partes ſuas firmarent, antequam in apertam defectionem animos renudarent, clam cum Turcis vicinis agunt, et pecuniam pacti locum ſe tradituros pollicentur; ſpe etiam facta Schuartzenburgi, qui propediem cum pecunia ad componendam ſeditionem venturus ferebatur, ipſis tradendi; aut ſi non veniret, iter ei ad [d] Ciſnecam profecturo praecludendi. Quo dictis fidem aſtruerent, nam initio fraudem ſubeſſe ſuſpicati Turci cunctantius agebant, e veſtigio tribunis et centurionibus imperium abrogant, Michaelem [e] Marothium loci praefectum cum omni familia in vincula conjiciunt, dictoque pro libertate pretio, niſi illud intra praeſcriptum tempus penderet, ipſum ſe Turcis dedituros interminantur: captivos Turcas praefecti, aliorumque in cuſtodiam datorum veſtibus ornatos, [f] Albam-regalem remittunt; tum [g] Motam quendam e ſuo numero praefractae nequitiae hominem electum ſibi praeficiunt, ac poſtremo Pappam diripiunt, et vexillum Caeſarianum inſigni ſcelere, ut omnis reconciliationis ſpes tolleretur, hoſtibus tradunt. Quo cognito, Schuartzenburgus, qui jam in itinere erat cum II CIↃ equitum et peditum, ad eos XX equites praemittit, monetque ſe reſpicerent praeſidiarii, et ad officium mature redirent; paratam pecuniam eſſe, ac fore, ut propediem quicquid ſtipendiorum debeatur, plene exſolvatur. Pro reſponſo a ſeditioſis convicia reddita, parumque abfuere ab injuria legati; certe ludibrio expoſiti, nec ſine contumelia dimiſſi. Cum nihil hac ratione proficeretur, Schuartzenburgus pluviis incumbentibus ulterius progredi prohibitus Javarinum, unde venerat, retro ceſſit. Tam foedae defectionis, ſeu proditionis jam tum ultio a Numine coepit, exorto inter ſeditioſos ipſos ob conditiones cum Turcis initas diſſidio: quo factum, ut ad manus deventum ſit, et multae caedes per urbem perpetratae. Inde occaſione ſumpta Schuartzenburgus repulſa ſuorum irritatus exeunte Junio propere [h] Schurpfenſtenium tribunum mittit cum apparatu bellico et III CIↃ peditum, ac fortunam experiri jubet. Eos ardente adhuc diſſidio pars altera muris ſuccedere patitur, quaſi abjecto defectionis conſilio, atque ultro ut accederent, hortatur. Verum altera parte ſuperveniente ſcalae admotae dejiciuntur, nec ſine damno Schuartzenburgici repelluntur; quo facto Turci pabulatores intromittuntur, quorum plauſtris exoneratis captivi Chriſtiani in ea Veſprinium et Albam-regalem abducendi cum magna imbellis ſexus turba imponuntur, ſcelus et perfidiam parte eorum, quae non praevaluerat, deteſtante. Marothius adhuc in vinculis erat, ob ſpem de pretio ab eo exſolvendo conceptam a ſeditioſis retentus; qui clam Schuartzenburgum monet, ut quando inter praeſidiarios tam male conveniret, occaſioni ne deeſſet, et ſi aſtus non procederet, vim adhiberet: ſimul locum contra vim haud ſatis firmum commonſtrandum curat. Igitur IV Eid. Quintil. caſtra ad Pappam poſita, in quibus erant IX CIↃ bellatorum: poſt aliquot eruptiones cum damno obſeſſorum ſemper, repulſus Schuartzenburgus diſpoſitis tormentis violenter muros pulſat. Centurioni ex iis in eruptione capto cutem vivo detrahi juſſit; et cum capite haſtae infixo ſuſpenſum ad terrorem publice oculis praeſidiariorum expoſuit. Ad

CIↃIↃC.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Hongrie.* [b] *Raab.* [c] *baron de Schwartzenburg.* [d] *Ciſnek.* [e] *Maroth.* [f] *Stul-Weiſſenburg.* [g] *la Motte.* [h] *le colonel Schurpfeſtein.*

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

Ad VII Kal. Sextil. continuata verberatione, molatrina, per quam quovis tempore auxiliares accipi poterant, poſt acrem defenſionem expugnata fuit. Interea ſolicitati Turci cuncta ad ſolvendam obſidionem neceſſaria parabant: ſed eos, quominus in tempore venerint, exorti ſub id continui ac foedi imbres remorati ſunt. Schuartzenburgus, dum verberatio continuatur, cuniculos agit, aliiſque operibus feſtinatis obſidionem urget. Jamque aqua foſſis derivata apertus erat ad ruinam aditus; et magna omnium rerum in oppido erat inopia, cum deficiente carne LX equi in cibum diſtributi. Quibus paulatim abſumptis obſeſſi ad extremas anguſtias redacti conſilium ex deſperatione capiunt, et cum nullum gratiae locum reliquum viderent, mortem obſtinate pugnando oppetere, quam deditione facta vitam inter exquiſitos cruciatus, ac ludibrium amittere maluerunt. Igitur pridie Kal. Sextil. eruptione noctu tentata eam caſtrorum partem, ad quam Merſpurgenſes ſtationem habebant, conferti invadunt, temulentumque militem partim caedunt, partim in fugam agunt; ad ſtrepitum excitus Schuartzenburgus cum trepidatione omnia compleri videret, quaſi Turcis auxilio venientibus, ad eam partem, qua maxime ſui laborabant, advolat, dumque huc illuc diſcurſat animos ſuis exemplo proprio faciens, glande ictus cadit: ſicuti capto [a] Javarino magnum nomen conſecutus, ita incredibili ſui deſiderio relicto; corpus Viennam deportatum, et militari pompa elatum ac conditum eſt. In ejus locum ſuffectus Melchior [b] Rederus, qui gnavam adeo operam in Varadino defendendo navaverat. Poſtridie quam hoc accidit, denuo eruptione certatum, et CCC circiter Caeſariani caeſi; nonnulli etiam intra oppidum abducti. Cum denuo eos ad deditionem hortaretur Rederus, quippe eorum res ad extremam inopiam redactas, ac brevi fore, ut annona prorſus deficiente ipſis fame miſerabiliter ſit pereundum; ſuperbe reſponſum eſt, Ubi annona defecerit, ſe captivos Chriſtianos, atque ipſum cum primis Marothium praefectum comeſturos. Inter haec agitatum a Belgis de fuga in arcano conſilium; quod ex transfugis cum cognitum eſſet, frequentiores excubiae tam equitum, quam peditum locis idoneis agi coeptae. Tandem obſeſſi V Eid. Sextil. duabus ante ſolis ortum horis per ſtagnum aqua educta paene ſiccatum ſummo ſilentio exitum tentant, via, quod fundo uliginoſo non fiderent, prius ſaccis, cratibus, aliaque materia prius communita. Vix albeſcente die de fuga a Redero cognitum, qui mox ad eos inſequendos [c] Naſdaſtium, [d] Thurinum comitem, et [e] Colonitzium cum levi armatura miſit. Cum jam fugitivi ad ſaltum paene evaſiſſent, interceptum ultimum agmen, et magna ex parte caeſum. [f] Mota ſeditioſorum dux, cum Colonitzio dedere ſe recuſaret, glande trajectus occubuit, cumque eo C circiter alii; ejus vicarius, aliique ex ſeditionis incentoribus capti. Marothius inter haec catenis ruptis in caſtra Caeſariana cum aliquot captivis aufugit. [1] Rederus deſertum oppidum ingreſſus ceteros captivos ſolvit, reliquias deteſtandae defectionis ad internecionem abolet. Ex captivis quaeſtioni ſubjectis, antequam de iis ſupplicium ſumeretur, reſcitum, quinque tantum ab initio de foedere cum Turcis ineundo conſilium agitaſſe. Quod poſtea cum poenitentiae amplius locus non eſſet, communibus ſociorum ſuffragiis comprobatum eſt; quippe cum diſſentientes e veſtigio a conſentientibus in omnium conſpectu necarentur: tum captivi omnia jura divina et humana violaſſe convicti per praeſidia ad poenam diſtribuuntur. Ut erant varia ingenia, ita variis ſuppliciis excarnificati; alii palis infixi,

alii

INTERPR. [a] *Raab.* [b] *Redern.* [c] *Nadaſdi.* [d] *comte de Thurn.* [e] *Colonich.* [f] *la Motte.*

NOT. [1] *Nic. Iſthuanfius in Hiſt. Hungar. fol. p.* 751, 752, &c. met cette hiſtoire autrement; car il dit, que Rederus mourut de maladie, devant que de voir la fin de ce ſiege, & que Nadaſdius lui ſucceda au gouvernement de l'armée. Ce Marothius auſſi ne ſe ſauva point de ſa priſon, ayant rompu ſes chaines; mais il fut delivré avec les autres priſonniers, quand Nadaſdius entra dans la place; & il mourut quelque tems aprés. *Put.*

alii rotis contuſi, alii uncis tracti, alii lentis ignibus et larido liquefacto uſtulati; quibuſdam inteſtina vivis detracta et ipſis ſpectantibus in ignem conjecta ac cremata. Nonnullis femora, humerique et aliae corporis partes carnoſae, quae magis a vitalibus abſunt, candentibus ſtimulis ferreis concerptae, denique cor ipſum vulſum; aliis et os pulvere nitrato oppletum, et igne indito caput in minutas partes contritum fuit. Ultra humanitatis modum tam foedae ac deteſtandae proditionis vindicta facta, non ſine multorum horrore: qui ita cenſebant, improborum animos non tam per ſupplicia a ſceleribus perpetrandis avocari, quam ad quidvis agendum et patiendum efferari; neque tam acerbitate deterreri, quam aſſuetudine hujuſmodi ſpectaculorum metum poenarum imminui. Cumulatum et Chriſtianorum infortunium Caniſae amiſſione: cum de pace inter noſtros Turcoſque minime conveniret, XII CIↃ praetorianorum Conſtantinopoli Budam miſſa, qui pridie Non. Sept. in itinere [a] Baboſcam potius ignavia noſtrorum, qui IↃ in praeſidio erant, omni re egregie inſtructi, quam virtute propria receperunt.



XI. Quarto poſt die caſtra ad Caniſam poſita munitiſſimum tota Stiria oppidum cum arce. Initio crebris eruptionibus pugnatum, et vallo dejecti Turci, machinis etiam clavis confixis, et una hoſti adempta ac in oppidum pertracta. Tandem auxiliaris exercitus ductore Philippo Emmanuele Lotaringo [b] Mercuriano ad [c] Muram fluvium Kal. Oct. conſedit; trajectoque eo ſignum adventus ſui obſeſſis dedit. Exiguum noſtrorum numerum contra ſuas ingenteis copias conſpicatus Purpuratus ad Mercurianum mittit; monetque ne tantillis viribus tantam obſidionem ſolvi poſſe confideret, meliuſque exiſtimationi ſuae ac ſecuritati conſuleret. Cui generoſe a Mercuriano reſponſum, cum minoribus multo Chriſtianorum viribus majores infidelium Turcorum, quam nunc eſſent, copias, vel ſi quicquid malignorum ſpirituum uſpiam eſt, cum ipſis conſpiret, invadere ſe minime dubitaturum, ac Dei ope fretum, de ipſis victoriam reportaturum. Itaque minis omiſſis conferendi certus, aciem quamprimum inſtrueret, et copiam ſui faceret. Tum ipſe acie inſtructa progreditur. Hoſtis contra aliquot cohortes caſtris educit, et colle oppoſito occupato noſtrorum adventum praeſtolatur. Ad eos invadendos miſſus cum equitatu ſuo Colonitzius. Heic levibus aliquot proluſionibus certatum, dum noſtri aciem inſtruunt, et tormenta ad hoſtilem diſturbandum dirigunt. Tandem Turci nihil proelii aleae committere certi, ſenſim pedem referunt; noſtri caſtra caſtris, quam proxime poſſunt, opponunt. Nox ſequens tam vicinis caſtris inquies tranſacta. Poſtridie noſtri rurſus acie inſtructa, hoſtem ad proelium provocant. Verum ille ſe vallo continebat, quo tutus facile omnem vim eludebat. Obequitantibus tamen [d] Heberſtenio, Koskirkio, et Colonitzio, ut propius ſitum hoſtilium munitionum contemplarentur, cum Turcis aliquot obviis manus conſerunt: quibus in fugam actis, noſtri fugientes ad valli labrum uſque inſecuti, turbatis ſtationibus incumbentes XIIII machinas campeſtreis capiunt, et re bene geſta laeti ad ſuos revertuntur. Turci his impreſſionibus fatigati, ut obſeſſis deditionem faciendi, ſic auxiliaribus recedendi neceſſitatem ob annonae inopiam imponere ſtatuerunt, et a tergo circunfuſis copiis, quod tam numeroſas habentibus facile erat, viiſque anguſtis inter paludes inſeſſis, in ſummam rei frumentariae difficultatem adducunt; annonae, quae ex longinquo comportabatur, aditu undique interclufo. His anguſtiis victus Mercurianus exercitum reducit, in diſceſſu, parum abfuit, oppreſſus. Nam a fronte et a tergo circunventus, cum periculo periculum diſcutere, et cum ſuorum perniciem

INTERPR. [a] *Babotzka.* [b] *Duc de Mercœur.* [c] *Mure* [d] *Heberſtein, Koskirke, & Colonich.*

perniciem ante oculos poſitam pernicie certa ſuperare certus, ad extrema ſe compararet, praeſens numen expertus eſt. Aer obſcuratus, ac tenebris ſtatim obortis coelum tonitru inhorruit, crebris micans ignibus. Inde turbo violentus noſtrorum primo caſtra, ſed illaeſa tranſmittit; dein majore vi glomeratus Turcica tentoria pervadit, dejicit, ac terrore cuncta permiſcet. Per tenebras noſtri exitium paratum evaſerunt : ſed eorum diſceſſu non mediocriter infracti obſeſſorum animi, praeſertim Hungarorum, qui frequentes jam ad hoſtem transfugientes de miſero ſociorum ſtatu eum edocebant. Germani initio ad defenſionem ſe egregie animatos oſtenderant, a [a] Paradiſio, qui loco praeerat confirmati : ſed crebris transfugiis debilitati ad extremum animos deſponderunt, et praefectum ad deditionem faciendam compulerunt. Itaque Caniſa XI Kal. Nov. dedita, et praeſidiarii ad Muram, ſicuti convenerat, incolumes deducti ſunt. Paradiſius officio ſuo defuiſſe inſimulatus [b] Raquelſpurgi cum ſe Mercuriano ſtitiſſet, ad Matthiam archiducem ſub cuſtodia remiſſus eſt : qui poſtea facti rationem reddere juſſus cum non ſatis ſe purgaret, ſemel etiam de fuga arripienda conſultaſſe convictus eſſet, cum aliis quibuſdam centurionibus dextra prius, dein capite truncatus fuit. Oppido capto Purpuratus III CIↃ peditum, IↃ equites praeſidio imponit, et aliquot caſtella ad [c] Dravi ripas exſtruit, ut commeantibus hinc inde ſuis liberum per utramque ripam aditum muniret. Tum ſolitudinem veritus miſſis circum literis ruſticos et ceteros vicanos, qui metu Turcorum diffugerant, ut revertantur monet, promiſſa libertate, et trium annorum ab omnibus tributis immunitate.

XII. IN [d] Dacia proxima Michael re feliciter Caeſaris auſpiciis geſta cum indignam meritis ſuis gratiam rependi videret, omnia circunſpiciebat, quibus potentiam ſucceſſibus anni ſuperioris partam tueri poſſet. Itaque clam animos purpuratorum tentandos curaverat; qui hominem in utrumque paratum, ut aliqua ſpe gratiae, ſi ad partes ipſorum inclinaret, lactarent, Huraiam Agam veneranda canitie ſenem viciſſim ad eum Sultani nomine mittendum curant; quem ille perhonorifice excepit cum ornatiſſimo equitatu, ad medium milliare obviam profectus : cum haud procul abeſſent, ambo ex equis deſiliunt, et ubi ſe humaniſſime invicem complexi ſunt, Aga Michaeli Perſicum gladium, quo accinctus erat, detrahit, eidemque alium Turcicum auro et gemmis diſtinctum tradit, cum multis aliis donis; inter quae erant ardearum inſignes plumae ad pileorum ornamenta; equi praeſtantiſſimi VII, generoſus falco; quae Michaeli incedenti praeferebantur : eoque comitatu ambo [e] Stephanopolim ingreſſi ſunt, reboante paſſim feſta tormentorum diſploſione. Aderant Caeſarei procuratores ad componendum inter ipſum et Georgium Baſtam diſſidium miſſi, quos ille ſpectaculo inſolito in ſuſpicionem adductum iri minime dubitabat, eoque aequiores in ferendis conditionibus fore ſperabat : interim monet, ne ea re moverentur; honorem, qui legatis debetur, niſi omnis expers humanitatis haberi velit, non exhibere non potuiſſe : nihilominus ſe facturum, quod aequum eſſet; tantum dent operam, ut Baſtae multis nominibus ſibi ſuſpecto alius a Caeſare ſubſtituatur, ne per privatas ſimultates publica ſalus in provincia periclitetur. Praeterea haec ejuſdem in arcano poſtulata ferebantur, ut Tranſilvania ſibi filioque jure hereditario cum [f] Varadino, Huſta, Nagbanya, et exterioribus Hungariae partibus traderentur; ut omnia bona ac dignitates, quibus Sigiſmundus Bathorius a Caeſare donatus fuerat, ſibi attribuerentur, et collatitia pecunia ad ſcribendum militem juvaretur. Caeſar, ceterique imperii principes Chriſtiani fidem interponerent, ſi forte in Turcorum poteſtatem veniret, fore, ut ex manibus eorum liberaretur. Ad haec addebat,

INTERPR. [a] *Paradis.* [b] *Rakelsburg.* [c] *Le Drave.* [d] *Tranſilvanie.* [e] *Kronſtat.* [f] *Waradin, Huſte, & Nagbanya.*

addebat, ut magis Caeſarianorum animos pertentaret, omnino ſperare ſe, quae jam in [a] Dacia occupaverat, loca Caeſarem minime repoſciturum; ſed praeterea etiam reliqua uſque ad Tibiſcum fluvium pro navata tam fideliter opera ſibi conceſſurum. Quae ſi a munificentiſſimi principis benignitate impetrare poſſit, ſe tot tantaſque res adverſus communem hoſtem geſturum, quantas huc uſque nemo geſſerit; et ſi pares ſumptus iis, qui in [b] Pannonia quotannis fiunt, ſubminiſtrentur, cuncta a Caſpio mari Budam uſque, [c] Albam-regalem, et Zolnocum imperio Caeſaris ſubjecturum. Haec ſuperbi juxta et ambitioſi hominis inſolentia poſtulata ita a legatis Caeſareis accepta ſunt, incendente eos Baſta aemulo, quaſi ille occaſionem a clientela Caeſaris diſcedendi quaerens, jam res novas animo moliretur. Tamen in praeſens res prudenter diſſimulata, et ex pecunia Caeſaris XXX CIↃ aureorum repraeſentata ſunt. Quae tamen tanquam leve operae pretium non ſine ſpernentis atque adeo male affecti vultu accepit Michael. Sigiſmundus interea ſociatis cum Hieremia Moldaviae deſpota viribus mediocrem ex gente ſua, Scythis, Polonis, Turcis confecerat exercitum, in omnia rerum agendarum momenta intentus. Contra eos, ne longiore mora interjecta majores vireis colligerent, ſtatim ducit Michael; quem tot locis victorem, ut fit, L CIↃ amplius armatorum ſequebantur: et per altiſſimorum montium anguſtias in Moldaviam penetrat; Sigiſmundo et Hieremia numero imparibus ſemper recedentibus: ubi plus ab regionis incommoditatibus, quam ab hoſte damni paſſus eſt, ad tantam annonae penuriam redactus, ut foliis arborum pro cibo uti cogeretur. Illi tandem recedendo ad Poloniae fineis pervenerunt, majora auxilia a foederata gente ſibi polliciti, cum quibus feſſo Michaeli recentes occurrerent. Hieremias de ſuppetiis importune Turcum ſolicitabat; a quo nihil pecuniae, militum aliquem numerum tandem eſt conſecutus. Michael a perſequendo hoſte jam dilapſo curſum inhibet, et Moldaviam ab Hieremia deſertam eo facilius occupat, quod plerique in provincia illum peſſime oderant, imperio aſperum et intolerandis tributis gravem; quippe ferebatur in ſingula etiam viliſſima capita aureum menſtruum impoſuiſſe; et quicquid corradere poterat, viribus ſuis et ſuorum benevolentiae diffiſus, in Poloniam, ad quam receptum ſibi parabat, mittere. Hoc ſucceſſu elatus Michael ulterius progreditur, cum Sigiſmundo, ubicunque eum nanciſci poſſet, manus conſerere certus: is novo ſubſidio recreatus, ita ut XXX CIↃ armatorum penes ſe haberet, ad Iſtrum juxta [d] Ortunum caſtrum conſederat. Ibi collatis caſtris acerrime pugnatur, multis utrinque cadentibus. Tandem victoria ad Michaelem inclinavit. Ex Bathorianis, praeter eos qui fluvio hauſti perierunt, deſiderata VI CIↃ. Ex Walachis vix II CIↃ. Michael victor totam Moldaviam Caeſaris nomine, ut in diſſimulatione perſeveraret, in poteſtatem redegit, eique gubernandae filium praefecit, parte copiarum attributa; ipſe cum reliquis Coſacorum, Raſciorum, Belgarum, quos a Caeſare habebat, copiis in Tranſilvaniam rediit: ubi cognito, Joannem Sarium [e] Samoſcium magnum Poloniae cancellarium cum numeroſo exercitu adventare, fama ſparſa, ut injuriam excurſionibus in terram Poloniam a Michaele factis ulciſceretur; revera, ut Sigiſmundum proxima cognatione ſecum conjunctum in paternum principatum reſtitueret, et Moldaviam veteri Polonorum imperio adjiceret, ad Caeſarei exercitus duces, qui in ſuperiore Pannonia erant, ſcribit; monetque, paratas ſemper copias haberent, quibus ſi quid hoſtis tentaſſet, ei ſtatim occurreretur.

XIII. Sub id denuo a Caeſare venit [f] Peczius cum aliqua pecuniae ſumma, quam propter itinerum pericula, ſicuti ferebat, ſive quod eam in Michaelis

poteſtate,

INTERPR. [a] *Tranſilvanie.* [b] *Hongrie.* [c] *Stul-Weiſſenburg.* [d] *Orthen r.* [e] *Zamoyski.* [f] *le Docteur Petzen.*

CIƆ IƆ C.

HENRICUS IV.

poteſtate, antequam ejus animum plene pertentaſſet, relinquere nolebat, [a] Socmariae depoſuerat. In colloquium ubi Peczius cum Michaele venit, poſt multas expoſtulationes et magnifice venditatam ſuam operam, ille poſtremo ſubjecit, ſi Caeſar ex fratribus ſuis aliquem in Daciam cum ſummo imperio mittat, ſe confeſtim e provincia decedere paratum; ceterum ex benignitate ipſius ſibi polliceri, ſui rationem habitum iri; totque exantlatos pro domo Auſtria labores, tot adita pericula potentiſſimum juxta ac clementiſſimum principem minime ex memoria depoſiturum; ſe viciſſim, ſi Caeſaris opibus aliorumque Chriſtianorum principum auxiliis juvetur, ad frangendam Turcorum potentiam et conſtituendam in iis locis rem Chriſtianam omnia conſilia ſua, omneis conatus, quicquid animi et induſtriae habet, converſurum. Verum Caeſar a Baſta monitus, homini barbaro et verſipelli ne fideret, contraria mandata Peczio dederat, quibus Michael ſine conditione ex Tranſilvania decedere, aut Baſtae, ſi in ea remanere vellet, parere jubebatur. Quod cum facere praefracte recuſaret, res ad apertum diſſidium erupit, et Michael, ut res ſuas firmaret, cum proceribus provinciae initio tanta humanitate uſus, dum bellum Caeſaris auſpiciis adminiſtraret, tunc omnia tuta timens animum renudavit, et aut nulla juſta de cauſa, aut ex levibus admodum ſuſpicionibus in crimen adductos ex iis pleroſque male mulctavit; nonnullos etiam quaeſtionibus ſubjecit, ex eaque re tantum odium populi collegit, ut multi ab eo deficerent, in iiſque Moyſes ipſe [b] Ciculorum regulus, cujus in virtute et fide cum magnam fiduciam ſemper repoſuerat, tum ductu magnas res in bello adminiſtraverat. Hac acerbitate in ſummas mox anguſtias ſe prolapſum ſenſit, ſero ad eam emendandam remedio; nam a Tataris et Turcis ſibi metuebat, et Samoſcium ultra modum reformidabat. Bathorium et Hieremiam ſibi inſidiari minime ignorabat: nec vero circa ſe, quibus plene confideret, ullos habebat. Homini inter tot difficultates confligtanti cum exercitu ex ſuperioribus Pannoniae praeſidiis raptim collecto Baſta, ne occaſioni deeſſet, ſtatim occurrit, ut ſponte parere recuſantem vi cogeret; et [c] Claudiopolim profectus cum obvios provinciae ordines habuiſſet, eoſque in fidem Caeſaris adegiſſet, [d] Albam-Iulam, ubi Michael cum XVIII CIƆ caſtra habebat, recta tendit. Adventu Baſtae ſubito non tam territus deſpota, quam ſuorum inſidias veritus, protinus in fugam ſe conjecit, IV CIƆ ex ſuis amiſſis, et ad montana Walachiae receptum habuit, ubi eum rurſus nova calamitas oppreſſit. Nam Sigiſmundus et Hieremias collectis repente copiis recedenti nec opinato incumbunt, et reliquias exercitus diſſipati, quas ſecum trahebat, profligant. Ille cum nihil amplius praeſidii in opibus ſuis videret, ne ab infeſto ſibi Baſta legem accipere cogeretur, Caeſaris clementiam appellat; commeatumque petit, quo tuto ad ipſum proficiſci et ſuſpiciones coram purgare poſſet, obſidum loco uxore et liberis oblatis, ne qua fraus ſubeſſe putaretur. Caeſar, qui barbarum ex Tranſilvania deducere ſummopere percuperet, dum potentiam ſuam in ea per Baſtam conſtituiſſet, facile poſtulatis ejus ob praeteritorum memoriam, ut aiebat, annuit; et Baſtae, ut tutum iter ei praeberet, et interim dum a domo procul eſſet, bellum ei a Sigiſmundo, et Hieremia per Walachiam illatum propulſaret, mandavit. Secundum haec exeunte anno Michael cum LXX equitum comitatu Viennam venit, a Matthia perhumaniter exceptus, per internuncium a Caeſare ibi tantiſper juſſus ſubſiſtere, dum Pragam evocaretur. Baſta interim comitia provinciae celebrat, in quibus cum Caeſar intellexiſſet, ordines et proceres certis tantum conditionibus ſe Caeſaris imperio ſubjicere paratos, quas niſi impetrarent, ope et patrocinio Turcico, quod ex propinquo oſtentabatur, uſuros; eo diutius diſtinendum Walachum putabat, ne res

INTERPR. [a] *Socmar.* [b] *Zekel.* [c] *Clauſenburg.* [d] *Weiſſenburg.*

res jam turbatas praeſentia ſua magis miſceret. Caeſar, quo motum illum componeret, initio ſummum Tranſilvaniae imperium Maximiliano fratri detulerat. Verum ille ſe excuſavit, Samoſcii, qui jam Moldavia recepta in Walachiam deſcenderat, et Hieremiae fratrem provinciae praefecerat, occurſum cauſatus. Walachi etiam inſtabant apud Baſtam, ut auxilio juvarentur adverſus Polonos, ultro ſe in Caeſaris poteſtate futuros polliciti, Michaelemque, cui hactenus paruerant, vel alium quempiam cum ſummo imperio mitti cum viribus petebant: nam quem Samoſcius impoſuerat, ſe ferre nec velle nec poſſe. Inter has conſultationes annus in aula Caeſarea et in Tranſilvania exactus.

XIV. Hoc anno adempta omnino libertas Auguſtanae confeſſionis ſociis, ad conciones et ſacra more inter ipſos recepto celebrandas in Stiria: principium ante biennium factum [a] Graecii, quae eſt Stiriae primaria urbs, in quo frequens Jeſuitarum ſchola. Horum inſtigatu, ut creditum eſt, Ferdinandus archidux alioqui inſito majorum religionis ardore ab iis alienus denuntiandum curat, Academiae nomine, paſtoribus, ut urbe excedant, conciones in poſterum ad populum publice non habeant, et cetera quae offenſionem vere piis pariant, penitus intermittant: id actum Eid. Sept. Cum nihilominus illi pergerent, acceſſit et Archiducis auctoritas, mandato ad eos x Kal. Oct. dato, eo forte die, quo ad conciones convenire debebant: dum deliberant, effluxit tempus concionis habendae; et ſic intermiſſus primum coetus: et quanquam octo dierum ſpatium iis Archidux praefiniſſet, intra quod ditionis ſuae finibus excedere tenerentur, ad extremum contractum tempus, et IV Kal. Oct. exire omnino jubentur, capitis poena adjecta: quod et executioni demandatum. Interea Archidux in Italiam abit, et ſalutato in itinere Alfonſo Ferrarienſium duce Romam contendit, ubi denuo in priore Auguſtanae confeſſionis paſtores expellendi propoſito confirmatur, expreſſo a Pontifice in eam rem ab ipſo ſolemni juramento. Paſtores urbe exacti, cum ceteris provincialibus et nobilitate, qui ut ſunt locis illis plurimi Proteſtantium doctrinae addicti, aliquoties quantum licebat, conveniunt; tandemque placuit ſupplicem libellum conſcribi, quo de injuria ſibi a Jeſuitis facta apud Archiducem conquerebantur. Is oblatus tam Stiriae quam Carinthiae et Carniolae ordinum nomine, exeunte Januario ſequenti, in eoque confeſſio [b] Auguſtae ante L annos Carolo V in imperii comitiis oblata: in qua nihil eſſe, quod a ſacrae Scripturae norma diſſideret, pluribus verbis contendebant: eam tum ſummo omnium ordinum conſenſu tota Germania adprobatam ac receptam, nullamque ab eo tempore iis, qui ſecundum eam viverent, moleſtiam factam: quin ipſius patrem Carolum mutuo acceptis a confeſſionis illius ordinibus vicies centenis aureorum CIↃ, denuo confirmaſſe, nullam vim ipſorum conſcientiis illatum iri, nec paſtoribus ipſorum fraudi futurum, ſi ſecundum eam docerent. Ipſum Archiducem principis verbo fidem obligaſſe, fidem a patre datam et pacificationem cum Carinthiae et Carniolae ordinibus ſe religioſe ſervaturum. In id collationes pecuniarum promiſſas ab anno CIↃIↃXXC exacte penſitatas, quae XVIII annorum ſpatio ad nongenta florenorum Rhenenſium CIↃ accedunt; eoque pretio redemptam eam libertatem, quae nunc ipſis tam injurioſe adimitur: in id cumulatae multae e ſacra Scriptura petitae rationes, et ad extremum ſuppliciter Archiducem obteſtantur, libertatem ſibi a patre conceſſam ac diu relictam conſervare ne gravetur. Sic rem gratam cum Deo facturum, ſibique ac ſuarum ditionum tranquillitati, ſubditorumque ſaluti optime conſulturum; alioqui fore, ſi in violentia jam coepta pergatur, et tam confeſſionis Auguſtanae

INTERPR. [a] *Gratz.* [b] *Augſpurg.*

CIƆ IƆ C.
HENRICUS IV.

Auguſtanae ſociis, quam paſtoribus periculum ob id creetur, ut patientia tandem in furorem vertatur, et deſperatione adacti populi ad detrimentoſa aeque ſibi aliiſque conſilia reſpiciant, Turcis, contra quos hodie pugnant, in auxilium advocatis. Habebantur tunc Stiriae comitia Graecii, in quibus Archiducis mandatum decreto ordinum denuo confirmatur, ac reliquae in Stiria civitates paſtores dimittere juben-tur. Cum [a] Ferri-fodinarum incolae decreto minime obtemperarent, miſſi, qui manu armata oppidum expugnant ac diripiunt, oppidanos plauſtris impoſitos [b] Graecium advehunt, ubi plerique ſevere admodum habiti. Urbe expugnata miles arcem vicinam viri ex illa nobilitate ſpectabilis Joannis Hofmanni capiunt, templumque proximum, in quo ſepulchrum gentilitium erat, tanquam piaculare pulvere nitrato ſubjecto evertunt, oſſibus cadaverum huc illuc diſperſis. Addunt qui haec ſcripſere ad majus odium, Graecii templum, in quo Proteſtantium conciones habebantur; altari in eo deſtructo, Willelmi [c] Zimmermani, qui magna fama inter eos paſtoris munere defunctus fuerat, effoſſum corpus, et in [d] Murram ſubjectum urbi fluvium a furenti milite projectum. Tandem cum nullus dies a nova in Archiducis imperia detrectanteis moleſtia vacaret, multi huc illuc dilapſi, etiam relictis bonis, quae quaeſito belli ſumptuum colore in fiſcum redacta ſunt ac diſtracta.

INTERPR. [a] *Eyſengrub.* [b] *Gratz.* [c] *Zimmerman.* [d] *Mure ou Muer.*

JACOBI

# JACOBI AUGUSTI THUANI

# HISTORIARUM SUI TEMPORIS

## LIBER CENTESIMUS VICESIMUS QUINTUS.

### EPITOME.

*TANDEM inter Regem et Sabaudum ad arma devenitur. Rurſus novae perſcriptae conditiones, quibus cum nec ſtaret Sabaudus, omnis de pace conſultatio abrumpitur.* II. *Tum Diguierio et Birono negotium datum, ut hic in Breſſae comitatu, ille in Sabaudia principium bello faceret. Bironus Burgum ducit, Diguierius Monmelianum, eodemque die vi ab utroque facta utrumque captum oppidum. Ad arces obſidio diuturnior fuit.* III. *Calatagirona pontificis nomine intercedit; grave ad eum regis reſponſum.* IV. *Ludovicus Bertonus Grillonius Camberii ſuburbia occupat: Regi ſupervenienti mox urbs patuit. Arx a Jacobio dedita. Confluentia, Miolanum, Turris Carbonaria eodem ſucceſſu capta. Diguierius Joannis fanum et Mauriennae vallem ſubjectam uſque ad Ceniſium montem in poteſtatem redigit. In Tarentaſienſi valle itidem Monaſterium primo captum, et mox circumpoſita loca. Ad Monmeliani arcem verſus impetus.* V. *De conjurationibus domeſticis jam tum rumor ſparſus. Rex in ſuſpicionem adductus Sueſſionem cum ſummo imperio in Sabaudia relinquit, et in Sebuſianos deſcendit ut Bironi conſilia obſervaret. Rex in periculo verſatur, dum propius S. Catharinae munitionem contemplatur.* VI. *Cardinalis Aldobrandinus ad regem mittitur.* VII. *Brandiſius comes, qui Monmeliani arcem tenebat, de loco tradendo fidem interponit, datique obſides.* VIII. *Aldobrandinus Camberium venit. Aldobrandini cum rege colloquium.* IX. *Sabaudus cum exercitu Auguſtam praetoriam venit. Tandem tempore condicto exeunte arx Monmeliani a Brandiſio tradita. Rex cum nihil cum Aldobrandino et Sabaudi delegatis proficeret, Luiſetum primo a Sankatharinae munitione lapide venit. Tandem Boventius qui Burgi arcem tenebat, extrema neceſſitate victus cum rege tranſigit. Rex Lugdunum ad Aldobrandinum excurrit.* X. *Genevae origo ab occaſu imperii Romani repetita. De Sabaudi et reipublicae Genevenſis juriſdictione altercatio.* XI. *Diſſoluto regis cum Margarita matrimonio Sillerius, qui Romae erat, Florentiam mittitur, ut pactis cum Maria Franciſci magni Etruriae ducis filia conventis regis nomine ſubſcriberet. Et mox Rogerius Bellogardius eodem venit. Celebratae fiduciariae nuptiae ab Aldobrandino cardinali illac tranſeunte, magna ac inſigni pompa.* XII. *Novae reginae in Galliam appulſus, et ad regem adventus. Aldobrandinus Lugdunum ſolemni ritu ingreditur. Mandata ejus ſeu facultates in ſenatu minime publicatae.* XIII. *Rex a Genevenſibus exoratus Sankatharinam munitionem deſtruendam mandat: quae res Aldobrandino ultra modum irritato pacis negotium paene interrupit.* XIV. *Tandem eo pacato perſcriptae conditiones, quibus vix poſt multas obteſtationes Sabaudi delegati ſubſcripſere.* XV. *Sabaudi et Fontani longe diverſi adfectus. Lermaei in aula Hiſpana pollentis ingenium, et occultae cum Fontano aemulationes. Sabaudus ab Hiſpanis deſertus ad extremum, quae Lugduni acta erant, ſubſcriptione ſua comprobat. Ineunte Martio Burgi arx a*

*Boventio*

*ventio tradita, et Petrus Eſcodeca Boetius ei cum valido praeſidio imponitur.* XVI. *Rex reginaque pace parta Aurelianum ambo veniunt, ut anni propitiatorii indulgentiis huic loco conceſſis participarent.* XVII. *Roberti Ebroici Eſſexiae comitis, generoſa ambitio ex aemulatione cum Roberto Cecilio, poſtremo ipſi fatalis.* XVIII. *Ad Kinſalam in Hibernia Hiſpani conſerta pugna ab Anglis profligati.*

Ex auctoribus,

*Regia ephemeride, Actis publicatis, Teſtimoniis et documentis de Genevenſi juriſdictione ab utraque parte evulgatis, et Sabaudo equite Claudii Buleti, Actis probatoriis in Eſſexii cauſa.*

## LIBER CENTESIMUS VICESIMUS QUINTUS.

CIƆ IƆ C.
Henricus IV.

NUNC bellum ultimum ab optimo et fortiſſimo principe geſtum, ut pacem toto Chriſtiano orbe expetitam, regnoque neceſſariam conſequeretur, continua ſerie exſequemur. Carolus Emmanuel Sabaudiae dux, cum domum reverſus, neque conditionibus Lutetiae perſcriptis ſtare vellet, neque novas ullas admitteret; et ſive ambitione inſita, ſive ab Hiſpanis vicinis perſuaſus, Saluciarum principatu ulla ſe ratione cedere paratum negaret; rex tot tergiverſationum pertaeſus, negotii inter bellum induciaſque animos ſuſpendentis nodum, quem amice ſolvere non potuerat, ferro ad extremum reſcindere decrevit. Et poſtquam tempus reſtitutioni ſive compenſationi praeſcriptum exeunte Junio exiiſſe vidit, ineunte Julio in viam ſe dat, et Lugdunum VII Eid. Quintil. venit, rurſuſque interpoſita aliquot dierum mora XVII Kal. Sextil. a Sabaudo ad regem miſſi venere [a] Tarentaſienſis archiepiſcopus, Gaſpar a [b] Geneva Lullini marchio, et [c] Roncaſius. Hi conditionum Lutetiae perſcriptarum iniquitatem cauſati, quibus Sabaudus ſtare neque honorificum neque tutum duceret; tamen de [d] Saluciarum principatu reſtituendo aſſentiri eum dicebat, modo is beneficii titulo uni ex filiis a rege concederetur. Ad haec rex, Sabaudum literis [e] Camberio et Taurino datis ſignificaſſe aiebat, conditiones Lutetiae perſcriptas, quas nunc rejiciat, ratas habuiſſe, fidemque dediſſe, eas, cum dies ceſſiſſet, ſe bona fide impleturum. Quod de beneficiario Saluciarum principatu nunc proponitur, non ita ſecum in hoc negotio verſatum Sabaudum, ut eam gratiam a liberalitate ſua ſperare debeat: diſplicere ſibi ſummopere adfectatas Sabaudi tergiverſationes; proinde ſciret, niſi conditionibus perſcriptis intra Kal. Sextil. proximas ſatisfaceret, ſibi bellum denuntiatum eſſe. Roncaſius hoc accepto reſponſo Taurinum ad Sabaudum revolat: cumque interim [f] Franciſcus Monmorantius Foſſa ex Italia rediens per Taurinum tranſiiſſet, vulgoque in principis illius aula jactari regi adfirmaſſet, nunquam eum adductum iri, ut Saluciarum principatu cederet; et ſi bello peteretur, fore, ut vix poſt XL annos illud finiretur: rex de pace deſperans cuncta ad vim inſtruit: ſed cum Roncaſius ſub id a Sabaudo revertiſſet, et eum contra regi ſatiſfacere paratum affirmaret, rurſus nova ad ſolvendas aliquot a delegatis propoſitas difficultates perſcripta capita, inter quae convenerat, ut [g] Paſſagius cum CCC Helvetiis ex Gaſparis [h] Galatii legione, et CC delectis Gallis [i] Carmaniolae imponeretur: quibus

INTERPR. [a] *de Tarentaiſe.* [b] *de Geneve marquis de Lullin.* [c] *de Roncas.* [d] *Saluces.* [e] *Chambery & Turin.* [f] *François de Montmorency baron de Foſſeux.* [g] *du Paſſage.* [h] *le colonel Galaty.* [i] *Carmagnolle.*

quibus Sabaudus XVII Kal. Sept. arcem tradere teneretur. Petebant Tarentaſienſis et Lullinus, ut antequam iis ſubſcriberetur, rurſus Sabaudus de re omni per Roncaſium admoneretur; nihilominus, dum ille Taurinum pergit, eodem tempore Paſſagius diverſo itinere Carmaniolam miſſus: cui a Sabaudo ſtatim ſignificatum, ut ſi ulterius pergeret, hoſtili ſibi vi aditum ad Carmaniolam patefaciendum eſſe intelligeret. Tandem tot injurioſis protelationibus victa patientia, rex omnem de pace conſultationem abrumpit: et III Eid. Sextil. edictum facit, quinto poſt die Lugduni per praeconem publicatum, quo declarat, ſe extrema neceſſitate victum arma ſumpſiſſe, ut Saluciarum principatum a Sabaudo tempore pacis, Henrico III rege, a quo tot beneficiis parens ejus cumulatus fuerat, injurioſe uſurpatum repetat: nihil non feciſſe, ut belli neceſſitatem defugeret, et pacem cum vicinis principibus tantopere a ſe expetitam tot exantlatis laboribus partam coleret: cum nullas aequas conditiones accipiat Sabaudus, reliquum eſſe, ut quod jure nequit, bello juſto ab ipſo extorqueatur. Ad hujus tamen acerbitatem temperandam loca ſacra, omneiſque ex ſacro ordine, qui Sabaudo in hoc bello operam non navabunt, patrocinio ſuo ſe complexurum profitetur; ſicuti civitates et oppida, quae imperata facient; bello tantum iis denuntiato, qui Sabaudo militabunt. Additum, poena capitis ſancita, ut a ſacrilegiis, raptu, ac ſtupris mulierum virginumque, domorum, arcium, aliorumque locorum incendiis omnino abſtineatur. Poſtremo juſſi omnes regiae ditionis ſubditi, qui Sabaudo operam navabant, ut intra XV dies domum redeant, poena in eos, niſi intra praeſcriptum tempus paruerint, perduellionis pronuntiata.

II. EODEM tempore [a] Bironus et Diguierius, quibus ut primariis ducibus belli ſimul, huic in Sebuſianis, hodie Breſſae comitatum vocant, illi in Sabaudia inchoandi deſtinata cura erat, copias conſcribunt. Tum Maximilianus [b] Betunius Ronii marchio, aerarii et rei tormentariae, cujus praecipuus in eo bello uſus futurus erat, praefectus, propere Lutetiam mittitur, ut machinas bellicas, quae jam in itinere erant, et apparatum bellicum advehi curaret. Carolus Lotaringus Guiſius in Provinciam deſcendere juſſus, ut ſi quid Sabaudus et Hiſpani, qui [c] Tolonio et Maſſiliae inſidias ſtruere nunciabantur, moverent, ad omneis caſus praeſto eſſet. Emericus Vicus apud Helvetios orator, qui ſub id [d] Lugdunum venerat, propere [e] Soloturnum remiſſus, ut delectus auxiliarium, ſi opus eſſet, paratos haberet. Venerat et Roma Nicolaus [f] Brulartus Sillerius, qui cum Petro [g] Janino ſenatus Divionenſis praeſide cum Sabaudi delegatis capita conferre juſſus fuerat. Antonio [h] Seguierio regio apud Venetos oratori, quibus Sabaudi morae in eo negotio affectatae multis de cauſis ſuſpectae erant, negotium datum fuerat, ut juſtas belli, neceſſitate potius quam voluntate regis ſuſcepti, cauſas in ſenatu exponeret. Quod ille bello jam inchoato prolixa oratione fecit VIII Eid. Sept. Eodem quo edictum Lugduni factum fuerat die rex [i] Gratianopolim petit, miſſis hinc inde Birono et Diguierio, qui bello initium facerent. Et ille quidem traductis per [k] Matiſconis pontem copiis, in quibus erant Campana et Navarrena legiones, et Helvetii, qui Lugduni in praeſidio erant, Eid. Sextil. vix albeſcente die admotis ad [l] Burgum, quod eſt Sebuſianorum caput, ſemel atque iterum crepitaculis, urbem impetu capit, prohibita inter milites direptione, ne inter praedandum copiae diſſiparentur. Et ex arce, quae munitiſſima toto

INTERPR. [a] *Le Mareſchal de Biron & le Sr de Leſdiguieres.* [b] *de Bethune marquis de Roſny, ſurintendant des Finances, & grand maiſtre de l'Artillerie.* [c] *Toulon & Marſeille.* [d] *Lyon.* [e] *Soleurre.* [f] *Brulart Sr de Sillery.* [g] *Jeannin preſident de Dijon.* [h] *Seguier.* [i] *Grenoble.* [k] *pont de Maſcon.* [l] *Bourg en Breſſe.*

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

toto illo tractu urbi inſidet, eruptione facta, ſoluti noſtri periclitarentur. [a] Montis-majoris comes urbi praeerat; cum delectis Helvetiis arcem tenebat [b] Boventius. Urbs capta poſt acre, ſed breve certamen, in quo Carolus [c] Rupifortius Santangelus primam aciem ducebat. Mox ad arcem promotum vallum et munitiones tumultuariae exſtructae. Ejus rei nuncius poſtridie ad regem perlatus ſummo mane cum ſeptem ſignis et vexillo alae peditum a Birono miſſis, quem de [d] Monmeliano oppido capto in Sabaudia alter ſecutus eſt ſub meridiem. Id admotis itidem crepitaculis Carolo Crequio Diguierii genero vim eum delectis faciente patuit; et oppidani cum praeſidiariis in arcem confugerunt.

III. Pro felici juſtorum armorum ſucceſſu actae Deo gratiae: et cum feſto Aſſumptionis beatae Virginis die, ſtrumoſos ritu ſolemni ex praecepta in hujuſmodi morbis curandis virtutis a coelo datae opinione rex tetigiſſet, poſt veſpertinas preces Bonaventuram Calatagironam jam pacis cum Hiſpanis ante triennium factae internuncium in colloquium admiſit: is ante aliquot menſeis pontificis rerum pacificandarum occaſionem quaerentis juſſu [e] Taurini apud Franciſcanos ſuos ſubſtiterat. Tunc ejuſdem mandatu ad regem venit, nihil gravius ſeni pacis cupido ac ſequeſtro poſſe accidere affirmans, quam ſi ſuo hortatu depoſita inter principes odia recrudeſcant, et ad arma deveniatur: conditionibus Lutetiae conventis ut ſtetur, unice pontificem expetere; neque abnuere, quin rex, quae ſua ſunt repetat: ſed ea lege, ut ab alieno, hoc eſt, ab antiqua Sabaudiae ditione vim abſtineat. Cui a rege reſponſum, magno ſuo cum dolore fieri ut quidquam, quod pontifici grave ſit, facere cogatur: ſed iniquitate adverſarii neceſſitatem armorum ſatis excuſari. Neque vero tot ludificationes diutius ferri potuiſſe ſine decoris et ſecuritatis publicae jactura; egregium erga ſe pontificis animum, quem ſemper expertus ſit, et ultro profiteatur, eo uſque ſibi colendum, et omni officio ac comi obſequio ſervandum propoſuiſſe, ut nihil regio faſtigio, nihil Franco-Gallico nomine, quod vitae periculo toties tutatus ſit, indignum admittat. Tum converſo ad Calatagironam ipſum ſermone ſubjecit: Nunc apud te, illuſtriſſime patriarcha, cogita, quid vicini principes expectare debeant ab eo, a quo regnum Galliae per belli inteſtini opportunitatem inſidioſe petitum, et Provinciam ac Delfinatum hoſtili vi miſerabiliter infeſtatum norunt; qui minime ignorant, quid per ſuos oratores nuper [f] Badenis in publicis Helvetiorum comitiis ad excuſandam Salueiarum principatus invaſionem jactari mandaverit. Naturale eſſe patribus, ut liberis proſpiciant; ſibi tam egregiam ſobolem, ad imperatores ac reges originis principia repetentem, a Deo non fruſtra conceſſam. Itaque laudandam patris prudentiam, qui opportunitate tam feliciter uſus ſit. Quando ergo tandem a tali vicino ceteri principes ſecuri degent, qui nullum inſanabili ambitioni modum facit? qui nunquam ſe quieturum oſtendit, niſi ubi quot filios habet, tot regna et imperia vicinis injurioſe erepta in ſingulos tranſtulerit? Neque vero haec a me dici putes, illuſtriſſime patriarcha, quaſi a Verviniensi pacificatione diſcedendi occaſionem quaeram. Eam religioſe coram te juratam pari religione ſervare decrevi. Sed nemo, niſi iniquus ſit rerum aeſtimator, de jure meo me propterea decedere oportere dicet, aut Chriſtianam tranquillitatem turbare; quippe qui paratus ſim tam libenter arma deponere, dummodo mihi ſatisfiat, quam invitus ad res meas repetendas bellum ſuſcepi. Ad haec cum non haberet quod reſponderet Calatagirona, ſaltem in aliquot dies inducias pangi petiit; quod cum nec a rege impetraſſet, propoſitis aliquot nomine Sabaudi conditionibus Lugdunum remiſſus eſt, ubi cum delectis arctioris concilii ſenatoribus de iis ageret.

IV. Eodem.

INTERPR. [a] *Montmajour.* [b] *Bouvens gouverneur de la citadelle.* [c] *de Rochefort de S. Angel.* [d] *Montmelian.* [e] *Turin.* [f] *Baden.*

IV. Eodem quo Monmelianum a Crequio captum eſt die, praemiſſus Lud. [a] Bertonus Grillonius praetorianorum tribunus, vir pugnax et bello impiger, [b] Cambcrii ſuburbia occupaverat. Urbem tuebantur CCCC a Sabaudo impoſiti: potius ut defenſionis oſtentatione tempus duceret, quam quod locum nec ſitu firmum, aut arte munitum defendi poſſe judicaret. Grillonium rex ſubſecutus eſt cum delecta nobilitate et levi armatura. Ad ejus adventum urbs patuit, nec multo poſt arx, in quam [c] Jacobius cum praeſidiariis confugerat, dedita honorificis admodum conditionibus X Kal. Sept. ſed VIII tantum poſt diebus tradita; intra quos ſi idoneo auxilio juvarentur, a fide data liberi cenſebantur. Camberium Sabaudiae metropolis eſt [d] Gratianopolitano epiſcopo ſubjecta, in qua ſenatus provinciae habetur. Rex dimiſſis Sabaudi, qui remanere noluerunt, officialibus alios ſubſtituit; et jus inter eos Petrum [e] Lubertum libellorum ſupplicum magiſtrum, quandiu urbem tenuit, dicere juſſit. Eodem ſucceſſu late regii nominis terrore ſparſo [f] Confluentia dedita: quae munitio eſt in concurſu [g] Arcae et Iſarae poſita ad ſervandum aditum, ex quo in Tarentaſienſem vallem deſcenditur. Locum tenebant CIƆ praeſidiarii, qui poſt editam a II machinis muralibus ruinam non expectata oppugnatione vitam et res ſalvas pacti in tutum deducti ſunt. Inde ad [h] Miolanum exercitus ducitur, caſtellum ſaxo arduo impoſitum undique praerupto, quod in Iſaram ſubjectum deſpicit, quod ad primum regiorum conſpectum deditionem fecit. Reſtabat turris [i] Carbonaria, quae munitio aditum in Moriennenſem vallem ſervat, in montium faucibus, quae per convallem porrectae ad Ceniſium montem deſinunt. Locus eſt [k] Beraldi Saxonis primi Moriennae comitis et familiae Sabaudicae conditoris primum domicilio, ac poſtea Thomae Humberti III filii cunis memorabilis, ad Iſaram ſaxo undique inacceſſibili, niſi qua per callem anguſtum ad [l] Porteriam itur, ſitus; domicilio praeterea comitum Sabaudiae, cum primum in hanc provinciam migrarunt, nobilis. Huic ſubeſt [m] Aquae-bellae municipium, quod a Crequio et Abele [n] Berengario Morgio cum delecta manu praemiſſis tanta celeritate occupatum eſt, ut praeſidiarii arcis de loco incendendo, ne uſui noſtris eſſet, cogitantes paene in eo oppreſſi ſint. IX machinae murales a [o] Ronio ad arcem admotae, et II minores, quarum diſploſione poſt IƆCXXXVII ictus, cum omnem auxilii ſpem praeciſam viderent, poſtremo deditionem pacti ſunt, vita et re ſalva tantum conceſſa: nam ſigna relinquere et funibus extinctis exire debebant. IV Eid. Sept. conditiones perſcriptae, quibus cum ut minus honorificis generoſiores inter eos ſtare detrectarent, redintegrata pulſatio, quam mox deditio ſecuta eſt. Miſſus dein cum parte exercitus et IV tormentis Diguierius, locorum gnarus, et bello adverſus Sabaudum hactenus feliciter geſto clarus, qui per montana facto itinere primum Joannis-fanum, dein caſtella circum exſtructa uſque ad Ceniſium montem, ac poſtremo ſubjectam omnem Moriennae vallem ſubegit. Quo facto in Tarentaſienſem ingreſſus, [p] Monaſterium primarium oppidum, dein [q] Brigantionis ac Sanjacomontii munitiones cepit: ita ut tota Sabaudia in regis poteſtate eſſet, excepta Monmeliani arce, et propugnaculo S. Catharinae, quod Sabaudus II a Geneva leucis ad inſidias infeſtae ſibi urbi ex propinquo ſtruendas, et, ſi capere non poſſet, fraenandam eam ante XI annos exſtruxerat. Eo Nicolaum [r] Harlaeum Sancium initio rex miſerat, potius ut locum exploraret, et ad tempus cingeret, quam ſeria obſidione premeret. Igitur reductis a Diguierio copiis, totus belli in Monmelianam arcem impetus vertitur; quam tota

provincia

INTERPR. [a] *Berton de Crillon meſtre de camp du regiment des gardes.* [b] *Chambery.* [c] *de Jacob.* [d] *de Grenoble.* [e] *Lubert.* [f] *Conflans en Savoye.* [g] *l'Arc & l'Iſere.* [h] *Miolans.* [i] *tour du Chateau de Charbonnieres.* [k] *Berauld comte de Maurienne.* [l] *la Porterie.* [m] *Aiguebelle.* [n] *Berenger Sr de Morges.* [o] *de Bethune de Roſny.* [p] *Monſtiers.* [q] *forts de Briançon & S. Jacomont.* [r] *de Harlay Sancy.*

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

provincia firmiſſimam creditam Diguierius, qui eam diu ante diligenter exploraverat, intra menſem aut vi, aut deditione in regis poteſtatem conceſſuram audacter affirmabat; ſumptus, qui in eam rem fierent, ex ſuo ſe reſarciturum promittens, ſi eventus expectationi non reſponderet. Arci veteri nova munitio ſpatioſior circundata eſt, quae ſummum faſtigium rupis, cui impoſita eſt, ambitu ſuo complectitur, quinque propugnaculis egregie firmata, quorum tria praecipua municipium ſubjectum reſpiciunt, qua parte et foſſam habet. Quapropter ſaxi praerupti ſitum prominentibus ſubſtructionibus, muniri non potuit; forcipes artificioſe ducti, qui vice propugnaculorum ſunt: in eo tantum praeſidiarii ccc erant, iiſque praeerat Jac. [a] Rivolius Brandiſii comes, ex [b] Montis-majoris comitum familia. Ad meridiem Iſaram habet, qui in Sabaudiam ulterius perrecturis ponte tranſmittitur. Ab adverſa parte altiſſimis montibus cingitur, ad quorum radices collis imminet vitibus conſitus, acceſſu difficilis: in quem tamen operarum vi a [c] Ronio iv tormenta ſubvecta ſunt, quibus maxime obſeſſi infeſtabantur, ut et a v aliis ad [d] Caſam-rubram collocatis. Paulo infra iv alia tormenta diſpoſita, quae in Sammarianum propugnaculum ictus dirigebant: et rurſus totidem propius oppidum juxta [e] Peroſiae arcem, in qua Joannes [f] Durfortius Bornus Ronii vicarius hoſpitium habebat, quae [g] Mulaviam propugnaculum petebat. In oppido, et ad turrim praeſidiariorum frequenti diſploſione ſemidirutam, v tormenta directa. Ab occaſu, qua montem altiſſimum [h] Garnerianum vulgo dictum habet, v tormenta veterem arcem pulſabant, et totidem juxta in forcipes ictus ejaculabantur, qua parte ad [i] Francinam villam Ronius hoſpitium habebat, juxta ſeptum quo apparatus bellicus cuſtodiebatur. Trans Iſaram iv tormenta murum continuum novae munitionis et veterem arcem pulſabant: nec ceſſabant obſeſſi, et beatae Virginis objectum in oppido templum, circa quod Diguierius copias inſtructas habebat, aſſidua verberatione infeſtabant. Juſſus Brandiſius deditionem facere, initio recuſavit, ſuperbo reſponſo addito, fore ut ad Monmelianum ſi rex pergeret, Franco-Gallicum nomen exſtingueretur.

V. DUM ad obſidionem rex haeret, varii hinc inde rumores ſparſi; et metus prudentiores inſeſſit, occultas molitiones ſtrui: aucta ex eo ſuſpicio, quod Sabaudus in tanto periculo, Sabaudia jam tota in regis poteſtatem redacta, interim in Taurinis ſedebat quaſi ſecurus, auxiliorum ſpe ſuos fruſtra implens, neque tamen ſe loco movens; vulgoque in ejus aula jactabatur, regem cum palanti exercitu per Sabaudiam diſcurrentem infirma oppida capere, ſed vice verſa mox futurum, ut Sabaudus maximas ac munitiſſimas in Francia civitates juris ſui faciat. Ac ſane tot conjurationum, quae poſtea irrito ſucceſſu tentatae ſunt, ex illa expeditione occaſionem captantibus earum auctoribus initia emerſerunt, inter quas maxime perniicioſa fuit, quam Carolus Guntaldus [k] Bironus cum Sabaudo inivit, occultis Lutetiae colloquiis, nuper a Jacobo [l] [α] Laſinio parario corruptus. Is tunc in Italiam evolaverat, et habito [m] Mediolani cum [n] Fontano colloquio, ad vanitatem compoſita oratione totum regnum, Birono tradente, in regis Hiſpani poteſtate brevi futurum ſpondebat; eamque ſolam religionis Catholicae in eo inſtaurandae, ad quam tot animae votis ac ſuſpiriis continuis anhelabant, rationem eſſe impudentiſſime mentiebatur. Nam regem ac Borbonios, aut Sectaria peſte infectos, aut Sectariis faventes malum tandiu alere, quod niſi ſublatis iis extirpari poſſe nulla ſpes eſſet. Inde crebro per [o] Sequanos ad

Bironum

VAR. LECT. [α] Laſinio homine proſtituti pudoris et fidei internuncio corruptus. *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Rivoles comte de Brandis.* [b] *Montmajour.* [c] *le marquis de Roſny.* [d] *Maiſon rouge.* [e] *chateau de la Percuſe.* [f] *de Durfort Sr de Born, lieutenant-general de l'artillerie.* [g] *baſtion de Mauvaiſin.* [h] *le mont Garnier.* [i] *Francine.* [k] *le mareſchal de Biron.* [l] *de la Fin.* [m] *Milan.* [n] *comte de Fuentes.* [o] *la Franche Comté.*

Bironum tranſibat, et hominem jam male animatum vana principatus Burgundiae ſpe, a Fontano et Sabaudo allatis in eam rem literis aut nunciis, implebat. Et ſi major earum rerum pars tunc regem latebat, tamen cum jam ſuſpectum multis indiciis Bironi animum haberet, eo fiebat, ut diligentius per fidos ejus conſilia, cum hominibus ignotis colloquia, ac familiareis ſermones obſervaret. Et cum ſub id Bironus [a] Burgi arcem, quam obſidione cingebat, poſtquam capta eſſet, cuſtodiae ſuae credi a rege petiiſſet, ob eas ſuſpiciones repulſam tulerat: qua re magnam ſibi injuriam factam eſſe aiebat, et ſenſum ejus, impotentia animi adverſus ſecreti neceſſitatem praevalente, minime diſſimulabat. Ad eam injuriam atrocior accedebat, quod Diguierium ſibi in Sabaudica expeditione praelatum, aut certe imperium, quod ipſe ſolus tanquam ſupremus caſtrorum praefectus in regiis exercitibus hactenus tenuerat, cum Diguierio diviſum diceret; idque palam querebatur, ut regi invidiam ex illo crearet. Addebat, occultum in Sectarios favorem diſſimulare non poſſe regem, qui peſtem illam eandem adhuc in pectore foveat, et otii amore potius, quo regnum pacatum haberet, quam ſincera fide ad ſacra majorum rediiſſet. Adverſus hos rumores ac querimonias rex ſummam diligentiam adhibebat, ut bellum extrema neceſſitate ſuſceptum quam citiſſime conficeret; et ut aemulationem inter Bironum et Diguierium priſtina Catholicorum ac Proteſtantium odia perniciose revocantem tolleret, Carolo Borbonio [b] Sueſſionum comiti, qui cum Birono hactenus arctiſſimam coluerat amicitiam, ſummum imperium detulit: ſed nec propterea placari potuit Bironus aut ad bonam mentem reduci, quippe qui eo ingenio eſſet, ut vix parem ullum, certe nullum ſuperiorem pati poſſet; monitus ſubinde a rege, ut Laſinium in credulas aureis pernicioſa conſilia inſuſurrantem faceſſere juberet: notam illius perverſam naturam et perfidiam, qui proditionum et machinationum omnium, quae XXX ab hinc annis toto regno detectae ſunt, conſcientia infamis, alios in fraudem inductos poſtea feſtinato indicio in perniciem traxit. Verum neque ſalutaria amici principis monita, neque decus fideſve hominis ambitione caeci ad exitium vergentis impetum ſiſtere valuerunt. Rex interim in [c] Sebuſianos, relicto ad obſidionem Sueſſione, atque inde in [d] Foſſiniacum et Genevenſem agrum excurrit, ſpecie ut exſtructas ad Burgi arcem et S. Catharinae propugnaculum munitiones coram contemplaretur, re vera, ut Bironi conſilia exploraret; parumque a periculo abfuit, dum propius propugnaculum cum Birono luſtrat, percuſſore appoſito, qui regem ex habitu deſignato noverat. Verum Bironus licet conſcius ſcelus exhorruit, et inhibuit, monito rege, eſſe hominem inter praeſidiarios, qui in ictibus dirigendis nunquam aberraret; proindeque cautius incederet, neque ſe aperto corpore hoſtibus oſtenderet. Inde rex [e] Anicium tendit in Foſſiniaco agro, ubi Henricus Sabaudus Nemoroſius Sabaudi gentilis per hoc bellum tanquam in ſequeſtro loco cum bona regis venia quieſcebat, cum jam de legato pontificio propediem venturo allatum eſſet; nam [f] Sueſſanus, qui oratoris munere Philippi nomine apud pontificem fungebatur, ubi de regis in Sabaudia ſucceſſibus cognovit, a Sabaudo interpellatus viciſſim pontificem interpellaverat, daret operam, ut pax nuper [g] Vervinii facta, cujus veluti pararius fuerat, a cunctis partibus ſervaretur; neque pateretur, praetextu proprii repetendi alienas ditiones a ſuſpecto toti Italiae rege invadi. Jam ubique jactari, pro recuperando in ſpeciem Saluciarum principatu bellum ſuſceptum, re vera imperium Mediolanenſe et regnum Neapolitanum eo praetextu peti. Proinde orabat partes ſuas mature interponeret; alioqui fore, ut Philippus clientelaris principis tamque

INTERPR. [a] *Bourg en Breſſe.* [b] *Soiſſons.* [c] *Breſſe.* [d] *le Foſſigny & le Genevois.* [e] *Aniſſy.* [f] *duc de Seſſa.* [g] *Vervins.*

CIↃ IↃ C. tamque arcta ſecum cognatione conjuncti periculum minime negligat, et armis
HENRICUS IV. Italiam tandiu quietam implere cogatur.

VI. Itaque confeſtim miſſus Petrus Aldobrandinus cardinalis. In itinere [a] Mediolani [b] Fontanum convenit, quem praecipuum hujus belli incentorem ſciebat: a patruo ut id faceret, caute monitus, quippe qui animo provideret, ſi inconſulto Fontano legatus ad regem pergeret, de pace colloquium fruſtra inſtitui; et niſi communicatis cum eo conſiliis ac pacis conditionibus res geratur, exitu negotium cariturum. Igitur a Fontano qui jam magno numero copias undique coegerat, et nihil niſi bellicum ſpirabat, benigne exceptus; cum urgeret, ut militem dimitteret: nam ſe eo conſilio et auctoritate ad regem proficiſci, ut concordiam inter ipſum et Sabaudum aequis conditionibus ſarciat; eamque legationem praecipue ob Philippum ſuſcepiſſe, ut cui plurimum debeat, eidem et totius Italiae, quae ſub ejus umbra veluti conquieſcit, tranquillitati fidam in hoc negotio operam ſuam adprobet: hoc tantum reſponſum tulit, pacem ſperari poſſe, et Philippum arma poſiturum, modo Galli a Saluciarum principatu omnino arcerentur, neque pedem in Italia ponerent. Cum vero legatus ulterius ſe iter perſecuturum negaret, niſi diſertum et diſtinctum magis ab eo reſponſum ferret, nimirum, ubi de conditionibus conveniſſet, ſi Sabaudus iis ſtare recuſaret, quo ad ſubſcribendum cogeretur, copias ſtatim dimiſſurum: tandem aſſenſit, ſed ea lege, ut regi Gallorum in compenſationem conceſſo Breſſae comitatu commodo loco liberum in Belgium tranſituris Philippi copiis iter per eam pateret. Hoc impetrato, Aldobrandinus famulitium omne ac praecipue comitatum Alexandriam remittit. Ipſe cum paucis [c] Taurinum tendit, ut Sabaudum conveniret; eodemque tempore [d] Herminium ab epiſtolis ad regem ablegat, ut eum de adventu ſuo et legationis ſuſceptae cauſis edoceret. A Calatagirona introductus, cum ad extinguendum belli ignem veniſſe legatum diceret; interim petere, ut utrinque ab armis ceſſaretur: rex id initio factum oportuiſſe reſpondit, et ante tot ſucceſſus ipſi in cauſa tam juſta a Deo datos; quos niſi urgeat, non ſolum male conſulti principis, ſed imprudentiſſimi belli ducis, qui victoria uti neſciverit, in reprehenſionem procul dubio ſit incurſurus. Veniret nihilominus legatus, et ſciret ſibi apud regem, qui tot beneficiis ſe pontifici patruo devinctum profiteretur, praecipuum gratiae locum futurum. Propoſitis aliquot conditionibus, de quibus Aldobrandinus antequam montes tranſiret, certior fieri cupiebat; rex Herminium [e] Camberii jubet ipſum expectare: quo intra paucos dies ſit rediturus. Interim belli curis intentus Anicio [f] Bellofortium cum delectis excurrit, ut aditus montium, quibus Sabaudus cum auxiliari exercitu venturus dicebatur, coram inſpiceret, Bironumque alio ad proximos aditus itidem propius luſtrandos ablegat. Superato monte uſque ad [g] Corneti-paſſum vulgo dictum proceſſit; ibique in rupe cava, ut a nive montis alterius inſtar incumbente tutus eſſet, prandium militariter ſumpſit.

VII. INDE ad [h] Gillium haud longe a Confluentia ſtativa habuit; cognitoque [i] Brandiſium comitem interdum a verberatione infeſta ceſſare, occaſionem colloquii per illam ceſſationem quaeri interpretatus, Monmelianum redit; intermiſſaque per intervalla ex partium conſenſu utrinque pulſatione, tandem repetitis ſaepius denuntiationibus, ut ſe reſpiceret juſſus Brandiſius; et cum nulla auxiliorum ſpes affulgeret, de honeſta deditione mature cogitaret: ille primarios e nobilitate et belli duces, quos penes ſe habebat, in conſilium vocat, et quo in ſtatu arcis res eſſent, expoſito, ſententias ſingulorum rogat; utrum potius videretur, ad perniciem uſque in defenſione animos cum certa loci jactura obfirmare, an colloquio petito longiſſimum quam poſſent ſpatium paciſci, intra quod Sabaudus ad ſuppetias

INTERPR. [a] *Milan.* [b] *comte de Fuentes.* [c] *Turin.* [d] *Herminio.* [e] *Chambery.* [f] *Beaufort.* [g] *pas du Cornet.* [h] *Gilly prés de Conflans.* [i] *comte de Brandis.*

ſuppetias ferendas ſe inſtrueret: pauci, qui generoſiora quam tutiora malebant, ita cenſebant; quando Sabaudus principale ditionum ſuarum propugnaculum fidei ipſorum credidiſſet, pudorem quoque eorundem oneraſſe, ne quid indignum fide data admitterent; ſed majorem exiſtimationis ac famae, quam vitae rationem haberent; et potius de hoſtium gratia, quam de bona principis ſui fortuna deſperarent. Alii, qui numero vincebant, contra diſſerebant, et quam minimum fortunae, plus prudentiae tribui, periculoque in tempore praeverti conſultius ducebant: regi ex transfugis aliiſque indiciis de arcis infirmitate aliiſque incommoditatibus conſtare: poſtremo ad extremas anguſtias deventum eſſe, et tamen poſt duorum menſium obſidionem nullum adhuc a Sabaudo nuncium veniſſe; interea XL machinis undique muros pulſari: annonam paene omnem conſumptam, tantumque modios aliquot tritici ſupereſſe in totum Novembrem vix ſuffecturos: temeritatem nulla in re magis quam in bello perniciofam eſſe: itaque placere, dum licet, ut colloquium poſcatur, et dilata in longiſſimum tempus deditione, idoneum ſpatium, quo Sabaudus ſuis ſuccurrat, a rege impetretur. Variantibus ſententiis, ut pavidis ſemper conſilia in incerto ſunt, aliquandiu altercatum fuit: tandemque dum omnia timentur, praeſentia diſplicent; tutius viſum, ut obſeſſi priuſquam neceſſitate improba ad foedas conditiones adigerentur, quod brevi futurum acutiores providebant, rebus adhuc integris honorifice paciſcerentur. Brandiſius poſtquam publico inſtrumento ea de re facto ſibi cavit, quinque dierum ſpatium ad amplius deliberandum popoſcit, quibus elapſis perſcriptae conditiones, et cum ad Decembrem deditionis tempus prorogari peteretur, contractum ad XXX dies ſpatium, qui a XVII Kal. Nov. inciperent, in XVI Kal. Dec. exirent; intra quod niſi auxiliaris exercitus compareret, qui regem obſidionem ſolvere cogeret, arx bona fide a Brandiſio, ſicuti convenerat, regi traderetur. Dati obſides [a] Rancius Brandiſii vicarius, et [b] Caſſinus ejuſdem ex ſorore nepos; miſſuſque [c] Briqueras eques, qui factum neceſſitate excuſaret, traditoque inſtrumenti exemplo Brandiſium apud Sabaudum purgaret. Eodem die quo perſcriptae ſunt conditiones, Herminius ad legatum remiſſus eſt, cum mandatis, ipſius adventum regi fore longe gratiſſimum; ſed bellum ſemel coeptum nulla ratione intermitti poſſe, quouſque regi injurioſe a Sabaudo habito, nominique Gallico plene ſatisfiat; quod ſi contingat, nihil magis in votis habere regem, quam ut Vervinienſis pacificatio pontificis interventu inita religioſe ſervetur: nam de fama et injuria plus ſolicitum regem, quam de Italiae quiete turbanda, quod ad invidiam ab aemulis jactatur, cogitare. Aldobrandinus cum Sabaudo tunc erat, qui poſt querelas, minaſque, ſe terram coelumque potius permiſturum, quam inultam ſuarum ditionum tam injurioſam invaſionem ſinat; poſtremo fidem legato obſtrinxit, ſe pactis Lutetiae conventis ſtaturum; et cum eo oratores ſuos miſit Franciſcum [d] Arconatum Tuſingae comitem, et Renatum [e] Luzingum Alimium, additis mandatis, ut ei ad omnia dicto audientes eſſent, et quicquid ille pontificia auctoritate fretus juſtum aequumque judicaſſet, ſequerentur. Interim audito Briquerate equite, cum graviſſime ferret praecipitatam Monmelianae arcis deditionem, in arcano furtivas ad Brandiſium dat literas, quibus eum per decus familiae, fidem datam, praeſentem rerum ſuarum ſtatum obteſtabatur, ut ſpretis cum rege initis pactis animum in defenſione obfirmaret; neque tam obſidum ſalutem reſpiceret, quibus tamen id fraudi minime futurum adfirmabat, quam fidei datae rationem haberet. Literae in itinere interceptae, et ad Brandiſium ab Eſpernonio ſummo peditatus Gallici praefecto regis juſſu perlatae ſunt; a quo id reſponſum tulit, fidem regi datam ſe ſervaturum. Quod

CIↃIↃC.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Rance.* [b] *Caſſin.* [c] *de Briqueras.* [d] *d'Arconat comte de Touzaine.* [e] *de Luzinge Sr des Alimes.*

CIϽ IϽ C. HENRICUS IV.

Quod et ſcheda a ſe, ceteriſque ejuſdem ſententiae tribunis, qui in deditionis conditiones jam conſenſerant, ſubſcripta denuo confirmavit.

VIII. QUINTO poſt die Aldobrandinus per Monmelianum iter habuit, feſta utrinque tormentorum diſploſione honorifice ſalutatus. Ei obviam proceſſit Eſpernonius peditatu in aciem inſtructo, et poſt eum [a] Sueſſio ſupremus regis vicarius, [b] Monpenſerius Aquillionius, aliique principes ac proceres, qui in exercitu regio erant, eoque comitatu [c] Camberium uſque deducitur. Proceſſerunt et obviam Jacobus David [d] Perronus [e] Ebroicum et Bertrandus [f] Chaulius [g] Baionae epiſcopi cum amictu pontificio; quod ſacrae juriſdictionis et auctoritatis inſigne eſt. Qua re cognita legatus ad eos propere mittit, rogans jubenſque ut inſignia deponerent: nam ſe cum plena poteſtate a pontifice miſſum, aliam circa ſe poteſtatem ſalva auctoritate apoſtolica pati non poſſe; et praeſente legato omnem omnino epiſcopalem juriſdictionem ceſſare. Cui ab epiſcopis reſponſum, id pontificiis per Italiam legatis trans montes fortean juris eſſe: at in terra Francia cum eſſent, quippe quam victor Gallicus eques non ſemel calcaſſet, et nunc jure optimo teneret, nolle committere, ut dignitatis imminutae apud coepiſcopos olim argui poſſint: eam a Deo datam, nec precaria aut vicaria poteſtate, ſed pleno jure attributam, a ſe abdicare ulla de cauſa ne quidem praeſentia legati aut poſſe aut velle. Apud nos jampridem corruptis moribus, et perverſa ab aulicis ſeu fide ſeu diſciplina, invaluit in regni juribus tuendis, ut potius eludere, quam aperte pugnare audeant; et modo iniquas libertati Gallicae inſidiantium petitiones ad tempus diſſimulatione tranſegerint, abunde ſe officio defunctos putant. Itaque cum nec offenſionis legato a pontifice patruo venienti occaſionem praeberi conſultum duceret, et epiſcopi de jure ſuo nollent decedere, media ratio inventa eſt, qua potius legati poteſtas confirmata, quam epiſcoporum dignitas in Gallia conſervata eſt: ut illi a legati conſpectu in publico abſtinerent; depoſitis inſignibus domi eum officioſe inviſerent. In Capucinorum aede legatus primum ad colloquium admiſſus, regem ad pacem hortatus eſt, orans obſecranſque pontificis etiam de ipſo optime meriti auctoritate interpoſita, ne tot adoreis mactus victricem ſemper fortunam Martis aleae committeret. Nulla in re minus quam in bello ſucceſſus reſpondere; nec gloria praeterita dignam ſatis de hoſte diſpari victoriam: cum inferiore longe ipſi rem eſſe, qui ſi quid contra ſuam majeſtatem, contra regni Franco-gallici dignitatem admiſerit, dum res ſuas tueri et amplificare ſibi liberum putat, nunc paratum ſe profiteatur damnum ſarcire, et ſerio de pace cogitare. Eandem mentem regi optare, et ut ſit, pontificis nomine plurimum orare. Galliam per tot annos armis domeſticis vexatam quiete egere, atque adeo totum orbem Chriſtianum, quo conjunctis amicorum principum viribus contra hoſtem communem in dies formidoloſiorem, et in Pannonia progreſſus ſemper majores facientem, bellum transferatur. Ad haec a rege poſt actas legato pontificique, cujus egregia in ſe merita agnoſcat, gratias, reſponſum: etſi difficile ſit in praecipiti vincendi curſu pedem ſiſtere, ſic ſe tamen ad omnem fortunam comparaſſe, ut aequi juſtique praecipuam ſemper habendam rationem ducat, ſicque exiſtimare, quemadmodum aequi juſtique principis eſt ab alieno vim abſtinere, ita ad regale faſtigium, in quo collocatus eſt, pertinere, ut nihil de jure ſuo et antiquo regni patrimonio deradi ſinat; poſt tot ſucceſſus ſe a fortuna quaſi manum porrigente invitari, ut montes tranſcendat; nec dubitare, quin in eo conatu multos eminus aſpiranteis, quoſdam etiam adjutores habiturus ſit; ſed non tanti apud ſe totam Sabaudiam et Subalpinam regionem ſubactam eſſe, quin quotieſcunque injurioſe ereptus Saluciarum principatus

INTERPR. [a] *comte de Soiſſons.* [b] *ducs de Monpenſier & d'Aiguillon.* [c] *Chambery.* [d] *du Perron.* [e] *Evreux.* [f] *d'Echaux.* [g] *Bayonne.*

principatus fuerit reſtitutus, ut pacem habeat, omni confeſtim aliena ditione excedat. Verum experimento didiciſſe, eo ingenio Sabaudum eſſe, ut niſi fractus victuſque nunquam animum ad pacem ſit inclinaturus. Itaque bellum pro tam juſta cauſa coeptum perſequi decreviſſe, illud ſtatim omiſſurus, ubi Sabaudus ſe potius aequitati et ſalutaribus pontificis monitis, quam inſitae ambitioni et maleſuadis belli conſultoribus morigerum praebuerit.

IX. Instante legato, ut interim de conditionibus ageretur, rex non ante agere certus, quam dedita Monmeliani arce, negotium diſtulit; Henrici Momorantii equitum magiſtri et Pomponii Belleurei cancellarii, qui [a] Maſſiliam profecti fuerant, abſentiam cauſatus. Nec Sabaudus interim ceſſabat, qui pridie Eid. Nov. [b] Auguſtam praetoriam venit cum X CIƆ peditum, IV CIƆ equitum ſcloppetariorum, et IƆCCC cataphractis. [c] Monaſterium mox miſſus cum prima acie Sueſſio; ubi Diguierius jam ante Tarentaſiam praemiſſus eum expectabat. Nivibus praealtis, ſemel atque iterum cum hoſtis in conſpectum veniſſet, exiguo certamine utrobique res tranſacta, [d] Burgo legionis tribuno, cum a CCCC Sabaudis equitibus premeretur, ſe gnaviter defendente: interjectis aſperis montibus haud facile ad manus ventum, potiore ſemper ejus conditione, qui munitum locum occupaverat. Rex ipſe cum reliquo exercitu venit, commonſtratoque a quodam provinciali ſacrifico aditu, quo ad hoſtem duci poterat, datum negotium Sueſſioni, ut cum IƆCCC delectis cataphractis monte ſuperato in Sabaudi caſtra, nec opinato impetum faceret. Nec exitu conatus caruiſſet, niſi copia effundentium ſe ubique nivium obſtructis itineribus retardatus fuiſſet; ita oppoſitis montibus nihil tam vicinis exercitibus actum; tantum ſcloppetarii circiter CCCC ex iis, qui Diguierio militabant, et longius provecti loco ſe tutos putabant, noctu a Sabaudianis intercepti, temeritatis ſeu nimiae ſecuritatis ſuae poenas luerunt. Inde rex Monmelianum redit, praeſidiariis, licet tempus conventum nondum exiiſſet, jam res ſuas convaſantibus: et XVIII Kal. Dec. evocato Brandiſio longum cum eo colloquium in Dominicanorum, quod extra oppidum eſt, coenobio habuit; ac biduo poſt antequam deditio facta eſſet, [e] Ronius et Crequius arcis praefectus deſignatus cum numeroſa nobilitate arcem ingreſſi ſunt, et cum Brandiſio coenaverunt. Quaerentibus pleriſque, cur Sabaudus vir juxta aſtutus ac ſtrenuus et immoderata ambitione de futuro anxie cogitans, cum apud animum ſuum conſtituiſſet, nullis cum rege conditionibus ſtare, tam ſegnis in defenſione paranda fuiſſet; inter alias haec maxime ratio occurrebat, ex Sabaudo addictis poſtea cognita, quod ei a mathematicis, quibus principes ſpes vaſtas et iniquas animo coquentes nimium quam multum ſemper tribuunt, praedictum eſſe, Sextili menſe regem in Francia non futurum: quod ille deſideriis ſuis blandiens cum de rege morituro dictum interpretaretur, inſigni ſed colorato mendacio ſibi imponi paſſus eſt. Nam quadantenus verum fuit, regem tunc in Francia non futurum, quippe qui a finibus ſuis eo menſe aberat, et bellum acriter in hoſtico gerebat. Arce Monmeliani dedita reſtabat Burgi arx, quam [f] Boventius tenebat, qui nullis precibus, minis, promiſſis, adduci potuit, ut [g] Brandiſii exemplum ſequeretur: ſed ſive decoris ſtudioſior, ſive auxiliorum ſpe plenus animum ad extrema obfirmavit, ne quidem commeatu, qui [h] Vatavilla per [i] Sequanos incedente noctu ac clam ex vicina arce importari debebat, ab Edmondo [k] Malanio Luxio ſub id prohibito, infractus. Spem obſeſſis faciebat, quod Sabaudus ſuperato S. Bernardi monte interim proceſſerat,

INTERPR. [a] *Marſeille.* [b] *Aouſte.* [c] *Monſtiers.* [d] *Bourg.* [e] *le marquis de Roſny & le Sr de Crequy.* [f] *de Bouvens.* [g] *le comte de Brandis.* [h] *le capitaine Vateville.* [i] *la Franche Comté.* [k] *de Malain Sr de Luz.*

CIƆ IƆ C.
HENRICUS IV.

proceſſerat, et II a Monaſterio leucis, ubi Sueſſio cum Diguierio aditum ſervabant, caſtra muniverat. Rex eodem venit, et Villetam uſque proceſſit, ut propius hoſtium caſtra inſpiceret. Tum IƆ delectos ſcloppetarios ad pontem, qui ab hoſte inſidebatur, praemittit; ipſe cum Sueſſione et Diguierio ac nobilitate ſubſequitur, facta a noſtris acri impreſſione; tantum cedendo a Sabaudianis pugnatum medio rivulo, ut appareret, eos loco confiſos nihil fortunae velle committere. Igitur rex eodem die [a] Villarium redit haud longe a [b] Bellofortio; ubi Monpenſerius ac Eſpernonius hoſpitium habebant; atque inde Philibertum [c] Nereſtanum legionis tribunum cum delectis mittit, qui per [d] Corneti montis fauces aditum ad hoſtem invadendum aperiret: quod ille haud ſegniter fecit, ſtatione obvia, quae ex [e] Inſubribus conſtabat, diſturbata, et quibuſdam ex iis captis, quos coram rege ſtitit, cumque de natura loci ac poſitu abunde edocuit. Eo in belli ducum conſeſſu audito, duobus locis eodem tempore hoſtem peti placuit, per illum a Nereſtano feliciter tentatum aditum, et per Tarentaſianum; jamque omnes in procinctu erant, cum majores quam antea effuſae nives invia omnia ad hoſtem fecere. Rex triduum fruſtra commoratus tandem ingraveſcente hyberna tempeſtate [f] Camberium revertitur, atque inde mox [g] Sueſſionem ad S. Catharinae propugnaculum mittit, cum mox ſubſecuturus; et [h] Auriacum cum bis mille peditibus, et CC equitibus per Saluciarum principatum Alpeis tranſcendere jubet, ut terrorem Franco-Gallici nominis per Italiam ſpargeret. Captum ab eo crepitaculis admotis [i] Aſſellae propugnaculum; hinc metu, hinc ſpe conſternatis, aut erectis populorum animis, qui Gallis in Italiam deſcendentibus magnam rerum mutationem ſecuturam providebant. Rex dum Camberii eſſet, [k] Arconatum et Alimium Sabaudi oratores a legato introductos ita admiſit, ut fidei parum ſincerae eorum principem notaret; velle ſe non cum iis, ſed cum legato de pace agere dictitans. Quo in ſecretius conclave ſeducto oratores in procoetone cum Calatagirona contemptim reliquit; cumque rex moneret legatum, ut Sabaudi conſilium penitius exploraret, antequam pro eo fidem ſuam interponeret, ille viciſſim Sabaudi oratores rogabat, ecquid ſecreti mandati haberent, praeter ea quorum ſibi copiam feciſſent. Cum oratores nulla alia ſe habere aſſeveranter dicerent, tamen rex toties ſeu ſpe, ſive opinione ſua deceptus negotium ſemper trahebat; quod perſuaſum haberet, niſi confecto in Sabaudia et [l] Sebuſianis bello, Sabaudum nunquam ſerio de pace conventurum. Igitur biduo poſt [m] Luiſetum venit, pagum, qui primo a S. Catharinae propugnaculo lapide abeſt. Rege tam vicino, protinus a Genevenſi ſenatu ad ipſum delegati venere, qui urbis nomine omne obſequium prolixe detulerunt: orantes, ut jugo, quod per illam munitionem clientelaris civitatis cervicibus impoſitum erat, antequam e provincia decederet, armis ſuis excuſſo, libertatem civibus ſub regii nominis patrocinio degentibus reſtitueret. Notus puero, ſed ante XXX annos non viſus Theodorus Beza venit, jam octogenario major, qui ſenili facundia cauſam Genevenſium regi plurimum commendavit, eamque ad regni non ſolum exiſtimationem, ſed etiam et ſecuritatem pertinere multis verbis oſtendit: ac poſtremo navatae patri matrique olim operae memoriam renovavit. Rex ſenem perorantem benigne audivit, et bona ſpe, ut et delegatos, a ſe dimiſit; ipſum etiam IƆ aureorum honorario muneravit; quod a viro jampridem tenuitati aſſueto ingentis praemii loco acceptum eſt. Iis diſcedentibus protinus petita a rege venia principes, proceres, in iiſque Sueſſio, Monpenſerius, [n] Aquillonius, Franciſcus [o] Aurelianus Fani Pauli comes,

Eſpernonius,

INTERPR. [a] *Villars.* [b] *Beaufort.* [c] *de Nereſtang.* [d] *le pas du Mont Cornet.* [e] *Milanois.* [f] *Chambery.* [g] *le comte de Soiſſons.* [h] *d'Auriac.* [i] *fort d'Aſſel.* [k] *les Srs d'Arconat & des Alimes.* [l] *Breſſe.* [m] *le Luiſet.* [n] *duc d'Aiguillon.* [o] *d'Orleans comte de S. Paul.*

Eſpernonius, Bironus ipſe conferto agmine Genevam diverterunt, tanta ſenatus et oppidanorum laetitia ſimul ac gratulatione accepti, ut ipſi tantam in hominibus tamdiu in Gallia inviſis et paſſim exagitatis humanitatem ac patientiam mirarentur. Sabaudus, quaſi obſeſſis ſubvenire decreviſſet, tranſitum per [a] Sedunum et Veragros petierat, et de delectibus a [b] Quinque-pagicis Mediolano tuendo conceſſis famam ſpargi ad oſtentationem curaverat, ut praeſidiarios ſpe auxiliorum ad defenſionem accenderet. Nihilominus triduo poſt regis adventum illi deditionem pacti ſunt, in aliquot dies dilatam; qui dum exirent, rex Lugdunum, quo ad agendum de pace legato diem condixerat, ſecundo flumine deſcendit, relicto in exercitu Sueſſione, qui traditum locum acciperet. CCCC omnino defenſores numerati, CC Helvetii, qui cum III machinis, armis, impedimentis, ſignis explicatis, ad tympani pulſum exierunt. Recens et paſſim toto opere controverſiae Genevenſium cum Sabaudo facta mentio exigere videtur, ut quae in eam rem ab utraque parte jactata ſunt, quod diu ante me facturum recepi, nunc ediſſeram.

CIƆ IƆ C. HENRICUS IV.

X. Geneva, quam ex veteri inſcriptione equeſtrem civitatem olim dictam volunt, poſt everſum imperium Romanum et novum a Franco-Gallis noſtris in occidente fundatum, ſub ejus patrocinio diu libertatem ſervavit, bicipitis aquilae, cujus imago etiam nunc pro valvis majoris templi viſitur, et ad Caroli magni tempora refertur, alis veluti defenſa; quouſque exortis in imperio diſcordiis civilibus cum a Caeſaribus deſereretur, ad epiſcopos, quorum tunc etiam in iis quae ad civilem juriſdictionem ſpectabant, magna auctoritas erat, confugit. Dein nova inter epiſcopos ipſos et vicinos Sabaudiae comites ſuborta diſſidia, urbem miſeram ſemel atque iterum incendio vaſtatam varia peſte deſtruxerunt. Juris autem, quod Sabaudus ſibi arrogat, haec fere teſtimonia et argumenta ante triennium, ſtatim poſt pacificationem Vervinienſem, cum Octobri menſe [c] Hermancae ab utraque parte conventus indictus eſſet, ejus delegati in medium afferebant: Petrum videlicet ex antiquo Genevenſium comitum ſtipite ultimum, anno CIƆ CCCXCII, XXIV Martii, heredem univerſalem inſtituiſſe Humbertum Villarii comitem ex ſorore nepotem, qui poſt avunculi mortem Genevenſem comitatum crevit, et ejus inveſtituram a Wenceſlao Caeſare tertio poſt anno exeunte obtinuit. Humbertum dein CIƆ CCCC poſt anno menſe Martio morientem, cum nullos ex ſe natos haberet, poſthumos inſtituiſſe, et iis deficientibus Odonem Villarium patruum; qui cum hereditatem anno ſequenti adiiſſet V Auguſti, mox comitatum Genevenſem titulo venditionis in Amadaeum Sabaudum tranſtuliſſe. Amadaeum autem, ut emptionem a ſe factam novo jure confirmaret, ejuſdem comitatus denuo inveſtituram a Sigiſmundo Caeſare impetraviſſe anno CIƆ CCCC XXII, X Kal. Sept. Cum vero de comitatu Genevenſi, quaſi morte Petri ad imperium devoluto, ab imperiali ſyndico controverſia Amadaeo facta eſſet, et Arauſionenſis princeps eundem comitatum quaſi Petri ab inteſtato heres vindicaret, Sigiſmundum apocha ſecreta Amadaeo caviſſe, ſi ſententia ſecundum imperialem fiſcum ferretur, fore, ut jus omne quod in comitatum Genevenſem tanquam imperii beneficiarium ipſi competebat, ei ſucceſſoribuſque ejus bona fide attribueret. Quod cum contigiſſet, Sigiſmundum poſt ſententiam latam novo inſtrumento apocham ratam habuiſſe, et anno ſequenti IX Kal. Nov. comitatum Genevenſem Amadaeo conceſſiſſe; et Arauſionenſi interdixiſſe, ne comitis Genevenſis titulos Sabaudo attributos ſibi in poſterum arrogaret. Ea de re publicum inſtrumentum confectum anno CIƆ CCCCXXIIII, IIII Kal. Jun. Jam vero ante Sabaudiae principes omne ſupremum dominium, juriſdictionem, ac jura regia, quae imperio in eo competebant, a Caeſaribus habuiſſe:

INTERPR. [a] *Sion & pays du Valais.* [b] *les cinq petits Cantons Catholiques.* [c] *Hermance.*

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

habuiſſe: et vicarios imperii conſtitutos epiſcopo Genevenſi mandandum curaviſſe, ut principes Sabaudiae tanquam perpetuos imperii vicarios coleret. Id a Carolo IV anno CIↃ CCCLXVI decretum: cum jam ante anno ejuſdem ſaeculi LVI idem Carolus conſtituiſſet, ut appellationes a Genevenſibus interpoſitae, coram Sabaudiae duce, tanquam imperii vicario, diſceptarentur: id jus a Maximiliano Caeſare in comitatum Genevenſem, et nominatim in civitatem Genevam ejuſque territorium, Sabaudiae duci conceſſum eſſe diplomate ea de re condito III Eid. Maias anno CIↃ IↃ XIX. Secundum haec anno decimo poſt, pridie Non. Dec. a Carolo V mandatum Genevae civitati ejuſque epiſcopo fuiſſe, ut omne obſequium Carolo Sabaudiae duci deferrent. Quod et idem Carolus anno ſequenti cum vicarii titulo, aliiſque juribus plenius deſignatis confirmavit, inſtrumento ea de re facto III Eid. Martias. Idem juris ſub Ferdinando et Rodolpho Caeſaribus fuiſſe, nec tantum Sabaudiae principes jure ab antiquis Genevae comitibus deducto et a Caeſaribus addito vicarii titulo confirmato niti, ſed etiam ad illud ſanctae ſedis Apoſtolicae auctoritatem accedere; nam Leonem X anno CIↃ IↃ XV diplomate idem jus Carolo Sabaudo tribuiſſe, et ab eo tempore Petrum [a] Balmam urbis epiſcopum ac ejus ſucceſſores citra controverſiam omnem fidei ſacramentum dixiſſe. Ita antiquorum comitum, epiſcoporum, ſanctae ſedis Apoſtolicae, imperii, jura in Sabaudiae duces cumulata; totoque eo tempore, eos etiam ex Genevenſium et ipſius epiſcopi conſenſu omnia ſupremi imperii jura in urbe exercuiſſe; gubernatores, judices, lictores et apparitores cum Sabaudiae inſignibus inſtituiſſe; arcem et palatium in ea habuiſſe: monetam cudiſſe: delictorum gratiam feciſſe: denique nullum non ſupremi principis munus obiiſſe uſque ad annum CIↃ IↃ XXXV, quo mutata religione et civili adminiſtratione Carolus ſimul et epiſcopus et imperator et pontifex omni jure ſuo ſpoliati ſunt. Contra Genevenſium delegati diſputabant, et teſtamenta, hereditatum aditiones, repetitas altius ducum origines, jurium ceſſiones, inveſtituras miſſas facientes, ex iis nihil adverſus civitatis libertatem colligi aiebant; aut ſequi comites Genevae dictos, ſeu potius Genevenſis territorii, quidquam juris in civitatem habuiſſe. Quin potius eos ſemper epiſcopis et eccleſiae fidei ſacramentum dixiſſe, et utriuſque beneficiarios per CCCC amplius annos fuiſſe, civitatem vero ipſam ſemper liberam et imperialem fuiſſe. Id ex Friderici [b] Ahenobarbi diplomate anno CIↃ C LIII ad Arducium epiſcopum directo, patere; quo confirmantur libertates illius eccleſiae, et contra earundem violatores bonorum proſcriptio ſancitur; parte imperiali camerae, parte ipſi Genevenſi eccleſiae adjudicata. Eundem Fridericum nono poſt anno, cum [c] Bertoldus Zeringenſis dux ab eo vicarii imperii titulum impetraſſet, quem in [d] Gebenneſii comitem transferre cogitabat, utrumque coram ſacri imperii principibus increpitum, etiam jure ſuo, quod ſubreptitia fraude quaeſiverant, privaſſe, et ſupremum dominium denuo epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus attribuiſſe, ita ut ne de conſenſu quidem eorum auferri ab eccleſia poſſet. Id pragmatica ſanctione in comitiis imperii coram Zeringenſi et Gebenneſii comite conſentientibus et deprecantibus decretum. Anno demum CIↃ CLXXXVI Gulielmi tanquam epiſcopi et eccleſiae Gebennenſis beneficiarii omnem ditionem Nantelino epiſcopo, ſententia in ipſum menſe Septembri lata, adjudicatam fuiſſe; poſt ceſſa dein Sabaudiae comitibus a Gebenneſii comitibus, jura et actiones, ſemel atque iterum Sabaudos cum epiſcopo anno CIↃCCXIX et CIↃCCXC tranſegiſſe, et ſe beneficiarios epiſcopi et eccleſiae Genevenſis profeſſos eſſe; alia et fidei epiſcopo a comitibus anno CIↃCCCXLVI et CIↃCCCCV juratae inſtrumenta extare. Et cum inter Blancam Gebenneſii comitiſſam et Amadaeum Sabaudiae comitem

INTERPR. [a] *de la Baulme.* [b] *Barbaroſſa.* [c] *le duc Berthold de Zeringhen.* [d] *comte de Genevois.*

comitem de principatu Gebenneſii, utrius eſſet, ambigeretur, et uterque epiſcopo illius ergo fidei ſacramentum dicere ſe paratum oſtenderet, negatam eam ab epiſcopo gratiam, quouſque de jure ipſorum certo conſtaret; ex eo liquere, diploma a Wenceſlao et Sigiſmundo Caeſaribus aliaque imperiali auctoritate ſubnixa inſtrumenta Sabaudiae comitibus conceſſa annis CIↃ CCCXV, CIↃ CCCCXXII, et duobus ſequentibus, nullum praejudicium eccleſiae et civitati Genevenſi facere potuiſſe; neque plus eos juris in eccleſiam et civitatem habere, quam a Gebenneſii comitibus acceperint. Nam non Genevae eos comites, ſed Gebenneſii dictos antiquorum documentorum fide conſtare; in quibus et plerunque nomen ab amanuenſibus uſu tunc inter eos recepto, contractum reperitur; ita ut eos non urbis, ſed circumpoſiti territorii dominos fuiſſe appareat. Nec obſtare diplomata Caroli IIII anno CIↃ CCCLV et undecim poſt annis conceſſa, quibus celſitudinis ſuae deceſſoribus vicarii imperialis titulus et jura regalia attribuuntur et confirmantur; nam ea alterius et multo antiquioris diplomatis a Friderico Ahenobarbo facti auctoritate ſubverti, quippe cum minime aequum ſit, ut reſcriptum non auditis partibus et a Caeſare obnoxio in gratiam cognatione conjuncti principis obreptitia fraude nec ſervato juris ordine conceſſum, tam ſolemni Friderici judicio partibus auditis, et in publicis imperii comitiis reddito praepolleat: id ipſum Carolum vidiſſe, qui ſe importunis cognati principis precibus victum ei vicarii imperii dignitatem conceſſiſſe poſtea profeſſus eſt; et cum rem eam imperio ſumme detrimentoſam agnoſceret, contrario reſcripto anno ſequenti dignitatem illam Sabaudiae comiti abrogaſſe, et jura priſtina tam epiſcopo quam civitati, quam nobile imperii membrum vocat, competentia denuo confirmaſſe; et anno demum CIↃ CCCLXXVII, cum Carolus IIII et Gregorius XII pontifex Romanus urgerent apud comitem, ut declarationi, qua vicarii dignitas revocabatur, pareret, tandem eum acquieviſſe, eaque de re publicum inſtrumentum confectum fuiſſe. Itaque cum eandem dignitatem poſtea anno CIↃ CCCC Wenceſlaus in Amadaeum VIII, qui primus Sabaudiae dux creatus fuit, contuliſſet, clauſulam adjeciſſe, qua nullum epiſcopo ejuſve ſucceſſoribus et civitatis libertatibus praejudicium propterea creatum iri ſignificabat: poſtea Sigiſmundum eam rurſus dignitatem Amadaeo abrogaſſe, eique enixe imperaſſe, ne quid contra jura regalia et libertates eccleſiae Genevenſis, quam inſigne imperii membrum itidem appellat, attentare praeſumeret; id anno CIↃ CCCCXII et CIↃ CCCC XX decretum. Itaque Ludovicum Sabaudiae ducem anno CIↃ CCCC LV enixe officialibus ſuis mandaſſe, ne quid in Genevae civitatis libertates ac jura admitterent, et quaeque adverſus ea facta unquam fuiſſent, irrita eſſe voluiſſe. Idem Carolum II Sabaudiae ducem anno CIↃ CCCC LXXXIX conſtituiſſe. Nec proinde in contrarium Maximiliani, Caroli V, et Rodolfi diplomata adduci poſſe, quippe partibus non auditis et per errorem conceſſa, totque pragmaticis antiquioribus cum cauſae cognitione factis repugnantia, et poſterioribus ab eodem Carolo conditis abrogata. Nam cum a Gallis minime metuentem anno CIↃ IↃ XXX publico inſtrumento monuiſſe Genevenſeis, ne quid in perniciem epiſcopi, eccleſiae, ac civitatis a Sabaudiae ducibus inducti facerent; atque anno decimo poſt, cum jam una cum religione civilis adminiſtratio mutaſſet, eos denuo monuiſſe, uti priſtinam juriſdictionem et libertates a deceſſoribus ſuis Genevae tanquam civitati imperiali conceſſas tuerentur. Nec pluris faciendam ea in re Leonis X pontificis Romani auctoritatem; quippe qui nec competens partium judex ſit, nec auditis partibus de cauſa pronuntiaverit. Nam Caroli aſtu, qui opima ſacerdotia Petro Balmae erepta, vi majore retinebat, id epiſcopo aſſentiente, ut ſuum recuperaret, ab amico pontifice, et nihil principum gratiae negante, diploma

CIƆ IƆ C. HENRICUS IV.

hoc emendicatum fuiſſe; nihilque juris per illud Sabaudiae ducibus acceſſiſſe. Et aliunde conſtare, quouſque in generali et libero concilio de poteſtate Romanae ſedis in dubium merito a compluribus revocata decretum ſit, pleraſque civitates et provincias imperialeis apud Helvetios, in Germania, Belgio; multa etiam regna ut Anglicanum, Scoticum, Danicum, Suecicum, LX abhinc annis a pontifice defeciſſe, nihilque ejus auctoritati aut epiſcopis praeſulibuſque pontifici ſubditis deferre; idque ut facere poſſent prudentiſſime in imperii comitiis, ac praecipue Norimbergae anno CIƆ IƆ XXXII decretum eſſe; et tamen ſi priſca repetantur tempora, Hadriani IV anno CIƆ CLVII, et Sixti IV anno CIƆ CCCC LXXXIII reſcriptis, privilegia ac libertates a Friderico Ahenobarbo conceſſas et revocationes memoratas vicarii imperialis a Carolo IV factas confirmari. Et Felicem V, antea Amadaeum dictum et Sabaudiae ducem, inſigni diplomate anno CIƆ CCCC XLIV libertates et immunitates civitatis laudare, et copias a Genevenſibus ſummiſſas non ex officii neceſſitate, ſed amice et pro jure foederationis ac viciniae conceſſas interpretari. Quod vero additur, plures civitatis epiſcopos Sabaudiae principibus fidei ſacramentum dixiſſe, id nec documentis certis probari; nec vero ſimile fieri, cum tot contraria inſtrumenta in medium afferantur; neque ſi qui fuerint, qui metu aliave de cauſa tam ignaviter peccaverint, in argumentum duci poſſe; aut quidquam juris id Sabaudiae ducibus tribuere, cum diſerte Friderici diplomate cautum ſit, ne epiſcopi ſupremum illud dominium alienare poſſint; idque ipſi ſe religioſe ſervaturos civitatis ſyndicis ſtatim in inauguratione ſua promittant; neque proinde niſi inſigni perjurio ab ea veluti cum civitate inita pactione recedere valeant. Idem tranſactione inter Joannem patriarcham Conſtantinopolitanum Genevenſis epiſcopatus adminiſtratorem et ſyndicos civitatis temporibus Martini pontificis anno CIƆ CCCC XX pridie Kal. Mart. facta confirmari. Et multa in contrarium produci documenta, quibus de jure ac libertate civitatis et de fide a comitibus Gebenneſii, et deinde a Sabaudiae principibus jus ab illis habentibus, praeſtita eccleſiae Genevenſi conſtat: nam Thomam Mauriennae comitem, a quo principes Sabaudiae, qui hodie ſunt, genus ducunt, anno CIƆ CCXI inſtrumento publico profiteri, regalia jura ad eccleſiam pertinere; Gulielmum deinde octavo poſt anno, contractu cum Amadaeo epiſcopo Genevenſi inito, ſe tanquam hominem ligium ſub ejus defenſione ſubjeciſſe, et inveſtituram ab eo cum annulo tanquam beneficiarium accepiſſe. Humbertum epiſcopum quinto rurſus poſt anno cum Amadaeo Gebenneſii comite ita tranſegiſſe, ut epiſcopo omnem juriſdictionem, monetae, portorii, paſtionis, proſcriptionis, et hujuſmodi jura competere agnoverit. Humbertum denique Granmontanum epiſcopum cum eodem Amadaeo anno CIƆ CCLV itidem tranſegiſſe, eaque pactione conveniſſe, ut nihil juris in civitatem comes haberet: ſecundum haec ſententia imperiali Gulielmo [a] Lornaeo epiſcopo, tanquam ſupremum dominium habenti, ob non praeſtitam fidem ab Humberto Villario Gebenneſii comite et debita jura minime perſoluta, praefecturam [b] Terneriam adjudicatam anno CIƆ CCCXCVIII Kal. Oct. Amadaeum deinde VIII, de quo diximus, ratione Gebenneſii comitatus epiſcopo fidei juramentum ſolemni ritu ante majus altare S. Petri dixiſſe. Ad jus itidem ſupremi dominii confirmandum non mediocriter facere, quod cum ſyndici civitatis quaſdam circa [c] pontem Arvae terras a [d] Moncanuti regulo emiſſent, Ludovicus Sabaudiae dux, Felicis papae filius, non ſolum venditionem ratam habuit, ſed omne jus in illas, quod habebat, ſupremi dominii, ultro ceſſit; id proculdubio non facturus, ſi cum hominibus ſuis, hoc eſt, beneficiariis contraxiſſet. Idem et foederationes

INTERPR. [a] *de Lornay.* [b] *Ternier.* [c] *pont d'Arve.* [d] *le Sr de Monchenu.*

foederationes cum Amadaeo comite a Genevenſibus anno cIↃ cc lxxxv, et poſtea cum epiſcopo et eccleſia ab Amadaeo eodem et Hugone Delfino [a] Foſſiniaci regulo anno cIↃ ccc vii initas arguere. Demum temporibus Petri [b] Balmae epiſcopi, de quo jam dictum eſt, et ex ejus conſenſu, foedus ictum cum Bernatibus et Friburgi pago. Et cum Sabaudus de jure ſuo in Helvetiorum pagos et S. Galli foederatos, et Valeſiae, arbitros tam ab ipſo, quam a civitate delectos, compromiſiſſet, ſententiam anno cIↃ IↃ xxxi ſecundum Genevenſeis ſyndicos latam eſſe; et inter belli a Franciſco i adverſus Carolum Sabaudiae ducem, conjunctim cum Bernatibus, Friburgi pago, et Valeſianis ſuſcepti cauſas numerari, quod ille Genevenſium libertatem oppreſſum iret. Itaque Henricum iii ejus nepotem anno cIↃ IↃ lxxix renovato cum Bernatibus et Soloturnenſibus foedere, in eo rempublicam Genevenſem comprehendiſſe: ejuſque patrocinium ab eo tempore reges Chriſtianiſſimos ſuſcepiſſe. Poſtremo quod de ingreſſu, de arce, et in urbe principum Sabaudiae habitatione, ac monetae jure, gubernatorum et apparitorum inſtitutione, gratiarum beneficio, ab altera parte addebatur; ſic Genevenſes diluebant, ut dicerent, neque arcem unquam eos in urbe habuiſſe, et quae vocatur ab illis arx, pro carcere publico olim fuiſſe. Idem quantum ad gubernatores et apparitores ſpectabat, dictum intelligebant; de monetae autem jure diſtinguendum aiebant: nam jus monetae nunquam in urbe, tantum in S. Gervaſii ſuburbio, loco qui vulgo monetae campus dicitur, comitibus fuiſſe, cum effigie et inſcriptione S. Petri, cujus memoriae majus templum conſecratum eſt; ut vel ex eo appareat, comites eccleſiae beneficiarios eſſe, et conditione adjecta, ut puram monetam cuderent, et epiſcopus dimidiam emolumenti partem caperet: quod ex fidei a Ludovico Sabaudo, tanquam [c] Vaatenſis pagi regulo praeſtitae, inſtrumentis annorum cIↃ cccviii, et cIↃ cccxliii patet. Eodem pertinere proteſtationes ab [d] Audomaro epiſcopo anno cIↃ ccc xcvi interpoſitas, quod Amadaeus vii Sabaudiae comes monetae [e] Anicii cudendae ſibi jus ſumeret: quo et patet, ipſum Amadaeum amice rogatum, ne quid contra eccleſiae jura attentaret, benigne annuiſſe. Neque item de gratiarum beneficio convenire; cum contra conſtet, anno cIↃ cccc liii, reo a ſyndicis civitatis ad mortem damnato Thomam epiſcopum vitae gratiam feciſſe: et ſi quid tale Sabaudiae principes feciſſe comperiantur, id jure ad praeſens honorifice ab epiſcopis delato factum, non ut ex eo illi jus perpetuum ſibi arrogare poſſent. Quod idem de habitatione in urbe dici poſſit; quod nunquam niſi precario et conceſſione ad tempus illis licuit; ut in ea tanquam in alieno territorio ſuburbicariae regioni, quae ipſorum erat, jus dicerent. Id ex actis compluribus ac libellis annorum cIↃ cccclx. cIↃ cccclxix. cIↃ IↃ viii. cIↃ IↃ xiii. cIↃ IↃ xvii, probari, quibus Sabaudiae principes ad jus ſubditis ſuis dicendum, ſtatuta publicanda, ſibi et miniſtris ſuis in urbem venire ut liceret, a ſenatu et ſyndicis petebant; minime id facturi, ſi ullam in ea juriſdictionem habuiſſent. Et haec ita utrinque inter partes jactata, poſſeſſionis commodo ſemper penes ſenatum Genevenſem pro juris certi titulo remanente; adeo ut cum v poſt anno Quintili menſe ad Juliani-fanum delegati de pace conveniſſent, nulla jurium reſervatione facta Sabaudus conſenſerit, ut pax cum Genevenſibus facta [f] Vervinienſi pacificatione comprehenſa intelligeretur. Praeter ea, quae modo memoravi, ſcriptor ampullatus [g] equitis Sabaudi, qui [h] Butetus Claudii Buteti a noſtro Ronſardo ob doctrinam olim laudati filius eſſe perhibetur, multa inſtrumenta ac documenta cumulat, quibus comites Genevae tanquam Sabaudiae comitum beneficiarios fidei ſacramentum iis dixiſſe confirmat; ut Amadaeo ii circa annum cIↃ cxc; Petro item Thomae filio

INTERPR. [a] *baron de Foſſigny.* [b] *de la Baume.* [c] *pays de Vaud.* [d] *Omer.* [e] *Annecy.* [f] *de Vervins.* [g] *le cavalier de Savoye.* [h] *Butet.*

CIↃ IↃ C.
HENRICUS IV.

filio anno CIↃ CCCLXVI; ac Amadaeo magno anno CIↃ CCCLXXXVII; ac ſexto poſt anno in celebri non ſolum Franciae ſed Germaniae procerum conventu, cum ambigeretur de comitatu Genevenſi, cui ejus ratione fides deberetur, ſecundum Sabaudiae principes pronuntiatum fuiſſe. Deinde cum Delfino Viennenſi Amadaeus [a] Gebennae comes fidem obſtrinxiſſet, inſtrumento ea de re ſolemni confecto anno CIↃ CCC XXIX fidem debitam Amadaeo V comiti Sabaudiae denuo praeſtitiſſe; et XXVI poſt anno Delfinum juri per contractum illum quaeſito publica teſtatione, cui Joannes rex per [b] Aemarum Valentiae et Diae comitem a ſe delegatum intervenit, renunciaſſe. Secundum haec Amadaeum a Carolo IV Caeſare jura a Delfino ceſſa eodem anno impetraſſe. Quod vero poſtea anno CIↃ CCCC I Amadaeus VIII ab Odone Humberti Villarii filio Gebennae comitatum comparaverit, et anno XVI poſt a Mahaltide; id non eo factum, quod non antea ſupremum ejus dominium obtineret; ſed quod complures adhuc eſſent illo in tractu reguli, qui quamvis fidem Sabaudiae principibus deberent, et praeſtarent, tamen jus illud per proprietatem et ſingularium rerum poſſeſſionem multifariam in dies imminuebant; quos proinde Genevenſi ditione expelli Sabaudiae principum maxime intererat. Verum haec et alia ſcripto illo comprehenſa inter alias perſonas acta, abſentibus epiſcopis neque conſentientibus. Et Butetus ipſe, ſive quis alius libri auctor eſt, ingenue fatetur, jus ſupremi dominii in civitatem Genevae epiſcopos ſemper controverſum Sabaudiae principibus reddidiſſe, ac penes ſe retinuiſſe; donec mutata religione ſyndici, qui ſub epiſcopali auctoritate libertatem antea tuebantur, proprium illud ſibi fecere, et ejectis epiſcopis, ſub imperii patrocinio, cujus inſignia monetae ſuae ab eo tempore imprimunt, rempublicam adminiſtraverunt.

XI. Inter multiplices inſtantis belli curas ſerium de matrimonio regis cum Maria Medicea Franciſci magni Etruriae ducis filia negotium minime intermiſſum eſt. Prius cum Margarita Henrici II filia et Caroli IX ſorore, ante XXVIII annos contractum, cum ſententia a Franciſco Jouſa cardinali lata nullum eſſet declaratum, protinus Nic. Brulartus Sillerius, qui apud pontificem regii oratoris munere fungebatur, Florentiam cum mandatis ampliſſimis excucurrit, ut conditionibus jam agitatis et conventis regis nomine ſubſcriberet. Poſtea rex in Sabaudiam profecturus ſpeciale mandatum ſponſalitia contrahendi, ad Ferdinandum magnum Etruriae ducem Mariae patruum, per Rogerium [c] Bellogardium magnum Franciae hipparchum mittit; qui cum XL e nobilitate delecta [d] Maſſilia ſolvit, et [e] Liburnum XII Kal. Oct. appulit, triduo poſt Florentiam ingreſſus, et a Joanne et Antonio familiae Mediceae naturalibus liberis perhonorifice exceptus. Ex [f] palatio Pitiorum obviam ei proceſſit Ferdinandus ipſe magnus Etruriae dux cum omni aulico comitatu, et poſt mutuas ſalutationes ac gratulationes cum mandata quae a rege Bellogardius habebat, intellexiſſet, ambo in palatium perrexere; et Bellogardius ad Mariam deductus literas ei regis manu ſcriptas porrexit, et mandata ampliora fidei ſuae commiſſa expoſuit. VI Non. Oct. Vincentius Mantuae dux cum Helionora Mariae ſorore, quam in uxorem duxerat, Florentiam venit, et poſtridie reipublicae Venetae orator. Petrus Aldobrandinus cardinalis ad regem legatus de pace deſtinatus in itinere Florentiam divertit, ut nuptialibus ceremoniis pontificis nomine intereſſet, IV Non. urbem ſolemni pompa ingreſſus, quem ad portam uſque urbis magnus dux cum magno non ſolum aulae, ſed univerſi ſacri ordinis comitatu venientem excepit, et ad latus ſiniſtrum cum eo incedens ad majus templum deduxit; ubi in pedes ambo deſcenderunt, et poſt peractas publicas preces in palatium diſceſſerunt. A coena, quae

INTERPR. [a] *comte de Geneve.* [b] *Emar, comte de Valence & de Die.* [c] *de Bellegarde grand Ecuyer.* [d] *Marſeille.* [e] *Livorno.* [f] *palais de Piti.*

quae lautiſſima parata erat, ad Mariam ſalutandam Aldobrandinus perrexit. Die ſequenti nuptiales ceremoniae peractae, ipſo legato ſacra peragente, et ad dextram Maria, ad laevam magno Etruriae duce reginae patruo adſtantibus. Poſt ſolemnia filius magni Etruriae ducis ſacro lavacro ablutus eſt, proque eo fidejuſſit ſenatus Veneti orator. Tota dies choreis tranſacta. Coenam ſumptuoſam artificioſa ſpectacula exceperunt. Nam menſis prioribus remotis aliae per machinas diſpoſitae ordine ſucceſſere, lautitiis, ſpecularium oblectamentis, fontibus, floribus, omnique Phaeacum amoeniſſimis hortis certanti et aliena in tempeſtate vernanti apparatu ornatae; avibus circum volitantibus, et confuſo, ſed ſuavi, ſono coenaculum ampliſſimum complentibus, tum eodem artificio recedentibus; quaſi ex nubibus hinc virgo Florentina Dianae ſpecie, hinc eunuchus ſubito apparuere, et vocibus modulatis cantus avicularum ſuperantibus aliquandiu poſt oculorum ſpectacula aureis aſtantium dulci concentu permulſere. Dies ſequentes venationibus, haſtiludiis, decurſionibus, pompis nocturnis inſumpti; VII Eid. admirando paratu, nec minore ſumptu comoedia inſtructa et recitata eſt. Quae omnia, quia ſingularibus libris ab aliis fuſe deſcripta ſunt, et hinc curioſis petere per me licet, ad finem longi operis properantes facile praetermiſimus, de feriis, quae ſuperſunt, magis ſoliciti.

XII. REBUS ad diſceſſum comparatis Maria, petito a patruo commeatu, deducentibus eam Chriſtiana Lotaringa patrui uxore, et Helionora ſorore, Virginio Urſino Braeciani duce, et Antonio Medice fratre naturali, Florentia III Eid. Oct. diſceſſit, et XVI Kal. Nov. Liburno ſolvit, conſcenſa immani ſumptu [a] praetoria conſtructa, et extra teſſellato opere, intus gemmis, aliiſque oculorum oblectamentis admirandum in modum ornata, ut eum Ptolemaei Philadelphi a veteribus celebrata adeo trireme comparari poſſet. Eam Marcus Antonius [b] Colicatus ducebat. V pontificiae, totidem Melitenſes, VI magni ducis ſequebantur. Ventis adverſis jactata claſſe, cum a Genevenſium legatis honorifice ad ipſam miſſis rogaretur, ut dum tempeſtas deſaeviret, reficiendi ſe ex nauſea ſpatium in civitate ſumeret; nihil aliud reſpondit, quam nihil tale a rege mandatum eſſe. Itaque toto eo tempore, quo in mari fuit, ſemper in praetoria pernoctavit; et cum [c] Finalio [d] Savonam veniſſet, poſtridie [e] Antipolim ditionis Francicae portum tenuit. Inde per [f] Fanum-Mariae, [g] Tolonium, ubi biduum manſit, litus legens poſtremo III Non. Nov. [h] Maſſiliam ſub veſperam appulit, et per pontonem in portu ſtratum in palatium regium deducta eſt. Ad eam excipiendam Henricus Momorantius magiſter equitum, Pomponius [i] Bellevreus Franciae cancellarius, Lugduno a rege miſſi fuerant. Guiſius provinciae praeſes aderat, et Franciſcus [k] Jouſa, Petrus [l] Gondius, Annas [m] Scarſius Givrius, Franciſcus [n] Eſcubleus Surdiſius cardinales; illuſtres ex aulico gynaeceo foeminae, Anna Ateſtina Lotaringorum et Henrici Sabaudi Nemoroſii ducis parens, Catharina Clivia Guiſii mater, Ludovica Lotaringa Guiſii ſoror; aliae dignitate primariae matronae. Bellevreus coram Momorantio verba fecit, et fauſtum feliciemque reginae in Franciam adventum regis nomine gratulatus eſt. Eodem die pro ſenatu provinciae Gulielmus [o] Varius ordinis ampliſſimi primarius praeſes a cancellario ad reginam introductus, hanc orationem habuiſſe dicitur. Ad optatiſſimi Galliae toti adventus tui famam, chriſtianiſſima regina, ecce Themidis adyta, juſtitiae ſacraria et penetralia cuncti deſerimus, ut pedibus tuis advoluti, qui alios ad obſequium cogimus, obedientiae tuae majeſtati praeſtandae exemplo praeiremus, et fidem voti religione

INTERPR. [a] *la Galere Capitane du grand Duc.* [b] *Colicati.* [c] *Final.* [d] *Savone.* [e] *Antibes.* [f] *Ste Marie.* [g] *Toulon.* [h] *Marſeille.* [i] *de Bellievre.* [k] *de Joyeuſe.* [l] *de Gondy.* [m] *d'Eſcars Sr de Givry.* [n] *d'Eſcoubleau de Sourdis.* [o] *du Vair.*

CIƆ IƆ C.
HENRICUS IV.

religione obligatam hoc longe honorificentiſſimo officio defuncti exſolveremus: in te tuoque adventu deſideria omnia publica, cuncta vota exhauſta, et conſumpta ſunt, nihilque ad ſummae felicitatis cumulum deeſt, niſi ut quae Deus optimus maximus bona contulit, propria deinceps faciat, et felicitate per te conceſſa, quam diutiſſime fruamur. Rex nobis contigit, virtute praeſtans, benignitate admirabilis, fortitudine incomparabilis, qui laboribus ſuis regno quietem, periculo proprio ſecuritatem, victoriis gloriam conciliavit. Verum in tanta ſeu laetitia, ſive felicitate nonnunquam triſtis cogitatio ſubibat, humanae conditionis fineis a natura praeſtitutos eſſe, nihilque ſub coelo perpetuo durare, et quod cuncti aſſiduis votis immortale exoptabant, aliquando deſiturum. Solitudinem vero illam et coelibatum, in quo rex degebat, vitam ipſi, quae cunctis adeo cara erat, minus gratam reddere, et ſpem heredis, cui quantum patri debebat, tantum olim debitura eſſet Gallia, adimere. In hac futuri anxia cogitatione defixis, quaſi coelo demiſſa nobis illuxiſti, cunctaſque triſtitiae nubeculas vultus tui ſplendore diſcuſſiſti, et tranquillitatis, qua ſub optimo principe quaſi precario fruebamur, ſolidum gaudium feciſti, ſpe haud dubia fore, ut adſpirante Dei gratia in familia regia intermortuae per tot annos ſucceſſionis ſpes per te renovetur, et digna tanto regno numeroſa progenies, quae patrem virtute, matrem ſanctiſſimis moribus referat, ad regni alioqui nutantis fulcimentum ſuccreſcat. Proinde devoti Numini majeſtatique tuae fauſtum feliceimque tuum ad litus Gallicum appulſum gratulamur, Deumque ſupplices comprecamur, ut diu apud nos et nobis feliciter regnes: ut ſaeculum, quod nunc ingredimur, cum deſinet, te cum rege marito ſuperſtite incolumem videat, et quae ventura ſunt, beatam tot regum ex te naſciturorum matrem praedicent. Magni regis, et cui vix parem priora ſaecula habuerunt, uxor venis; magnitudinem Auſtriae familiae, unde orta es, prudentiam, ſapientiamque Mediceae, unde nomen trahis, tecum in domum ejus inferens. Viciſſim memor eſto, idque tibi multoties repetitum puta, non ſolum te ad potentiſſimae toto Chriſtiano orbe reginae titulos, ſed etiam ad beneficentiſſimae tot populorum, quorum rex pater eſt, matris munus per hoc matrimonium a Deo vocatam. Age ergo, et ut tori conſors, ſic regiae ſolicitudinis in poſterum particeps hanc gloriam occupa, et populos imperio communi ſubditos, de quorum ſalute et quiete aſſidue rex cogitat, pari erga Franco-Gallicum nomen, cui nunc omine felici inſerta es, charitate proſequere, ut laeti non ſolum ipſi tibi ſerviant, ſed vicini eandem felicitatem cum a ſuis principibus adepti fuerint, eam ſe tuo exemplo debere fateantur. Cum Varius deſiiſſet, regina Deum comprecata, ut votis publicis et conceptae de ſe expectationi aliquando reſpondere poſſet, gratias univerſis egit. Magna eo die in appulſu claſſis, quae parum a ſanguinolenta rixa abfuit, inter Melitenſeis equites, quorum dux erat Petrus Mendoza, et Florentinas triremeis, quibus Joannes Medices praeerat, de principis loci praerogativa contentio fuit. Tandem Momorantii interventu conventum, ut Melitenſes dextram tenerent, S. Stephani equites in praetoria, quam ducebant, jus ſuum ac dignitatem tuerentur. A III Non. Nov. cum ad XVI Kal. Dec. Maſſiliae, cum ingenti VII CIƆ ſive exterorum, ſive Gallorum, qui ſumptibus regiis alebantur, comitatu commorata eſſet; petito a magni ducis uxore et Helionora ſorore, quae claſſem in patriam rediturae conſcenderant, commeatu; poſtridie Aquas [a] Sextias II CIƆ equitum ſtipata venit, et biduo poſt [b] Avenionem, ubi cupide exſpectabatur, ſolemni pompa ingreſſa eſt, erectis ubique arcubus triumphalibus et theatris, quae regi excipiendo, quem [c] Maſſiliam uſque novae nuptae obviam proceſſurum rebantur, Jeſuitae paraverant, de reſtitutione ſua, quam jampridem in aula urgebant, ſolicite cogitantes: qui ad regis gratiam demerendam

INTERPR. [a] *Aix.* [b] *Avignon.* [c] *Marſeille.*

demerendam urbis ſumptibus facti apparatus, ne auctoribus ſuis omnino perirent, abſente ob belli Sabaudici neceſſitatem rege, libro edito delineati et poſtea regi ab ipſis oblati ſunt, regina, quae interfuerat, eorum induſtriam et propenſam erga ſe voluntatem laudante et commendante. Septenarium in arcubus et theatris exquiſitum numerum delegerant Avenionenſes, ut regi reginaeque et urbi multis in rebus valde convenientem. Nam VII palatia in ea, totidem paroecias, VII monaſteria antiqua, VII devotarum virginum aſceteria, VII ptochotrophia, ſcholas totidem ac portas eſſe. Regem tunc ſepties ſeptem annos natum, novies ſeptimum repetita a Pharamundo origine numerari. Ad [a] Arcas juxta Dieppam ter ſeptimo die Septembris menſis feliciter certatum fuiſſe. [b] Euriaea pugna in VII agmina quadrata exercitu inſtructo pugnaſſe, eam pugnam pridie Eid. Martias, hoc eſt, bis ſepteno menſis die viciſſe. Ad [c] Fontem Francicum VII menſe anni communis, hoc eſt, Julio, et bis ſeptima hora, hoc eſt ſecunda poſt meridiem, regem pugnaſſe, et eodem menſe in [d] S. Dionyſii templo ſolemni ceremonia majorum religioni nomen dediſſe, [e] Samarobrigam Ambianorum ab Hiſpanis anno CIƆ IƆ XCVII et ſeptenario anni ſolaris menſe receptam. XXVII Februarii regia inſignia [f] Autrici Carnutum pompa ingenti ſumpta, et ter ſeptimo die Junii pacem cum Hiſpanis factam. Reginam XXVII annos natam; Ferdinandi VII ex Auſtria familia imperatoris neptem; XVII triremibus vectam adveniſſe. Praetoriam vero XXVII paſſus longam, XXVII utrinque remigum ordines habuiſſe. Multa alia in eam rem futiliter plerumque addita et inſcripta. Pro ſacro ordine Franciſcus Suares orationem habuit, Deum comprecatus, ut anno vertente ex ipſa Delfinus naſceretur. Ad quae verba deſiderii impotens regina votum publicum pari alacritate proſecuta eſt, eamque ſibi a Numine gratiam concedi enixe oravit. Poſtridie urbis ordines ad ſalutationem cum muneribus admiſit; et laetum de Monmeliana arce dedita nuncium a rege per Alexandrum Delbenium accepit. [g] Contius, qui vice legati in urbe erat, in [h] Pictavienſi palatio, ſive Roboreo, inſigni matronarum et virginum ac nobilium totius civitatis coetu, ad bellaria exquiſite parata ſequenti die invitavit, actiſque pro tam honorifico hoſpitio gratiis poſt tridui moram Avenione diſceſſit, et per [i] Valentiam [k] Ruſſilonium [l] Turnoniorum caſtellum, Viennam facto ſecundum Rhodanum itinere IV Non. Dec. qui in Saturni diem incidebat, ad [m] Guilloteriam [n] Lugduni ſuburbium pervenit. Poſtridie theatro ad [o] Motham parato poſt prandium cuncti urbis ordines ad reginam admiſſi, quibus cancellarius ejus nomine reſpondit. Archiepiſcopus Lugdunenſis ſtans verba fecit, ceteri ordines et nationes de geniculis; Germani, et qui urbium imperialium nomine aderant, [p] Helvetii et Rhaeti, cum ſtantes reginam alloqui vellent, initio a cancellario prohibiti. Verum cum illi id ſibi juris ſemper antea, et cum Henricus II urbem ante L annos ingrederetur, fuiſſe dicerent, et rem Philiberti [q] Guichii praefecti, aliorumque magiſtratuum teſtimonio confirmarent, antiquam inter alias nationes praerogativam retinuerunt. Jam adveſperaſcente die per Delphinorum portam ingreſſa regina per arcus, delubra, theatra, tumultuario opere parata, nam XV tantum dies ad apparatum conceſſi, cum facibus, ad majus templum, et poſt decantatum beatorum Ambroſii et Auguſtini hymnum ad proximas archiepiſcopi aedeis deducta eſt. Heic totos octo dies regem, qui ad S. Catharinae propugnaculum, ut deditionem ejus urgeret, profectus fuerat, ſummo deſiderio praeſtolata, tandem V Eid. Dec. a cancellario monita regem prono Rhodano adproperare, et eo die adfuturum, temporius coenam ſumpſit, atque vix menſis remotis cum in proximum conclave conceſſiſſet,

INTERPR. [a] *Arques.* [b] *d'Ivry.* [c] *Fontaine Françoiſe.* [d] *S. Denis.* [e] *Amiens.* [f] *Chartres.* [g] *Conti vicelegat.* [h] *palais de Poictiers dit de Rouvre.* [i] *Valence.* [k] *Rouſſillon.* [l] *Srs de Tournon.* [m] *la Guillotiere.* [n] *Lyon.* [o] *la Mothe.* [p] *les Suiſſes & Griſons.* [q] *de la Guiche.*

conceſſiſſet, praeſto rex militari habitu adfuit, ad cujus conſpectum in genua procumbit, a rege ſtatim ſublevata, qui, excuſata ſua diuturniore abſentia, poſt commutata utrinque honeſtatis et mutui adfectus verba, lecti, quod ſuum prae feſtinatione nondum adveniſſe diceret, cum ea participationem facere petiit, qui ea nocte conjugalis factus eſt. Aldobrandinus cardinalis [a] Camberii remanſerat, quem rex de nuptiarum externa pompa celebranda cogitans, et ad negotium de pace cum Sabaudo inchoatum praeſentiam ejus requiri judicans, Lugdunum cum Sabaudi delegatis ut veniret, per literas invitavit. Igitur in viam ſe dedit cardinalis, et uſitato apud nos ritu, Lugdunum ingreſſus eſt, XVII Kal. Jan. praefecto mercatorum et urbis [b] aedilibus uraniſcum praeferentibus, et Franciſco Borbonio Contio et Henrico Borbonio Monpenſerio ad dextram laevamque latus ejus cingentibus. In Galliam venturo ampliſſima mandata VII Kal. Oct. et Kal. Oct. Romae apud S. Marcum data, pleraque contra regni libertates ac immunitates, quae proinde in ſenatu minime publicata ſunt. Poſtridie quam venit, celebrata denuo nuptiarum jam ipſo cardinali interveniente Florentiae contractarum inſigni pompa in principe S. Joannis baſilica ſolemnitas, frequentiſſimo principum, procerum, et illuſtrium matronarum, nec non oratorum externorum principum coetu, cui inter alios Carolus [c] Ligneus Arembergii comes Alberti et Iſabellae archiducum nomine interfuit. Poſt peracta ſacra nuptialia, jam multum inclinata die, convivio lautiſſimo univerſi excepti, Carolo Borbonio [d] Sueſſionum comite tanquam magno palatii magiſtro; [e] Monpenſerio, Franciſco [f] Aureliano fani-Pauli comite, regi; Carolo [g] Lotaringo Guiſio cum Claudio [h] Jonvillae principe fratre et [i] Summarivae comite gentili ſuo, reginae, ad menſam inſervientibus. Sequentes dies feſtis, pompis, ludis, ſpectaculis, haſtiludiis exacti. Inde poſt natalis Dominici ſolemnia peracta repetitum pacis negotium, cui diſceptando a rege delegati Nicolaus [k] Brulartus Sillerius, qui nuper Roma redierat, et Petrus [l] Janinus Divionenſis ſenatus praeſes, cum [m] Arconato et Alimio a Sabaudo miſſis. Ii novas ſubinde atque alias a conventis conditiones ſemper proponentes negotium protelabant. Cum urgerentur, Saluciarum principatum, modo omnia loca, quae rex in Sabaudia ultimo bello occupaverat, reſtituerentur, ſe reſtituere paratos, nihil praeterea oſtendebant. Regii ita quidem altera conditione Lutetiae conventum fatebantur; ſed cum neutri Sabaudus ſtetiſſet, et rex in bellum immaneis ſumptus facere coactus fuiſſet, eos ante omnia ſarciri petebant, et IϽ CCC aureorum CIϽ in id inſumpta affirmabant. Sabaudiani cum nihil ſe proficere contra regios victores viderent, annitente Aldobrandino, qui Gallos tota Italia exturbatos cupiebat, conditionem alteram proponunt, ut comitatus [n] Breſſiae loco [o] Saluciarum principatus reſtitueretur, ad eum propter novos ſucceſſus [p] Beugenſi et Veromenſi pagis adjectis uſque ad Rhodanum, qui deinceps utriuſque ditionis limes ab ea parte eſſet. Nec a permutatione illa alienum ſe rex praebuit. Sed praeterea [q] Centalium, Montes, rupem Sparveriam repoſcebat, et non [r] Subalpina regione, de qua tantum cum Saluciarum principatu reſtitutio urgebatur, actum fuerat, ea caſtella comprehendi; ſed ad Provincialem ditionem pertinere, quod et verum erat, contendebat. Itaque ut ea permutatione comprehendi intelligerentur, [s] Gexenſis praefectura a Sabaudo adjecta eſt, et C praeterea aureorum CIϽ pro apparatu bellico, qui Carmaniolae captus fuerat, promiſſa.

XIII. SED

INTERPR. [a] *Chambery.* [b] *eſchevins.* [c] *de Ligne comte d'Aremberg.* [d] *Soiſſons.* [e] *duc de Monpenſier.* [f] *d'Orleans comte de S. Paul.* [g] *de Lorraine duc de Guiſe.* [h] *Joinville.* [i] *Sommerive.* [k] *Brulart Sr de Sillery.* [l] *Jeannin preſident de Dijon.* [m] *les Srs d'Arconat & des Alimes.* [n] *Breſſe.* [o] *Saluces.* [p] *le Bugey & Veromey ou Valromey.* [q] *Centale, Mons, & Roqueſparviere.* [r] *Piedmont.* [s] *Bailliage de Gex.*

XIII. Sed incidit res, quae negotium, quod ad exitum omnino perductum credebatur, paene interrupit. Nam convenerat initio, ut Monmeliana arx, et S. Catharinae propugnaculum viciſſim a rege integrum, reſtitueretur. Verum alias atque alias nectente moras Sabaudo, rex qui munitionem illam in tractu, tranſeuntibus ex Sabaudia in [a] Sequanos Hiſpanorum copiis, deſtinato relictam rebus ſuis officere videret, Genevenſium, quorum cervicibus impoſita erat, precibus victus, eam deſtrui mandavit: quod tanta celeritate factum, Genevenſibus in id operam ſuam animoſe commodantibus, ut deſtructionis illius nuncius conſilii de loco diruendo capti famam praevénerit. Ad quem Aldobrandinus ſtatim renudato animo vociferari; indignum ſibi in modum a regiis delegatis illuſum; ſanctae ſedis dignitatem violatam; regem plus ea in re ad urbis a vera religione et pontifice jampridem alienatae ſecuritatem, quam ipſius pontificis preces ſpectaſſe: ad extremum fidem hominum implorare, diras et execrationes minitari; et quoniam ſibi ſervatam fidem negabat, ſuam datam revocare. A Sillerio ad eludendas illas vociferationes breviter reſponſum; regem pace hoc rerum ſtatu non egere, niſi quatenus eam ſuadeat pontifex; quicquid huc uſque in hoc negotio factum fuerit, contemplatione pontificis et eo inſtante factum eſſe, cui ea in re, ut aliis in omnibus, gratificari ex animo rex cupiat: aequum eſſe, ut viciſſim nihil ille a rege exigat, quod rebus ſuis ac regno detrimentoſum ſit: Genevae patrocinium prudenti maturoque conſilio ab Henrico deceſſore ſuo ſuſceptum, non tam ad urbis ipſius, quod ad invidiam adverſarii jactitant, quam ad totius regni ſecuritatem. Nam ad foederationem Helvetiorum ſervandam id neceſſarium, et Helvetios ipſos Catholicos et regni conſiliarios ita judicaſſe: quippe cum rex [b] Cluſuras, qua iter tutiſſimum et compendioſiſſimum auxiliaribus ab illa parte venientibus patet, non aliter in poteſtate habere poſſet, quam ſi Genevenſeis amicos haberet. Regem tam ſalutaribus conſiliis inhaerere, cum vicinis, ſi quieta conſilia amplectantur, pacem colere tam ſincero animo paratum, quam infeſtum iiſdem hoſtem futurum, ſi quid adverſus ſe, regiamque dignitatem injuſto bello excitato moliantur. His verbis cum necdum placaretur Aldobrandinus, et re infecta ſe trans montes in Italiam abiturum diceret, intervenit Jo. Baptiſta Taxis orator Philippicus, qui regi denunciat, niſi hoc cum Sabaudo diſſidium pace quam primum finiatur, regem Hiſpaniae ſororii ſui et ſororis filiorum periculum non diutius neglecturum. Cui a rege pari fiducia reſponſum, minis nihil a ſe obtineri poſſe; in quibus ſi pergeretur, ſe brevi tot homines armatos in Philippi ditiones immiſſurum, ut iis pellendis plus negotii habiturus ſit, quam ut alieno negotio ſe implicare debeat. Minime ignorare ſe, plus animi Sabaudo quam virium, niſi Hiſpanorum conſiliis et opibus in occulto juvetur, ad tam injuſtum bellum ſuſcipiendum, eſſe. Itaque decreviſſe leonis animos adverſus vulpinas fraudes induere, et recta ferire, qui diſſimulanter minatur. Qui archiducum negotia in aula procurabat, quam Hiſpani ſuperbe, tam amice et officioſe ad pacem hortabatur: et contra, Elizabetha Anglorum regina per ſuos ad bellum trans Alpeis inferendum ſtimulos addebat. Jamque pacis ſpes omnino evanuerat, Sabaudo, qui omni citra montes ditione tam cito exutus fuerat, in [c] Burgi arce, quae adhuc reſtabat, reliquam fiduciam reponente; cum praeſidiarii ad extremas anguſtias redacti, ac pejora veriti, ad Sabaudi delegatos, qui Lugduni erant, breviculum mittunt [d] Boventii praefecti, et tribuni Juſti, aliorumque manu ſubſcriptum; quo niſi intra biduum ipſis ſubveniretur, aut pace negotium terminaretur, ſe deditionem facturos ſignificabant. Scripto accepto

INTERPR. [a] *la Franche Comté.* [b] *pas de la Cluſe.* [c] *citadelle de Bourg.* [d] *de Bouvens.*

CIↃ IↃ C. accepto delegati Aldobrandinum adeunt, et propoſito Burgenſium, in quibus omnis
HENRICUS IV. ſpes reliqua ſit, periculo, cum rogant obteſtanturque, ut pacis negotium intermiſſum repetat. Gallos bellum expetere; ex ore [a] Ronii marchionis nuper exceptum, habere ſe ad manum decies centena aureorum CIↃ, et L muralium machinarum omni re inſtructarum apparatum; tantum rex juberet, non ſe officio defuturum. Ad haec Diguierium impotenti Alpium ſuperandarum deſiderio ardere; proinde potius videri, ut pace mature facta periculo tanto praevertatur: neque tanti S. Catharinae munitionem eſſe, quae in ſolo per pacta Sabaudo reſervato aedificata erat, ut propterea bene procedens pacis negotium abrumpi debeat.

XIV. ALDOBRANDINUS etſi aegre faciebat poſt deſtructum S. Catharinae propugnaculum, ut ſe huic negotio interponeret, tamen veritus, ſi obſtinatius in indignatione pertenderet, fore, ut apud pontificem periculum toti Italiae imminens neglexiſſe argueretur; hac ſe lege de pace mentionem rurſus injecturum promittit, ſi ſibi ſcripto caveant, quo fides eorum, quae dicant, quaeque a ſe flagitent, fiat. Quod cum illi de Burgi arce anxii feciſſent, Aldobrandinus priora conſilia reſumit. Sed cum intempeſtivas de S. Catharinae munimento ſeu querimonias, ſeu minas identidem ſemper ingereret, irritatis animis denuo cuncta ad bellum parantur, et Ronius juſſu regis Lutetiam proficiſci juſſus, ut rem pecuniariam et tormentariam propere expediret: ut erat ocreatus, ad Aldobrandinum quaſi officioſe ſalutandum acceſſit; inter quos poſt habitos ultro citroque de pace ſermones, tandem convenit, ut ante profectionem ſuam negotium retractaretur, Aldobrandino multum ſibi dolere teſtante, quod non ab initio cum ipſo capita contuliſſet; igitur perſcriptae conditiones. Sed nova rurſus difficultas oborta, cum Sabaudi delegati iis ſubſcribere recuſarent: nam licet v Eid. mandatum haberent, quo ſubſcribere jubebantur, alterum contrarium tertio poſt die datum aiebant, quo iis ſubſcribere vetabantur, antequam ipſe [b] Fontanum conſuluiſſet. Heic denuo aeſtuare Aldobrandinus, et contra ſcriptum, quo ſibi caverant, urgere. Illi contra principis ſui imperia praetexentes ſe excuſare. Cum nihilominus inſtaret legatus, et antequam a conventu diſcederetur, ſubſcribi conditionibus peteret, illi poſtremo ſpatium cum oratore Philippico de hac re conſultandi obtinuerunt. Taxis, qui, omni trans Alpeis ditione a rege ceſſa, et tranſitu copiis ex Italia venientibus ſervato, abunde Hiſpanorum rebus conſultum exiſtimaret, nihil videre ſe reſpondit, cur Sabaudus a priore mandato receſſiſſet; tamen aequum ducere, ut ipſi aſſenſum ſuſtineant, donec Sabaudus cum Fontano ea de re conſultaverit, et quid ſuae voluntatis ſit, poſtremo aperuerit. Cum huic quaſi decreto ſibi ſtandum delegati putarent, intervenit [c] patriarcha Conſtantinopolitanus pacis ab initio pararius, qui omnem vel minimam moram in hoc negotio damnoſam exiſtimans, pontificii legati, qui fidem ſuam interpoſuerat, auctoritatem, juſtam regis toties deluſi indignationem, et praeſentem rerum ſtatum qui diuturniorem moram minime patiebatur, ad praecidendam omnem delegatis ſubſcribere recuſantibus excuſationem in medium proponebat, monebatque memores eſſent ultimi a Sabaudo, cum [d] Taurino diſcederent, praecepti, ut in omnibus Aldobrandini dicto audientes eſſent: ſe ad ipſum ire paratum, ut quod fecerint, ratum habeat; nec dubitare, quin quod Aldobrandinus aequum juſtumque duxerit, et ipſe adprobet; interim illum tam ſuo quam pontificis nomine ipſis ſcripto idonee cauturum. Delegati, qui non tam ad rationum adeo ſpecioſarum pondus et neceſſitatis ingruentis vim, quam ad obſequium, cujus potiſſima in legatis ratio eſſe debet, reſpiciebant, initio ſe excuſaverant. Sed legati auctoritate avunculi ſui poteſtatem, quam

INTERPR. [a] *de Roſny.* [b] *comte de Fuentes.* [c] *Calatagirona, nommé le patriarche de Conſtantinople.* [d] *Turin.*

quam in coelo et terris habet, in majus extollentis ad extremum victi, cautione ab eo accepta, et petito menſis ſpatio, quo Sabaudus conditiones ratas haberet, iis ſubſcripſere XVI Kal. Feb. Pacta autem hujuſmodi fuere, ut omnis intra [a] Rhodanum a Geneva urbe tractus ipſo fluvio comprehenſo ad ditionem Francicam cum omni jure ſupremi dominii deinceps pertineat. Tantum pro tranſitus in [b] Sequanos commoditate, pons [c] Greſini inter [d] Cluſuras et Arbiae pontem cum deſignatis aliquot pagis Sabaudo reſervatus, ea lege, ut nullum vectigal imponere, aut toto illo tractu ullum propugnaculum exſtruere poſſit. Burgi arx bona fide regi tradatur, cum tormentis et omni bellico apparatu et annona. Trans Rhodanum praeterea [e] Seiſſellium, Daira, Chauſſium, Arlae-pons, Chana, Caſtellum, cum omni juriſdictione ſua regi cedant. Praeterea [f] Gexenſis praefectura cum omni territorio ac pleno jure, ſicuti iis Sabaudi deceſſores uſi ac fruiti ſunt. Quae omnia regio patrimonio ita lege regni uniantur, ut ab eo alienari non poſſint; eandemque naturam, quam habebant bona cum iis permutata, ſortiantur. A Sabaudo item [g] Delphini-caſtellum cum [h] Turre-pontis, aliaque loca in Delphinatu ab eo occupata, integra, ſicuti nunc ſunt, bona fide cum tormentis et omni apparatu bellico reſtituantur. [i] Becum Delphini munimentum per haec bella ab eo conſtructum deſtruatur; et pro tranſitu C aureorum CIƆ Lugduni exſolvenda certis penſionibus pendantur. Viciſſim rex Saluciarum principatum cum urbibus, oppidis, caſtellis, arcibus, omnique territorio; [k] Centalium item, Montem, Rupem-ſparveriam, ac praeterea omnia tormenta et apparatum bellicum, qui in iis anno CIƆ IƆ XXCVIII erant, Sabaudo cedat: Loca inſuper omnia in Sabaudica ditione ab eo anno a Gallis occupata, bona fide reſtituat; ita tamen ut ei tormenta et apparatum bellicum, qui inibi reperietur, deducere, militique bona mobilia, quae in iis habet, ſecum aſportare liceat; inſtrumenta et documenta omnia, quae rebus utrinque compenſationis titulo ceſſis ſerviunt, bona fide ab utraque parte tradantur. Captivi utrinque itidem liberentur. His conditionibus pax ſincera inter regem Sabaudumque, et commercium liberum, ſicuti Vervinienſi pacificatione cautum eſt, deinceps ſit, et utriuſque principis ſubditos. Jura, et actiones contra Sabaudum pacificatione [l] Caſtello-Cameracenſi anni CIƆ IƆ LIX et [m] Taurinenſi anni CIƆ IƆ LXXIV exceptae, hoc tractatu reſervatae intelligantur. Pacta haec tam Lutetiae Pariſiorum in ſenatu, quam in ceteris regni curiis, et rationalium cameris; in Taurinenſi item et [n] Camberitano ſenatu promulgentur. Rogatu pontificis additum, ut poſt menſem a pactorum publicatione copiae utrinque tam in Francia, quam in Italia dimitterentur. His actis itum in majus templum, et magna omnium laetitia coram rege, reginaque et Aldobrandino decantatus beatorum Ambroſii et Auguſtini hymnus.

XV. Rex dimiſſo Aldobrandino, actiſque pro tam honorifica ejus in pacis negotio opera navata gratiis, poſtridie in viam ſe dat, et per diſpoſitos equos Lutetiam venit, legatus ſecundo Rhodano Avenionem petiturus Herminium ab epiſtolis ad pontificem mittit, ut eum de ſucceſſu certiorem faceret, dato negotio, ut Sabaudum et Fontanum, qui capita [o] Somae ad Padum conferebant, in itinere conveniret. Ibi eos a pace alieniſſimos nactus, cum quid [p] Lugduni Aldobrandini auctorirate actum eſſet, expoſuiſſet, inſtaretque et pontificis et legati nomine, ut id ratum haberetur, et copiae militares quam primum dimitterentur, a Sabaudo in ſpeciem ſtomachoſiore hoc reſponſum tulit, [q] Arconatum et Alimium capite temeritatem luituros, quod

INTERPR. [a] *le Rhoſne.* [b] *la Franche Comté.* [c] *pont de Greſin.* [d] *la Cluſe & le pont d'Arve.* [e] *Seiſſel, Daire, Chauſſy, pont d'Arle, Chana & Chaſtel.* [f] *Bailliage de Gex.* [g] *Chateau-Daufin.* [h] *Tour du pont.* [i] *fort de Beche Daufin.* [k] *Centale, Mons & Roqueſparviere.* [l] *de Catteau Cambreſis.* [m] *de Turin.* [n] *de Chambery.* [o] *Some ſur le Po.* [p] *Lyon.* [q] *d'Arconat & des Alimes.*

CIↃ IↃ C.

HENRICUS IV.

quod côntra expreſſum enixae voluntatis ſuae mandatum conditionibus ſubſcripſiſſent. [a] Fontanus deſpicienti ſimilis pacem ſe minime curare dixit; neque vero ſe ejus conditionibus teneri: copias, quas penes ſe habeat, magno ſumptu paratas, atque alio deſtinatas, nequaquam juxta conditiones, ſed arbitrio ſuo dimiſſurum. Et quanquam in eo convenirent, ut pax rata non haberetur, prudentiores tamen ſic exiſtimabant, longe eos diverſo inter ſe affectu duci. Nam Sabaudum aegerrime tuliſſe pacem ita factam, ut commodum ejus ad alios, diſpendium in ſe ſolum redundaret. Nam Francos abdicata a ſe Saluciarum principatus longe poſita poſſeſſione, quae tanto ſumptu illis conſtabat, et [b] Sebuſianis compenſationis loco acceptis, optime ſibi conſuluiſſe, productis ad [c] Rhodanum limitem certiſſimum finibus: Hiſpanos exturbatis Italia Francis ditiones ſuas ab eorum armis tutas habere: ſe in medio relictum ad utriuſque nationis injurias perpetuo expoſitum, cujus ad ſecuritatem minime interſit in Italia, an in Gallia Francos vicinos habeat. Fontanus vero homo ambitioſus, qui belli occaſionem quaereret, XL armatorum CIↃ et XL machinarum apparatum inutiliter ſibi perire impatientiſſime ferebat; Sabaudo ſubinde exprobrans tantos ſumptus ejus cauſa factos, ac per eum ſtetiſſe, quominus Hiſpani arma in Galliam intulerint, et regem intra Lugduni moenia compulerint. Haec Hiſpana jactatione addita, ut Sabaudi ab iis ludibrio habiti queſtus compeſceret, atque a ſubſcribendo deterreret. Itaque inter eos tunc conventum, ut antequam pacta rata haberentur, Philippi voluntas exploraretur, paratis ſemper quo duci eas juberet interim copiis. Quod ubi reſcivit Aldobrandinus, Octavium [d] Tazzonem comitem ad regem mittit, rogatque ne propterea vehementius commoveatur; nam pacta rata habiturum Sabaudum, denuoque in eam rem fidem ſuam obligat: Ea propter ſe ad eum proficiſci paratum, tantum petere, ut ad menſem, intra quem ille ſubſcribere debebat, XV dies adderentur; quo tempore ab armis utrinque ceſſaretur. Interim ſuperatis aſperrima hyeme Alpibus Genuam venit, cumque ſui adventus tam Fontanum, qui jam Mediolanum redierat, quam Sabaudum, qui Taurini erat, certiores feciſſet, et diem colloquio condici certum peteret, illi ſe excuſavere, alia atque alia nectendae morae impedimenta cauſati. Dum reſponſum ab Hiſpania veniret, Aldobrandinus Genua [e] Dertonam venit, ibique Fontanum obvium habuit, a quo perhonorifice [f] Mediolanum deductus. Inter varia oblectamenta cum eo aliquandiu manſit, Sabaudum in horas venturum opperiens; qui cum non veniret, et affectatas de conditionum iniquitate querelas ad excuſationes adderet, legatus Fontanum urget; et non Sabaudi, a quo ſibi illudi videat, ſed Philippi cauſa, et [g] Sueſſano inſtante ad iter ſe accinxiſſe demonſtrat: proindeque petit, pontificis et ſuae dignitatis ratio habeatur; et negotio tantae exſpectationis pro Philippi et Italiae ſecuritate ſuſcepto tandem ipſius interventu finis imponatur. Ad haec Fontanus, Sabaudi excuſationes pro reſponſo allegare, negotii deciſionem non ex ſe pendere, neque ſubſcriptione ſua egere. Cum nihil hac ratione proficeret Aldobrandinus, cognito Fontani ingenio, ad iram ex indignatione praecipitis, et in ira facile animum renudantis, per Tazzonem ipſi renunciari curat, ſe a Sabaudo in arcano monitum, quaecunque hoc in negotium difficultates et protelationes huc uſque inciderunt, ab ipſius Fontani ingenio profectas eſſe. Quo audito homo ſpiritus elati ſtatim exarſit, et Sabaudi inter immodicas ſpes ſemper fluctuantis, et nunquam ſibi ſatisfacientis culpa factum eſſe dicit, ne citius negotium finem acceperit. Tum quid inter ipſos ultimo colloquio convenerit, poſtremo aperit, et in Hiſpaniam miſſos dicit, qui de Philippi voluntate certiora afferant. Aldobrandinus aſtum proceſſiſſe gaudens, et

per

INTERPR. [a] *comte de Fuentes.* [b] *Breſſe.* [c] *le Rhône.* [d] *Taſſone.* [e] *Tortona.* [f] *Milan.* [g] *duc de Seſſa.*

per eum Fontani arcanum rimatus, tantiſper ſibi expectandum duxit, dum reſponſum ex Hiſpania veniret, quod pontificis voto quin ſatisfacturum eſſet, minime dubitabat. Nam licet non ignorabat, Fontanum a pace alienum nihil non per ſuggeſtiones ſuas in illa aula facturum, ut principem in juventutis ardore ad ſpecioſa proclivem ad belli conſilia inflecteret; tamen ſic judicabat, Franciſcum [a] Sandovallium Lermae ducem in principis obnoxii gratia florentem, qui ſe ex nemine, cunctos ex ſe pendere vellet, potius pacem ſuaſurum, neque commiſſurum, ut auctoritatem, quam pace ſolus obtinebat, bello minime neceſſario inter potentiſſimos reges temere excitato, cum aliis partiri neceſſe haberet. Nec ſpe ſua falſus eſt; nam ſubito literae a Philippo ad Fontanum allatae, quibus ſignificabat, placere ſibi, quando Sabaudo, reſtitutis quae hoc bello ablata fuerant, et Saluciarum principatu ei relicto, plene ſatisfiebat, ut paci Lugduni conventae ſubſcriberetur, copiis, quas inſtructas habeat, ſe aliis in expeditionibus uti decreviſſe: quod Lermaei conſilio in Fontani gratiam additum, cui ab armis aegre diſceſſuro copias quam primum dimittendi, ſicuti pactis perſcriptum erat, neceſſitatem imponi nolebat; et ad magnitudinem ſuam in Hiſpania firmandam conducere arbitrabatur, ſi virum generoſum procul a conſpectu principis in Italia cum aliqua dignitate potius diverſari pateretur, quam aemulum in aula ſemper ante oculos habere cogeretur. Hoc accepto reſponſo cum Fontanus abunde deſiderio ſuo ſatisfactum videret, libera copiarum adminiſtratione ſibi relicta, et Sabaudus praeciſa omni auxiliorum ſpe neceſſitati ſibi parendum intelligeret, Aldobrandinus negotium confectum ratus cum Fontano in viam ſe dedit, ut cum Sabaudo [b] Papiam uſque proceſſuro colloqueretur; qui tandem ad [c] Ticini in [d] Padum confluentem comparuit, et in naviculam qua legatus vehebatur, ſua relicta protinus inſiliit; poſtque commutata utrinque honeſtatis verba, ad extremum pro navata in pace procuranda feliciter opera ſubtriſti vultu, atque ita frigide gratias egit, ut legatus facile intelligeret, id potius pontificiae, quam ſuſtinebat, dignitati ex officio datum, quam quod ullo ſe beneficio ob id ab ipſo devinctum agnoſceret. Subſcriptis conditionibus Aldobrandinus Papiam repetiit, et inde Romam contendit. Sabaudus [e] Taurinum rediit, monito [f] Boventio, ut quanquam pactis ſubſcripſiſſet, tamen [g] Burgi arcem quam diutiſſime poſſet, retineret, nec niſi poſt acceptam teſſeram traderet: quod non niſi extrema neceſſitate, praeſidiarios inter famem frigusque luctanteis cogente, tandem ineunte Martio factum. Petrus [h] Eſcodeca Boetius arci cum valido praeſidio a rege impoſitus. Regina poſt regis diſceſſum [i] Lugduno profecta cum omni aulico comitatu Lutetiam v Eid. Feb. venit, ad Hieronymi Gondii primum, dein ad Sebaſtiani Zameti aedeis diverſata, antequam [k] Luparam regiam intraret. Quarto poſt die Maximilianus [l] Betunius Ronii marchio magni tormentorum praefecti ſacramentum in ſenatu publice dixit, ea dignitate officii coronae, ut vulgo loquimur, titulo, propter egregia ipſius merita et fortiter navatam ultimo bello operam, inſignita.

XVI. Rex inde, regina per [m] Germani-fanum et [n] Fontem-bellaqueum arces ſitu magnitudine et elegantia aedificiorum ſtupendas circunducta, [o] Aurelianum contendit, ut propitiatorii anni indulgentiis hoc anno toti orbi ac peculiariter in Gallia urbi Catholicae religioni devotae, et ob id variis cladibus per ſuperiora bella adflictae conceſſis participaret. Ibi dum eſſet, baſilicae ingentis altero bello civili fere ſolo aequatae, cujus rudera ad horrorem et renovanda antiqua odia relicta videbantur, inſtaurandae

INTERPR. [a] *Sandoval, duc de Lerma.* [b] *Pavie.* [c] *Teſin r.* [d] *le Po.* [e] *Turin.* [f] *de Bouvens.* [g] *citadelle de Bourg.* [h] *d'Eſcodeca Sr de Boiſſe.* [i] *Lyon.* [k] *le Louvre.* [l] *de Bethune, marquis de Roſny.* [m] *S. Germain.* [n] *Fontainebleau.* [o] *Orleans.*

CIϽ IϽ C.

HENRICUS IV.

inſtaurandae fundamenta jecit, vectigalibus aliquot in eam rem aſſignatis. Innumeri toto regno ex omni hominum conditione eodem confluxere, quanquam per alias dioeceſeis idem gratiae beneficium pontifex indulſiſſet: nec taceri debet, quod ex iis, qui ſacras poenitentium confeſſiones audiebant, cognitum et ad regem perlatum eſt, plus c ciϽ hominum falſi crimen confeſſa eſſe; ut fluxam non ſolum in religione, ſed in civili converſatione inter homines fidem deplorare ſubeat, et judiciorum ſeveritatem adverſus tam frequens et inſidioſum, longeque ſocietati humanae infeſtiſſimum crimen intendi oportere ex eo appareat. Aureliano rex votis nuncupatis [a] Bloeſas et [b] Campoburgicam arcem cum regina jam gravida divertit, et paucis poſt diebus Fontem-bellaqueum revertit.

XVII. Sub id de Roberti [c] Ebroici Eſſexiae comitis turbulentis conſiliis, caſuque ad regem allatum eſt, de quo repetita altius origine nunc dicendum. Certabant in aula Anglicana non ſolum ſtudiis, ſed gratia apud Elizabetham reginam Eſſexius et Robertus [d] Cecilius ab epiſtolis: hic patris, qui longo tempore quaſi principem in reginae conſilio locum tenuerat, meritis fretus, necnon propria prudentia et uſu rerum maximis negotiis gerendis par creditus: ille virtute militari nitebatur, ad quam generis ſplendorem, ingenteis ſpiritus, liberalitatem, miram in conciliandis animis comitatem attulerat; et jam multis expeditionibus feliciter confectis inclaruerat, ita ut vulgari dicterio paſſim Achilles Anglicus vocitaretur. Cum Cecilio faciebat [e] Cobhamus diuturna aemulatione Eſſexio infeſtus, et Gualterus [f] Raleighus ſtipatorum reginae praefectus. Ii foeminae inclinata jam aetate ſuſpicaci facile perſuadent, ut ab Eſſexio ſibi caveret, ejuſque ambitionem et audaciae nimiae conatus deinceps ſuſpectos haberet: ac conſultum in praeſens viſum, quo gratiam ejus ſenſim refrigeſcentem, ne praeſentia apud reginam referveſceret, per abſentiam omnino extinguerent, ut ſpecie expeditionis contra rebelleis procul in Hiberniam ablegaretur. Senſit aſtum vir generoſus, et tamen oblatam virtutis oſtentandae, vel inimicis ipſis deferentibus, occaſionem haudquaquam ſibi praetermittendam exiſtimavit: itaque minime eam militiam detrectavit, ſed ea lege ſuſcepit, ut quoties publicae rei expedire videretur, non expectato reginae mandato in Angliam redire poſſet. Quod ei annitente Cecilio permiſſum, ne ſi negaretur, potius in exilium, quam in militiam mitti videretur, ab eaque ſe, impedimenta domeſtica cauſatus, quod amici ſuadebant, apud reginam excuſaret. Ea de re cum ei publico diplomate regni ſigillo firmato cautum eſſet, poſtquam in Hiberniam cum exercitu venit, literae privati ſigilli allatae ſunt; quibus injuſſu reginae ex inſula decedere enixe prohibebatur. Quod indigniſſime tulit, ſe ludibrio ab inimicis de abſentia ſua triumphantibus haberi queritans, ſubindeque inculpans, quod non amicis, ut ſe excuſaret, ſuadentibus credidiſſet. Quod unum poterat, ut diuturnioris in inſula morae cauſas praecideret, poſt aliquot levia certamina, occaſione captata Hugonem [g] Tiroenae comitem, quo res in Hibernia turbante, Hiſpani inſulanorum majorum religioni addictorum patrocinium ſuſceperant, ad colloquium invitat; ejuſque is exitus fuit, ut quaſi re confecta ſibi in Angliam redire, et ab exercitu inconſulta regina diſcedere liberum eſſe duxerit; nam ſic ab initio licuiſſe, et literas privati ſigilli, contra diploma publicum nihil aeſtimandas fuiſſe. Eo conſilio Londinum redit, et cum improviſus ad oſtium interioris regii conclavis pro priſtina cum regina familiaritate id ſibi licere credens mane comparuiſſet, illa nondum compta et veſtita, manu ſignificavit, ut inde faceſſeret. Statim a prandio cum rurſus in procoetonem veniſſet, camerariorum princeps ſubſiſtere eum juſſit, quouſque reginam de ejus adventu certiorem

INTERPR. [a] *Blois.* [b] *Chambort.* [c] *d'Evreux, comte d'Eſſex.* [d] *Cecil, ſecretaire d'Eſtat.* [e] *Broke, baron de Cobham.* [f] *Raleigh.* [g] *Tir-Oen.*

certiorem feciſſet; a qua rediens, ipſius nomine, Eſſexio imperavit, ut ſe ad ſigillorum cuſtodem conferret. Ab eo Eſſexius quaſi reus ſiſtitur; et poſtridie adverſus ipſum accuſatio inſtituitur; cujus haec praecipua capita erant: quod injuſſu reginae et contra ipſius mandatum ab exercitu diſceſſiſſet, et cum perduellibus capita contuliſſet; a quibus cum ſe non ſatis idonee purgaret, lata in ipſum ſententia, ab omni munere publico removetur, et biennali ab aula abſentia mulctatur; in domo ſua Londini, et ruſtico praedio, quod haud hinc longe abeſt, quoque commeare cum domeſtico famulitio poſſet, toto eo tempore manere juſſus. Poſt annum exactum cum mitigatam reginae indignationem, ſatiatum aliquatenus inimicorum odium putaret, Londini non ſolum cum domeſticis, ſed cum nobilitate jam liberius ad ipſum concurrente verſari coepit, majore comitatu per urbem incedere, ad palmarios ludos publice cum amicis ſe exercere, eos crebro domi accipere. Hac popularitate cum ſe ſatis firmatum videret, cum amicis ex proceribus et praecipua nobilitate vicem ejus dolentibus conſultare in arcano coepit, qua ratione priſtinum gratiae et dignitatis locum recuperaret, et inimicorum injurias ulciſceretur. Id non tam ſecreto fiebat, quin ex frequenti hominum ſuſpectorum ad ipſum itatione et familiaritate, inimici qui inſidioſe ſemper eum obſervabant, conjectare potuerint, aliquid eum novi moliri, periculumque proprium veriti ad reginae aures aſſidui excubabant, ut eam jam praeoccupatam novis ſubinde delationibus et objectis criminibus magis exacerbarent. Acceſſit ad conjecturas certum indicium a nobili quodam Eſſexii domeſtico, cui ille a pueritia prima ſecum educato nimium quam multum fidebat, ut eo fere praeſenti cum amicis de ſecretioribus conſiliis capita conferre minime dubitaret. Is a Cecilio corruptus, cuncta, quae domi agitabantur, dietim renunciabat. In conſcientiam facti advocati Henricus [a] Southamptoniae comes, qui Eſſexii cognatam in uxorem duxerat, Chriſtophorus [b] Bluntus eques Eſſexii ſocer, Carolus [c] Danverſius, Joannes [d] Daviſius, Ferdinandus [e] Gorgius, [f] Littletonus. Inter eos audendi certos aliquandiu altercatum fuit, Londinum prius, an palatium ipſum, reginae curiam vulgo vocant, occupari expediret. Occupata civitate magnum operae pretium factum videbatur, oſtentata Eſſexii potentia; ſed potius terror ex eo inimicis injiciebatur, quam res conficiebatur. Nam ſubeunte poſt primum motum animorum poenitentia, tam facile recipi, ut alias accidiſſet, quam captum fuiſſet, Londinum: et reginam, quique circa ipſam eſſent, collectis animis et viribus, interim ad periculum faciendum firmiores redituros. Itaque curiam potius peti placuit, qua capta ſuperato protinus omni periculo conatus ad exitum perducebatur. Nam id conſilii Eſſexio erat, reginam in poteſtate habere, cunctos ſibi infeſtos et ſuſpectos ab aula proceres exigere; amicos in eorum locum ſufficere; vocatis regni ordinibus rempublicam ex eorum conſilio in melius ordinare, et regnum ita conſtitutum deinceps arbitrio ſuo ſub reginae nomine moderari. Capto conſilio, Bluntus ad occupandam cum armatis palatii portam deſtinatus. Daviſius cum delecta manu anteriorem aulam inſidere juſſus. Aliis negotium datum, ut ſtipatorum arma, quae ad murum majoris conclavis deponi aſſolent, hora condicta raperent. Carolus Danverſius cum aliis ex nobilitate procoetonem invaſurus erat, eumque Eſſexius inſecuturus, qui ſupplicis ſpecie reginam in poteſtatem redigeret. Ubi ſatis de his molitionibus conſtare reginae viſum, ad quam omnia ſedulo a Cecilio referebantur, ipſius juſſu Eſſexius XIII Kal. Mart. ad conſilium, quod in Thomae [g] Buckhurſti magni theſaurarii aedibus habebatur, per [h] Herbertum ab epiſtolis vocatur; dato Buckhurſto negotio, ut comparentem eum officii amice admoneret, a

INTERPR. [a] *Southampton.* [b] *Blunt.* [c] *Danvers.* [d] *Davis.* [e] *Gorges.* [f] *Littleton.* [g] *le baron de Buckhurſt.* [h] *Herbert.*

CIƆ IƆ C.
HENRICUS IV.

a turbulentis conſiliis dehortaretur, tantum ſtipatum merito ſuſpectum a ſe removeret, et ad purgandam omnem ſuſpicionem urbe excederet, et rus ab ea longius loco minus frequenti ſe conferret: verum Eſſexius ſive conſilia ſua detecta credens, ſive inimicorum ſuorum apud reginam auctoritate pollentium potentiam veritus, minime denunciationi paruit, quaedam ad excuſationem in ſpeciem commentus, ſeque domi cum amicis continuit. Poſtridie, qui in Dominicam incidebat, cum ſigillorum cuſtos, [a] Wigorniae comes, [b] Pophamus, et Gulielmus Knolles ipſius Eſſexii avunculus, ex interiore conſilio ad eum acceſſiſſent, reginae nomine imperantes, ut aut in aulam veniret, aut alienatae ſuae voluntatis apud ipſos cauſas exponeret: Ille nihil aliud reſpondit, quam ſibi certo compertum eſſe, [c] Cobhamum et [d] Raleighum conſilium de ſe interficiendo cepiſſe; proinde ad aulam, in qua inimici ipſius rerum potiuntur, ſine periculo manifeſto ire non poſſe. Cum hoc reſponſo cum delegati ad reginam redire vellent, aliquandiu ab Eſſexio retenti ſunt; et poſtquam redierunt, vim ſibi ab eo factam affirmarunt. Ille mox iis dimiſſis animi anxius in publicum cum amicis circiter XXX, et in iis [e] Southamptonio, Rutlandio, Bedfordio comitibus; [f] Sandio, Cromwellio, Montaquila; tantum enſibus accinctis ſine aliis armis ſub horam IX matutinam prodit, et recta ad Majoris urbis aedeis tendit, ab eoque patrocinium contra graſſatores et homines in ſuam perniciem ab inimicis, ut aiebat, ſubornatos petit. Quod cum ille a Cecilio monitus facere recuſaſſet, ad [g] Sherifium, is eſt alter a Majore in urbe proximus magiſtratus, ſe confert, ab eoque cum idem peteret, eandem repulſam tulit. Cum nihil in magiſtratibus praeſidii videret, auram popularem, ſed ſero, captare coepit, ſparſa in publicum voce, quaſi a Cobhamo et Raleigho ad caedem peteretur; ad quam plerique ſe illi initio aggregabant, et cum eo ſe vivere et mori paratos oſtendebant, ſed non propterea aut ab illis ſumpta arma, aut ab Eſſexio ad ciendam ſeditionem certum cum amicis captum conſilium, inter ſpem metumque fluctuante, et eventum opperiente. Fama motus per urbem incaleſcentis in aulam perlata, regina ſpiritus hominis elatos et praecipuam apud populos gratiam verita, edictum per Thomam [h] Burghleium Cecilii grandiorem natu fratrem publicandum mandat, quo Eſſexius, et qui eum ſequebantur, perduelles et vulgari verbo proditores pronunciabantur. Principium promulgationis ingenti ſtipatu a Burghleio ante Eſſexii aedeis factum, facciali praeeunte, ad quam plebs jam conglobata ſtatim dilapſa, et concurſu ceſſante Eſſexius cum paucis relictus eſt. Dum Burghleius per alia urbis loca promulgationem urget, in Eſſexium incidit, jam fere ab omnibus deſertum, a quo tamen impetu facto pellitur: inde cum Eſſexius aedeis ſuas repeteret, ſperatum fruſtra in ſuam defenſionem hominum concurſum in iis opperiturus, urbis portam clauſam reperit; ad quam et pugna commiſſa, poſt aliquam ſcloppetorum diſploſionem paucorum caede finita eſt. Bluntus graviter vulneratus, aliquot ex ejus comitatu occiſi, Eſſexius ipſe animo turbatus, reflexo ad flumen itinere naviculam conſcendit, et ad aedeis ſuas ſe recepit, quo ſtatim poſt Burghleii diſceſſum Thomas Howardus maris praefectus cum armata manu ex aula advolavit, tormentis ſubſequi juſſis, et hominem de defenſione minime cogitantem poſt aliquantum verborum potius quam armorum certamen in deditionem profunda jam nocte accepit. Mirantibus plerique, viro generoſo, cui tantum animi et prudentiae tota vita ſive pace, ſive bello fuerat, in exſequendo extremae ambitionis conatu mentem et manus defuiſſe; ut neque amicis, quo nemo unus in Anglia plures habuit, neque populi gratia, neque virtute propria tam

INTERPR. [a] *Worceſter.* [b] *Popham & Knolles.* [c] *baron de Cobham.* [d] *Raleigh.* [e] *comtes de Southampton, Rutland, & Bedford.* [f] *barons de Sandes, Cromwell, & Mont-eagle.* [g] *Sheriff.* [h] *Cecil, baron de Burghley.*

CIↃ IↃ CI.
HENRICUS IV.

tam neceſſario tempore uti potuerit; memorabili ad id quod dici ſolet, firmandum exemplo, ſcelera conſilium non habere, et juſtam vel injuſtam armorum cauſam animos ad audendum facere vel adimere. Captus cum Eſſexio Rutlandiae comes ipſius gener, et Southamptoniae item comes, conſiliorum et fortunae comites, cunctique in [a] Turrem ſub cuſtodia die ſequenti ducti. Aliis in locis capti Chriſtophorus Bluntus eques Eſſexii ſocer, Ferdinandus [b] Gorgius Plimouthae praefectus, Carolus [c] Danverſius, aliique e e nobilitate per diverſos urbis carceres diſtributi. Conjuratione oppreſſa cum regina in tuto omnia collocaſſe ſibi videretur, per otium de captivis amplius cognitura, res incidit, quae judicium praecipitavit. Thomas [d] Leaeus juvenis manu promptus quinto poſt die ad oſtium interioris reginae conclavis cum ſcloppeto ſub noctem a ſigillorum cuſtode deprehenſus fuit, indicio Roberti [e] Croſſi, et Henrici Nevillii qui magni theſaurarii filiam in uxorem duxerat, quos conſilii ſui participes fecerat. Is ſive inſito in Eſſexium adfectu, cum quo tamen non ita arctam amicitiam colebat, ſive quavis alia veſania incitatus, in animo ſibi eſſe indicibus dixerat, reginam ſub coenae tempus poſt dilapſum omnem aulicum comitatum cum fidis adire, ac rogare, ut breviculo, quod pro liberando Eſſexio porrecturus ei eſſet, ſubſcriberet; et ſi qui eſſent, qui ſe opponerent, ſi quid ex ea re damni ad regnum redundaret, non ſibi, fidiſque publicae libertatis aſſertoribus, ſed iis imputari debere, qui reginae, quo minus ſubſcripſiſſet, impedimento fuiſſent, palam proteſtaretur. Sumptum ſtatim reginae juſſu de reo convicto [1] ſeverum admodum ſupplicium. Nam membro virili detracto et in ignem in ſpirantis conſpectu conjecto, mox aperto ventre et corde ac viſceribus pariter detractis ac in cinerem redactis, corpus reliquum in partes ſectum eſt, quae ad terrorem locis certis affixae ſunt. Eam ob cauſam maturatum judicium creditur, quod regina periculo recenti defuncta, alia ſubinde non defutura ab obnoxiis facile ſibi perſuadere pateretur, quandiu Eſſexius et conſcii adhuc in vivis eſſent. Igitur Kal. Mart. Eſſexius et Southamptonius ex Turre a Thoma [f] Howardo, qui poſt eorum caſum comes-ſtabuli creatus fuerat, deducti, in Weſtmonaſterienſi aula coram judicibus ſeu paribus ſuis ſiſtuntur. Nam juris eſt nobilibus, ut non niſi coram paribus ſuis cauſam dicere cogantur. Ii erant ex comitum numero [g] Oxfordienſis, Derbienſis, Salopienſis, Wigornienſis, Suſſexius, Cumberlandius, Hertfordienſis, Lincolnienſis, Nottinghamius, [h] Howardus Bindonius vicecomes. Ex baronum numero [i] Greius, Comptonus, Edvardus Staffordus, Lumleius, Morleius, Burghleius, Hunſdonus, Richus, Chandoius, Lawarus, Darcius a Chicke, S. Joannes a Bletneſho, Cobhamus, Windeſorus, et Howardus a Waldena. His acceſſere [2] Octoviri ordinarii judices, qui in iis, quae ad regni leges ſpectant, paribus conſilio ſuo praeſto ſunt. Nomine reginae adfuere ex [k] ſapientum conſilio, quod vulgo vocatur, delecti, [l] lictor, reginae [m] fiſcalis, et clericus coronae dictus. Qui omnes ſolemni pompa aulam eo ordine ingreſſi ſunt. Thomas [n] Buckhurſtus tanquam magnus ſeneſcallus judicio praeeſſe juſſus, VII accenſis, qui aureas reginae

INTERPR. [a] *la tour de Londres.* [b] *Gorges, gouverneur de Plimouth.* [c] *Danvers.* [d] *Lea.* [e] *Croſs & Nevil.* [f] *le Lord Howard de Walden, conneſtable ou gouverneur de la Tour de Londres.* [g] *comtes d'Oxford, Derby, Shrewsbury, Worceſter, Suſſex, Cumberland, Hertford, Lincoln, & Nottingham.* [h] *Howard, vicomte de Bindon.* [i] *les Barons Grey, Compton, Stafford, Lumley, Morley, Burghley, Hunſdon, Rich, Chandos, de la War, Darcy de Chicke, S. John de Bletſo, Cobham, Windſor, & Howard de Walden.* [k] *les avocats de la reine.* [l] *l'Hiſt. de la paix l'appelle le ſergent, c'eſt à dire, ſergent ès loix.* [m] *l'attorney ou procureur-general.* [n] *Sackville, baron de Buckhurſt.*

NOT. [1] Thuanus de Leaei ſupplicio quaſi admodum ſevero atque adeo extraordinario loquitur: fuit tamen ordinarium laeſae majeſtatis ſupplicium a lege Angliae, a qua in ſententiam dicundo judicibus ne γρῦ quidem variare licet; et quicquid in eo ſaevitiae inſtar habet, non ita horrendum forſan videbitur, cum reum ante ventrem apertum, aut quidquam tale a carnifice patratum, prius collo ſuſpenſum eſſe omnibus juris Anglicani peritis conſtat. *C.*

NOT. [2] *lege* IX ex duodecimviris ordinariis judicibus. *C.*

reginae maſſas praeferebant, fecialibus, et coronae clerico praeeuntibus, ante alios incedebat. Eum ſequebantur IX comites, I vicecomes, XIV barones, dein [a] [1] Octoviri, et [b] VI viri ex ſapientum collegio, lictor et fiſcalis, quos memoravi, cum pleriſque e nobilitate; et in ſepto parato a reliqua turba ſecreto hinc inde conſederunt; Buckhurſtus in medio ſub uraniſco tanquam praeſes ſedem ſumpſit. Cum ducerentur rei, [c] lictor cum ſecuri praecedebat, acici contrario latere in oculos eorum obverſo; juſſus a feciali Howardus reos adducere, eos extra ſeptum ex adverſo Buckhurſti ſtatuit, aſtante ſemper juxta Eſſexium eo, qui ſecurim ferebat. Tum a clerico recitatum reginae diploma, quo cognitio cauſae Buckhurſto, comitibus, baronibus, aliiſque judicibus, qui aderant, attribuebatur. Rogati ex antiqua formula rei, a quibus judicari vellent, a Deo et paribus ſuis ſummiſſe reſponderunt. Dein ordine accuſationis capita propoſita, ea erant; quod Eſſexius ante trimeſtre de capienda urbe aut palatio urbis occupando cum [d] Southamptonio, [e] Blunto, Daviſio, Danverſio, Gorgio in arcano conſultaviſſet; quod delegatos ad ipſum a regina primarios conſiliarios injurioſe mortem interminatus detinuiſſet: quod ex aedibus ſuis cum armatorum manu ad ciendam in urbe ſeditionem prodiiſſet: quod edicti a regina miſſi promulgationem prohibuiſſet, et vim in fecialeis feciſſet: quod poſt promulgationem in rebellione perſeveraſſet, et Majorem urbis, alioſque magiſtratus adiiſſet, populumque ad arma capienda falſis rumoribus ſparſis incitaſſet: quod in aedibus ſuis poſtremo contra reginae imperium aliquandiu vi armata reſtitiſſet. Ad haec antequam reſponderet Eſſexius, cum petiiſſet, ut, quod omnibus etiam infimae conditionis reis licet, ſibi ſuſpectos judices a judicio rejicere permitteretur, itum in ſententias, et concorditer reſponſum, perpenſo criminis titulo et judicum conditione, qui ſacramento [2] adacti ex animi ſui ſententia et honore, qui ipſis vita potior eſt, ſalvo ſe judicaturos promiſerunt, rejectionibus judicum locum non eſſe. Itaque ad diluenda crimina pergeret. Igitur cum primum caput prorſus inficiaretur, fiſcalis non ſcripto, quod penes ſe habere ab initio affirmaverat, rem confirmavit, ſed teſtimoniis et confeſſionibus Blunti, Daviſii, et aliorum, qui ea de re ſimul conſultaſſe Eſſexii mandatu dicebant. Et Southamptonius interrogatus, ſermones quidem ejus rei inter ſe habitos fatebatur; ſed nihil conſilii captum, aut de re tentanda deliberatum fuiſſe. Ad ſecundum caput ſic reſpondebat Eſſexius, ut diceret, delegatos non vi a ſe retentos, ſed ad vitandum populi furorem in conclave amice ſepoſitos, et dilapſa mox turba incolumeis dimiſſos. Cetera objecta his rationibus diluit, ad ſe certo perlatum, [f] Cobhamum et Raleighum majore ſatellitio, quam penes ſe haberet, ſubnixos ad ſe interficiendum venire. Haec propter aedeis ſuas reliquiſſe, et apud magiſtratum, quam domi non habebat, ſecuritatem quaeſiviſſe: quod cum ille facere recuſaret, ad aedeis ſuas reverti voluiſſe, ſed in reditu quoſdam nullis inſignibus regiis conſpicuos nactum, qui ſe perduellem pronuntiabant, cum nullius talis criminis ſibi conſcius eſſet, tantam injuriam ferre non potuiſſe: et cum intellexiſſet Cumberlandiae comitem

ad

INTERPR. [a] *les Juges.* [b] *les avocats de la reine.* [c] *l'Huiſſier de la Tour, en Anglois* Gentleman-Porter. [d] *comte de Southampton.* [e] *Blunt, Davis, Danvers, & Gorges.* [f] *le baron de Cobham, & le chevalier Raleigh.*

NOT. [1] *lege* IX viri ex judicum, et VI viri ex ſapientum, collegio. *C.*

NOT. [2] Hallucinatur hic Thuanus, morum et conſuetudinum Angliae, ut plerique exteri, minus ſciens. Magnatibus enim regni, hoc eſt, paribus in jus de vita vocatis, inquiſitores, ipſi etiam pares, qui de facto criminali pronunciant, non ſacramento adacti, ſed quaſi ſui decoris ſemper memores ſententiam dicunt ex honore; quippe vinculo, quod ſive fictione ſive praeſumptione juris Anglicani plus apud viros tali dignitate ornatos, atque adeo cujuſvis ſeu turpis ſeu falſi capaces minime cenſendos, valet, quam apud ceteros juramentum; eademque plane ratione quoſvis horum tanquam ſuſpectos a judicio rejicere reo non permittitur: alios licet inquiſitores, ſive ex nobilibus pariatus honore non decoratis, ſive ex plebeio ordine ſumptos, ad XXXVI non expoſita ſuſpicionis cauſa rejicere jus ſit. *C.*

ad portam cum ſtationariis excubare, ad eum ſe cum ſuis nihil armorum praeter ſolos enſeis habentibus contuliſſe: ab iis violentia repulſum ad ſuas ſe aedeis ſine ſtrepitu poſtremum recepiſſe. Poſtea tam lictor, quam fiſcalis, et unus e VI virorum ſapientum conſilio nomine [a] Baconus, qui fratrem habebat Eſſexii intimum, capita accuſationis repetunt, et exemplis amplificant. Alia inſuper a fiſcali in Eſſexium cumulata crimina; quod regnum adfectaſſet; quod perniciosa cum [b] Tiroenae comite, cum Hiſpanis, Puritanis, Jeſuitis, cum rege Scotorum et Catholicis conſilia agitaſſet; fidos eccleſiae miniſtros apud cunctos regni ordines calumnioſe traduxiſſet; auram popularem ad res novas moliendas captaſſet: quae omnia Eſſexius ordine refutavit. Tum inſtante fiſcali et a reo quaerente, ſi compos voti evaſiſſet, quid occupata regia facturus fuiſſet? Eſſexius reſpondit, conſtituiſſe ad pedes reginae ſe proſternere, eamque multarum rerum commonefacere, quae ad ipſius ac regni ſalutem magnopere pertinebant. Imprimis ut a Cobhamo, Raleigho, et [c] Cecilio ſibi caveret, qui praeoccupatis reginae auribus veritatem rerum obſcurant, reſque ſummo reipublicae detrimento arbitrio ſuo moderantur; cunctis ab ejus latere, niſi qui ſuae factioni ſunt addicti, juſſis faceſſere. Heic cum Cobhamus et Raleighus reum interpellarent, ut qua in re in reipublicae detrimentum ipſi privatim injuriam intuliſſent, diſertius explicaret: ille nihil aliud reſpondit, quam, ſuas res eo loco adductas, ut non liceret ipſi alios accuſare. Cecilius vero acrius inſurgens et Eſſexium perduellem inclamans multa in ipſum dixit; quibus nihil aliud reus reſpondit, quam, facile leporem jacenti leoni inſultare, ejuſque aſtu et falſis apud reginam delationibus factum, ut nunc ex vinculis cauſam dicat. Urgente autem Cecilio, ut quid cum Tiroenae comite ad turbandam regni quietem egiſſet, ediſſereret: jam concitatior Eſſexius, Atqui tu ipſe, inquit, proditor et perduellis, ex cujus ore ſaepius exceptum, jus Infantis, quantum ad regni Anglicani ſucceſſionem, potius eſſe. Ad quae verba quaſi extra ſe raptus Cecilius impotenti adeo ira excanduit, ut niſi purgato tanto crimine ſe nunquam reginae aut reipublicae operam navaturum dejeraverit, ſubinde ſe Hiſpanos pejus diabolis odiſſe ac deteſtari repetens. Demum poſt teſtimonia ea de re prolata et eluſa, conquieſcente inter eos verborum acerbitate Baconus accuſationem reorditur, et Eſſexii conjurationem Guiſianae comparat, gravique ad invidiam compoſita oratione rem exſecutus eſt. Cui Eſſexius continua oratione reſpondens, praeteritae vitae ſuae actiones repetit, et egregios pro patria exantlatos labores recenſet, quibus promeritum ſe dicit, ut judices in meliorem partem conſilia ſua interpretarentur. Obſervatumque a circunſtantibus, nihil toto eo ſermone ab eo dictum, quod demiſſi animi indicium daret, aut quo miſericordiam reginae implorare videretur. Auditus poſt eum Southamptonius, qui pari conſtantia cauſam dixit, multiſque adſtantium lacrymas elicuit. Ubi deſiere, Buckhurſtus comites, barones, ac ceteros judices in ſuffragia mittit; qui poſtquam in conclavi proximo, quo conceſſerant, per horam capita contulerunt, in aulam reverſi ſunt, et a feciali dein ſinguli nominatim citati ordine juxta formulam pronuntiarunt, ex animi ſui ſententia Eſſexium reum peractum eſſe. Tum Buckhurſtus: Quandoquidem, inquit, te pares tui condemnant, ego te perduellem pronuncio, ſtatuoque, ut crati impoſitus ad ſupplicii locum traharis, in quo ad patibulum ſuſpenderis, et ſemimortuus laqueo inciſo in quatuor partes membra tua ſecari videbis, quo facto caput tuum pilo affixum, eo, quo reginae placebit, loco ad ſpectaculum proponetur. Qua ſententia audita Eſſexius nihil turbato vultu reſpondit, Amen; hoc addito, ſi quae in partes ſecari judices membra juſſerunt,

INTERPR. [a] *François Bacon.* [b] *Tir-Oen.* [c] *le chevalier Robert Cecil.*

CIↃ IↃ CI. juſſerunt, ea ſimul manere voluiſſent, futurum, ut inſigni aliquo facto de Anglia

HENRICUS IV. bene meruiſſent: ceterum ſe Deum obteſtari, nunquam ſibi de vi reginae inferenda in mentem veniſſe; tantum adverſus inimicorum conatus, ne ab iis opprimeretur, praeſidia comparaſſe. Neque vero contumaciae imputandum, ſi gratiam reginae non appellet; nam vitae, quam toties pro ejus ſalute ac dignitate ad pericula expoſuit, taedere, et cupere vel morte ſua fidem et incorruptum erga ipſam obſequium apud cunctos teſtari. Eadem in Southamptonium ſententia lata, qui ut et Eſſexius poſtea multa dixerunt, ut ſe tali poena indignos, et complices omni crimine vacuos oſtenderent, judiceſque ad extremum rogarunt, amplius de re tota ac maturiùs deliberarent: inde in Turrem rei reducti ab Howardo, praeeunte ſemper eo, qui ſecurim gerebat, acie contra reorum facies obverſa, condemnationis indicio. Poſtridie mori jam certus Eſſexius, petito cum ſigillorum cuſtode, Buckhurſto, Howardo, et Cecilio colloquio, ignoſci ſibi poſtulavit, ſi quid defenſionis cauſa ſecus quam oportuerat, protuliſſet; et nominatim a ſigillorum cuſtode, quod eum domi ſuae cum aliis duobus ſenatoribus, cum a conſilio miſſus eſt, non citra vitae periculum retinuiſſet; a Cecilio denique ob multa in ipſum acerbius et injurioſe ex aliena fide dicta, quae indicta velit; poſtremo ſummae gratiae loco ab iis, ut reginam rogarent, petiit, in arce non in publico ad ſupplicium ſiſteretur, ne populi acclamationibus a mortis cogitatione et profunda in Deum meditatione avocaretur. Quod a reginae benignitate facile impetratum homini in occulto faventis, et poenam, ut creditur, ſi ad ejus miſericordiam confugiſſet, omnino remiſſurae. Sed neque id vitae pertaeſus petiit, et illa contumaci gratiam facere neque dignum, neque juſtum exiſtimavit; eoque minus, quod ex rei ore exceptum ab aemulis jactabatur vitam reginae in tuto collocari non poſſe, quandiu ipſe in vivis eſſet. Fama fuit et eodem die Eſſexium et Cecilium non ſolum verbis reconciliatos, ſed ad certiorem reconciliationis fidem utrumque ſacris ſuo ritu ſimul participaſſe. Secundum haec pridie Non. Mart. hora octava matutina, in arce convenere [a] Hertfordiae et Cumberlandiae comites, [b] Bindonius vicecomes, et [c] Howardus, Darcius, et Comptonus, et a XVI ex ſtipatorum numero Eſſexius e carcere eductus in pegmate ad id parato ſtatuitur, prius adſtanteis cum duceretur hortatus, ut pro ſe preces ad Deum funderent. Tum renudato capite, peccata ſua gravia, et numero capitis pilos ſuperantia palam confeſſus, laſciviamque et vanitatem, ac ſuperbiam ſuam deteſtatus, Jeſum Chriſtum unicum apud Deum advocatum orat, meritum ſuum interponat, Patriſque miſericordiam ſibi per illud conciliet; crimen in Deum, in reginam, et in patriam admiſſum, quo Dei hominumque juſtam in ſe iram concitavit, quodque conſpiranteis ſecum multos conſtrictos teneat, clementer remittat; tum effuſus in preces pro regina, ejuſque fidis miniſtris, pro eccleſia, pro republica, nunquam ſe de inſidiis vitae aut dignitati reginae ſtruendis cogitaſſe religioſe teſtatur. Nunquam ſe in atheorum cathedra ſediſſe, aut fiduciam in meritis ſuis, ſed in ſolo Jeſu Chriſti propitiatoris merito poſuiſſe; in ea ſe fide educatum creviſſe, et nunc mori paratum: ad extremum rogat adſtanteis, animas cum ſua, ipſius votis et orationibus conjungerent, quo illa fidei alis in ſublime ſupra terreſtria cuncta evecta, quae tantum vitae aeternae ſunt, cogitet. Dein exuta veſte a Thoma [d] Montfordo et Gulielmo [e] Barlowo theologis, quos ſecum duxerat, monitus, ut aemulis inimicique injurias, ſi quidem earum ſenſum haberet, remitteret, viciſſimque ut ſibi illi ſuas condonarent, deprecaretur, ſumma animi demiſſione obtemperavit; et in genua procumbens ne quid ſe et loco ac tempore indignum admitteret

INTERPR. [a] *comtes de Hertford & de Cumberland.* [b] *vicomte de Bindon.* [c] *les barons Howard, Darcy, & Compton.* [d] *Montford.* [d] *Barlow.*

admitteret valde ſolicitus, cum theologi hortarentur, ut ſe ad mortem intrepide componeret, ille ingenue teſtatus eſt, ſe ſaepe ac diverſis locis extrema pericula adiiſſe, in quibus licet nequaquam tam praeſens mortis metus oculis obverſaretur, tamen innata humana fragilitate ſemper cohorruiſſe; quo magis Deum obſecrandum putaret, ut ſibi in hoc noviſſimo certamine praeſto eſſet. Inde in Deum profunda cogitatione defixus ardentiſſimas preces concepit, et conſolationem interiorem ſibi dari, ac miſericordiae divinae fiduciam in anima ſua a Spiritu Dei ſignari, immittique angelos, qui animam e corpore exeuntem exciperent, enixe petiit. Quibus peractis veniam ab eo carnifex petiit, et accepit; et ita compoſita ad mortem mente et corpore poſt recitatum ſymbolum Apoſtolicum, et articulatim praeeuntibus theologis ab ipſo repetitum, et aliquot pſalmi LI verſus, collo trunco inſerto, nam genus poenae reginae benignitate mutatum fuerat, collum tertio ictu a cervice reciſum eſt. Hic exitus fuit Eſſexii omni genere virtutum, quae homines hominibus commendant, cumulatiſſimi, ſi modum in iis ſervaſſet, neque aulicae gratiae fumis et nimiis ſucceſſibus corrupto ingenio ſe per vaſtas ſpes in exitium fatali caecitate raptari paſſus eſſet. Reliquit filium, qui nunc in Anglia non ita infeliciter degit; ubi non tam ad infamiam, quam gentis claritudinem pertinet, majores habuiſſe magnarum conjurationum aut duces, aut conſcios. VI Eid. Mart. Chriſtophorus [a] Bluntus, Carolus [b] Danverſius, Joannes [c] Daviſius, Aegidius [d] Mericus, et Henricus [e] Cuffus Eſſexio ab epiſtolis, tanquam auctores et conſcii conſpirationis in [f] Weſtmonaſterienſi aula convicti et damnati, ac ſupplicio adfecti omnes, praeter Daviſium. Cum Bluntus ad ſupplicium octavo poſt die duceretur, publice ad exonerandam conſcientiam confeſſus eſt, Eſſexium cum adhuc in Hibernia eſſet, Dublini ſecum et cum Southamptonio comite conſilium cepiſſe de III aut IV CIↃ armatorum ſecum in Angliam ducendis, et ad [g] Milfordum in Wallia auſtrali, ubi multos amicos ac clienteis habere ſe putabat, appellendis; atque inde recta Londinum petere, et diu ante praemeditatum conatum manu armata et ope amicorum exſequi decreviſſe; vixque ſe et Southamptonium ab hoc juxta audaci ac deteſtando propoſito praecipitis animi hominem dimoviſſe.

XVIII. Eodem tempore, quo haec conjuratio oppreſſa, Hiſpani Hibernia, in quam ab Hugone [h] Tiroenae comite introducti fuerant, accepta ingenti clade omnino pulſi ſunt. Ad [i] Kinſalam regii caſtra poſuerant, et arcta obſidione urbem premebant; quam dum ſolvere cuperet Tiroenius Hiſpanorum viribus ſubnixus, in viam ſe ſummo ſilentio dederat, eo conſilio ut caſtra Anglorum cum parte equitatus perrumperet, et in urbem uſque penetraret; inde facta mox eruptione Anglos ad obſidionem haerenteis, a fronte et a tergo cum copiis, quas in itinere reliquerat, adortus profligaret. Sed re detecta cum venienti occurriſſent Angli, ille copias trans vadum reduxit, fruſtra reclamante Alfonſo [k] Ocampio Hiſpanorum tribuno, qui diſceſſum in conſpectu hoſtium fugam interpretatus, haud periculo cariturum demonſtrabat. Tandem inſequentibus Anglis inſtructa acies, et Tiroenius ut virtutem ſuam Hiſpanis adprobaret, peditatu in agmina diſtributo, ipſe cum CCCC equitibus in primo cornu conſtitit, peſſimo, ut eventus docuit, conſilio. Nam cum equites irruentium Anglorum impetum non ferrent, retro in peditatum averſi ſolutum eum in fugam ſecum traxere. Soli Hiſpani diu cum Anglis obſtinata pugna certavere; ad extremum numero victi, qua quiſque potuit,

fuga

INTERPR. [a] *Blunt.* [b] *Danvers.* [c] *Davis.* [d] *Meyrick.* [e] *Cuffe.* [f] *de Weſtminſter.* [g] *Milford haven en South-Wales.* [h] *Tir-Oen.* [i] *Kinſale.* [k] *Ocampo.*

CIƆ IƆ CI.
HENRICUS IV.

fuga dilapſi ſunt. Pauci perniciem evaſere, palantes ab Anglis in fuga intercepti caeſique: amiſſa omnia tam Hiſpanorum quam inſulanorum vexilla. Ocampius vivus in Anglorum venit poteſtatem. Tiroenius cum paucis locorum peritia fretus in proximas ſilvas et devias paludes ſe recepit. Kinſalenſeis praeſidiarii caſu perculſi, cum poſt ſuorum ſtragem ſpem nullam auxiliorum reliquam viderent, Alfonſo [a] Aquillario, qui locum tenebat, vitam et res ſalvas et tutum in Hiſpaniam reditum pacto, deditionem fecere; naves in id ab Anglis commodatae; de quarum reſtitutione Hiſpani antè diſceſſum idonee caverunt. Aquillarius levitatem et inconſtantiam Hibernorum deteſtatus, cum ſolveret, palam declaraſſe dicitur, ſe quocunque mitti, et vel ad remum addici malle, quam cum Hibernis deinceps unquam rem habere.

INTERPR. [a] *d'Aguilar.*

JACOBI

# JACOBI AUGUSTI THUANI

## HISTORIARUM SUI TEMPORIS

### LIBER CENTESIMUS VICESIMUS SEXTUS.

#### EPITOME.

*MOTUS in Anglia inter Catholicorum illius regni reliquias exorti origo.* II. *Anglorum ſacerdotum et Jeſuitarum acerbae inter ſe contentiones. Toto quadriennio haec digladiatio duravit, quae tandem a Clemente* VIII *compoſita eſt.* III. *Colloquium in Germania Ratiſponae inſtitutum inter theologos a Maximiliano Baioariae duce miſſos, et Auguſtanae confeſſionis ſocios a Proteſtantibus principibus itidem miſſos. Acta hinc Witembergae, hinc Ingolſtadii publicata.* IV. *In Belgio Mauritius Berkam ad Rhenum et Meurſiae caſtellum deditione capit.* V. *Oſtenda Flandriae ordinibus efflagitantibus ab Alberto tandem obſeſſa. Loci ſitus et natura ac munitiones. Principium obſidioni factum* III *Non. Quintil. Franciſcus Veerus loco praepoſitus.* VI. *Rex Caletum uſque procedit. Bironus inde in Angliam miſſus. Elizabethae cum eo ominoſum colloquium.* VII. *Balmetae in Andibus Franciſcanorum cauſa contra Recollectos in ſenatu agitata.* VIII. *Aquenſis ſenatus contra archiepiſcopum decretum.* IX. *Catrius in Oſtendae obſidione ictu ſcloppeti in capite vulneratus. Mors Henrici Colinii Caſtellionaei mox ſecuta. Ab obſidione ob aquarum inundationes parum abeſt, quin Albertus diſcedat. Conjuratio in oppido detecta et revicta.* X. *Mauritius Berka capta Silvam-ducis tentat. Portus novi Oſtendae ab obſeſſis excavati.* XI. *Olivarii Nortii in Indias ſuſcepta navigatio.* XII. *Fontanus poſt pacificationem cum Sabaudo copias adhuc ſub ſignis tenebat. Expeditio Algeriana. Tremecenum regnum et ejus origo ac ſucceſſio. Philippus Auriae negotium dat ut claſſem ſummo ſilentio inſtruat. Serius inſtructa claſſis fruſtra fuit.* XIII. *Res ad Caniſam haud ſatis felici ſucceſſu geſta Ferdinandi archiducis ductu. Sigiſmundi Turriani miſerabilis caſus triſte ſucceſſus augurium fuit. Franc. Aldobrandini, qui pontificis copiis praeerat, Varadini mox ſecutus obitus. Dorniſchi luſtratus exercitus. Sero et lente in caſtris omnia adminiſtrata. Soluta tandem obſidio. Camorrhae caſtellum admotis crepitaculis a noſtris interceptum.* XIV. *Ad Albam-regalem felicior ſucceſſus fuit ductu Mercuriani. Auxiliares Buda profecti a Mercuriano caeſi.* XV. *Feliciter et a Caeſarianis in Dacia pugnatum. Comitiis Claudiopoli indictis Sigiſmundus Bathorius Tranſilvaniae princeps renunciatur : in patriam reverſus temerario auſu cum Michaele Walacho a Caeſare in Daciam remiſſo, et Baſta confligit : amiſſa plus* x CIↃ. *Non diu inter victores concordia fuit, Baſta in Walachum inſurgente, quem ad extremum oppreſſit. Fruſtra Claudiopolis a Sigiſmundo tentata. Baſta totam Daciam in Caeſaris verba adigit.* XVI. *Pſeudo-Sebaſtiani praeſtigiis, Hiſpania ac Luſitania inprimis turbat. Ejus errores poſt cladem in Africa acceptam. Florentiae captus, repoſcentibus Hiſpanis a Ferdinando duce traditur, et ad Baetis aeſtuarium in Hiſpaniam tranſportatus perit. Joſephi Texerae apud nos de eo*

*publicata*

*publicata ſcripta. Campanae ad Velillam ſive Juliam Celſam in Tarraconenſi provincia ſponte ſe moventis et ſonum edentis portentum.* XVII. *Mortes illuſtrium virorum, Friderici Willelmi Saxonis ſeptemviratus tutoris, Martini Garcies Hieroſolymitani ordinis principis, cui Adolfus Vignacurius ſuffectus : Jo. Vincentii Pinelli patritii Genuenſis, Tychonis Brahe Dani, Richardi Streinii, Jo. Heurnii, Davidis Chytraei Suevi.* XVIII. *Obitus heroinarum item illuſtrium, Aloiſiae Lotaringae reginae Henrici* III *viduae, Mariae Borboniae Helionori Aureliani Longavillani, Franciſcae Aurelianae Ludovici Borbonii Condaei, Henricae Cliviae Lud. Gonzagae Nivernii viduarum : Joannae Coemiae Franciſci Borbonii Contii uxoris.* XIX. *Delphini Franciae natalis : Annae item Philippi filiae.*

Ex auctoribus,

*Uno et altero ſcriptis ab Angliae ſacerdotibus publicatis, pontificio ſuper ea re diplomate poſtea ſuppreſſo ; Actis Colloquii Ratiſponenſis Ingolſtadii et Witembergae vulgatis, Oſtendanae obſidionis diario, Olivarii Nortii navigatione, Hier. Fran. Conneſtaggii relatione de ultima Algeriae expeditione, Hungaricis relationibus, Jacobo Typotio, Joſepho Texera, Hier. Surita, Strabone, Actis curiae Pariſienſis, Actis curiae Aquenſis, Paulo Gualdo.*

## LIBER CENTESIMUS VICESIMUS SEXTUS.

CIↃ IↃ CI. Henricus IV.

IN Anglia motus inter Catholicorum reliquias exorti, ac poſtremo ipſiſmet pernicioſi haec origo fuit. [a] Gulielmus Alanus honeſta familia in Lancaſtria [1] Eboracenſis dioeceſis natus, cum ab adoleſcentia ſe philoſophiae et theologiae ſtudiis addixiſſet, poſtea ob religionem patria exul [b] Duaci in Belgio in ſacri collegii ſodalitium Philippi II commendatione allectus eſt ; ubi ad educandos et inſtituendos alumnos, qui majorum religionem contra pullulanteis ubique Sectariorum novas opiniones in natali regno tuerentur, eidem Philippo auctor fuit, ut ex Anglicana juventute literis et pietate praeſtantes huic muneri apti deligerentur, ex iiſque ſeminarium conſtitueretur. Quod poſtea a Carolo cardinali Lotaringo [c] Durocortorum Remorum in Galliam tranſlatum fuit. Ex eo cum plerique poſtea in Angliam migraſſent, in arcano Catholicorum reliquias hortatibus et doctrina confirmantes, accidit, ut initis ac detectis frequentibus, ut fit in regno religione ſciſſo, molitionibus, ii non tanquam Catholici, ſed quaſi perduelles et conjurationum in reginam ac tranquillitatem publicam auctores ac conſcii in crimen vocati ſint ; multi etiam ex iis ſupplicio affecti : pro quibus Alanus apologiam ſcripſit, qua eos non perduelleis, quales ad invidiam a Sectariis jactabantur, ſed verae religionis aſſertores ac conſtanteis verae fidei ad mortem teſteis fuiſſe contendit. Poſtea ejuſdem ſuaſu Gregorius XIII Romae in hoſpitali antiquo nationis Anglicanae novum ſeminarium erexit, ejuſque curam Jeſuitis attribuit ; qui ex ea occaſione ſenſim in Angliam prorepſerunt, et non ſolum eandem in confirmandis in fide fratribus ſedulitatem adhibuerunt, ſed quia archiepiſcoporum et epiſcoporum nomina dignitates et bona in eo regno Elizabethae auſpiciis penes Proteſtanteis erant, ſecretam hierarchiam

INTERPR. [a] *Allen, natif de Roſſal, dans la province de Lancaſtre, au dioceſe de Cheſter, dont l'évêque eſt ſuffragant de l'archevêque d'York.* [b] *Douay.* [c] *Reims.*

NOT. [1] *lege* Ceſtrienſis dioeceſis, *ſive* Eboracenſis provinciae.

hierarchiam ordine ſubſidiario conſtituerunt, in eaque principatum, tanquam a pontifice delegati ſibi ſumpſerunt. Quandiu tamen Alanus vixit, qui interim in collegium cardinalium a Sexto v cooptatus eſt, moderate res atque ex diſciplina adminiſtratae. Sed eo ad meliorem vitam migrante anno CIↃ IↃXCIV aetatis ſuae climacterico, cum moderatae auctoritatis caput deeſſet, occulta inter ſecreti preſbyterii ſodaleis diſſidia oriri coepta per aemulationes et invidiam; cum alii ſub regina a ſe aliena religionem in pace ac tuto colere mallent, alii, qui ferventiores in pietatis cauſa videri cupiebant, pro ea afferenda pericula quaevis ſubeunda importunis adhortationibus ſuaderent. Nec regina aliis ſuper alias detectis molitionibus ut eas propulſaret, ſibi deerat, conditis admodum ſeveris edictis, quibus in pontificem, Jeſuitas, ſeminaria, eorumque alumnos, tanquam turbarum ubique incentores, acerbiſſime invehebatur; additis in eos graviſſimis infamiae et mortis poenis. Alano mortuo Franciſcus [a] Toletus ex illo ſodalitio, qui in cardinalium collegium allectus eſt, vir prudentia et ingenii moderatione inſignis temperamentum inter eos tenuit, et occulta diſſidia, ne in apertum prorumperent, quaſi injecto fraeno in ſchola Romana diu prohibuit: ſed Toleto vivis exempto bellum a Jeſuitis contra ſeminarii alumnos redintegratum. Acciditque eodem tempore, ut in Anglia ad [b] Wisbichenſe caſtrum, ad quod Catholicorum reliquiae contractae fuerant, P. [c] Weſtoni ex illa ſocietate ſacerdotis inſtigatu ſupremum imperium in eos adfectantis, res admodum turbarent. Nam cum Anglicani ſacerdotes parere recuſarent, ad pontificem quaſi ſchiſmatici accuſati ſunt, gravibuſque probris onerati tam a Weſtono, quam a Roberto [d] Parſono, qui clancularii machinationibus ante XVIII annos ſeveris contra Catholicos ab Eliſabetha conditis edictis cauſam praebuerat, et periculo expoſitis fratribus mature ſibi fuga conſuluerat: a quo tempore ille miles ignavus, deſertor ille caſtrorum Dei, ſic de eo ſcripſere poſtea ſacerdotes, in tuto poſitus non deſtitit aut libellis contra primarios reipublicae magiſtratus publicatis, aut literis factioſis quietem publicam ſolicitare. Harum pleraeque interceptae, quibus externum ad invadendam Angliam parari militem ſignificabat, et ſucceſſionem regni controverſam exquiſitis ad ſeditionem ciendam argumentis Eliſabethae faciebat.

CIↃIↃCI.
HENRICUS IV.

II. WESTONUS interim rem in Anglia urgebat, et ut per alios, quod ſibi petebat, adſequeretur, ab Henrico [e] Garneto per regnum provinciali auctoratus, Georgium [f] Blackwellum archipresbyterum renunciandum curat, cum ſuprema in cuncta ſeminaria poteſtate. Is ſpe dignitatis alicujus in eccleſia majoris, commendatione Jeſuitarum, qui plurimum gratia Romae poterant, adipiſcendae, ita ſe inter ſacerdotes gerebat, ut nihil niſi auctore et conſultore Weſtono diceret, faceretque, crebriſque literis Romam miſſis Jeſuitas immodicis laudibus apud pontificem et ſacrum cardinalium collegium in majus extollebat; ſolos eos eſſe in Anglia, qui tranſmarinis adventantibus presbyteris praeſto ſint, ab aliis excluſos domo excipiant, nudos veſtitu decenti tegi, pecunia et viatico ubique ſedulo juvari curent. Et cum exigua ſtipes ex piorum eleemoſynis ſuperſit, eos ex propriis patrimoniis, quae ampliſſima habent, egentibus ſubvenire. Ad refocillandos autem et ſolatio ac rebus neceſſariis detentos in carcere juvandos promptiſſime ſemper paratos illos accurrere. Quae falſa, ut aiebant, praeconia a Blackwello ſui oblito et a manifeſtiſſimae veritatis tramite deviante in Jeſuitas ad aucupandam ipſorum gratiam cumulata, poſtea ſcripto confutarunt ſacerdotes; quo inter alia aſſerunt, omneis fere Jeſuitas in Anglia

pauperum

INTERPR. [a] *cardinal de Tolede.* [b] *chateau de Wisbich.* [c] *Weſton.* [d] *Parſons.* [e] *Garnet.* [f] *Blackwell.*

CIↃ IↃ CI. HENRICUS IV.

pauperum parentum filios eſſe, nec illorum quemquam ulla patrimonia habere, ſed aliunde ipſis ex Catholicorum eleemoſynis abunde cuncta ad luxum uſque ſuppetere. Eos vero nullo pacto ad carcerem detentos aut ſtipe aut alloquio juvandos ire, ſed ea cura, ut infructuoſa, aliis ſacerdotibus relicta, nobilium et opulentorum domos, unde major emolumenti ſpes, frequentes circumire. Ea tamen ut vera eſſe pontifici perſuaderent, Jacobum [a] Standiſhum ex ſeminario ſacerdotem in ſuas partes protrahunt, et quaſi Anglicanae eccleſiae ſuffragiis, qui legatione fungeretur, delectum, ſimulata profectionis alia cauſa, ad urbem mittunt. Ubi venit, huic continuo ex Parſoni conſilio duo adjunguntur, qui Romae commorabantur, Richardus [b] Haddocus et Martinus [c] Araius varias ob cauſas Anglia profugi. Hi praeoccupato pontificis ingenio Parſoni ſuggeſtione, et Henrici cardinalis Cajetani Anglicanae eccleſiae protectoris auctoritate, presbyterium novum inauditis ſacerdotibus conſtituunt, cui Blackwellus praeeſſet, XII adjunctis aſſeſſoribus, quorum VI Parſonus Romae deſignandos curavit, aſſumpto in eorum numerum Standiſho; reliqui VI in Anglia eligi debebant, non ſacerdotum Wisbichenſium, ſed Jeſuitarum et novi archipresbyteri arbitrio. Id actum Romae nonis Martii anno CIↃ IↃ XCVIII. Cum novi presbyterii auctoritatem defugerent Anglicani ſacerdotes, exacerbatae contentiones et majori mole quam antea ſciſſura renovata, donec ex ſeminarii collegio duo ſacerdotes delecti ſunt, qui Romam profecti certius de pontificis voluntate cognoſcerent: nam Cajetani cardinalis nomen apoſtolicam auctoritatem praetexentis tantum obtendebatur. Verum ii a Parſono Romae peſſime accepti, a xenodochio Anglorum primum prohibiti, et poſtea in diverſorio publico, ad quod conceſſerant, injurioſe ab [d] Acriſio fiſcali ſatellitum armatorum manum ſecum trahente noctu comprehenſi, ac praeeunte ipſo Parſono in carcerem rapti, ipſo S. Thomae Cantuarienſis die feſto. Nullum probri genus contra miſeros homines omiſſum, Parſono omnia ſumma faciente, ut eos tanquam ſciſſurae in Anglia auctores apud pontificem traduceret. Humanitatis ſpecie ab eo impetratum, ut ſibi in cuſtodiam traderentur. Quod ſacerdotes poſtea interpretati ſunt, non ad infamiam ipſorum minuendam, aut vitanda alia incommoda factum, verum ut Parſonus facilius per illam commoditatem quicquid vellet, ab hominibus ex nutu ſuo pendentibus extorqueret, et amicorum ad eos acceſſum praecluderet; veritus nimirum, ne ſi in publico ad ipſos concurſus fieret, rei veritas per aliquem ad pontificem emanaret, et dirae tragoediae architecti technae admota veritatis face ruerent. Duriter exinde habiti, et cum idem Parſonus et ergaſtularius et judex eſſet, ſacerdotes, in quos ob appellatam ſedem apoſtolicam manus injici curaverat, etiam ſacris omnibus interdixit, ita ut ſacra facere aut audire in ipſis Dominicis aliiſque celebrioribus Circunciſionis et Epiphaniae diebus feſtis, quanquam ſcholae ſepta egredi ad ea facienda minime neceſſe eſſet, quandiu Romae fuerunt, per eum minime licuerit. Scrutatus cuncta captorum ſecreta, etiam eorum ſcripta cenſurae poena addita incunctanter ſibi tradi petit, et ut ordinarii magiſtratus moleſtiam allevaret, ultro examinationis partes ſibi ſumpſit, reſponſa illorum pro arbitrio ſuo ſubinde mutans et interpolans; et ut majorem ipſis invidiam conciliaret, rebus reorum diligenter conquiſitis, lineas tunicas, ſoccos, ſudaria, ligulas ſericas in publicum protulit, mollitiem et delicatiorem cultum per ea exprobrans; qua re fieret, ut in vinea Domini excolenda ſegniores eſſent. Nuncio rei in Angliam allato, mira animorum ſecuta inclinatio, Jeſuitis nullum non lapidem moventibus, ut pollicitis, minis, nec non et muneribus ſacerdotes victi novam ordinationem nominibus ſuis in chartula inſcriptis adprobarent. Sub id a Cajetano et Camillo Borgheſio cardinalibus venere literae,

INTERPR. [a] *Standiſh.* [b] *Haddock.* [c] *Ayray.* [d] *Acriſio fiſcale.*

literae, quibus ſanctae ſedis nomine praecipiebant inquiri, et horum nomina qui ſubordinationi refragari dicebantur, ac facti rationes deſcribi, atque quamprimum Romam tranſmitti. Quibus lectis multi pejora veriti ſubſcripſere, facti tamen rationes a quibuſdam explicatae et ſcripto mandatae. In quod Thomas [a] Liſterus ex Jeſuitica ſocietate libellum admodum virulentum conſcripſit, quo ſacerdotes ſciſſurae reos peragit, multis inſuper criminibus in eos cumulatis: libellus a Provinciali et Blackwello probatus per omne regnum volitate coepit; ejuſque auctoritate factum, ut a Catholicorum conſortio ſacerdotes excluderentur et ad extremum facultatibus privarentur. Has in anguſtias redacti cum graviorem, ut aiebant, a Jeſuitis et archipresbytero, quam ab Sectariis adverſariis perſecutionem paterentur, et viderent Aſſeſſores etiam ſeniores ſententiae de ſciſſura in ſe latae apertis verbis contradicere, quanquam tepide et formidoloſe, ne odia praepollentium Jeſuitarum in ſe accerſerent, ab archipresbytero petunt, ut colloquio inter partes conſtituto diſſidium dirimatur. Cum non adſentiretur, archipresbytero ſe ſubjecturos poſtremo polliciti ſunt, ſi duo vel tres ex Jeſuitico ſodalitio verbo ſacerdotis adfirmarent novam presbyterii ordinationem ex certa ſcientia, juſſu, auctoritate, et plena cognitione a pontifice habita fuiſſe inſtitutam. Cum nullae conditiones admitterentur, ad extremum ſacerdotes gravari ultra modum ſe ſentientes ad ſedem apoſtolicam appellant, et appellationis inſtrumentum ad Blackwellum tranſmittunt, a quo pro reſponſo poſt biduum ſententiam ſuſpenſionis acceperunt. Non latebat ſeminarii alumnos et ſacerdotes, ipſius Parſoni aſtu et auctoritate, quam in hoc negotio ſibi arrogabat, praecluſum omnem ad ſuam ſanctitatem aditum. Tamen conſilio clam Londini habito inter eos decretum, ut rurſus e gremio ſuo fratres duos electos Romam legarent, qui appellationis cauſas coram pontifice diſertius explicarent; iique nihil ſociorum periculo territi onus libenter ſuſceperunt: ſatius exiſtimantes quaſvis injurias vel in urbe Petri in ſe ultro recipere, quam ſua ignavia committere, ut appellandi ad ſedem apoſtolicam libertas eccleſiae Anglicanae negata dici poſſet. Et ſane mirum videbatur, ſacerdotes in Anglia ob id maxime invidiae et poenis expoſitos, quod praecipua veneratione, cultu et obedientia pontificem et ſanctam ſedem proſequerentur, et tamen iiſdem ad ſuam ſanctitatem in cauſa, de qua amplius cognoſci ſummiſſe petebant, confugientibus a patribus Jeſuitis et archipresbytero acceſſum praecludi. Itaque vulgari ab adverſariis cachinno paſſim jactabatur, portus Anglicanos ſacerdotibus Romam ituris jam non amplius obſtrui debere; quippe quo minus eant, plus Parſoni unius metu, quam ulla regiorum edictorum auctoritate prohiberi. Tandem poſt anni vertentis indignas concertationes Parſonus, qui captivis ſacerdotibus in aula illa regnabat, breviculum a pontifice VIII Eid. April. impetrat, quo cauſa minime diſcuſſa, neque auditis legatis ordinatio a Cajetano facta confirmabatur. Quo accepto ſacerdotes in Anglia protinus ab omni contentione deſierunt, et ſe Blackwello tanquam archipresbytero a ſancta ſede conſtituto, quod antea in dubium revocabant, in poſterum dicto audientes fore polliciti ſunt. Sed non contentus hac victoria archipresbyter dum victis inſolentius inſultat, et publicata per Angliam contumelioſa epiſtola, reconciliatis ſacerdotibus, quos et adhuc ſchiſmaticos nominat, abſolutionis beneficium denegat, renovatae majore quam antea acerbitate emortuae contentiones. Cumque nullas preces aut conditiones Jeſuitae, qui circa ipſum erant, admitterent, ſeque inexorabileis praeberent, ſacerdotes, ut omnem offenſionis erga plebem occaſionem tollerent, ſeque a ſciſſurae, quod invidioſe objectabatur, crimine purgarent, cum ab archipresbytero non audirentur, ad Pariſienſis academiae jure conſultandi in hujuſmodi negotiis toto Chriſtiano orbe celeberrimae theologos

CIƆ IƆ CI.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Liſter.*

CIϽ IϽ CI.
HENRICUS IV.

theologos mittunt; multum rogantes, ut precibus et ingenti Anglicanae eccleſiae calamitate permoti ſuam de ea controverſia dignarentur proferre cenſuram. Igitur III Kal. Jun. anno ſuperiore delecti theologi Lutetiae in majoris apparitoris domo convocati. Re agitata, an ſacerdotes, qui cardinalis mandato de obedientia archipresbytero a ſe conſtituto praeſtanda, quod ex voluntate ſummi pontificis ſe feciſſe aiebat, non ſubſcripſiſſent, in ſchiſmaticorum crimen incurriſſe et graviter peccaſſe viderentur? unanimi conſenſu cenſuerunt, primo ſacerdotes illos, qui diſtulerant obedire, non eſſe ſchiſmaticos: deinde eo facto in ſe perſpecto prorſus non peccaſſe. Sententia accepta cum ſe intus, foriſque tutos putarent ſacerdotes, eam ad archipresbyterum et Jeſuitas deferunt, qui ſpreta tanti nominis theologorum auctoritate protinus decreto edito illam convellunt, et ſuſpenſionis ac bonorum amiſſionis poena addita prohibent, ne quis eam licet cognita plene cauſa prolatam tueri audeat. Decretum executioni mandatum: et quia ſacerdotes ad pontificem denuo legationem decreverant, archipresbyter ex Jeſuitarum conſilio x, et in iis Joannem [a] Collingtonum, Joannem [b] Muſheum, et Anton. [c] Heburnum, qui ad ſanctam ſedem appellaverant, a rebus ſacris ſuſpendit, et amiſſione facultatum mulctat, interdicto omni cum Catholicis commercio, ſtatuitque, ut ſi quis deinceps adverſum ſe et Jeſuitas paratus ſit dicere, ad ſe accedat; omni ad ſuperiorem judicem prohibita appellatione. Varia item edicta poenalia in parere detrectanteis condit. Poſt tam ſevera et iniqua judicia cum nullam niſi in pontificis benignitate ſpem reſiduam viderent ſacerdotes, e gremio ſuo legatos Romam mittunt cum mandatis, quibus ſciſſurae et contentionum in Anglicana eccleſia nuper excitatarum in Jeſuitas et novum ab iis ex falſa ſuggeſtione creatum magiſtratum culpam rejiciebant. Nam ante eorum in inſulam adventum, ſuperſtite Alano, altam inter Catholicos pacem et concordiam viguiſſe. Duorum ſeminariorum Remenſis et Romani, quorum illud CC, hoc LXX alumnos habebat, famam ſecundam fuiſſe. Ad ea ex Angliae academiis et cunctis regni illius provinciis ſelectiſſimos confluere ſolitos, qui pari gratulatione a ſociis recipiebantur. Tunc laeſae majeſtatis adhuc inaudita crimina, nec in ſcholarum alumnos ne a nequiſſimis quidem accuſatoribus objecta, leges capitaleis in ſacerdotes Anglicanos, eorumque receptores nondum promulgatas; ubi Jeſuitae ſe ſocios adjunxere, paucos in multorum labores involaſſe, et quod alii ſeminaverunt, ſine labore meſſuiſſe. Poſtea ubi accenſum inter Catholicos periculum ſuo facto videre, mature ſe recepiſſe, et deſerta Dei militia extra ſolem et hujus certaminis pulverem in tranſmarinas regiones conceſſiſſe, ibique ex religioſis viris licitatores regnorum repente factos omnibus praeferri ambiviſſe; praecipuos magiſtratus acerbiſſimis verbis adortos eſſe; de regno per externum militem invadendo literas ſparſiſſe; de ſucceſſione controverſa, quod poenis capitalibus vetitum eſt, ſcripſiſſe et edidiſſe volumina. Ea re factum, ut cum Catholici ad tribunal raperentur, raro de religione, ſemper de republica interrogarentur, et omnia fere quae circa civilem adminiſtrationem a patribus dicta factaque erant, in reorum perniciem retorquerentur. Ipſos autem ſatis habuiſſe, aliis periculo expoſitis, penes ſe auctoritatis et prudentiae famam retinuiſſe, quaſi de regnis evertendis, transferendis, ſtabiliendis, arbitri cum ſuprema ſint conſtituti poteſtate, fruſtra illos de novis a ſe ſeminariis erectis gloriari. Nam Romano et Duaceno magna ab illis illata damna, et pauciores nunc ex pluribus illis operarios in meſſem Anglicanam mitti, quam antea ex Remenſi et Romano ſolis olim mittebantur. Interea hoc unum eos agere, ut quos inter juvenes literis operam danteis praeclara indole, ingenio et eruditione excellere perſpiciunt, in ſuam ſocietatem relicto priore propoſito paulatim miro aſtu ſeducant.

Hinc

INTERPR. [a] *Colleton ou Collington.* [b] *Muſh.* [c] *Hepburn.*

Hinc ſecreta ſubinde ac querula aliorum murmura; hinc ſimultates et contentiones non ſine livore exortas, dum vel alumni antiquam in patriam charitatem elangueſcere ſentiunt, vel Jeſuitae eos, qui praemiis et pollicitationibus ſe vinci non patiuntur, variis modis vexant. Hoc piſcationis genus animadvertiſſe ſanctae memoriae cardinalem Borromaeum, eorumque ambitionem averſatum, in ſua dioeceſi Mediolanenſi ſeminariorum curam Jeſuitis ablatam ſaecularibus ſacerdotibus propterea commiſiſſe. Praeterea experimento conſtitiſſe, quandiu illi in Anglicana eccleſia rerum potiti ſunt, ſtipem parce et miſere inter egenos et in carceribus captivos diſtributam eſſe; cum interim ipſi omni re diffluerent; idque proverbio locum dediſſe, quo vulgo dicitur, Jeſuitas paupertatis voto, alios ſacerdotes Catholicos ipſa paupertate, diſtingui. Interim Catholicos, qui erga ſacerdotes ſe liberaleis aut hoſpitaleis praebent, verbo ſcriptoque indigne ab iis lacerari; eos vero, qui a partibus Jeſuitarum ſtant, ut fidei ſuae ſpecimen edant, nullo non maledicentiae genere innocenteis homines petere: eoque fieri, ut plurimi ſacerdotes vel inviti, lingua calamoque vitam et exiſtimationem tueri cogantur, ne fama pereunte, etiam ad vitam neceſſaria deficiant. Nam mutua illa laniena in dies contentiones exacerbari, ſuſpicionum novam ſegetem enaſci, extinctaque priſtina laetitia luctum et triſtitiam in omnium vultibus notari, paulatimque venerationis, quae integra concordia inter ipſos vigebat, loco, contemptum ſuccedere et in ſacerdotes effundi, qui aut e Jeſuitarum ſchola non prodierunt, aut ex eorum nutu minime pendent. Tantam ſiquidem eorum eſſe fiduciam, ut in urbe omnia impune ſibi licere; et per Parſoni ingenium, aut aliorum, quos in curia Romana habent, amicorum favorem, ſupplices, ne audiantur, excludere ſe poſſe jactitent. Multa Catholicos a temporibus Henrici VIII in Anglia perpeſſos, nulla graviore quam ab hac ultima concertatione eos calamitate conflictatos. Sub Gregorio XIII Anglicanam eccleſiam inter civilis magiſtratus vexationes aliquandiu reſpiraſſe, donec Jeſuitae viri in apoſtolica curia potentes et jam conciliata ſibi celebritate famoſi a ſancta ſede obtinuerunt, ut archipresbyter cum infinita ſive arbitraria poteſtate in ea conſtitueretur, hoc ſedulo interim quaerentes, ut ipſimet non ordinario et vulgari praeſulum titulo in eccleſia dominatum arripiant. Nam eas dignitates ex inſtituto reſpuere: ſed ut inuſitata juxta et verſutiſſima dominandi ratione univerſo clero praeſint. Sic enim eos inconſulto presbyterio praeſules creare, et rei eccleſiaſticae moderamen ita ad ſe contrahere, ut ex ſolis ſocietatis ſuae ſodalibus, non a clero ipſo pendeat, tractuque temporis eo res deventuras, ut ipſi, quod eſt genus inauditum religioſae humilitatis, praeſulibus omnibus praeſint. His et aliis rationibus verboſo ſcripto explicatis a pontifice enixe petebant, ut de appellatione mature cognoſceret, et ut ea plene diſcutiatur, judices non in Belgio, ubi graveis ob ſuſpiciones Anglicanis ſacerdotibus tuto comparere non licet, ſed in aliquo Galliae angulo Britanniae vicino darentur, apud quos ſupplices cauſam dicturi ſe tempore condicto ſiſtere tenerentur. Cauſae ſuſpicionum adjectae, quod Jeſuitae Anglos ſacerdotes apud Iſabellam Infantem traduxiſſent, quaſi juri, quod in illius regni ſucceſſione ſibi arrogat, adverſarentur. Mandatum hoc literae a Joanne [a] Muſheo presbytero Romano ad D. Morrum ſcriptae praeceſſerant, quibus Anglorum petitiones ad quatuor capita referebat: ut videlicet epiſcopus cum ſuffraganeis aliquot in Anglia presbyterorum communibus ſuffragiis, non ex Jeſuitarum ſententia crearetur; qui ſacrum chriſma, cujus in ſacramentis multus uſus eſt, conficeret; ſacerdotes ordinaret cum legitima poteſtate; et

INTERPR. [a] *Muſh.*

CIƆ IƆ CI. HENRICUS IV.

et quod in archipresbytero inſolens erat, eccleſiae praeeſſet. Inſuper petebat, ut ſeminarii Romani cura Jeſuitis adimeretur: multa in eam rem contra Jeſuitarum ambitionem et livorem addita, quae et Alanus vivens providiſſet, nec de ſciſſura metuens caviſſet. Tertium poſtulatum erat, prohiberet ſua ſanctitas, ne libri de rebus quae ad ſtatum reipublicae et reginae ac magiſtratus offenſionem ſpectant editi, in Angliam tranſmittantur: qua in re Parſonus graviſſime peccaſſet, et extra periculum poſitus ſocios in diſcrimine verſanteis manifeſto exitio ſaepius, ſive imprudentia, ſeu veſania ſua expoſuiſſet. Ultimum, ut ſua ſanctitas ſacerdotibus in Anglia poteſtatem faceret leges ſibi et ſtatuta condendi, juxta quae Catholici libere inter ſe agere, convenire, et populum in obſequio ſancita concordia continere valeant. Scripſit et pro fratribus ſub jugo novae ordinationis gementibus apologiam ad cardinalem [a] Borgheſium Robertus [b] Charnoeus, qui poſtea Cajetani et ipſius Borgheſii juſſu in Anglia faceſſere juſſus eſt. In eo inter alia queritur, eleemoſynas, quae per univerſum regnum in uſum captivorum et egentium erogantur, in Jeſuitarum et archipresbyteri prius manus deportari, quam in pios uſus diſtribuantur: eas autem ad carceres mitti cum ſecreto mandato, ut illi ſacerdotes, qui ab eis non ſtant, iis minime participent; eo nimirum conſilio, ut captivi aut fame ſibi pereundum, aut archipresbytero ad omnia parendum intelligant. Inter hos contentionum aeſtus exacto toto quadriennio tandem Clemens VIII melius conſultus, cum Jeſuitarum non ſolum infructuoſos in eo regno conatus, ſed eorum nimiam pertinaciam ad rei Catholicae perniciem vergere intelligeret, diplomate anno ſequenti ad Georgium Blackwellum archipresbyterum, qui his turbis cauſam praebuerat, miſſo, eum monuit, ut poteſtate ſibi commiſſa caute et prudenter in poſterum uteretur, neque mandati fineis, ſicuti feciſſe videbatur, egrederetur. Nullam in presbyteros, qui ſeminariorum alumni non eſſent, aut contra ſolutos juriſdictionem exerceret, facultate adempta infligendi cenſuras, aut ſtatuta condendi, aut contra ſacerdotes ad ſedem Romanam appellanteis procedendi, niſi prius conſulto regni Anglicani protectore, et ſententia ejus exſpectata. Inſuper praecipit, ut nulla negotia ad adminiſtrationem ſuam pertinentia cum provinciali ſocietatis Jeſuiticae, aut cum viris religioſis ejuſdem ſodalitii per literas, aut coram communicet, revocatis ea de re quae a cardinali Cajetano habuerat, ſecretis mandatis; ſed de iis omnibus ad pontificem et ſedem Romanam, aut protectorem referat: non quod ſiniſtri aliquid de viris religioſis ſuſpicetur, quos ſciat ſincero pietatis affectu duci, et quae Dei ſunt, vere quaerere; ſed quod pro pace et quiete inter Catholicos in regno Angliae tuenda ita convenire judicet, ſicuti etiam ipſi Jeſuitae verum eſſe, atque expedire cenſuerunt. Tertio et monetur, ut eleemoſynas, quae quotannis ex fidelium largitione copioſae proveniunt, egentibus ac praeſertim iis, qui pro fide Catholica carceribus attinentur, large et bona fide eroget; et appellationibus ad pontificem et ſedem apoſtolicam interpoſitis, quibus de jure deferendum erit, deferat. Poſtremo ad omnem hujus controverſiae abolendam memoriam, libros contra inſtitutum ſocietatis Jeſuiticae et ſingulos illius ſodalitii ſacerdotes typis ubicunque mandatos damnat, ac prohibet, et quicunque in alterutram partem criminoſi vel injurioſi reperientur. Neve alteri in alteros deinceps ſcriptis editis invehantur, excommunicationis et bonorum amiſſionis addita poena ſancit. Tum ad ſacerdotes Anglicanos converſa oratione hortatur, ut paci inter ſe ſtudeant, idem ipſi invicem ſentiant, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes; evangelicam praedicationem in charitate Chriſti ſuſceptam per evangelicam pacem in eadem charitate colant; proinde ſe mutuo diligant, nemini dent offenſionem

INTERPR. [a] *cardinal Borgheſe.* [b] *Charnock.*

offenſionem, nemini malum pro malo reddant; videantque ne miniſterium, quod tot laboribus exantlatis ad Dei gloriam exercuerunt, in ipſis vituperetur. Id actum III Non. Oct. a quo tempore inter Catholicos, aliquandiu pax alta in Anglia fuit.

III. In Germania quoque ſub id religionis negotium agitatum fuit, inſtituto Ratiſponae colloquio inter theologos a Maximiliano Baioariae duce miſſos Albertum [a] Hungerum, Antonium [b] Velſerum, Wolfangum Hannemannum, Jacobum Gretzerum, et Adamum Tannerum, e Jeſuitico ſodalitio; et confeſſionis Auguſtanae ſocios a Philippo [c] Ludovico Baioariae duce Neoburgenſi et Weldentii comite itidem miſſos, Jacobum et Philippum [d] Hailbroneros, Abrahamum [e] Mannam, Tobiam [f] Brunonem, [g] Magnum Agricolam, Chriſtophorum [h] Moroldum, Davidem [i] Schramium, Henricum [k] Tettelbachium; a Chriſtiano II Saxone ſeptemviro ad hoc Aegidius [l] Hunnius, David [m] Rungius, Jo. [n] Fladungus Winarienſis; a Joachimo Friderico Brandeburgico ſeptemviro Abdias [o] Wiknerus, Laurentius [p] Laelius; a Friderico Wirtembergico principe Andreas Oſiander, Felix Bidenbachius venere. Principium colloquio factum IV Kal. Dec. idque ad VII uſque Eid. Dec. continuatum, et XIV ſeſſionibus abſolutum fuit; in quibus de ſacrae Scripturae auctoritate quaeſtio retractata fuit, cum eam utpote ſolam et unicam fidei normam ad ſalutem aeternam, controverſias religionis dirimendas, cultum verum aſſerendum ſufficere, adductis patrum teſtimoniis Auguſtani contenderent. Alii contra aſſererent, Scripturam non eſſe judicem omnium controverſiarum et fidei; ſed hoc unum ad ſummum pontificem Romanum, Petri ſucceſſorem et Chriſti vicarium pertinere, cujus in his rebus definitio ſive cum concilio, ſive abſque concilio, errare non poteſt; et Scripturam quidem religionis irreprehenſibilem normam eſſe, ſed non ſolam et unicam; ac praeter eam neceſſario admittendas eſſe traditiones, eccleſiae definitiones, et doctorum orthodoxorum conſenſum. Teſtimonia in eam rem ex patribus et jure pontificio commutata. Poſt longas altercationes re tandem infecta diſceſſum eſt, et publicata ab utraque parte colloquii acta Ingolſtadii et Witembergae.

IV. In Belgio proximo armorum principium a Mauritio ad [q] Berkam Rheni factum, quam Lud. Ferdinandus Davalus valido peditum ex omni natione praeſidio tenebat. Tantum L equites cum eo erant, [r] Bombergo ductore, qui crebris excurſionibus cuncta circum vaſtabant, aeque amicis ac hoſtibus infeſti. Ordines cum in Tranſiſelana regione ac vicinis provinciis gravia damna acciperent, ob eamque cauſam vectigalia ſua in dies imminui viderent, ad locum capiendum vireis et conſilia convertunt. Secundum haec Mauritius cum XVI CIƆ bellatorum, in queis II CIƆ equitum erant, VI Non. Quintil. ad Berkam caſtra ponit, et contra obſeſſorum eruptiones omnemque externam auxiliarium vim, foſſa, et vallo aliiſque feſtinatis operibus admiranda ſolertia munit. Dum in iis laboratur, praeſidiarii aliquoties egreſſi, et damno illato, ac majore accepto ad extremum ſemper repulſi ſunt, ita ut ab omni eruptione deinceps abſtinuerint, munitiones pro moenibus oppidi exſtructas tueri contenti; quibus ſuffoſſis et vi pulveris admoto igni diſſipatis, cum idem periculum vicinis moenibus immineret, Davalus Albertum de re omni certiorem facere ſtatuit, per homines locorum gnaros, qui noctu Rhenum natatu cum ſuperaſſent, juxta [s] Geldram Hiſpanorum praeſidium ab occurrentibus Mauritianis equitibus diverſis locis capti ſunt, et tanquam exploratores ſupplicio affecti. Quanquam annonae abunde

INTERPR. [a] *Hunger.* [b] *Welſer.* [c] *Louis de Baviere, duc de Neubourg, & Comte de Weldentz.* [d] *Hailbruners freres.* [e] *Manne.* [f] *Braun.* [g] *Magnus Agricola.* [h] *Morold.* [i] *Chytr. met de Seelman.* [k] *Dettelbach.* [l] *Hunnius.* [m] *Rungen.* [n] *Fladungen de Weinmar.* [o] *Wikner.* [p] *Lelius.* [q] *Rhinberck.* [r] *Bomberg.* [s] *Gueldre.*

CIƆ IƆ CI. HENRICUS IV.

abunde erat in oppido, multa tamen neceſſaria deerant: nam crebris diſploſionibus plerique ex praeſidio ſauciati, aut vigiliis confecti, medicamentis et fomentis ad vulnerum et morborum curationem deſtituebantur. Cum igitur ad ſummas anguſtias ſe redactum videret Davalus, omni ſpe auxiliorum praeciſa, poſt amiſſas externas munitiones juſſus a Mauritio deditionem facere, conditiones ab eo propoſitas ſibi tradi petiit, iiſque perlectis, cum non ita iniquae viderentur, acceptis obſidibus, Bombergum cum Italo ordinum ductore ad Mauritium mittit; qui poſt multas altercationes tandem convenere, ut oppidum dederetur, militi, nautis, quo genere hominum oppidum illud frequens, aliiſque cujuſcunque conditionis libere exeundi cum armis, ſarcinis, impedimentis facultas eſſet: Davalus II machinas campeſtreis, II pulveris nitrati amphoras, L globos ferreos ſecum abduceret. Aegris, qui vel vulnerum vel morbi atrociore vi vecturam ferre non poſſent, tantiſper in oppido dum convaleſcerent, manere liceret, poſteaque incolumes in tutum deducerentur. Aes alienum obſidionis tempore contractum praefectus lueret, ex iis bonis, quae antea fiſco erant illata. Aratoribus et ruſticis, quibus pecora a praeſidiariis non jure belli erepta fuerant, ut ſatisfieret, apud Albertum inſtaret. Oppidani, qui alio commigrare vellent, intra bimeſtre de rebus ſuis ſtatuerent: captivi, ubi de impenſis ſatisfeciſſent, ſine alio pretio utrinque dimitterentur. His tranſactis pridie Kal. Sextil. Davalus cum CIƆ CC bellatoribus egreſſus, CIƆ in obſidione deſideratis, [a] Trajectum ad Moſam ſine injuria profectus eſt. Mox opera et caſtrorum munitiones juſſu Mauritii complanatae, et inſtauratae oppidi ruinae. Inde [b] Meurſiam Aemiliae Walburgae comitiſſae morte donationis titulo ad Mauritium delatum caſtellum, quod a Jo. Willelmo Cliviae duce tanquam beneficiarium fuerat occupatum, duci placuit: eaque in re Ordines dum Mauritio gratificari cupiunt, etiam rebus ſuis redacto in poteſtatem loco ad res gerendas opportuno optime conſuli exiſtimaverunt. Praefectus a feciali deditione imperata, tempus, dum Clivium ducem certiorem faceret, petiit; quo negato cum ſe imparem adverſus tantam vim videret, neque ut ſe armis defenderet in mandatis haberet, matura deditione ſibi conſuluit, et oppido atque arce Mauritio traditis cum milite et omni re ſua incolumis dimiſſus eſt. Magna cura loco muniendo impenſa ab Ordinibus Mauritii inſtigatu. Interimque controverſia eo nomine inter Clivium ducem, Mauritium, et Ordines excitata ad Spirenſis camerae judicium delata eſt. Capta Berka, et Meurſia, copiiſque in aeſtiva diſtributis Mauritius ſecundo flumine Bataviam devehitur, ut conventibus, qui Hagae celebrabantur, intereſſet.

V. EODEM tempore, quo ad Rhenum Ordines rem gerebant, Albertus a Flandriae ordinibus jampridem ſolicitatus conſilium de Oſtenda obſidenda toties agitatum, et a Parmenſi tanquam eventus dubii rejectum, tentare ſtatuit. Oppidum eſt in litore Flandrico ad [1] occaſum poſitum, unde illi nomen, III leucis a [c] Neoportu, et IV horarum itinere a [d] Brugis diſſitum; quod amniculo [e] Hiſperla alluitur, qui [f] Diſmunda labens ſupra Neoportum reflexo curſu in mare ſe abſcondit, ſinumque efficit capiendis navibus idoneum: inſuper canalem habet, [g] Gulam vulgo dictum, a mari in terram erumpente non ita pridem excavatum, per quem tanquam per perennem fluvium quovis tempore naves multorum doliorum capaces accedente aut recedente aeſtu commode exeunt et ingrediuntur. Per has turbas crevit oppidum, cum tantum olim a piſcatoribus habitaretur; confluentibus eo, quae [h] Sluſis et Brugis aliiſque

INTERPR. [a] *Maeſtricht.* [b] *Meurs.* [c] *Nieuport.* [d] *Bruges.* [e] *Yperlee r.* [f] *Dixmuyde.* [g] *Gueule.* [h] *l'Eſcluſe.*

NOT. [1] *dele* occaſum, *lege* ortum. Oſtende a pris ſon nom de la ſituation du lieu, comme eſtant à l'Oſt-Ende, i. e. le bout d'Eſt de ce quartier; ou parce qu'elle eſt ſituée en la partie orientale de Flandre. *Put.*

aliiſque locis migrare cogebantur, pleriſque familiis, incolis auctum, anno CIↃ IↃ LXXII primum portis claudi, et longuriis undique paliſque ligneis contra externam vim cingi coepit. Sexennio poſt Ordinum decreto pomoerium ampliatum et aggeribus firmatum fuit. Parmenſis anno CIↃ IↃ XXCIII poſt Neoportum expugnatum cum ad Oſtendam caſtra poſuiſſet, ſitum loci contemplatus et profugorum pertinaciam veritus poſt quinque dierum moram ab obſidione diſceſſit, neque ut ad eam rediret, deinceps ullis Flandriae ordinum precibus aut conditionibus adduci potuit. Biennio poſt ſummo in diſcrimine verſata eſt a Valentino [a] Pardeo Mota fere intercepta; qui Gravelinga cum delectis necopinato advolans vetus oppidum ad aeſtum maris expoſitum longuriis tantum vallatum primo impetu cepit; ſed virtute incolarum inde dejectus, non ſine magna ſuorum ſtrage, recipere ſe coactus eſt. Ea pars mox periculo territis oppidanis majore ſtudio firmata, [b] colliculis arenariis, qui quaſi oppido propter altitudinem imminebant, complanatis, et liberiore reciprocantis maris acceſſu ad oppidum parato. Ab eo tempore Oſtenda manſit intacta, uſque ad annum CIↃ IↃ XCVI, quo Albertus poſt captum [c] Caletum eo vireis converſurus putabatur. Itaque validum praeſidium ab Ordinibus in oppidum introductum cum copioſo commeatu. Quo cognito, Albertus ad Hulſtum caſtra poſuit. Inde majoribus operibus muniri locus coeptus, ex quo praeſidiarii cum continuis excurſionibus totam provinciam graviter vexarent, neque exſtructis circum munitionibus fraenari poſſent, eo majore contentione ordines ejus apud Albertum inſtiterunt, ut totis viribus eum adoriretur, in eamque rem commeatum et ingentem pecuniae vim ſingulis menſibus, quandiu obſidio duraret, exſolvendam polliciti ſunt. Igitur exſtructis longius ab Oſtenda ad [d] Neodamum, Leffingam, Snaskerkam, Plaſſenthalium, Stalhillam, Altenburgum, Neomunſteram, Blakenbergam, Neovegiam caſtellis; propius [e] Alberto, Iſabella, Groſſendurſto, Clara, Columba, et Bredena novis aedificatis munitionibus, quarum Bredena ampliſſima, Albertina firmiſſima habebatur; Albertus ut Ordines a [f] Berkae ad Rhenum obſidione revocaret, cum toto exercitu ad Oſtendam venit III Non. Jul. praemiſſo Friderico comite [g] Bergenſi cum delectis IV peditum legionibus, et Auguſtino Mexia arcis Antuerpianae praefecto cum quinque: ab ea oppidi parte, qua [h] arenarios tumulos ad ortum habet, conſederunt, et poſtridie IV tormentis, quae ſecum duxerant, fulminare coeperunt. Erant in oppido XXI ſigna, quibus [i] Nothius tribunus praeerat. Incolae mox ſumma alacritate et concordia ad defenſionem obfirmatis animis uxores, liberos, et imbellem turbam in Zelandiae proximas inſulas amandant, et Mauritium de re omni certiorem faciunt; qui ſtatim auxiliareis ex caſtris miſit. Franciſcus Veerus eques, vir ſtrenuus univerſis praeeſſe juſſus, qui XII ſigna Anglorum ducebat. Huic adjunctus [k] Uchtenburgus tribunus cum VII Batavorum et aliquot aliarum nationum ſignis, ita ut ad XXXIV omnino numerarentur. Ii cum ſecundo Rheno ad [l] Dordracum ſolviſſent, Eid. Jul. intra Oſtendam incolumes per ſeptentrionalem portum accepti, ac ſeptimo poſt die CIↃ IↃ Angli ex Britannia venere, qui XII ſignis accenſiti fuere: his copiis fretus Veerus eruptionem tentat, coeptumque ab hoſte vallum diſturbat, [m] Monroio occiſo, et Auguſtino Mexia in manu vulnerato. Poſtea VIII Kal. Sextil. ad [n] locum ad occaſum obverſum, qui ſuperiore anno

Mauritii

INTERPR. [a] *de Pardieu, Sr de la Motte.* [b] *les Oſt Dunes, i.e. les Dunes orientales.* [c] *Calais.* [d] *forts de Nieudamme, Leffinge, Snaskerke, Plaſſendale, Stalhille, Audenbourg, Nieumunſter, Blanckenberg, & Nieuwegen.* [e] *forts d'Albert, Iſabelle, Grottendurſt, Claire, Colombe, & Bredene.* [f] *Rheinbergen.* [g] *Van-den Berghe.* [h] *Oſt Dunes.* [i] *le colonel Vander Noot.* [k] *Huchtenbroeck.* [l] *Dort.* [m] *de Monrey* [n] *à coſté du Poldre vers les Weſt-dunes.*

CIƆ IƆ CI.
HENRICUS IV.

Mauritii juſſu deſolatus fuerat, foſſam duxit, et extructis in ponte [a] vaccarum munitionibus milite firmavit. Ad eum poſtridie ab Hiſpanis factus impetus, cujus is exitus fuit, ut loco potirentur, ſtatim eruptione obſeſſorum deturbati; eoque in conflictu plus cccc ex ipſis perierunt, ut ex captivis cognitum fuit. Sed hoc ex illa nova munitionum ſtructione incommodum ſecutum eſt, ut excavatis tot foſſis aqua inundaverit, et portum diu inutilem reddiderit, uſque ad Joannis [b] Duvenvordii adventum, qui rationem monſtravit, qua juxta ſeptentrionalem portum appellentes per [c] Gulam naves invecta ad orientalem portum exponerent. In caſtris occaſum ſpectantibus omnia penes [d] Catrium erant, qui vallo promoto jam foſſae urbis propinquabat, cum xv naves commeatu onuſtae, et mox iv aliae advenerunt, fulminantibus interim Hiſpanis, et tormentorum ictibus ſtrageis aedium paſſim edentibus; adverſus quae ſpecus intus parati, quibus tuti defenſores irritos machinarum ictus diu contempſerunt. Ad [e] Santillam dein promoto vallo vim verterunt, et tormentorum diſploſione infeſta quaſſarunt: ſed ingenti maris ſe effundente aeſtu, ita ut aqua ad dimidium murum late reſtagnaret, retardatus impetus, et caſtra longius in editiorem locum tranſlata.

VI. SUB id rex qui pace cum Sabaudo facta jam Lutetiam redierat, limitis luſtrandi, tam vicino Alberto, cauſam praetexens, atque ſicuti Albertini interpretabantur, ut ex propinquo Oſtendae obſeſſis animos majores auxiliorum ſpe faceret, Caletum profectus eſt, magno procerum comitatu. Ibi dum eſſet, Philippus [f] Croius Sorae comes, officii ſpecie ad ipſum Archiducum nomine venit. Rex viciſſim ad eos reſalutandos Henricum Emmanuelem Lotaringum [g] Aquillionis ducem legavit. Eodem tempore cum [h] Edmondus a regina Anglorum veniſſet, rex itidem Carolum [i] Guntaldum Bironi ducem in Angliam ad Elizabetham miſit, quem magnus procerum numerus ſecutus eſt, in iiſque Carolus [k] Valeſius Arvernorum comes, magna gratulatione ab regina acceptus, et inſigni pompa in aulam admiſſus; poſtea, et in ſecretum etiam, quod raro cuiquam ab ea conceſſum, dum comeretur, introductus eſt. Inter convivia, choreas, haſtiludia, pompas nocturnas, venationes, extractis aliquot ad oblectamentum diebus, Elizabetha cum regis coram alloquendi ſe impotenti deſiderio teneri oſtenderet, et hoc negato magni ſolatii loco accipere ſe diceret, quod virum virtute praeſtantem, et qui tot egregie factis late nominis ſui famam dididiſſet, coram videre et complecti liceret; accidit, dum cum eo ad feneſtram palatii ſtans in arcano loquitur, utriuſque oculi in turrem Londinenſem conjicerentur, viſiſque tot ſupplicio affectorum capitibus affixis, illa ut ſaevitiae invidiam a ſe Anglicoque nomine amoliretur, de juſtitia et clementia ſermonem orditur: et poſt multa in eam rem dicta; En, inquit, Eſſexii caput, quem ſupra merita honoribus cumulatum ad ſummum gratiae locum ſublimaveram; quorum fiducia ille fretus eo veſaniae devenerat, ut me carere ipſo non poſſe exiſtimaret, ſed virum fortuna ebrium et ambitione caecum, mox ſua praecipitem dedit ſuperbia, ingratitudo, ac perfidia; et infamia ſempiterna virtutum, quae in eo apparebant, decus obſcuravit. Sane ſi rex frater meus conſilio meo utatur, ut Londini, ſic Lutetiae perduellium ac turbonum capita ad terrorem proſtarent; ita tamen me Deus adjuvet, ut eum toto pectore deprecor, ne clementia ipſi ſua tandem fraudi ſit. Quantum ad me attinet, nunquam miſericordia eorum tangar, qui pacem publicam conturbant. Quibus verbis hominem virtutis et meritorum fiducia praeferocem quaſi praeſago

INTERPR. [a] *pont aux Vaches.* [b] *de Duyvenvoorde.* [c] *la Gueule.* [d] *don Nicolo de Catris commandoit à l'occident des Dunes.* [e] *Boulevart de Sandthil.* [f] *de Croy, comte de Solre.* [g] *Aiguillon.* [h] *Edmonds.* [i] *de Gontaud, duc de Biron, mareſchal de France.* [k] *de Valois, comte d'Auvergne.*

praeſago ſpiritu monuiſſe viſa eſt, ut alieno periculo ſaperet, et ſpes nimias mente ad obſequium et moderationem inflexa reſecaret.



VII. QUAEDAM et heic domeſtica addenda. In Andibus [a] Balmeta inſigni poſitu ſtructum in ſaxo monaſterium eſt ad [b] Meduanam, altero ab [c] urbe lapide, cujus templum in ipſo ſaxo exciſum, et ſupra illud coenatorium, ac reliqua conclavia devotis fratribus ſervientia ſtructa ſunt; cui ſimile in [d] Petrocoriis [e] Brentolmiae S. [f] Sicarii nomine, et [g] fani-Aemiliani templum in Santonibus unius diei a [h] Burdigala itinere, et [i] Albaterrae in Engoliſmenſi limite itidem vidimus. Balmetam collegium Franciſcanorum Renatus utriuſque Siciliae rex et Andium dux olim inſtituit anno CIƆ CCCC LVI; quibus novus ordo ſuccrevit, aſtrictioris diſciplinae, qui Recollecti vulgo appellantur, a Clemente VII anno CIƆ IƆ XXXII, Pio V, CIƆ IƆ LXIII, et Gregorio XIII anno CIƆ IƆ LXXIX ſive inſtitutus, ſive renovatus: nam ſe puram putam B. Franciſci regulam obſervare Recollecti gloriantur, quae in aliis ejuſdem profeſſionis collegiis lapſu temporis multum a vetere diſciplina deſcivit. Ii ante quinquennium a F. Ludovico [k] Benedicto ordinis in Turonibus et Pictonibus provinciali, Balmetam ad inſtaurandam regulam ac diſciplinam acceperant, idque ſcripto in conventu Ancenifii in Armorica proxima celebrato ab ipſo Benedicto praeſide ſubſcripto, ſe probare paratos aiebant. Divendita dein vili pretio ſupellectile, cum graſſari in novo ſibi per gratiam conceſſo domicilio dicerentur, Benedictus pro ratione muneris locum inviſere voluit: A cujus ingreſſu injurioſe excluſus, cum vis utrinque facta eſſet, Carolus [l] Miro Andegavenſis epiſcopus partes ſuas interpoſuit, [m] praetoris urbani et aedilium, qui Recollectis favebant, advocationem popoſcit; et poſt compoſitum tumultum re coram ipſo in aedibus epiſcopalibus diſceptata decretum factum, quo Benedictus Recollectos Balmeta transferre, aut quo minus coeptam inſtaurarent diſciplinam impedire, et omnino in ea cauſa quidquam innovare prohibebatur: de cetero controverſia, quae diſciplinam ſpectat, ad [n] Mutinenſem epiſcopum, qui pontificii oratoris officio apud regem fungebatur, remiſſa. Ab hoc decreto tanquam ab abuſu a Benedicto ad ſenatum appellatum, et Benedicto ſubſcripſit Claudius [o] Galeſius collegii Pariſienſis cuſtos Jacobi Auguſti Thuani nomine. Franciſcani, quia mendicantes, apud nos a magiſtratu, ad jus ſuum diſceptandum, non proprio ſed patris ſpiritualis nomine agunt, qui rogatorio mandato a generali ordinis inſtituitur. Quale illud erat, quod a Bonaventura Calatagirona tunc ordinis generali habebat Thuanus, quo non ſolum ſpiritualis patris, ſed defenſoris et conſervatoris ordinis univerſi per regnum tituli ei tribuuntur. In ea appellatione defenſorum partes ſubierunt epiſcopus Andegavenſis et ejus vicarius, et F. Jacobus [p] Garnerius Recollectorum Balmetae congregatorum cuſtos. Magno contentionis aeſtu cauſa diſceptata, cum pontificia auctoritas in ea verti putaretur, et praepotenteis in aula patronos haberet: perorantibus partium advocatis, cognitoris regii, ut in cauſa publica, partes ſumpſit Ludovicus Servinus, et dolere ſibi dixit, quod diſſidium illud, quod ad diſciplinam pertinebat, et melius intra parietes domeſticos, quam in corona tam frequenti diſceptari debere videbatur, amice componi non potuerit; dein et pro re locutus eſt, et liberius quam temporum ratio ferebat, in novos ordines evagatus; poſtremo contra B. Franciſci regulam Recollectos facere dixit, qui literas per ſe vel per interpoſitam perſonam, ſive pro eccleſia, aut pro aliquo loco, ſive ſub ſpecie praedicationis, vel ſi in corporibus ſuis perſecutionem patiantur, a curia Romana petere vetantur, ſed

INTERPR. [a] *la Balmete lez Angers.* [b] *la Mayenne.* [c] *Angers.* [d] *Perigort.* [e] *Brantôme.* [f] *S. Sicar.* [g] *S. Emilian en Saintonge.* [h] *Bourdeaux.* [i] *Aubeterre en Angoûmois.* [k] *Benedicti* [l] *Miron evêque d'Angers.* [m] *le lieutenant-general.* [n] *de Modene.* [o] *Galeſius, gardien du grand convent de Paris.* [p] *Garnier.*

CIↃ IↃ CI.
HENRICUS IV.

ſed ubicunque non recepti fuerint, fugere in aliam terram, atque ibi poenitentiam agere cum benedictione Dei jubentur. Plura in eam rem cumulata. Summa poſtulationum fuit, ut bene a decreto epiſcopi tanquam abuſivo appellatum pronunciaretur, et illud omnino reſcinderetur, et juxta patris ſpiritualis petitionem, quo inter B. Franciſci ſodalitia uniformitas ſervaretur, Recollecti tenerentur ſe Benedicti provincialis auctoritati ac cenſurae ſubjicere, bona divendita Balmetae reſtituerent, ſalva in omnibus aſtrictiore diſciplina, quam Recollectis, qui volent, ſervare liberum eſſet, modo eodem quo ceteri amictu veſtiantur: inſuper injungeretur Provincialibus, ut ſerio ac poſthabita omni alia cura inſtaurandae diſciplinae incumberent, eaque re religioſorum indigenarum, aut qui per XXV annos moram in regno feciſſent, opera uterentur juxta S. C. anni CIↃ IↃ LVII VI Eid. Nov. Poſtremo additum, quod acrius adverſariorum animos pupugit, ut omnes B. Franciſci regulam profeſſi, teſtamentum parentis ac auctoris ſui ſervare tenerentur, et juxta illud ulli regno exire ſine regis venia et ſuperiorum licentia libertas non eſſet. Senatus decretum epiſcopi abuſivum declaravit, decrevitque, ut Franciſcani in Balmetae poſſeſſionem antiquam, unde dejecti fuerant, ante omnia reſtituerentur; inhibuitque ne ulli religioſi extra regnum ſine regis permiſſu, aut ſuperiorum licentia exire poſſent. S. C. facto non quievit epiſcopus, et advocatione pontificii oratoris implorata, apud regem impetravit ut rei cognitionem ſibi ſumeret, et eam diplomate curiae interdiceret. In invidiam calumnioſe traxere in aula Thuani obtrectatores, quod in actis cauſae patris ſpiritualis et defenſoris ac conſervatoris per totum regnum ordinis ipſi tituli attribuerentur, quaſi novo more et ambitioſe id tunc primum factum eſſet, quod ſe ignaro et abſente factum fuerat, et quod ſemper in Franciſcanorum cauſis uſurpatum fuit, ut cum ſtandi in judicio perſonam non habeant, alieno nomine jura ſua defendant. Sed maxime illos urebat prohibitio regno excundi ſine regis permiſſu, quod quantum ad regis auctoritatem et regni ſecuritatem pertineat, aut parum vidiſſe eos qui circa regem erant, aut turpi praevaricatione neglexiſſe fatendum eſt.

VIII. MAJORE vi eodem fere tempore in [a] Aquenſi ſenatu revictus Pauli [b] Huralti Hoſpitalii archiepiſcopi praeceps conatus, quo regium magiſtratum ſacris interdixerat, eumque intempeſtiva fulminatione ad ludibrium et injuriam populo expoſuerat. Joannes Imbertus ſacerdos [c] Arelati puerum ſexennem raptu et ſtupro contaminaverat, qua de re cum quaereretur, officialis archiepiſcopi urbis ſententia ſua decreverat, ut partes coram ſe ſiſterentur; a qua cum parens pueri appellaſſet ab abuſu, ſenatus male et abuſive ab eo decretum pronunciavit, tantique criminis cognitionem ad regium judicem pertinere declaravit. Id actum XI Kal. April. Secundum haec reus criminis convictus, et ad mortem a ſenatu damnatus eſt. Antequam ad ſupplicium duceretur, interpellatur Paulus archiepiſcopus, ut ſacerdotem deteſtandi criminis reum peractum exauctoraret; ſemel atque iterum à cognitore regio rogatus cum recuſaſſet, reus ad ſupplicium ductus eſt V Eid. April. id in ferias paſchaleis eo anno incidebat. Quarto poſt die archiepiſcopus ſacrum urbis ordinem cogit, et regios judices, qui in Imberti cauſa ſederant, cenſurae eccleſiaſticae poenas incurriſſe pronunciat, ac proinde dioeceſanos monet, ne quem illorum ad poenitentiae, aut aliorum ſacramentorum participationem admittant; breviculum etiam iis datum, quo judicum nomina edebantur. Re cognita, ſenatus pro gravitate facti ultra modum commotus eſt, et regius cognitor fuiſſe tempus dicit, cum pontifices in reges et eorum magiſtratus ſpiritualem gladium ſtrinxerint, quibus ſe ſemper regni proceres et ordines generoſe oppoſuerint; nuſquam viſum, ut epiſcopus qui regi ſubditus eſt, et fidei ſacramento regi obligatur, in eum aut magiſtratus publico munere fungentes idem

INTERPR. [a] *parlement d'Aix.* [b] *Hurault de l'Hoſpital.* [c] *Arles.*

idem juris ſibi ſumpſerit. Pernicioſi rem exempli, et quae ad auctoritatem regis et publicam tranquillitatem labefactandam ſpectet, minime negligi debere. Itaque citatus archiepiſcopus ſemel atque iterum, cum non compareret, eremodicium contractum pronunciatur; etiam libellus, quo primarius praeſes et praecipui judices, et triumviri regii, tanquam ſuſpecti ab eo rejiciebantur, a curia tanquam calumnioſus exploſus eſt: ipſe, quem ſero erroris poeniteret, de injuria expoſtulare, libertati eccleſiaſticae vim afferri clamitare, denique omnia facere, ut quod temeritate peccaverat, obfirmato animo tueretur. Tandem S. C. factum, quo archiepiſcopi cenſura tanquam abuſiva reſcindebatur, et ipſe jubebatur, coram iiſdem ſacerdotibus, quibus eam fecerat, revocare, et ea de re inſtrumentum intra triduum apud acta curiae deponere; ni faceret, x aureorum CIƆ mulctam contraxiſſe declaratur; ſanctione adjuncta, qua quicquam tale deinceps admittere vetabatur, alioqui in ſacri ipſius patrimonii poſſeſſionem rex mitteretur. Miſſi interim a ſenatu, ſic enim decretum erat, Gulielmus [a] Aemarus, et Claudius [b] Arnoldus ſenatores, qui archiepiſcopum erroris admonerent, et cenſuram ut coram iiſdem, quibus facta erat, revocaret, inſtarent: alioqui ſenatum ſeveritate in re tali uſurpari ſolita uſurum. Cum ille tergiverſaretur, et [c] Avenionem, ut ea revocaretur, miſiſſe diceret; ea re magis exaſperatus ſenatus, quod ad exteros, quod intra parietes tegi oportuit, culpa ejus emanaſſet, denuo inſtare, ut ſine conditione excommunicationem revocaret. Initio cum exitum rei non videret, verbo declaravit ſe cenſuram revocaſſe, proteſtatione adjuncta, qua de ſenatus decreto ut nullo et injurioſo conteſtabatur. Cum ne ſic ſatisfieret ſenatui, et cognitor regius decreti contra eum lati executionem urgeret, tandem extrema neceſſitate victus archiepiſcopus manus dedit, VIII Eid. Maias, inſtrumento manu ſua ſubſcripto apud acta curiae depoſito, quo ſine conditione excommunicatio abrogabatur, et ſacerdotibus mandatur, ut breviculo ab ſe iis tradito comprehenſi ad eccleſiae ſacramenta ab ipſis admittantur. Quo facto et populi offenſio et tumultus ex hac occaſione per totam Provinciam exortus conquievit.

IX. Exeunte interim Sextili, ex Anglia et Zelandiae inſulis novus miles cum commeatu Oſtendam invectus, et IƆCCC Galli ex Henrici [d] Collinii Caſtellionaei cohortibus advenere. Eodemque tempore Carolus [e] Longavallus Bucquoii comes in Alberti caſtra venit. [1] Catrius dein, qui rei tormentariae praeerat, ineunte Septembri ictu globi per caput adacto cum occubuiſſet, aliquantum inter Albertinos turbatum fuit; ejus in locum ſubſtitutus eſt Bucquoius. Eaque jactura aequali obſeſſorum damno penſata eſt, morte Caſtellionaei IV Eid. Sept. mox ſecuta; qui dum inter [f] Uctenbrochium et Scotorum tribunum medius ad [g] Santillam aſcenderet, ictu tormenti capite dimidio truncatus eſt, ita ut ſinciput in faciem Uctenbrochii reſiliens eum proſtraverit. Is Franciſci ante decennium morbo abſumpti filius, et Gaſparis maris praefecti per bella civilia adeo famoſi ducis nepos, utrique minime poenitendus, cum parem ſe animis oſtenderet, in flore ereptus, non ſolum Mauritio et Ordinibus, ſed etiam ſuis in Gallia magnum deſiderium reliquit. Sed rurſus novo navium auxiliarium, XXX primum, dein XXIV appulſu recreati obſeſſi, animos acrius ad defenſionem obfirmarunt. Uctenbrochius ominoſe jam in morte Caſtellionaei ictus, exeunte eodem menſe plumbea glande trajectus interiit; cui ſuffectus eſt

INTERPR. [a] *Eymar.* [b] *Arnaud.* [c] *Avignon.* [d] *de Coligny, Sr de Chaſtillon.* [e] *de Longueval, comte de Bucquoy.* [f] *le colonel Uchtenbroeck.* [g] *Sandthill.*

NOT. [1] Ce lieu a beſoin de reformation: car ce Catris, meſtre de camp Wallon, ne commandoit point l'artillerie, & ne fut point tué. *Voyez lib.* 130. *Lege* Nicolaus dein Catrius legionis Gallobelgarum tribunus, veteranus dux, cum ineunte Septembri ictu ſcloppeti in capite vulneratus fuiſſet, aliquantum inter Albertinos turbatum fuit; ſed ex eo vulnere poſtea convaluit. Mors Caſtellionaei *Put.*

CIƆ IƆ CI. HENRICUS IV.

eſt Nicolaus [a] Lieranus. Ad famam obſidionis hinc Joannes [b] Holſatiae dux Chriſtiani IV Daniae regis frater, cum Philippo Hohenloi comite; hinc Northumbriae comes ex Anglia, advenerunt. Et foeda tempeſtate ſuborta cum caſtra Hiſpanorum nova aquarum eluvione parum a ſubmerſionis periculo abeſſent, difficiliorque in dies conatus videretur, conſultabat Albertus ad obſidionem haerere, an ab ea mature diſcedere expediret; miſſique ea de re ad ordines Flandriae nuncii, ultro citroque commeabant; neque initio bene inter eos conveniebat. Tandem ſacer ordo apud eum tenuit, ut obſidio continuaretur IƆC florenorum CIƆ in eam rem promiſſis. Inter hacc, dum crebro eruptionibus certatur, Veerus ſauciatus, et [c] Mildeburgum, ut aere ſalubriore uteretur, tranſlatus; curato vulnere in oppidum rediit: accepto dein de nato regi filio nuncio, obſeſſi diſploſis ſubito tormentis inſolitae laetitiae ſignum dederunt. Hiſpani ſub id dimidiam lunam munitionis loco extra foſſam oppidi ſtructam invadunt, et cum damno repulſi ſunt, amiſſis ex ſuis amplius XXC, et poſtea novum ex corbibus ſepimentum ad [d] Gulam moliuntur. Nihilominus exeunte Octobri XL amplius naves libere portum ingreſſae et acceptae ſunt; et IV Kal. Nov. cum exundatione a ſubita tempeſtate rurſus infeſtati eſſent Hiſpani, ſepimentum deſerunt, poſteaque rurſus corbium numero inſtauratum altius tollunt: in eo diſturbando cum praeſidiarii eruptione III Non. Nov. facta acriter pugnarent, utrinque pari damno accepto a conatu deſtiterunt. Tunc periculoſa oppido detecta conſpiratio, quae [e] Conisbio Anglo auctore et conſciis in vincula conjectis conquievit. Ea ſpe dejecti Hiſpani creſcentibus aquis in parte ad occaſum et auſtrum ſpectante loricas et munitiones alias caſtrorum eluvione jam diſſipatas demoliuntur, faſciculis et corbibus in arenarios tumulos et proxima caſtella comportatis.

X. [f] BERKA ad Rhenum capta, Mauritius cum ſe loco nequaquam movere Albertum videret, ut eum ab Oſtendae obſidione revocaret, ad [g] Silvam-ducis, cui Antonius [h] Schettus Grobbenduncanus praeerat cum IV cohortibus, et I equitum ala, cujus dux erat [i] Adolfus Bergenſis comes, caſtra poſuerat Kal. Nov. cum paulo ante militum, qui [k] Weertae in Texandria, hoc eſt, in planis Brabantiae rebellaverant, animos nequicquam tentaſſet. Ea re cognita, Fridericus Bergenſis comes ſtatim cum ſuis, aliquot et comitis Bucquoii ac [l] Freſinii cohortibus mittitur, ut Grobbenduncano praeſto eſſet. Interea LIII navium claſſis incolumis Oſtendam per Gulam appulit IV Eid. Nov. quam commoditatem cum Hiſpani exſtructa e propinquo munitione, obſeſſis eripere conarentur, oppidani contrariam in oppido munitionem excitant, et alveum ſeu portum novum multis paraſangis ab Gula diſſitum excavant. Dum in opere ſunt ab Hiſpanis tuti, morbo ſubito inter milites graſſante ſummopere infeſtati ſunt, eoque correpti intra diei ſpatium exanimabantur. Sed vi ejus in dies remittente recreati opus urgent, dum Hiſpani contra in portu obſtruendo aſſidue laborarent. Tandem cum adhuc in incerto eſſet, an portus novus capiendis navibus idoneus excavari poſſet, et per veterem auxiliaribus aditus minime pateret, Veerus de exitu veritus colloquium poſcit, quaſi de conditionibus acturus, in eamque rem aliquot dierum inducias cum Alberto paciſcitur, ut oppugnationis totis viribus decretae, de qua edoctus fuerat, impetum retardaret. Dum altercantur, nam conditiones de induſtria admodum inſolentes ab obſeſſis propoſitae fuerant, nova ſubſidia advenere: quibus confirmatus Veerus literis ad Albertum datis ſe excuſavit, et colloquium abrumpit.

XI. AD

INTERPR. [a] *Le capitaine Vander Leur.* [b] *Holſtein.* [c] *Middelburg.* [d] *la Gueule.* [e] *Coningsby.* [f] *Rheinberg.* [g] *Boiſleduc.* [h] *Schetz Sr de Grobbendonck.* [i] *comte Adolf van den Berghe.* [k] *Weert en Brabant.* [l] *du Freſin.*

CIↃ IↃ CI.
HENRICUS IV.

XI. AD Belgica etiam pertinet navigatio ab Olivario [a] Nortio in Indias ſuſcepta, ex qua incolumis hoc anno in patriam rediit. Is cum IV navibus egregie inſtructis, praetoria, cui Mauritii nomen, [b] vicaria Henrico dicta, Concordia et Spe Roterodamo cum ſolviſſet VI Kal. Quintil. anno CIↃ IↃ XCVII inter Canariam majorem et Tenariſam pridie Non. Oct. curſum tenuit, et pridie Non. Dec. ſub III graduum altitudine promontorium [c] Palmae in Africano litore conſpexit, ac ſeptimo poſt die in [d] Principis inſulam deflexit, quo jam ante [e] Cleeragius appulerat, ab incolis male acceptus. Inde progreſſus V Kal. Febr. anni ſequentis ſolem perpendicularem habuit in altitudine XVIII graduum et X ſcrupulorum. Poſtea Braſiliam verſus navigavit, et Januarium amnem ingreſſus eſt V Eid. Febr. qui hinc inde duobus caſtellis fraenatur; et VIII Kal. Mart. ad S. Sebaſtiani inſulam appulit; Concordia paſſim aquam hauriente, in ea relicta. Martio exacto cum ſemper curſum perſequeretur, V Eid. April. ſub altitudine XXIX graduum XXIII ſcrupulorum magnam in gnomonibus differentiam reperit, manifeſta in meridiano declinatione. Demum III Non. Jun. ad S. Clarae inſulam exſcenſionem facit, ut aegros ex jactatione reficeret. Cum diu Magellanicum fretum petens varia tempeſtate jactatus eſſet, Kal. Sextil. e regione [f] Platae fluvii ad XXXV graduum altitudinem ſine velis ad IV uſque Eid. in ambiguo ſalo fluctuavit, et XIII Kal. Sept. ad Deſiderii portum ancoras jecit, ubi [g] Pinguium et canum marinorum magna copia; et poſt moleſtam et incertam jactationem pridie Non. Nov. ad [h] Virginis promontorium acceſſit, ex quo [i] Ignea terra ſive Auſtralis conſpiciebatur. Quater repetitis vicibus inde in fretum Magellanicum tentatus ingreſſus, adverſis ſemper ventis. Tandem VIII Kal. Dec. Batavi fretum intrant, XIV a Virginis promontorio leucis: et cum poſtridie progreſſi eſſent, et ad cubitum meridiem verſus flexiſſent, promontorium oppoſitum de Naſſovii nomine vocarunt. Tres in eo ſinu inſulae parvae occurrunt, in quibus homines a cultu humano alieni Pinguium pellibus tecti et facie fuco infecta degunt, ſtruthiocamelorum, qui in eo tractu frequentes ſunt, ovis et carne vitam tolerantes. Interior [k] ſtatio de Mauritii nomine dicta. Infra hanc ſtationem et [l] Henrici de nomine alia [m] [1] Muſculorum item, atque alia [n] Gueuſiorum vulgo vocata ſubeſt in eodem litore; et poſtremo [o] Deſideratum promontorium; ex adverſo cujus [p] Papiſtica ſtatio conſpicitur. Hujus freti oſtium cum auſtrale, tum boreale ſub altitudine LII graduum et XXX ſcrupulorum ſitum eſt; ſed in medio fretum ipſum curvatur arcus lunati ſpecie, ita ut ad LIV gradus pertingat. Ab uno ad alterum oſtium LXXVI milliarium ſpatium interjacet, ab ingreſſu ſeptentrionalis maris VII milliaria computantur. Ipſum milliaris latitudinem habet. Ad tria milliaria a primo freto ex Americae regione ſyrtis jacet milliaris quadrantem lata, eoque in tractu aquarum profunditas VI ulnarum eſt; qua ſuperata XII et XVIII ulnarum altitudo ſuccedit, ingenti circum maris aeſtu in plenilunio, et cum ad meſolibonotum et hyperboreum vergit luna. Mergorum et phocarum, thynnorum rarae formae, et alatorum piſcium heic copia, ad navigantium commoditatem opportuna. In ſtatione Muſculorum, quae X a Pinguina inſula milliaribus abeſt, aquae dulcis amnis fluit, et lignum ad comburendum abunde ſuppetit. Ulterius jacet et portus viridis ad ſeptentrionale latus, in quo argilloſi fundi altitudo eſt qua maxima XLV ulnarum, qua minima XIV, ut

INTERPR. [a] *Du Nort.* [b] *vice-amiral.* [c] *cap de Palma ſur la côte de Guinée.* [d] *iſle du Prince.* [e] *le capitaine Cleerhaghen.* [f] *Rio de la Plata.* [g] *Pinguins.* [h] *Cabo Virgine.* [i] *Terra del Fuego.* [k] *Baye de Maurice.* [l] *de Henri.* [m] *Baye des Meniſtes.* [n] *des Gueux.* [o] *Cabo Deſiderato.* [p] *Papiſte Baye.*

NOT. [1] *Muſculorum.* Il y a dans la relation Baye des Meniſtes ou Meniſte Baye, parce que le pilote, qui l'avoit decouverte, eſtoit Menoniſte. *Put.*

CIƆ IƆ CI. Henricus IV.

ut in eo ancoram tuto jacere poſſis. Arborum viridium, unde nomen, lauro ſimilium, ſed proceriorum, et cortice detracto piperis ſaporem referentium lucis litus praetexitur. Toto Decembri et Januario proximo Olivarius per fretum inter ſummas difficultates navigavit; et tandem exeunte Februario Deſiderato promontorio ſuperato in mare pacificum, ſed non a procellis tranquillum, evaſit; et IV Eid. Mart. amiſſa vicaria praetoriae, curſum perſequens XIV Kal. April. ad Mocham inſulam appulit, ex adverſo [a] Chilienſis regionis in altitudine XXXVIII graduum ſitam, V aut VI a continenti leucis diſſitam, grandioribus ovibus, quibus et ad onera portanda indigenae utuntur, abundantem. Heic capta navis Hiſpana in Concordiae amiſſae ſolatium. A S. Jacobi promontorio ad Baldiviam Chilienſis provincia extenditur, ſub XL, XXX et XX graduum altitudine, tanta fertilitate, ut nihil ad omnium rerum copiam et praeſtantiam earum deſit; tanta coeli ſalubritate, ut homines in eo tractu nullis morbis adflictentur; nimirumque narratur, ſi gladius rore madefactus in vaginam recondatur, rubiginem minime contrahit. Chilienſi provinciae Peruvia ſuccedit, cui tunc Ludovicus Velaſcus proregis titulo praeerat, et Joannes Velaſcus ejus gentilis rem militarem ſub eo adminiſtrabat, quae a XX gradibus trans aequinoctialem lineam ad X gradus aſcendit, atque adeo Caſtellam novam, in qua Panama; quo merces et alia pretioſa ex Peruvia convectantur, et ad Dei Nomen, quod eſt oppidum in illo iſthmo ex adverſo ad Atlanticum mare expoſitum, ac poſtremo in Hiſpaniam transferuntur. Olivarius ex literis interceptis cognoverat Indos his in regionibus contra Hiſpanos rebellaſſe, et proximo Novembri Baldiviam invaſiſſe, et poſtea ad Imperialem caſtra poſuiſſe. Inaudita ſive intemperie, ſive ob veterum injuriarum ſenſum ultione, victores ſaeviiſſe in Hiſpanos referunt qui haec ſcripſere, domibus Baldiviae incenſis, nec non templis et coenobiis, imaginum item capitibus decuſſis, et ſacerdotibus occiſis, nunc Deos Hiſpanorum defeciſſe blaterantes, conflatumque aurum in os Hiſpanorum injeciſſe; hoc addito, Satiamini auro, quod tantopere concupiviſtis. V CIƆ in armis erant, et in iis III CIƆ equites egregie inſtructi; adverſus quos Hiſpani Lima profecti cum Batavas naveis litus legere intellexiſſent, impetum inhibuerunt. Jamque Chilienſi plaga decurſa navigantibus Peruvia apparebat, a qua paulatim recedentes ſuperata aequinoctiali linea et curſu verſus Philippinas directo poſt IV menſium in vaſto illo pelago navigationem ad VIII graduum altitudinem [b] Latronum inſulas obvias habuerunt XVI Kal. Oct. in queis homines nudi omnino incedunt; foeminae tantum folium ad pudenda tegenda adhibent, promiſcuo concubitu ſe polluentes; optimi natatores, per mare in Canois ſuis, id genus navium aſtrictarum, piraticam continuo facientes, et ex rapto ac furto vitam tolerantes. Lue venerea maxime infeſtantur. Inde cum toto Octobri navigaſſent, Sinarum oram legentes [c] Capuli promontorium, ad XIII graduum altitudinem et XV ſcrupulorum ſitum, Kal. Nov. praetervehuntur, Manillam verſus tendentes; et per [d] Mindorae fauces ingreſſi ſinum Manillae ad angulum terrae ancoras jaciunt: habitoque nautarum et celeuſtarum conſilio placuit, ut uſque ad Februarium proximum eo in loco conſiſterent, a Sinenſi nauta edocti, intra paucos dies ex Manilla et Japonia naveis ferro et farina onuſtas, et mox Sinarum naveis Januario Februarioque uſque ad menſem Martium adventuras, quas exſpectari certa cum iis contrahendi et merces permutandi ſpe e communi re viſum: tantum pridie Eid. Dec. mutata ſtatio, quod in priore adverſis ventis admodum infeſtati fuiſſent, ruptis funibus, ex quibus ancorae pendebant. Biduo poſt cum Manillienſium navibus acre certamen

INTERPR. [a] *Chili.* [b] *Iſlas de los Ladrones, ou Iſles de Larrons.* [c] *cap de Capul.* [d] *Deſtroit de Mindore & de Manille.*

certamen Batavis fuit; injectaque manu ferrea diu utraque praetoria conflixit, cujus is exitus fuit, ut cum Manillienſes ſe a Batavis divulſiſſent, ictibus tormentorum perforata eorum praetoria fluctibus hauſta ſit, CC ex ſuis amiſſis. Ex Batavis V deſiderati, XXV vulnerati, amiſſa etiam celoce Batavorum, in qua XXV bellatores erant. Manillae tunc Hiſpanorum regis nomine Franciſcus [a] Tellus praeerat, inſulis circumpoſitis ex ea tanquam regia jus dicens, et Indis vicinis tributum imperans; qui cum Sinarum mercatoribus aurum, muſcum, et ſericum aliaſque merces pretioſas advehentibus negotiantur. Porro merces illae Manilla in [b] Mexicanam civitatem transferuntur, et inde in Hiſpaniam. Ex pugnae illius occaſione Batavi conſilium cepere alio migrandi ante Februarium, contra quam ab initio decreverant; et XVII Kal. Jan. inſulam magnam, et, ut conjectabant, CXXC leücas longam, cui [c] Bolutonae nomen, ab Hiſpanis inſeſſam legentes, XII poſt die [d] Borneae inſulae ſinum ingreſſi ſunt. Ea inter orientaleis magna a ſeptimo citra aequinoctialem lineam gradu ad quartum trans lineam porrigitur. Rex in urbe cognomine ſedem habet, conſanguineis et nobilitate potens; peſtiferam Mahumetanam ſectam colit, quae per illas orientaleis inſulas totumque litoralem tractum immane quantum pullulavit. Kal. Jan. anni, in quo verſamur, conſilium ab Olivario cum ſociis captum de Java petenda, et cum V Eid. ejuſdem menſis ſolviſſent, XI Kal. Feb. Javae ſumma mari extantia conſpexere; et Maduram inſulam VIII leucis longam praetervecti, exeunte Januario ad ſtationem [e] Jortanae civitati in Java inſula ſubjectam appulerunt; in qua Luſitani mercatores frequentes. CIↃ domibus conſtat ex materia ſtructis ſine muro et foſſa. Aberat tunc rex [f] Paſſarvanam profectus, ubi fere commoratur. Is eſt qui ante quinquennium Balamboamam urbem obſidione cinxerat, quando Amſterodamenſis claſſis ad Javam venit, quam poſtremo expugnavit, et rege tunc forte ſublato familiam ejus penitus extinxit. Rex Sorbaiae vulgo dicitur; quae urbs eſt haud longe ab Jortana, et Jortanam ac Balamboamam praeterea tenet; ſuperſtitioni Mahumetanae itidem cum ſuis populis addictus; et Jortanae Mophtim habet, qui ſupremum ſacerdotium in cunctos orientaleis populos ea lue infectos exercet. Heic cum de Molucis petendis deliberaretur, major ſententia vicit, quae omiſſis Molucis patriam repetendam cenſuit. Itaque Jortanae portu pridie Non. Febr. ſolvit Olivarius, et Balamboamae fretum ingreſſus, ſextoque poſt die egreſſus. Cum ad XXIV graduum et XLV ſcrupulorum altitudinem progreſſus eſſet, XIV Kal. April. declinationem gnomonis expertus eſt. Ab eo tempore navigationem reliquo Martio et toto Aprili urget, et V Non. Maias promontorio Bonae Spei eminus ſuperato, XV Kal. Jun. Tropicum Capricorni iterum tranſit ſub XXII graduum et XXX ſcrupulorum altitudine, et decimo poſt die citra lineam XV graduum et XXX ſcrupulorum altitudinem in S. Helenae inſula exſcenſionem fecit; ex qua cum Junii Kal. ſolviſſet, XVIII Kal. Quintil. trans lineam quarto relapſus, biduo poſt VI navibus Batavis in orientem navigantibus occurrit; ex quibus de victoria ad Neoportum a Mauritio parta cognovit, ac demum III Non. Quintil. perpendicularem ſolem habuit, quaſi ſub Tropico Cancri. Inde curſu totum Sextilem continuato cum Kal. Sextil. ad [g] Corvorum inſulas appuliſſet, exeunte menſe circundato toto orbe poſt XXXVIII menſium navigationem Roterodamum, unde ſolverat, incolumis cum praetoria reverſus eſt.

XII. In Italia cum [h] Fontanus copias ſpecie belli Sabaudici inſtructas etiam poſt pacificationem, poſtquam eas dimitti Aldobrandino pontificio legato inſtante placuerat,

INTERPR. [a] *Tello.* [b] *Mexico.* [c] *Boluton.* [d] *Borneo.* [e] *Jortan.* [f] *Paſſarvan.* [g] *de Corvo & Flores qui ſont des Açores.* [h] *comte de Fuentes.*

CIↃ IↃ CI.
HENRICUS IV.

placuerat, non ſine anxia principum vicinorum quo conſilio id fieret incertorum formidine diu ſub ſignis retinuiſſet, tandem conatu contra Algeriam evaneſcente et illac diſſipatae ſunt. Ea urbs in ſuperiore Mauritania Africae provincia ad mare ſita, olim Caeſarea Julia dicta, a qua et regio Caeſarienſis; Romano imperio everſo a Vandalis deſtructa: dein inſtaurata Tremecenis regibus paruit, qui eam alteri ex filiis ſemper attribuebant, quouſque Abu-Ferex Tunetis rex Tremecenenſe regnum in poteſtatem redegit, et Bugiam regni titulo filio conceſſit; a quo tempore Algerienſes amiſſo antiquo rege ſub ditionem Bugianorum et novi regis imperium tranſierunt, ſub quibus exiguo tributo penſitato immunitatem ſervavere; atque poſtremo in plenam libertatem ſe aſſeruerunt uſque ad [a] Horuxii Mitylenaei famoſi piratae tempora, qui eam Selimi Turcorum imperatoris auſpiciis ſubegit anno CIↃ IↃ XV, et inſulam jactu ſcloppeti diſſitam, in qua Didacus Vera Ferdinandi Arragonii juſſu arcem, ad fraenandas Arabum illinc late toto Tyrrheno mari praedas agentium excurſiones, aedificaverat, Martino Varga inde dejecto vi cepit; et aliquot poſt annis [b] Salha Araiſius, qui Othomanorum nomine praeerat, mole ſtructa cum civitate conjunxit. Mortuo Ferdinando Franciſcus Ximenes cardinalis Hiſpaniae immenſarum opum, et auctoritatis quam in Hiſpania obtinebat, fiducia, eam, ab Abu-Hamu Tremeceno rege, cui tam vicina Turcorum potentia erat ſuſpecta, perſuaſus, irrito primum conatu tentavit duce Didaco Vera. Sed ſequenti demum anno, duce Martino Argote, caeſo et interfecto Horuxio non ſolum Algeria, ſed totum Tremecenis regnum antiquo poſſeſſori reſtitutum eſt. Horuxio dein Hariadenus [c] Ahenobarbus frater a Turco ſuffectus, qui in Tremecenenſi regno bellum gereret; contra quem Hugo Moncata miſſus cum promiſſa auxilia non comparerent, foeda tempeſtate disjecta claſſe cum damno re infecta rediit. Longe gravius damnum fuit, quod Carolus V ipſe cum ingenti claſſe accepit anno CIↃ IↃ XLI, quodque illam urbem memorabili adeo naufragio nobilitavit. Inde omiſſa, ut Hiſpanis infauſta, contra Algeriam expeditio; a qua nihilominus cum totus orientalis Hiſpaniae tractus continuis excurſionibus infeſtetur, in regnorum comitiis ſemper de Algeria expugnanda mentio ab Ordinibus injicitur, et ordinariae penſiones plerunque, illa aut negata aut dilata, negantur. Et vero quantum damni ab Algeria Hiſpaniae importetur, indicio fuit Granatenſium defectio anni CIↃ IↃ LXVIII, de qua ſuo loco diximus; nam ab Algerienſibus vicinis quicquid illi opis, annonae, militis externi habuerunt, ſubminiſtratum fuit, eoque praeſidio confirmati, totum triennium in Hiſpania bellum aluerunt. Occaſio autem improbati toties ac tunc capti de urbe tentanda conſilii a Gallo quodam ordinum ductore, cui [d] Rufo nomen, nata. Is de [e] Chio vaſtanda cum magno Etruriae duci auctor antea fuiſſet, nec exitu res caruiſſet, ex eo famam ſolertiae conſecutus; cum ſe quoque rerum Africanarum gnarum oſtenderet, Jo. Andreae [f] Auriae Hiſpanarum triremium praefecto Algerianam expeditionem confectu facilem eſſe perſuadere conatus eſt, his fere rationibus; quod urbs licet valido VIII CIↃ praetorianorum praeſidio teneretur, ſecure tamen illi in cuſtodia verſarentur, infrequentibus excubiis; et Junio ineunte ſolemne haberent relictis tantum ad urbis cuſtodiam II CIↃ, in circumpoſitam regionem ad vectigal, quod illi Garamam vocant, exigendum agminatim excurrere; interea urbem toto bimeſtri fere praeſidio nudatam remanere, oppidanis eodem tempore ad meſſem colligendam et oppida ruſtica huc illuc dilabentibus, aut ad praedas faciendas per mare excurrentibus: ſic autem cenſebat; IV naves, quae onerariarum ſpeciem referant, milite et armis refertas in portum Sextili ineunte promovendas eſſe. Tum militis ope ex improviſo vim

INTERPR. [a] *Horux de Metelin.* [b] *Salh Rais.* [c] *Barbaroſſa.* [d] *le Roux.* [e] *Scio.* [f] *Doria.*

vim facientis portam marinam occupandam; qua capta reliquam urbem ad libertatem captivis, qui in ea quamplurimi ſunt, vocatis, facile in poteſtatem redigi poſſe. Ab Auria, cui conſilium non diſplicebat, ceterum ejus auctor multas ob cauſas ſuſpectus erat, res omnis ad regis Hiſpaniae arbitrium committitur, ipſo Rufo cum literis commendatitiis in Hiſpaniam miſſo; qui auditus cum conſilium ſuum regi, ejuſque conſiliariis adprobaſſet, continuo ad Auriam remittitur, cum mandatis, ut in eam expeditionem quae neceſſaria viderentur ſummo ſilentio ac diligentia exſequeretur. Ille ſive gentis noſtrae, ſive Rufi ipſius, quem loquaciorem, quam ut res ſilentio tegi poſſet, ſibi videri aiebat, odio, hominem elevato ejus conſilio ut ſpecioſo, ſed nulla veriſimili rei conficiendae ratione nixo, male animatum a ſe dimittit; et nihilominus rei tentandae, ſicuti a Philippo jubebatur, certus, Antonio [a] Rojae Inici Borgiae legionis Longobardicae tribuni centurioni ſecretum credit, eumque in Hiſpaniam mittit, ut cum rege de rationibus rei exequendae, ſi eas probaret, ageret: eodemque tempore miſſi in Africam qui urbis ſitum, morem gentis et de praetorianorum abeundi et redeundi conſuetudine et tempore certiora ediſcerent. Ii cum conſentanea Rufo referrent, eo majus rei tentandae deſiderium Philippo injectum; et commodum accidit, ut copiarum hoc anno a [b] Fontano conſcriptarum pars in Belgium, pars in Carinthiam ad Caniſam recuperandam, deſtinaretur; pars Auriae in eam expeditionem attribueretur. Triremes ex Neopolitano regno et Sicilia ad militem et commeatum portandum inſtrui juſſae; quoque res magis tegeretur, ne quidem cum Neapolis et Siciliae proregibus communicata: et cum [c] Gymneſiam majorem ad trajiciendum in [d] Africam proficiſcendum eſſet, ipſe Neapolim et Meſſanam, quo convenire juſſae erant, ire conſtituit, et inde ad Gymneſiam cum omni claſſe contendere. Sed utrobique ſeu livore proregum, ſive Fontani contumacia, qui copias in tempore non tradidit, tot difficultates ſubortae, ut ſerius quam oportuerit, claſſis inſtructa ſit. Nam triremes Neapolitanae ad excurſiones Turcicam verſus ditionem egreſſae, non niſi Nonis Quintilibus domum redierunt, multum quaſſatae, ita ut tempore ad eas reficiendas opus fuerit; et Siculae huc illuc per inſulae litus ſparſae non niſi Kal. Sextil. univerſae [e] Meſſanam convenerunt. Interea Auria copias a Fontano acceptas triremibus, quas Carolus filius ducebat, v Kal. Jul. Genuae imponit, et Neapolim verſus tendere jubet. Ipſe cum praetoria, v pontificiis, vi reipublicae Genuenſis, iv magni Etruriae ducis, iv Non. Quintil. ſubſequitur, et Eidibus Neapolim appulit; ac triduo poſt Meſſanam venit: ubi omnia imparata cum videret, diligentia propria, quam citiſſime potuit, aliorum incuriam ſupplevit, ſparſaque fama, ut magis falleret, quaſi in orientem navigaturus eſſet; etiam Melitenſeis triremeis ab ordinis principe acceptas in [f] Aegeum excurrere juſſit: moxque Carolum filium cum ſuis, pontificiis, et Genuenſibus [g] Panhormo et Sardinia ſuperatis in Gymneſiam praemiſit. Ipſe Siculis vix tandem collectis Panhormum, quo Hiſpanae venturae exſpectabantur, tendit, et Calabra legione, quae CIↃ peditibus conſtabat, accepta, iii Non. Sextil. cum Neapolitanis triremibus et Hiſpanis [h] Drepanum tenuit; quo ad eum Etruſcae cum milite venerunt. Tum inſtituto per Sardiniam curſu, in itinere varia tempeſtate jactatus, vix tandem xiv Kal. Sept. Gymneſiam appulit. Ibi tantum v dies inſumpti luſtrando exercitui, in quo erant bellatorum x CIↃ, ducibus Inico Borgia, Petro Toletano Anaia, Petro Vivero, Salazario Panhormitanae arcis praefecto, Antonio [i] Quinonio, Barnaba Barbo, Hannibale Macedonico. Univerſis copiis praefecti caſtrorum titulo praeerat Emmanuel

INTERPR. [a] *de Rojas.* [b] *comte de Fuentes.* [c] *Majorque.* [d] *Barbarie.* [e] *Meſſine.* [f] *l'Archipel.* [g] *Palerme.* [h] *Trapani.* [i] *Quinones.*

CIϽ IϽ CI.
HENRICUS IV.

Emmanuel Vega [a] Capovacca dictus: huic praeterea militiae ſponte nomen dederat Ranutius Farneſius Parmenſium dux, ſecumque ex beneficiaria nobilitate CC delectos adduxerat; Virginius Urſinus Bracciani dux, qui praetoria Florentina vehebatur; [b] Elchii marchio grandior natu [c] Machedae ducis filius, qui III triremeis in claſſe habebat; Alfonſus [d] Idiacus, qui Auriae vicarii officio fungebatur; Didacus Pimentellus, Emmanuel [e] Manrices Celani comes, marchio [f] Gareſſii, Hercules Gonzaga, Joan. Hieronymus [g] Auria, [h] Aurelius Talliacarnes. Erant in claſſe LXX triremes. Neapolitanis Petrus [i] Toletanus; Siculis Petrus Leva; Hiſpanis Buendiae comes; pontificiis Magalottus Hieroſolymitanus eques; Genuenſibus Jo. Thomas Auria praeerant. Conquiſitis locorum peritis nautis, poſt procuratas ſacro viatico animas, et acceptam ab epiſcopo pontificis ea in re vices ſuſtinente benedictionem, V Kal. Sept. claſſis ſolvit, ita compoſito ordine, ut quamprimum ex adverſo Algeriae veniſſent, extra conſpectum poſiti, CCC delectos minoribus navigiis imponerent; qui cum duobus crepitaculis terrae propinquantes ad portam marinam ea admoverent, portaque refracta, ſignum darent, ad quod reliqua claſſis vi remigum ſubito accurreret. Poſt triduum cum in conſpectum Africae veniſſent, albeſcente jam die non comparente praetoria Sicula, et navigiis parvis imperata minime facientibus, tota dies inutiliter extracta, donec ſub veſperam navigiolo advenerunt, nautis fluxu undarum rapido ſe abreptos ortum verſus cauſantibus. Nam alioqui maxime pacatum erat mare; quod nocte inſequenti euro incumbente adeo intumuit, ut quanquam ſe cuncti ad rem ſtrenue die inſequenti gerendam comparaſſent, non ſine Italorum haud obſcuro murmure, qui Hiſpanos ſibi praelatos in prima exſcenſione moerebant; tamen cum neque ullo in loco conſiſtere, neque exſcenſionem facere mari adeo turbato citra certam perniciem liceret, converſo curſu Gymneſiam pridie Non. Sept. repetierunt; ubi ducibus in conſilium vocatis, quid facto opus eſſet, cum quaereretur; variae dictae ſententiae. Sed ea tandem vicit, quae in tempus commodius differendam expeditionem, neque manifeſto naufragii periculo exponendam temere claſſem cenſuit, praeſertim inclinante jam tempeſtate, qua praetorianos ex agro reverſos conſtabat, ex quorum abſentia rei conficiendae occaſio quaeſita erat; neque plus buccellati, quam in menſem ſuppeteret. Igitur dimiſſae auxiliareis triremes, et regiae in ſuam quaeque ſtationem remiſſae. Tanti apparatus irriti invidia minime caruit Auria, quanquam juſtas excuſationis cauſas habere videretur, et culpam partim in proregum livorem, partim in triremium tempore condicto non convenientium moram, innatamque Hiſpanorum tarditatem, rejiceret. Tamen homo gloriae ſupra quam dici poteſt cupidus, qui ſe ob ingraveſcentem aetatem bellicis laboribus deinceps imparem videret, et a pleriſque ac praecipue a Parmenſi et Toletano in aula illa propterea traduci minime ignoraret, ne prioris vitae decus turpi ſenio obſcuraret, praevenire, et miſſionem, quam aetas dabat, ultro a rege juvene petere conſtituit, abdicata a ſe triremium praefectura; idque mature, cauteque paulo poſt fecit.

XIII. HAUD feliciore ſucceſſu res in Pannonia ad Caniſam geſta a Caeſarianis, pontificiiſque copiis. Expeditioni cum ſummo imperio praeerat Ferdinandus archidux Caroli filius, aſſumpto vicario Vincentio Mantuae duce. In eam ſummiſſa a Philippo Hiſpaniarum rege VI CIϽ Ferd. [k] Madrucio ductore; a pontifice XII bellatorum CIϽ, quibus Franciſcus Aldobrandinus ſororis filius, ſed in nomen familiae adoptatus, praeeſſe juſſus. De auxiliis praecipue ſolicitatus fuerat pontifex a Sigiſmundo

INTERPR. [a] *Cabo de Vacca.* [b] *Elche.* [c] *Maqueda.* [d] *de Idiaquez.* [e] *de Manriquez, comte de Celano.* [f] *Gareſſi.* [g] *Doria.* [h] *Aureliano Tagliacarne.* [i] *de Toledo.* [k] *Madrucci* Ital. *Madruce.*

[a] Sigiſmundo Turriano limitis illius regulo, Proteſtantibus, ut ipſi ſcripto publicarunt, infeſtiſſimo, cautione addita, ne illi in ullam belli Turcici partem cum dignitate et imperio admitterentur. Is dum ultro citroque impigre commeat, juxta Goritium [1] Igna fluvio plerumque vadoſo, ſed tunc Junio ineunte forte exundante, dum tranaret, curru everſo, cum numeroſo famulitio, quod ſequebatur, hauſtus periit, et ſpei de tanti apparatus ſucceſſu conceptae triſte omen fuit. Univerſae copiae XX CIϽ peditum, equitum IV CIϽ efficiebant, quibus ad diribitorium condictus locus in Caroli Serinii comitis ditione inter [b] Murrhae et [c] Dravi confinia. Serius pontificiae advenere, quae [d] Piceno ſolventes tranſmiſſo Hadriatico ad [e] Viti-fanum in oppoſito litore exſcenderunt, a quo per Iſtriam, Croatiam et Carinthiam terreſtri itinere incedentes, ſummam ubique alacritatem prae ſe ferebant; quae nonnihil infracta eſt Franciſci Aldobrandini Imperatoris ſui morte, qui Varadini ex febre violenta, antequam in [f] Pannoniam perveniſſet, periit. Heberſtenius comes, qui Illyricani tractus dux erat, cum ſua manu, procerum vexillo, ex Stiria, Carinthia, Carnia, ad principis mandatum in militiam prodeuntium, [g] Dorniſchum, quo loco copiae ſtativa habebant, tendit; eoque mox [h] Graecio profectus Ferdinandus archidux cum praetorio vexillo ſub finem Sextilis ſe contulit. Heic dies aliquot inſumpti luſtrando exercitui, et muniis militaribus inter Italos diſtribuendis; nam ab iis fere Germani excluſi. Joanni Medici, qui ſumma laude rem tormentariam ſuperioribus annis in Chriſtiano exercitu adminiſtraverat, delata ſumma caſtrorum praefectura; [i] Orpheus rei tormentariae praepoſitus, qui ſpem Archiduci fecerat intra menſem confectam ſe rem ipſi daturum. Dum Straſſoldus et Dorniſchi adhuc eſſent, affertur, copioſum commeatum Zigetho cum milite Caniſam advehi; confeſtimque miſſus Heberſtenius cum equitatu ſuo, qui venientem in itinere interciperet. Sed aemulatione Italorum factum, qui hanc gloriam viro bene merito invidebant, ut dum in expeditionis partem venire cupiunt, per eam viam quam inſiſtendam ſuſceperat, ignoratione locorum, aut fallentibus ducibus, commeatus intra urbem cum milite incolumi ſit acceptus. Tandem ineunte Septembri Dorniſcho diſceſſum, et alteris caſtris per [k] Serinii ditionem facto itinere non ſine maleficio ad [l] Coderibam pagum ventum, ubi Murrhae fluvius ponte jungitur, ac per eum exercitus in Hungariam terram traductus. Caniſa haud hinc plus II milliaribus abeſt, ſed difficili admodum et impedita via propter crebras paludes ac lacunas, quibus ſolum circumpoſitum ſcatet; ita ut vix VIII diebus integris tormenta deduci in caſtra potuerint. V Eid. Sept. initium obſidioni factum, praeſidiariis crebra tormentorum diſploſione in Italicum peditatum detonantibus. Archidux ab ea parte, quae Murrham reſpicit, et paludem eo loco latiſſimam, propugnaculum excitavit, aliquot Italorum praeſidio firmatum, ad refraenandas hoſtium eruptiones. Dein pons in palude ſtratus, quo hinc inde commeari poſſet. Sed cum lente omnia adminiſtrarentur, hoſtes interim per alteram munimenti portam libere Zigethum verſus excurrebant: nec cis paludem res melius in caſtris aut ex militari ratione ordinatae. Poſt decem dies conſtructo ponte traductus in alteram ripam exercitus, ita ut arx undique cincta eſſet. Archidux ipſe cum Maximiliano fratre militiae ſocio principale vexillum in deſolati templi ruinis in eodem loco ſtatuit; ubi crebra diſploſione a Turcis infeſtabatur. Caniſae praeerat Haſſen purpuratus, vir pugnax et rei militaris valde

INTERPR. [a] *il conte Sigiſmondo della Torre.* [b] *Mure* al. *Muer r.* [c] *la Drave.* [d] *d'Ancone.* [e] *San Vito.* [f] *Hongrie.* [g] *Dorniſch.* [h] *Gratz.* [i] *Orpheo.* [k] *comte de Zrin ou Serin.* [l] *Coderibe.*

NOT. [1] *lege* Idria, qui eſt une riviere pres de Gorice en Carniole; mais Igna ne ſe trouve point. *Put.*

CIↃ IↃ CI.
HENRICUS IV.

valde gnarus; cui, poena capitis adjecta, mandatum erat, ne locum dederet, ſed obfirmato animo ad perniciem uſque tueretur. Quod ille ſedulo fecit, negata toto obſidionis tempore ſuis cum Archiduce colloquendi facultate. Praeter ruſticorum ingentem numerum ad ruinas ſarciendas et aggerem ducendum intus incluſorum, CIↃ IↃ bellatores, magnam partem praetorianos, ſecum habebat; quibus in treis regiones, quas defendendas ſuſceperat, diſtributis, ipſe ſtrenue rem ubicunque diſcurrens gerebat. Cum infeſta tormentorum diſploſione gravia damna Chriſtianis daret, cuniculis agi coeptum; et eo loco primum, ubi ante annum Caniſienſe oppidum erat a [a] Paradiſio dirutum ac incenſum, propugnacula a noſtris ſtructa, machinaeque in ea impoſitae, quibus brevi cunctas hoſtium munitiones, loricas, ac propugnacula ab ea parte oppoſita demoliti ſunt, adempto obſeſſis tormentorum adeo infeſtorum uſu: turris lateritia inprimis, ex qua Turci continuo fulminabant, non ſine damno obſeſſorum concidit, domo ipſa, in qua Haſſen pernoctabat, ad ictus pervia. Reſtabat foſſa admodum profunda, per quam tribus diſtinctis locis ad hoſtilia munimenta noſtri convectis faſciculis et vimineis doliis viam ſternere aggrediuntur. Vix tandem voragines oppletae, multis in opere occiſis militibus, et pontes portatiles ab Italis alveo foſſae impoſiti, qui ut plerunque ſibi non conſtabant, ita alia atque alia in dies nova belli inſtrumenta excogitabant, et Turcis ea crebris aſſultibus et eruptionibus diſturbantibus inutiliter tempus terebant, pontificiorum jam multum imminuto numero. Tandem exeunte Octobri cum Heberſtenius tempus brumae inſtare, et finem obſidioni imponendum moneret, atque adeo cunctis viribus oppugnationem tentandam, VII Kal. Nov. redintegrata verberatio, dejectiſque oppoſitis propugnaculis, ad quae viae in palude ſtratae tendebant, poſtridie Madruciani et Itali eodem tempore conjunctis viribus Caniſienſe caſtrum, Heberſtenius cum ſuis munimentorum alterum ex terra pingui et intertexto ligno ſtructum invadunt; ſed pontibus quos ſecum portaverant, ad foſſam ſuperandam curtis, conatus fruſtra fuit: anteriores interim poſterioribus urgentibus, qui de pontium defectu ignorabant, et ſocios in aquas ſubjectas impellentibus, quorum pars lutoſis gurgitibus hauſta; pars, quae haerebat, ad Turcorum injurias et ictus certos expoſita: Heberſtenio, qui cingulo tenus aquam ingreſſus fuerat, nihil non voce et exemplo faciente, ut ſuis ad vallum hoſtile perrumpendum animos adderet; ſed cum eodem tempore Madruciani et Itali a caſtro Caniſienſi depulſi eſſent, defenſores ſuis laborantibus praeſto fuere, et noſtros ad extremum repulere. Perierunt in ea oppugnatione ex Chriſtianis plus IↃ: nec minor numerus ſauciorum fuit, quorum major pars poſtea ex acceptis vulneribus ſoluta obſidione periit. Archidux, qui rem minus ex voto ſuccedere doleret, pejora veritus, cum ab incepto nollet deſiſtere, per Jacobum Preinerum aulae ſuae tribunum Matthiam gentilem Caeſarianorum imperatorem de auxiliis ſolicitat. Interim excurſionibus juxta [b] Zigethum, Babozam, Capuſwarum vario eventu pugnatum: deteriore fere ſemper hoſtium conditione. In iis captus Zigethani purpurati tribunus, et [c] Camorrha parva, haud longe a [d] Balathonis lacu ſitum caſtellum, a IↃC Huſſarorum manu crepitaculo admoto, ac terrore ſubſequentis exercitus victoris intentato, receptum. Auxiliaribus a Matthia ſummiſſis ductore Chriſtophoro Hermanno [e] Ruſwormio, viae per paludem inſtaurantur, et pontes longiores ac leviores ſtruuntur; jamque altera oppugnatio decreta erat in XVII Kal. Dec. cum tanta pluvia incubuit, ut conatum deferre neceſſe fuerit: nocte proxima tam aſperum frigus inſecutum eſt, ut plus mille equitum Ruſwormianorum, qui tentoria et caſtrenſem apparatum minime ſecum attulerant, obriguerint, ac

INTERPR. [a] *Paradis.* [b] *Zigeth, Babotzka, & Capoſviwar.* [c] *Comorre.* [d] *lac Balaton.* [e] *Ruſworm.*

ac miſere gelu perierint. Ita ſoluta obſidio, dimiſſis in vicinos pagos confuſe copiis. Tormenta et impedimenta, quod nondum ea craſſitie glacies induruiſſet, ut plauſtra onuſta ferre poſſet, inter coenum glaciemque ruptam hoſtium ludibrio relicta, cadaveribus paſſim equorum et lixarum viis oppletis. Tandem inciſis ligamentis equi ab aurigis abducti, totumque triduum haec ſtrages aſpectu foeda, dictu horrenda, duravit, Ferdinando, Mantuano, Medice, aliiſque belli ducibus, qui in ſtativis remanſerant, tandem praemiſſo Heberſtenio cum ſuo equitatu ſubſequentibus; praeſidiarii ultimum agmen carpentes multos cecidere: qui in caſtris ob vulnera aut debilitatem reperti ſunt, cuncti ſine gratia trucidati. Validiores in ſervitutem abducti incenſis ac dirutis caſtris. Capta in itinere tormenta, quae noſtri fere corruperant. Impedimenta ab Huſſaris ipſis majorem partem direpta. Abeuntibus plerumque vada nova quaerenda erant, quod uſitata curribus, corporibus caeſorum obſtructa, tranſitum equiti negarent. Tandem ad pontem ex navigiis in [a] Murrha ſtratum ventum; et inde miſſae copiae integrae in Serinii ditionem, ut ſe ex labore reficerent. Reliquae [b] Pettovium et [c] Rakelſpurgum conceſſere, ubi plerique ex morbis et frigore miſere perierunt. Ac Pettovii uno die xc Itali ratione inita numerati ſunt; ita ut coemeteria antiqua tot cadaveribus capiendis minime ſufficerent. Ex Madrucianis xii ſignis vix duo ſuperfuere, contagione non ſolum inter milites, ſed etiam ruſticos, qui aegros domi exceperant, crudeliter graſſante.

XIV. Interea res felicius ad [d] Albam-regalem geſta ductu Philippi Emmanuelis Lotaringi [e] Mercuriani, cui Carolo Mansfeldio mortuo ſumma rei a Rodolfo Caeſare delata fuerat. Is iii Non. Sept. Comara cum x cIↃ bellatorum profectus tertiis caſtris Albam venit. Tum unicuique belli ducum, quae petere deberent, ſtativa aſſignata; et in conſilio deliberatum de ſuburbiis capiendis, quae ad urbis vaſtae defenſionem Turci muniverant: et quia a fronte vim facere periculoſum erat, Ruſwormius juſſus ad Zigethanum ſuburbium defenſoribus vacuum, quod nihil ab ea parte timeretur, per paludes viam indagare, qui cum delectis cIↃ faſciculos ſingulos geſtantibus in uliginoſas voragines ruſticis ducibus ſub noctem intrat, quibus magno cum vitae periculo vix eluctatus, amiſſis tantum ex ſuis vii, ſuburbium adoritur et occupat; dato prius, ſicuti convenerat, ſigno, ut eodem tempore ad alia ſuburbia Mercurianus vim faceret. Res ſtrenue ubique tentata. Turci inopinato caſu territi huc illuc diſcurrere, nec quo ſe verterent, ſatis ſcire; noſtris irruentibus et obvios quoſque caedentibus. Tandem in oppidum relictis ſuburbiis trepida fuga conceſſere. Captae xiv aeneae machinae, quas Mercurianus ſtatim contra oppidum direxit, nullum non ſtrenui ducis munus per ſe obiens; ita ut tribunis diffidens plerumque ſe magnis periculis objiceret. Edita ruina cum obſeſſi deditionem facere juberentur, ſuperbo accepto reſponſo Mercurianus iis denunciari jubet, fore ut alium nuncium poſtridie a ſe habeant, et ipſe in oppido ſit coenaturus. Nec exitu denunciatio caruit: nam duobus locis facto impetu noſtri poſt obſtinatum certamen in urbem perruperunt, nihil non contra molientibus Turcis, qui ſe poſtremo in domibus probe, ut rebantur, munitis, ac templis incluſere, in quibus non niſi fere deſtructis tandem caeſi ac capti ſunt. Palatium et major baſilica foedis ruinis deſolata. Haſſen incolumitatem pactus ſe vivum dedidit, in caſtra ſtatim a Mercuriano amandatus; praeda Belgis ceſſit, qui immani intemperie in oppido graſſati ſunt, Germanis ſociis etiam ſpoliatis; nec Pannoniae regum oſſibus pepercere, quae poſt urbem funditus direptam ſacrilega immanitate ab iis revulſa ſunt. Tum inſtauratis

INTERPR. [a] *Muer r.* [b] *Pettaw.* [c] *Reckelsburg.* [d] *Stul-Weiſſenburg.* [e] *duc de Mercœur.*

CIↃ IↃ CI.
HENRICUS IV.

inſtauratis ruinis a Mercuriano Richardus [a] Starembergius Auſtriae regulus cum valido praeſidio urbi impoſitus: ad ejus et majorem ſecuritatem caſtella vicina aut diffugientibus Turcis recepta, aut vi capta ſunt. In munitionibus ſuburbiorum cum noſtri adhuc haererent, auxiliares Turci Buda profecti advenere, qui XX CIↃ bellatorum efficere dicebantur, et per montana circumducto exercitu VI Eid. Oct. ad aggerem Chriſtianum vim faciunt. Quibus conſpectis Mercurianus aciem inſtruit, et poſt aliquod certamen hoſteis in fugam vertit, captis aliquot tormentis; eodemque tempore praeſidiarii alia parte egreſſi hoſtilia caſtra invadunt, et XIV machinas eis eripiunt, quas et ſecum intra urbem abduxere. Poſtridie promota a Mercuriano caſtra, tota nocte inſomni acta. Una erat omnino via, qua commeatus in Chriſtianorum caſtra apportabatur, eique mons mediocri clivo imminebat, quem Turci occupaverant, ut pabulatoribus illac venientibus tranſitum intercluderent. Noſtri Turcos aggreſſi loco dejiciunt, eumque contra crebros hoſtium aſſultus ad extremum tenuerunt. Tribus locis interim concurritur; jamque Huſſari a proelio ſenſim recedere, incumbentibus Turcis, acies noſtra inclinare coeperat, cum reſtituto a ducibus certamine hoſtes extracta in noctem uſque pugna, poſt acrem impreſſionem, ad extremum in fugam ſe conjecere. In eo conflictu ex Turcis bis mille occubuerunt, et in iis Muhamedes Kihaia Budenſis purpuratus; aliquot praetores ac praefecti. Ex noſtris CCC deſiderati, ſed nullius fere nominis. Auctis ſub id frequentia imbrium paludibus cum ſpes omnis Albae capiendae Turcis adempta eſſet, caſtris incenſis ſoluta obſidio. Ruſwormius cum ſuis jam fatigatis Ferdinando ad Caniſam ſedenti auxilio miſſus eo, quem jam memoravi, eventu.

XV. FELICITER a Caeſarianis in [b] Dacia pugnatum. Indictis [c] Claudiopoli comitiis cum a majore parte Sigiſmundus Bathorius, qui aberat, princeps Tranſilvaniae per praeconem renunciatus eſſet, decretumque ut e Moldavia continuo acceſſitus priſtinae dignitati reſtitueretur, eique cuncti ordines parere tenerentur, Stephanus Tſchiakus, qui abſentis vices obibat, homo pervicax et magni animi, ne nihil interim ageret, Michaelis [d] Walachi, qui jam ad Caeſarem profectus Viennae jamdiu ſubſtiterat, uxorem et liberos capi et captos ſub cuſtodia abduci imperat. Qua re cognita, ultra quam dici poteſt animo commotus Walachus Pragam pergit, et a Caeſare admiſſus non omnino ſibi toties ſeu levitatem, ſeu perfidiam Tranſilvanorum experto, praeter exſpectationem accidiſſe dicit, quod de illorum populorum defectione intellexerat. Quos tamen, locorum peritia fretus, ſi modicis auxiliis juvetur, fore dicit, ut brevi ad Caeſaris obſequium pacata tota provincia redigat. Libellum querimoniarum gravium plenum itidem porrexerat, cujus exemplum penes me habeo, quo fidem ſacrae Caeſareae majeſtati vel cum pernicie ſua conſtanter ſervatam conteſtabatur, ab initio repetita ſuorum erga ipſam meritorum, et egregie bello factorum memoria, non ſine occulta ingratitudinis exprobratione, et livoris Baſtae, quem minime nominabat, ſuggillatione, incuſata perpetuo et palam Dacorum, et Bathorianis partibus addictorum perfidia, quo et excuſabat, quod interdum neceſſitati cedens cum Turcis ad ſe miſſis reconciliationem verbis ſimulaſſet, cum re et facto contra illos tanquam juratos nominis Chriſtiani et familiae Auſtriacae hoſteis ſtrenue et conſtantiſſime pugnaſſet. Addebat, ad majorem invidiam, Aaronem antea Dacis et Bathorianis infeſtum, ob fidem conſtanter Caeſari et Auſtriacae familiae ſervatam pari ingratitudine remuneratum eſſe. Is propere redire, et cum Georgio Baſta, qui ad primum motum viribus per ſe impar jam ſe ad limitem receperat, ſe conjungere juſſus, [e] Motinam venit, quo et ex [f] Quadis delectus equitatus cum

INTERPR. [a] *de Staremberg, Seigneur d'Auſtriche.* [b] *Tranſilvanie.* [c] *Clauſembourg.* [d] *Vaivode de Walachie.* [e] *Motin.* [f] *Sileſie.*

eum ſubſecutus eſt. Jam Bathorius a provinciae Ordinibus evocatus exeunte Aprili domum redierat, et [a] Vivaram [b] Rubitio dedente receperat, initio nihil hoſtile prae ſe ferens: nam datis ad Baſtam literis, a Tſchiako decreta ut injuſſu ſuo facta excuſabat, deplorataque ſua conditione ac miſeria, in quam nulla culpa ſua incidiſſet, praeteritorum gratiam ſibi fieri, et, ut novos ad Caeſarem legatos mittere liceret, petebat; de cetero nolle ſe conſilia et rationes cum Tſchiako homine ſeditioſo miſcere religioſe proteſtabatur. Sed homo ad quamvis auram fluctuans ſtatim mutavit, et a Tſchiako perſuaſus cum Michaele et Baſta, antequam majores vires collegiſſent, confligere ſtatuit. Itaque cum XXX CIↃ armatorum circa ſe haberet, ex provincialibus, Hungaris, Moldavis, Coſacis, Tataris, et majorem partem Turcis, collem ſuperiorem ex adverſo Caeſarianorum occupat. Michael et Baſta cum XVIII CIↃ circiter in inferiore colle conſedere Kalendis Sextilibus, cum pridie bis mille equites egregie inſtructi ex Quadis adveniſſent. Poſtridie, cum diu uterque exercitus in procinctu ſtetiſſet, Bathorius morae impatiens, ſub horam quartam pomeridianam in imum deſcendit, et Caeſarianos adoritur, a quorum tormentis in medio clivo diſpoſitis graviter infeſtatus eſt, cum contra tormenta ejus in ſummo colle directa Caeſarianos illaeſos ſupervolarent. Eoque errore factum, ut cum a Caeſarianis repetita ſaepius diſploſione ſolverentur, Belgae acri impreſſione facta mediam aciem perruperint; eodemque tempore hinc Michael, inde Baſta per latera incumbentes, Bathorianos poſt ingentem caedem editam poſtremo in fugam verterint. Occiſa plus X CIↃ memorantur. Capta CX ſigna, et ad Caeſarem perlata, XL omnis generis tormenta. Ex Caeſarianis vix CCC perierunt. Caſtra hoſtilia capta ac direpta. Mox victoribus Claudiopolis patuit, oppidanis, quod defeciſſent, interim in ſacramentum adactis, ac praeſidium impoſitum ſuo ſumptu alere juſſis: ſed major in vincendo inter Caeſarianos duces, quam poſt victoriam concordia fuit, dum alter alteri ſuſpectus occaſionem quaerit. Baſta cum Michaelem hominem vaſta ambitione poſt ſucceſſum ultra modum inſoleſcere videret, primo monitum, ad extremum opprimere ſtatuit; et diſſimulato ejus ſuperbo reſponſo, quo Baſtae, Caeſariſque imperium in ſe nullum agnoſcere palam declarabat, poſt aliquot dies quaſi de magnis rebus cum eo acturus ad ſe vocat. Cum ille ire detrectaret, miſſa ad eum comprehendendum quaſi defectionem meditantem II Belgarum ſigna, ac totidem Germanorum, ad quorum conſpectum homo ferox ita cohorruit, ut minime ſe defereret, ſed ſuorum ope inclamata percuſſorem Germanum ſtricto gladio petit, ac ſuperveniente [c] Biro Tordae praefecto Belga, cum aliorum globo, ſtatim haſta tranſverberatur, cum XLIII aetatis annum ageret; utraque fortuna vel inimicorum judicio inſignis. Corpus nudum cis fluvium ad veſperam uſque indignum in modum ad horrorem jacuit, ſub noctem juſſu Joannis Schneckenhauſi Sileſianae militiae tribuni ibidem terrae mandatum. Occiſo Michaele ſtatim ejus tentorium avide direptum, ſparſa fama, quaſi repertae eſſent inter gazam literae, quibus occultarum cum Turcis machinationum ac proditionum fides fiebat. Quod non tam ad placandos Walachos valuit, populos frequenti dominorum per mutuas caedeis in dies ſuccedentium mutatione gaudenteis; quam ad mitigandam apud vicinos, alioſque principes facti invidiam, ne ut olim in cardinalis Georgii caede et Andreae itidem cardinalis exitio, ſic nunc in Michaelis caede eandem infamiae opinionem Auſtriaci incurrerent; quaſi illis inſitum ac familiare ſit, in regnis parandis, noviſque ad antiquas ditionibus jungendis, ſic indigenarum et primariorum virorum opibus et egregia opera ad firmandas res ſuas uti,

CIƆ IƆ CI.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Viwar.* [b] *Rubitz.* [c] *Bire, gouverneur de Torde, Wallon.*

CIↃ IↃ CI. uti, ut poſtea pro beneficio maleficium rependant, et ſubeunte faſtidio eos tanquam
Henricus IV. ſuſpectos occaſione quaeſita de medio tollendos curent. Bathorius poſt tantam cladem fugienti ubique ſimilis per vaſtas ſolitudines errabat, fruſtra ſolicitato de reconciliatione per literas Baſta; qui ſucceſſum urgens et amoto aemulo Michaele totam fere provinciam ſequenti hyeme Caeſaris imperio ſubjecit. [a] Claudiopolis interim aliquoties a Bathorianis tentata nullo exitu; dein per literas VII Eid. Dec. ad Baſtam datas petit Bathorius, ut ſibi principatu ſuo libere uti frui liceret; Baſta nomine Caeſaris loca munita praeſidiis firmaret. Ad quae nihil aliud a Baſta reſponſum, quam facturum conſulto ipſum, ſi ſe Caeſaris arbitrio permitteret.

XVI. Secundum bellicos ſucceſſus in Italia atque adeo Hiſpania maxime anxios animos tenuit de homine, qui ſe Sebaſtianum Luſitaniae regem eſſe affirmabat ſparſa ubique fama, et ut varie adfecti erant animi, ita varii de ea re ſeminati ſermones; abſurda fere primordia favor hominum primo ſecutus, miris et prodigioſis in mendacio indiciis confirmatus. Nam ſic memorabant: poſt pugnam infeliciter in Africa ad [b] Alcacaeram pugnatam, et cladem non ſolum regno Luſitano ſed rei Chriſtianae univerſae temeritate ſua importatam, cum ipſum cuncti in ea oppreſſum putarent, pudore confuſum et aſpectum hominum veritum obvia celoce conſcenſa Algarbium perveniſſe, curatiſque vulneribus, cum Chriſtophoro Tavora, [c] Averi duce, [d] Redondae comite, orbem terrae obire, Abyſſinorum principis ditiones, aliaſque remotiores provincias luſtrare, decreviſſe. Hoc conſilio in Perſiam uſque penetraſſe, variiſque proeliis ab eo tempore interfuiſſe, ac multa vulnera in iis accepiſſe; poſtea peregrinationum pertaeſum in ſolitarium religione locum conceſſiſſe, et apud Georgianos, ubi adhuc Chriſtiana ſacra ritu peculiari coluntur, cum ſene devoto latuiſſe. Denique anno CIↃ IↃ XCVII ab eo diſceſſiſſe, et nave vectum in Siciliam appuliſſe, praemiſſo Marco Tullio [e] Cotizone Coſentino, qui de incolumitate ſua nuncium in Luſitaniam tanto tempore rege indigena vacuam perferret. Cum is non rediret, ſe in viam dediſſe, ut ad pontificis pedes ſe proſterneret. Sed a famulis inſigni perfidia in itinere ſpoliatum Venetias divertiſſe, ubi a ſenatu, Hiſpano oratore inſtante, in cuſtodiam datus ſit. Ad haec cum oris totiuſque corporis laeva parte brevioris ſimilitudinem, in ſupercilio dextro cicatricem ex vulnere ab infantia notabilem, verrucam in imo pedis articulo haud multum digito minorem oſtentaret, multaque adderet ad faciendam fidem, ſe Sebaſtianum eſſe; Luſitani, in quorum animis incertum plus ad inſaniam uſque improbus in reges ſuos amor, an implacabile Caſtellenſis nominis odium valeat, concurſu facto carcerem circunſtare, ſenatum prenſare, ad novum regem admitti importunis flagitationibus petere. Tandem poſt longi carceris taedia exeunte hoc anno ſenatus hominem interrogatum facto decreto dimiſit, conditione adjecta, ut intra octiduum extra reipublicae fineis excederet. Inter Luſitanos, qui miſero aderant, jam ſe patriae redditos, et Caſtellenſibus pulſis rege Luſitano priſtinam libertatem ac decus antiquum recuperaturos credentes, ſerio conſultatum fuit, quod iter diſceſſuro petendum eſſet; per [f] Rhaetos et Helvetios in Galliam et inde conſcenſa [g] Rupellae nave in Luſitaniam tutius, an per Etruriam labens mentito habitu compendioſiorem viam per mare Tyrrhenum ingrederetur. Tandemque vicit ea ſententia, ut quando altera via per populos Sectaria peſte infectos eundum eſſet, auſpicatius iter per Etruriam deligeret. Verum ſtatim atque Florentiam ingreſſus eſt, Ferdinandi magni ducis juſſu captus, et repoſcentibus Hiſpanis traditus eſt, qui regni brevis ſpe vana ſe ſuſtentantem

INTERPR. [a] *Clauſenburg.* [b] *la Campagne d'Alcaçer quivir.* [c] *Avero.* [d] *Redonde.* [e] *Cotizzone de Coſenza.* [f] *les Griſons & les Suiſſes.* [g] *la Rochelle.*

ſuſtentantem Neapolim tranſportatum, poſtquam coram prorege aliquoties interrogatus eſt, militari judicio tanquam impoſtorem per vicos aſello impoſitum ignominioſe traduxerunt, tonſaque barba ac capillitio, remo in praetoria triremi manciparunt. Luſitani nihilominus ab incepto minime deſtitere; ſed eo ardentius Romae, et ubicunque poterant, fidem hominum obteſtari, et regis ſui, ſic enim jam aperte loquebantur, libertatem urgere. Cum vero Neapoli in Hiſpaniam ad [a] Baetis aeſtuarium juxta [b] Lucaris fanum ductus eſſet, eo acrius in proxima Luſitania per exules eo prorepenteis in ſecreto coitiones fieri, et libertatis ſpecioſo nomine populos ſolicitare. Itaque [c] Sampajus Dominicanus, et alter e B. Franciſci ſodalitio capti, et in furcàm acti ſunt. Apud nos Joſephus Texera e Dominicano ordine, odio Caſtellenſium, larem fixerat, qui ad rei famam in Bataviam, Angliam, Venetias, Romam emendicata undique ab amicis, qui ab itinere moleſto eum dehortabantur, ſtipe, excurrere pro ludo habuit, et cum non ſine vitae diſcrimine Romae aliquot dies manſiſſet, miſerabilis regis cauſam ſcriptis in Italia, et poſtquam rediit in Gallia publicatis, tutatus eſt; ac poſtremo vaticinia, cum aliud non poſſet, nam Luſitani, ut Angli, vaticiniis ſuis multum tribuunt, cumulavit. Nam Alfonſo I Luſitani nominis fundatori divinitus revelatum fuiſſe, gentem ejus non defuturam uſque ad ſextam decimam generationem; ſed et Deum pro miſericordia ſua tunc ad eam reſpecturum. Quod de Sebaſtiano dictum interpretabatur, quem cum cuncti mortuum putabant, poſt multos annos Deus patriae et ſolio avito reddidiſſet. Dum ſe ita homo alioqui bonus, et qui ingenium in concinnandis familiarum originibus praecipue exercuit, inutilibus ſumptibus et peregrinationibus periculoſe ſuſceptis vexat, contracto Lutetiae ex moerore morbo imaginariis pro regni Luſitani recuperatione cogitationibus finem poſtea impoſuit. Tandem pſeudo-Sebaſtianus in arcem concluſus, ſive accelerata, ſive naturali morte, tragoedias in regno Portugalliae, quotidie ex ea cauſa exorienteis finivit; renovata per eum pſeudo-Alexandri, unius et alterius pſeudo-Philippi, pſeudo-Neronis, pſeudo-Balduini, falſorum in Anglia Edvardi V et Richardi fratris, inter Turcos pſeudo-Muſtafarum, ante paucos annos pſeudo-Caroli in Hiſpania, et ejus denique qui ſe Caroli IX filium nuper apud nos venditabat, memoria. Hunc motum portendiſſe haud minus portentum ſuperſtitioſi putabant, tunc in Hiſpania paſſim evulgatum de campana [d] Velillae quae Juliam Celſam fuiſſe autumant, in Tarraconenſi provincia ſponte ſe movente, quae ſonitum edidiſſe menſe Junio et Julio dicebatur. Quod idem miraculum contigiſſe creduli ruſtici affirmabant in Ferdinandi Arragonii, Caroli V, Annae Auſtriae Philippi II conjugis morte, et cum olim Alphonſus V expeditionem in Italiam ſuſcepit, et Siciliam Gallis ereptam occupavit; cum denique Sebaſtianus in Africam ante annos XXIII trajecit. Verum haec ejuſmodi ſunt, ut de iis haud facile niſi oculis et auribus credi poſſet. Sane Hieronymus Surita luculentus rerum Hiſpanienſium ſcriptor, ut virum doctum et Inquiſitionis officio inſervientem decebat, ita de hoc portento verba facit, ut neque rem prorſus negare, neque plena aſſeveratione confirmare videatur: nam cum in rem praeſentem veniſſet, ita ſe affectum dicit, quemadmodum Strabo, cum in Aegypto Memnonis ſtatuam, quam quotidiano ſolis ortu contactam crepare aiebant indigenae, cum Aelio Gallo provinciae praeſide inſpiceret; nam ſonitum quidem ſe exaudiſſe ſcribit; ceterum utrum a baſi, an a coloſſo, an ab aliquo circunſtantium editus ſit, affirmare nolle; et propter cauſae incertitudinem cuivis rei potius id tribuere, quam credere, ut lapidibus ita compoſitis ſonitus edi queat.

XVII. Annum

INTERPR. [a] *Guadalquivir.* [b] *S. Lucar de Barrameda.* [c] *le Pere Sampayo.* [d] *campagna de Velilla en Arragon.*

CIƆ IƆ CI.
HENRICUS IV.

XVII. ANNUM illuſtrium mortibus claudemus. Fridericus Willelmus Saxo, Joannis Willelmi, qui Henrico II apud nos militavit, filius, Joannis Friderici ſeptemviratu ſpoliati nepos, ipſe ſeptemviratus tutor, quaſi finita tutela (nam paulo poſt Chriſtianus II pupillus annum agens XVIII publicam adminiſtrationem VIII Kal. Oct. ſuſcepit) [a] Vinariae ubi natus erat Nonis Quintilibus finem vitae impoſuit, cum annos XL non exceſſiſſet. Ante eum Martinus Garces Arragonius Hieroſolymitani ordinis princeps, cum ſumma prudentiae ac moderationis laude militiae totos VI annos praefuiſſet, Februario ineunte ad Deum migravit. Huic concordibus equitum collegii ſuffragiis ſuffectus eſt Adolphus [b] Vignacurius Gallus vix quinquagenarius, quod raro cuiquam multis abhinc annis contigit; excurſionibus antea contra Turcos clarus, et magnam virtutis, proelio [c] Euriaco ante XI annos, cui regi militans interfuit, gloriam promeritus; quaſi fatale eſſet, ut qui Henrici IV cauſam coelo probatam per haec bella tutatus eſſet, eo rege principatum illuſtriſſimae toto orbe militiae conſequeretur. Literis, et in literatos praecipuo amore ac ſtudio, prudentia et humanitate clariſſimus, Nonis Sextilibus Patavii, ubi ante XLI annos otii honeſtiſſimi ſedem poſuerat, Joannes Vincentius [d] Pinellus origine Genuenſis, Neapoli natus, optime meritam non ſolum de Italia ſua, ſed de toto orbe Chriſtiano animam Deo reddidit, cum aetatis annum LXVIII ageret; in cujus laudibus commemorandis, quas alii ſingularibus libris fuſius pro merito explicaturi ſunt, ne nimius ſim, nunc Tito Pomponio ipſum comparaſſe ſatis habebo; quippe qui Veneti, ut ille Attici, a sereniſſima Republica, quae ipſum impenſe dilexit, nomen promeritus, et in privata vita praenobilis familiae decus ſervans, amicis cuncta humanitatis officia ſedulo ac prolixe praeſtaret, alioſque quamplurimos, quos mutua virtutis opinione in Gallia, Germania, Hiſpania, ac longinquioribus Europae partibus ſibi conciliaverat, diligenti literarum mutitatione coleret, ut non ſolum iis, qui quotidiano convictu fruebantur, gratiſſimus, ſed etiam aliis paſſim quamplurimis utiliſſimus eſſet. Bibliotheca ejus inſignis tot annorum ſpatio et ſolerti cura collecta variam fortunam poſt ejus obitum ſortita eſt, et cum herede conflictata, quod amplius ex Paulo [e] Gualdo Vicentino, qui ejus vitam certe dignam quae ab omnibus legatur, deſcripſit, lector poterit cognoſcere. Poſt Pinellum commemorandus venit Tycho Brahe eques Danus aſtrorum vera ſcientia et obſervationibus longo tempore in ſua [f] Uranopoli et magno ſumptu factis omnium concordibus ſuffragiis principis Aſtronomorum nomen promeritus, qui [g] Cherſoneſo Cimbrica relicta, cum in Germaniam proximam ſe recepiſſet, in aula Rodolfi Caeſaris aliquandiu floruit. Cum Willelmo Heſſo, qui et in eadem ſcientia excellebat, arcta ſtudiorum neceſſitudine conjunctus, et Pragae hoc anno IX Kal. Nov. deceſſit, cum vitae annos LIV, menſeis IX, dies XIX tantum exegiſſet. Vir et ſcriptis a ſe editis ſecundum Ptolemaeum, Joannem [h] Regiomontanum, et Nicolaum Copernicum inprimis clarus, et poſtea a Jacobo Keplero, cui praeclaras ingenii ſui reliquias, ne perirent, quaſi teſtamento legavit, publicatis illuſtrior. Huic addemus Richardum [i] Streinium in Auſtria liberum baronem, antiquitatum Romanarum, quas et ſcriptis illuſtravit, cognitione praeſtantem. Is unam et alteram pro Ordinum Belgicorum libertate defenſionem, ſed ſuppreſſo nomine, veritus Auſtriacorum principum, quibus ſubeſt, offenſionem, publicavit; et poſtremo in theologicis ſtylum exercuit, et ad Robertum Bellarminum admonitionem expreſſo nomine ſcripſit, atque hoc anno in patria in vivis eſſe deſiit. His et accenſebitur Joannes [k] Heurnius perhoneſta familia e Belgio oriunda [l] Ultrajecti natus; qui cum ad medicae artis ſtudia animum appuliſſet, ejuſque in patria fundamenta

INTERPR. [a] *Weimar.* [b] *de Vignacour.* [c] *d'Ivry.* [d] *Pinelli.* [e] *Gualdo de Vicenza.* [f] *Uranienburg.* [g] *Dannemarck.* [h] *Muller, dit Regiomontan, né à Koningſhoven dans la Franconie.* [i] *Strein.* [k] *Heurn.* [l] *Utrecht.*

fundamenta jeciſſet, Lutetiam venit, et Ludovico Dureto regio in ea ſcientia profeſſori eximio operam navavit, tanti praeceptoris non ingratus diſcipulus, et doctrinae ejus ſummus praeco; dein [a] Patavium profectus, ac poſtremo [b] Ticinum utrobique magnos in ea ſcientia praecipue ſub [c] Capivacio et Mercuriali progreſſus fecit, et in patriam reverſus, erecta [d] Lugduni Batavorum anno CIↃ IↃ LXXXI academia ad medicam profeſſionem cum Remberto [e] Dodonaeo Mechlinienſi honorifice a curatoribus evocatus in ſtudiis aſſiduus conſenuit, editis pleriſque ſcriptis; cumque proſpera ſemper antea valetudine uſus eſſet, calculo laborare coepit, cujus cruciatibus totum triennium divexatus, tandem III Eid. Sextil. anno aetatis LVIII, die natali ſuo obiit. In mortui veſica reperti ſeptem calculi nucis juglandis majoris magnitudine et forma, ſinguli drachmas duas pendentes, miſera ad libros adſidue ſedentium ſtipendia. Meruit et David [f] Chytraeus, qui tot virorum, quantum in ipſo fuit, memoriam ab oblivione aſſeruit, ne ipſe indictus relinquatur, qui in [g] Suevia, [h] Brakenheimae Wirtemburgenſis principatus oppido natus, Tubingae et Heidelbergae ſtudiorum tirocinia fecit, et a [i] Megalopolenſibus ducibus evocatus diu Roſtochii profeſſus eſt; ac tandem ſeptuagenario major hoc anno III Non. Quintil. placide ex hac vita migravit.

XVIII. MULTAS et natalibus illuſtres heroinas hic annus in Gallia abſtulit. Nam Aloiſia Lotaringa Nic. [k] Valdemontii, ex Margarita Egmondana Lamoralli qui ab Albano ſecuri percuſſus eſt ſorore, filia, Henrici III vidua, ex nimiis jejuniis attenuato corpore, ſubita hydropiſi oppreſſa, [l] Molinii in Boiis Januario menſe deceſſit, cum vix XL annum attigiſſet, [m] Mercuriano fratre herede inſtituto. Eam ſecuta eſt [n] Maria Borbonia Franciſci Fani-Pauli comitis filia, et [o] Helionori Aureliani Longavillae ducis vidua, jam provecta aetate, [p] Samarobrigae Ambianorum XIII Kal. Maias violenta febre extincta. Nec multo poſt Franciſca Aureliana Helionori ſoror, quae Lud. Borbonio [q] Condaeo alteris nuptiis conjuncta fuerat, ex eoque matrimonio Carolum [r] Sueſſionum comitem ſuſtulit, haud quinquagenaria major Lutetiae Pariſiorum deceſſit III Eid. Jun. Eodem menſe in eadem urbe VIII Kal. Quintil. Henrica [s] Clivia Nivernia Ludovici Gonzagae a nobis toties memorati vidua, fere ſexagenaria debitum naturae perſolvit. Jana denique [t] Coemia, quae Franc. Borbonio [v] Contii principi nupſerat, exeunte Decembri ad [w] Arnoldi-fanum in Carnutibus lethali in ea aetate et anni tempeſtate variolarum morbo correpta pariter extincta eſt, cum intenſo tunc admodum frigore in viam ſe dediſſet, [x] Luceium in Cenomanis tendens, ut nuptiae Annae [y] Montaferiae filiae cum [z] Car. Sueſſione jam pactae celebrarentur.

XIX. REX conſtitutis in limite rebus, cum tempus partus uxoris inſtaret, exeunte Sextili [aa] Fontem-bellaqueum rediit, ubi regina V Kal. Oct. ſanctorum Coſmae et Damiani feſto die, profunda jam nocte ſub undecimam horam, magno non ſolum regis, ſed totius regni ordinum, ad quos fama mox pervenit, gaudio, Delfinum enixa eſt. Publicam laetitiam Pariſienſes feſta tormentorum diſploſione teſtati ſunt, et ubique toto regno civitates; gratiaeque in templis paſſim actae, erectis in certam ſucceſſionis in familia regia ſpem omnium animis, et per eam firma pace in poſterum conſtituta. Nam non ſatis erat ad publicam quietem certum regni ſucceſſorem

INTERPR. [a] *Padoue.* [b] *Pavie.* [c] *Capivacca.* [d] *Leyde.* [e] *Dodonée de Malines.* [f] *Rochhafe* Germ. [g] *la Soaube.* [h] *Brakenheim.* [i] *de Meckelenburg.* [k] *de Vaudemont.* [l] *Moulins en Bourbonnois.* [m] *duc de Mercœur.* [n] *Marie de Bourbon, fille unique de François de Bourbon, comte de S. Paul, & d'Adrienne ducheſſe d'Eſtouteville.* [o] *Leonor d'Orleans, duc de Longueville.* [p] *Amiens.* [q] *prince de Condé.* [r] *Soiſſons.* [s] *de Cleves, ducheſſe de Nevers.* [t] *de Coeme.* [v] *Conti.* [w] *S. Arnoul en Beauſſe.* [x] *Lucé au Maine.* [y] *de Montafier.* [z] *comte de Soiſſons.* [aa] *Fontainebleau.*

CIϽ IϽ CI. ſucceſſorem habere, niſi ex eo prognatus eſſet, cui pacem et ſalutem univerſi
Henricus IV. ſingulique ſuam deberent, et ſub quo ſpes eſſet, ut partum virtute patris per bella Imperium, in pace ullis motibus inconcuſſa, ad Dei gloriam et populorum levamentum olim feliciter adminiſtraretur. Macte his auſpiciis et tam felici augurio puer coelo dilecte, Delfinique fauſtum nomen per tot annos in regia domo intermortuum renovans, regii nominis, quod per has turbas a ſeditioſis calcatum vileſcebat decus in animis Gallorum erige, et divulſas voluntates a patre jam conjunctas porro magis perge conglutinare: ante omnia ad gloriae Dei, per quem et propter quem reges regnant, amplificationem, cuncta conſilia tua, vires ac conatus dirige: juſtitiam ſerva, cum vicinis pacem, cum tuis benevolentiam cole; et in civili adminiſtratione ſic te gere, ut virtuti decus, benemeritis praemia, ſublatis ubique foedis nundinationibus, et avaritiae pabulo, conſtent; et aequabile inter omneis jus ita conſtituatur, ut neque ſacer ordo cultum ac reverentiam erga ſe a ceteris deſideret, neque nobilitas dignitates et honores ſibi deeſſe, neque plebs ſui rationem non haberi merito queri poſſit. Paulo ante eodem menſe Mauritii feſto die Margarita regina Hiſpaniae [a] Mantuae Carpetanorum filiam peperit, eique Annae Mariae Mauritiae nomen impoſitum, haud minore populorum illorum gratulatione, apud quos, ut maſculorum, ſic iis deficientibus foeminarum legitima ſucceſſio eſt. Atque heic libro, atque adeo operi, quod inter bellicos ſtrepitus, urbana et palatina officia, peregrinationes, aliaſque occupationes, aſpirante Deo Trino et Uno, intra XII annorum et VI menſium ſpatium, huc uſque perduximus, finis feliciter imponatur.

INTERPR. [a] *Madrid.*

JACOBI

# JACOBI AUGUSTI THUANI

## HISTORIARUM SUI TEMPORIS

### LIBER CENTESIMUS VICESIMUS SEPTIMUS.

### EPITOME.

N*OVA operis praefatio.* II. VII *Eid. Jan. ad Oſtendam totis viribus oppugnatio tentata. Vario eventu utrinque pugnatum. Albertus animum ad obſidionem obfirmat. Novae munitiones ab utraque parte excitatae. Undecim dierum ſpatio plus* C *naves non ſine damno plerumque intra oppidum acceptae.* III. *Frid. Spinola in Hiſpaniam profectus Philippo auctor fuit, ut* VIII *triremeis ad ſuas adderet, novoſque delectus Ambroſio fratri habere liceret. Sub id irrito conatu tentata Breda a Frid. Bergenſi comite.* IV. *Mauritius Graviam deditione capit. Ad Oſtendam interim variae machinae excogitatae ab Albertinis. Ad Hamontium miles tumultuatur.* V. *Frid. Spinola acceptis* VIII *triremibus Hiſpali cum ſolviſſet, in Anglicano freto a Batavis navibus illac excubantibus multum damni accepit.* VI. *Wachtendonka paene intercepta. Negotium de pace inter Emdanos et comites coeptum interventu Ordinum repetitur.* VII. *Mercurianus re bene ad Albam-regalem geſta laetus in patriam rediens, Norimbergae inopinata morte oppreſſus eſt. Ejus ingenium, mores.* VIII. *Caroli Gonzagae Clivii Nivernenſium ducis longinqua peregrinatio: in Pannoniam deſcendit. Alis purpuratus ab Heiducis interceptus. Ad Budam irrito conatu poſita caſtra. Peſta a noſtris capta. Nivernius fortiter pugnans gravi vulnere ictus.* IX. *In Dacia Baſta ſucceſſus urget. Biſtriciam in fidem accipit. Moyſes Ciculorum dux proelio victus in montana confugit. Bathorius omni ope deſtitutus ultro ad Baſtam ſupplex venit.* X. *Res in Livonia a Sigiſmundo Polono et Carolo Sueco geſtae altius repetitae. Proelio acriter commiſſo Sueci funduntur. Polonorum in victoria crudelitas. Wenda et alia loca circum poſita a Ratzivilio et Sicinskio in poteſtatem redacta.* XI. *Joannes Naſſovius ad Carolum venit, et ſummam ſub eo armorum praefecturam accipit. Carolus ad res conſtituendas domum redit. Leges militares a Naſſovio dictae. Caroli in Naſſovium livor. Diſſidio ducum amiſſa rei bene gerendae occaſio. Ad Rigam poſita caſtra, ſed de Sigiſmundi adventu nuncio allato per tumultum ſoluta obſidio. Rex tandem Seelburgum venit cum Joanne Zamoſcio Polonicorum exercituum imperatore.* XII. *Zamoſcii aliorumque belli ducum et procerum nomine luculentum ſcriptum ad Carolum mittitur. Carolus reſpondet et in Zamoſcium acerbe invehitur. Zamoſcii acerbum itidem reſponſum. Ad Livonos Sigiſmundus ex iiſdem caſtris ſcribit.* XIII. *A verbis ad arma deventum. Rex ab obſidione Wolmariae diſcedit, et Vilnam venit. Zamoſcius ad Wolmariam caſtra admovet, et deditione capit. Zamoſcii et Naſſovii utrinque res geſtae. Naſſovius in patriam redit.* XIV. *In Africam ad Mahometam arcem a Melitenſibus equitibus expeditio ſuſcepta. Claſſis Turcica duce Cicada in Calabriam appulit. Rhegium vaſtatum.* XV. *Praetoriani occaſione Scribae qui in Aſia proxima ſeditioſos fovebat, et ſub portas uſque novae Romae excurrebat, tumultuandi occaſionem captant.* XVI. *Finalium in Liguria ab Hiſpanis*

*occupatum*

*occupatam. Medeſimus portus captus, et milite firmatus.* XVII. *Virorum literis illuſtrium mortes, Lazari Superantii, Maximi Margunii Cytherenſis epiſcopi, Pauli Meliſſi, Martini Rulandi, Gaſp. Peuceri, Fr. Junii, Jo. Paſſeratii.*

Ex auctoribus,

*Oſtendanae obſidionis diario, Gaſp. Ens, Imman. Meterano, Pomp. Juſtiniano, Car. Gonzagae Nivernii relatione, Hungaricis relationibus, Jac. Typotio, relatione M. S. Germanica a Jac. Bongarſio in linguam Gallicam tranſlata, Jo. Naſſovii diario, Zamoſcii et Caroli literis, Turcicis relationibus.*

## LIBER CENTESIMUS VICESIMUS SEPTIMUS.

CIƆ IƆ CII.
HENRICUS IV.

IN deſideratiſſimi principis, qui nunc jucundo Ludovici nomine feliciter imperat, auſpicato natali, cum ante ſexennium ſcribendi finem feciſſem, non putabam fore ut ulla ratione adductus finito potius quam intermiſſo operi manum denuo admoverem; ſatis quippe publicae expectationi, [α] ſatis ad famam factum exiſtimabam, hiſtoria per bella pluſquam civilia ad pacem toto orbe Chriſtiano Henrici magni virtute ac beneficio partam deducta. Nam ab eo tempore nihil fere memorabile apud nos geſtum: tantum quaedam domeſtica, ac majorem partem triſtia occurrunt, nequaquam cum ſuperioris aevi rebus [β] comparanda. Multa etiam conantem deterrebant, recenti adhuc ſenſu indignae gratiae mihi pro tot evigilatis in publicam utilitatem ad nominis Gallici gloriam laboribus repenſae, quae in praeterita et inſtantia reſpicientem melius de futuro ominari non ſinebant; praeſertim cum mihi deinceps cum iis vivendum eſſet, quos iniquos ab initio expertus, ſi ultra pergerem, implacabiles habiturus eram. Nam ad [γ] ceteras moleſtae fortunae importunitates hic cumulus acceſſit, ut cum ſerio de ſeceſſu cogitarem, aeſtu contrario abreptus in aulae ſcopulos rejicerer, quibus affixus animi in horas penderem, et qui in legum obſequio antea conquieſcebam, nunc priſtina libertate novo ſervitio emancipata, precarium veluti ſpiritum alieno nutu ducerem. Ita cum per illorum ipſorum, quibuſcum mihi res eſt, ſive aſtum, ſive livorem privato vivere non liceat, non ſolum laboris ingrati neceſſitas impoſita eſt, ſed adverſus invidiam, et potentiorum odium periculoſum certamen propoſitum, in quo ſi ſuccumbam, ignaviae, ſi pertendam, contumaciae pertinacis crimen mihi ſubeundum ſentio. Vix enim dici poteſt, quantum vitae praeteritae innocentia, ac praecipuum veritatis ſtudium mihi inter noſtros odium conciliaverit, quam graveis inimicitias ingenua mea libertas, et alienus ab omni fuco et factione animus excitaverit, ut quicquid deinceps facturus dicturuſque ſim, ſi remiſſius, ad metum, ſi generoſius, ad ultionem ſint ii relaturi, qui majorem partem hodie efficiunt, et de aliorum fama et exiſtimatione ex ſuo ſenſu, non recta ratione plerumque judicium ferunt. Haec et alia, quae deliberanti in mentem veniebant, ejuſmodi erant, ut conſtantiſſimum quemque ab omni praeclaro conſilio deterrere potuerint. Me vero adſiduis fortunae adverſantis ictibus

fractum

VAR. LECT. [α] ſatis mihi, ſatis ad famam *MS. Reg. Autog.*

[β] comparanda, quae aliis narranda poſt me relinqui, non ſolum mea ſed et publicae fortaſſe rei intererat. Multa *MS. Reg.*

[γ] ceteras, quibus tota vita conflictatus ſum, fortunae importunae moleſtias hic cumulus acceſſit, ut cum deſtinata potius quam ſperata functione depulſus, quaſi Deo vocante ſerio de ſeceſſu *MS. Reg.*

fractum iſtuc aetatis admonere, ut quieti conſulerem, nec in invidioſo opere induſtriam meam diutius [α] fatigarem. Sed facile fuit hominem patriae charitatis amore captum, quique recta conſilia et honeſta emolumentis omnibus et commodis ſemper [β] antepoſuit, in re praeſertim, in qua publica utilitas cum privatis rationibus certat, a ſententia dimovere. Nam cum amici non in Gallia ſolum, ubi plerique mihi metuentes potius quieſcendum ſuadebant, ſed externi a periculo remotiores ex Hiſpania, Italia, Germania, Britannia, Belgio, Pannonia, atque adeo ultima Livonia per literas quotidie ad rem perſequendam hortarentur, nihilque reliqui facerent, quo [γ] me jacentem erigerent, et alacritatem priſtinam, quam ſaeculi ingratitudinem pertaeſus amiſeram, propoſita publica utilitate in me renovarent, eorum tam enixum ſtudium in eam, quam ipſi volebant, partem interpretatus, mihi tandem perſuaderi ſum paſſus, ut ſi otium nactus eſſem, eorum deſiderio ſimul, et publicae utilitati aliquando ſatisfacerem. Sed ſive ad triſtem rerum faciem hebeſcente, ſive deſuetudine ſcribendi pigreſcente animo, ſive denique ob recentem moleſtiarum exantlatarum memoriam reſtitante, rem de die in diem protelabam, cum caſus intervenit prodigio propior, non ſolum Gallis, ſed cunctis orbis nationibus lamentabilis, interitus Henrici magni, qui magnum momentum ad omnem dubietatem tollendam attulit. Enimvero cum principem his deploratiſſimis temporibus quaſi coelo delapſum poſt tot egregie facta omnes ſibi boni ſuperſtitem cuperent, mali etiam in ejus longiore vita praeſidium ſibi repoſitum putarent, fieri non potuit, quin tam indigna ejus morte varie animi ſint affecti; cum alii propriam jacturam dolerent, alii rerum merita reputantes publica commiſeratione non citra indignationem moverentur, alii denique praeſentium ſenſu in impendentium malorum conſiderationem, non ſine ingenti animorum conſternatione, raperentur: ego certe, [δ] qui praecipuo pietatis ſenſu tangerer, minime mihi ſatisfactum putabam, niſi principis de orbe Chriſtiano tam bene meriti manibus ſingulari ac peculiari officio parentarem. Itaque eadem facilitate, qua tantae molis opus ab initio ſum aggreſſus, nunc quoque me vinci paſſus ſum, ut praeteritorum memoriam ſempiterna oblivione eruerem, et obfirmato contra calumnias et obtrectationes animo, intus conſcientia tutus, de cetero ſecurus, fidem amicis datam liberarem. Et quando Deus optimus maximus me tanto principi praeter ſpem et contra votum ſupereſſe voluit, qualecunque otium in hoc aulico comitatu nactus, decrevi reliqua vitae ejus, hoc eſt, decennii, quod ſequitur, res geſtas [ε] ſcriptis commendare.

II. Ab Oſtendana igitur obſidione, quae ad annum uſque quartum protracta eſt, novum intermiſſi operis ducetur initium. Kalendis Januariis diſploſis tormentis ab Archiduce ſalutati obſeſſi, et fama toto Belgio ſparſa de Oſtenda totis viribus oppugnanda: VII Eid. Jan. poſt bis mille ictus contra [a] Santhilliae, Helmontium, et Erinaceum propugnacula diſploſos, ſub veſperam recedente maris aeſtu ſcalis admotis ad vetus oppidum vis facta; quod Franciſcus Veerus, et Horatius frater cum delectis tuebantur. Farneſius bis mille Italos in primo agmine ducebat: hunc ſequebatur Carolus [b] Longovallus Bucoii comes cum totidem Belgis, Dixmudae praefectus cum bis

VAR. LECT. [α] fatigarem. Sed nihil facilius, id proprio doctus exemplo dico, quam probum hominem, qui humanitatis officiis gaudet, qui patriae charitatis amore ducitur, qui recta conſilia *MS. Reg.*

[β] anteponit *MS. Reg.*

[γ] me deſperatione quaſi jacentem *MS. Reg.*

[δ] qui eodem quo ille natus anno, totum quinquennium in ejus caſtris conſumpſeram, ut alias neceſſitudines omittam; me praecipuo pietatis ſenſu tangi ſentiebam, et minime mihi *MS. Reg.*

[ε] ſcriptis mandare, pari qua ſuperiora fide, minore utinam cum invidia: quod ut mihi largiatur Trinus et Unus Deus, cum toto pectore iterum oro ac veneror. Ab Oſtendana *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *De Santhil, Helmont, & du Porc-eſpi.* [b] *de Longueval, comte de Bucquoy.*

CIↃ IↃ CII.
HENRICUS IV.

bis mille item, ad Erinaceum propugnaculum vim fecit. Haec inter Archidux ad machinas bellicas ſedebat, et Iſabella uxor ad cognominem munitionem. Eodem tempore diverſis partibus oppugnatio tentata, ſed ſerius aeſtu jam intumeſcente. Vario eventu ubique pugnatum. Semilunula a Veero aſtu ad expugnationem relicta fuerat, ut eo ſucceſſu hoſtis occupatus aliis locis eſſet ſegnior. Tum laxatae Veeri juſſu [a] cataractae, quod oppugnatoribus valde [α] incommodavit. Interea capta ſemilunula, ſtatimque ex [b] auſtrali propugnaculo incumbentibus Anglis [c] Daio duce, Albertini ccc ex ſuis amiſſis locum deſerunt. In irrita illa oppugnatione magna ab obſeſſis ſtrages edita, Antonius Gambaloita Italicae legionis tribunus deſideratus, Didacus [d] Durangus Hiſpanae [β] tribunus et alii graviter vulnerati. Ex obſeſſis longe minor numerus, quippe vix L occiſi, C circiter vulnerati. Belli duces M. [e] Haefrenus, Nicolaus [f] Leranus, Anglicanarum cohortium plures legati occubuerunt: [g] Horatius Veeri frater grave vulnus in crure accepit. Poſtridie per tubicinem ad ſepulturam petita cadavera, et tribus naviculis avecta. Inter mortuos reperta juvencula habitu virili, pleriſque vulneribus confoſſa, cum monili non mediocris pretii, et catena aurea, quae ſtrenue admodum ſe geſſiſſe dicebatur. Triduo poſt aliquot naves auxiliares ad oppidum venerunt, aliquantum in ingreſſu infeſtatae, quae poſt ſucceſſum non mediocriter obſeſſos recrearunt. Ac poſtridie rurſus XVI aliae naves incolumes appulerunt cum recenti milite, qui ſtatim ad propugnacula inſtructus apparuit. XIX Kal. Febr. per [h] Gulam pleno maris aeſtu X naves commeatu onuſtae ingreſſae ſunt, quae adverſo vento conſiſtere coactae tormentis hoſtilibus graviter infeſtatae fuerunt, ſalvo tamen commeatu. Eodem die Daniel [i] Hartanius Marquetus cum XIV ſignis venit: utrinque toto illo tempore res tormentis acta: recenſitis copiis LXXXI ex vetere praeſidio ſigna numerata, et XXXI nuper advecta, quae magna pompa et ſcloppetorum fragore luſtrata ſunt: poſtea et III naves ex Anglia omni re ad victum neceſſaria appulerunt: per Gulam VIII naves morboſo milite onuſtae egreſſae, quarum III cum aquam haurirent, fruſtra a ſuis petito auxilio, in Alberti manus vita ſalva venerunt. Reliquum menſis munitionibus inſtaurandis, et novis ſtruendis praecipue in vetere oppido inſumptum, praecipua Veeri induſtria ac diligentia: Battenburgus XI Kal. Febr. ex morbo deceſſit, honorifice admodum in oppido ſepultus. Capto transfuga reſcitum, quoſdam ex dedititiis ad mortem damnatos, qui Santandreani propugnaculi dedendi auctores fuiſſe arguebantur. Cum Albertini in munitione Gulae impoſita ſtrenue laborarent, ex [k] Flammenburgo et Pekelo propugnaculis ab obſeſſis graviter infeſtati ſunt. Navis vero inter haec ſine damno oppido V Kal. Febr. egreſſa. Nonis nova munitio ad [l] Vaccarum pontem inchoata, et [m] Groſſendurſtum munimentum [n] palis erectis cinctum ab obſeſſis, qui munitionem Gulae impoſitam indeſinenti verberatione quaſſabant. VII Eid. crebrae per ſagittas in oppidum immiſſae literae, quibus Albertus praeclara quaeque transfugientibus pollicebatur, de dedititiis male mulctatis elevata invidia, quod crebris item transfugiis cauſam dedit. Multi morbo adflictati per Gulam egreſſi, et in Zelandiam miſſi. Multi viciſſim intra oppidum ſine damno accepti. Albertus ad [o] tumulos munitionem, in qua praecipua tormentorum vis, feſtinatis operibus excitabat, quam obſeſſi aſſidue contraria verberatione pulſabant: viciſſim ipſi ad

Santhilliam

VAR. LECT. [α] incommodavit. Heic ingens ſtrages a defenſoribus edita. Interea *MS. Reg.*

[β] tribunus, Alvares Suares S. Jacobi ordinis eques, Simon Antunes item Luſitanus legionis tribunus, praefecti Antuerpienſis vicarius, centurio major, qui paulo ante dum de conditionibus ageretur, Oſtendae obſes fuerat, graviter vulnerati. Ex *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Eſcluſes.* [b] *boulevart du Sud.* [c] *le capitaine Day.* [d] *Durango.* [e] *Haefren.* [f] *vander Leur.* [g] *Horatio, frere du chevalier François Vere.* [h] *la Gueule.* [i] *de Hartain, Sr de Marquette.* [k] *boulevards de Flammenbourg & du Pekel.* [l] *pont aux Vaches.* [m] *fort de Grootendorſt.* [n] *paliſſades.* [o] *Dunes.*

Santhilliam verſus ſeptentrionem in veteri oppido ad mare IV [a] tumulos introrſum ſtruxerant, et in ſingulis duas bombardas collocaverant: novus item [b] agger in veteri oppido, et nova [c] foſſa ducta, veteribus ampliatis et ad mare porrectis, quo in opere CIↃ homines quotidie fatigabantur. XV Kal. Mart. naves II ſine damno egreſſae, et XV ſigna recentium militum itidem duce Edmondo ingreſſa: alii etiam ex navibus, quae in ancoris ſtabant, non ſine magno diſcrimine in oppidum accepti. Tertio poſt die ex Italico transfuga cognitum, Albertum ad perſequendam obſidionem animum obfirmaſſe, et ad portum [d] occidentalem pontem ſternere decreviſſe, quo copias in vetus oppidum trajiceret; et ad ortum aggerem ducere, qui ab arenariis tumulis ad Gulam extenderetur; item cataractas ad [e] Gulam occaſum verſus corrumperet: quod cum reſciverunt obſeſſi, ab iis ad eas partes adhibita pro tempore praeſidia, et ſpeculae paſſim ad diſturbandos irrumpentium impetus ſtructae. Albertus, qui Mauritium in armis eſſe ſciret, et moliturum aliquid minime dubitaret, quas poteſt copias cogit, et, ad obſidionem relicto Jo. [f] Riva legionis tribuno, [g] Gandavum ire pergit. [h] Sequanorum legio, quam Marcus Ria Varamboni marchio ducebat, abdicante ſe, fratri Claudio Ballanſoni regulo ceſſit. Sub id intumeſcente praeter ſolitum aeſtu magnum damnum ab obſeſſis acceptum ad Gulam Pekelum propugnaculum verſus, detonantibus tormentis auctum, et [i] aggere ad portam orientalem perrupto. Extremo menſe VIII naves appulſae, et quantumvis ab hoſte infeſtatae ad oppidum incolumes pervenerunt. Militi praefectus erat [k] Dorthus tribunus; qua eadem nocte agger maris violentia perruptus obſeſſorum diligentia ſartus fuit, et circumpoſitae munitiones. In caſtris paulum res a ſeditione abfuit, fremente milite, et non ad pugnam, ſed ad lanienam abduci ſe querente. Kalendis Martiis V naves intra oppidum acceptae, et dum ſarciendis ruinis utrinque tempus impenditur, Veerus vigiliis et labore feſſus ad curandam valetudinem oppido exit, et in eo Fridericus [l] Dorpius legionis tribunus cum Dortho, Daniel [m] Hartanius Marquetus, et [n] Edmondus ſummum imperium cepere. Poſtridie XXXV naves appulerunt ſine damno, crebra item transfugia ſecuta, immiſſis per ſagittas, ut prius, in oppidum literis, quibus obſeſſi praemiis propoſitis ad defectionem invitabantur. Extra oppidum terra, quae alluvione litori ab ea parte accreverat, vulgo Poldre loco nomen, ab initio optime munita, et a mari poſtea aliquot locis corrupta diligenter ſarta eſt, portus item novus repurgatus, per quem navis una VII Eid. primum egreſſa eſt, quam XXXIII poſtea ſecutae ſunt; et per eundem poſtridie XVI ſine damno ingreſſae, et ſequente rurſus XIII aliae per Gulam, initaque ratione undecim dierum ſpatio plus C naves intra oppidum acceptae ſunt: et III Eid. ſeptem denuo appulerunt, et biduo poſt XXV milite, commeatu, et inſtrumento onuſtae, quae [o] Vliſſinga ſolverant. Toto Aprili, Maio et Junio res utrinque tormentorum diſploſione geſta, nullo praeterea operae pretio. III Non. Quintil. ducum juſſu celebrata obſidionis encaenia feſta tormentorum diſploſione, tintinnabulis templorum deficientibus, mulieres ac pueri pelves pulſare juſſi.

III. FRIDERICUS Spinola, qui ante triennium triremeis in Belgium adduxerat, et inde magna damna Batavis inflixerat, in aeſtuariis latens, et tranquillo coelo ac vento ſecundo in eos excurrens, in Hiſpaniam profectus, Philippo auctor fuerat, ut VIII triremeis ad ſuas adderet, et VI CIↃ Italorum ſibi legere, adjunctis bis mille veteranis Hiſpanis Ambroſio fratre duce, liceret; quos Mauritio cum exercitu adventanti opponeret. Id cum facile Philippo perſuaſiſſet, non ita [p] Fontano Mediolani proregi,

INTERPR. [a] *Redoutes.* [b] *rampart.* [c] *foſſé.* [d] *le Weſt-have.* [e] *Weſt-gueule.* [f] *de Rivas,* [g] *Gand.* [h] *Franc-Comtois.* [i] *digue de la mer prés de l'Ooſt porte.* [k] *le colonel Dorth.* [l] *van Dorp.* [m] *Hartain Sr de Marquette.* [n] *Edmonds.* [o] *Fleſſingue.* [p] *comte de Fuentes, gouverneur de Milan.*

CIϽ IϽ CII. Henricus IV. proregi, ad quem remiſſus fuerat, perſuadere potuit, qui cum terrorem de ſe per Italiam ſpargere, quam pacem habere mallet, veteranos ad ſecuritatem, ut aiebat, publicam penes ſe retinuit. Sed procedente ex Spinolarum pecunia militi ſtipendio, non defuit miles, qui ad delectus reſponderet, et diſciplinam ſervaret. Itaque lecto milite, et in II legiones diviſo, Ambroſius Spinola priori praepoſitus, aſſumpto Pompeio Juſtiniano, qui centurionis majoris officio fungeretur. Alteri Lucius [a] Denticius militari experientia clarus dux, cui attributus Auguſtinus Arconatus. Ii in viam ſe dant, ut eodem tempore, quo Fridericus cum triremibus, illi per terram in Belgium deſcenderent. Sub id irrito conatu tentata Breda a Friderico Bergenſi comite; et cum Adolfus frater Mauritio jam incedenti incurriſſet, poſt obſtinatum certamen graviter ſauciatus, poſtremo in hoſtium manus venit. Interea Ambroſius Spinola ſuperatis Alpibus per [b] Sequanos cum ſuis copiis in Lucemburgenſem agrum, et inde per diſpoſitos equos ad Albertum, qui Gandavi erat, contendit. Is exercitui quem hoſti venienti, et jam [c] Neomago appropinquanti, et Moſam mox tranſituro oppoſiturus erat, Franciſcum Mendozam maris in Arragonia praefectum, et levis armaturae in Belgio tribunum cum ſummo imperio praepoſuerat; dato negotio ut [d] Tilemonem verſus tenderet, cui praeſto eſſe cum ſuis juſſus Spinola. Itaque copiae quae jam [e] Namurcum venerant, ad Tilemonem cum exercitu ſe conjunxerunt, quo poſt tergum relicto, cum aliquantum proceſſiſſet Mendoza, caſtra munivit, cognitoque Mauritium ad S. [f] Truden in Eburonibus conſediſſe, qui locus non plus trium horarum itinere a Tilemone abeſt, cum aliquot dies nulla re geſta conſumpſiſſent, Mauritio recedente, deliberatum inter belli duces fuit, quid facto opus eſſet, hoſtiumne veſtigiis inſiſterent, an [g] Dieſta occupata, et [h] Campiniam emenſi ad [i] Silvam-ducis et Graviam, quae loca tentaturus hoſtis credebatur, eum anteverterent. Sed deficiente ſtipendio quod Spinolanis tutum procedebat, et commeatu, et impedimentis, jam fremente milite res ad Albertum remiſſa, dumque amplius deliberaretur, hoſtis infeſtandi amiſſa occaſio.

IV. Mauritius ad Graviam caſtra ponit pridie Eid. Quintil. capto in itinere Helmonte caſtello haud magni momenti, ne quid, quod ipſi incommodaret, a tergo relinqueret. Gravia ad Moſam poſita cum profunda admodum foſſa, Brabantiam verſus paludibus undique inacceſſis cincta; ſed aggerum, qui in utraque fluvii ripa ad fraenandos aquarum impetus ſtructi ſunt, ratione fit, ut vallum ad cingendum locum facile ducatur. In munitionibus quaqua verſus ſumma diligentia ſtructis, ut loco ſuccurri non poſſet, apertus agger, et ductum vallum. Antonius Avila cum CIϽIϽ delectis Graviam tenebat, qui quae poterat ad ſuſtinendam obſidionem parabat. Ad munimentum oppido praetenſum factus impetus, et poſt acre certamen locus captus; inde propius ad oppidum admotae copiae, ignibus artificioſis immiſſis, qui et domos incendebant, et oppidanos ac militem multum infeſtabant. Mendoza ut obſeſſis praeſto eſſet, Ruremondam venit, ibi in conſilio ſententiis variatum, cum alii locum aliquem tentandum cenſerent, aut [k] Berkam ad Rhenum, aut Wachtendonkam, ut hoſtem ab obſidione averterent, aut vero Raveſtenium occuparent, ut ſuperiore Moſae ripa inſeſſa commeatum ab ea parte impedirent; et ita ſentiebat Grobbenduncanus Silvae-ducis praefectus homo locorum gnarus, quod et probabat Mendoza. Sed in itineris ratione rurſus novae difficultates occurrebant, quod longo circuitu, nec niſi quinque ad minus diebus, ſi extra periculum incederetur, eo perveniri poſſet, quo temporis ſpatio Gravia amitteretur: ſeu compendioſior via per paludes

INTERPR. [a] *Dentici.* [b] *la Franche Comté.* [c] *Nimegue.* [d] *Tilemont.* [e] *Namur.* [f] *S. Truyden au Liege.* [g] *Dieſt.* [h] *la Campigne*, vulgo *Kempenlandt.* [i] *Boiſleduc & Grave.* [k] *Rheinberg & Wachtendonck.*

paludes eligeretur, non niſi magno diſcrimine res confici poſſet. Itaque tentare placuit, an perruptis juxta Raveſtenium munitionibus auxiliares in oppidum immitti poſſent. Id negotii datum Jo. Thomae Spinae legionis ſuppletae tribuno, quem Simo [a] Antunes Luſitanus legionis item tribunus cum CIↃ delectis ſequi juſſus eſt. Eodem tempore, quo illi incedebant, diverſa parte Spinola cum bis mille vim ad munitiones facturus erat; ſed nocte pluvioſa et impeditis itineribus retardati auxiliares re infecta reverſi ſunt; unde deſperata auxilii ſummittendi ratione, Mendoza ex ducum conſilio vaſa conclamat, et [b] Venloam verſus tendit. Mauritius nequaquam propterea vallo egreſſus obſidionem urget, et vim VII Eid. Sept. ad oppidum facit, quae cum non ſucceſſiſſet, eruptione rurſus certatum; ſed lunula, quam obſeſſi ad defenſionem obſtinati tenuerant, amiſſa, et praeſidiariis mortibus et labore aſſiduo multum imminutis, tandem XII Kal. Oct. ſecuta deditio. Praeſidiarii in obſidione deſiderati circiter IↃCCC, et in iis Thomas [c] Dianus et Hier. [d] Nobilis: [e] Placidus Sangrius, et Gaudentius [f] Correttius graviter vulnerati: Mauritius oppidum ingreſſus id hereditario jure crevit. Ad Oſtendam interim in Gula variae machinae excogitatae ab Albertinis, ut obſeſſis aditum ab illa parte intercluderent. Dum in eo laboratur, et obſeſſi omnia ſumma faciunt, ut conatus hoſtileis diſturbarent, a morbis, qui et extra oppidum graſſabantur, multum damni accipiebant, quod ob diruta aedificia tormentorum vi contingere cum animadverteretur, inſtaurandis iis opera impenſa, ita vicis diſpoſitis, ut parum a fulminatione illa infeſtarentur, ictibus ad primum lapſum torpentibus. Nec minore incommodo Mendoza conflictabatur, qui ad [g] Thornum vicum inter [h] Ruremondam et Moſae-trajectum conceſſerat, auditoque militem in propinquo ad Hamontium tumultuare, eo ſine mora ducit, et tormentis directis, cum periclitarentur, equitatus ab peditatu diſceſſit, qui mox venia facta deditionem fecit; ad equitatum perſequendum miſſus Bellijocenſis comes. Illi [i] Hoeſtratum a Gallo-Belga proditum occupant, et fama rei ſparſa plus CIↃ undique confluenteis ad ſuas parteis pertrahunt. [k] Dieſtam ſub id Albertus venit, eoque ſibi Mendozam juſſit occurrere, inde ut locum per ſe debilem firmaret, et tumultuanteis ad officium ſi poſſet, adduceret. Cum nullas conditiones admitterent, XIII Kal. Oct. proſcripti et aqua et igni edicto interdicti ſunt; etiam capitibus perduellium pretio impoſito. Ad quod horridae libertatis ſcripto contumelioſo ab Electo ac ſociis reſponſum eſt, ab Ordinibus paſſim ad invidiam publicato. Dum Hoeſtratum Albertus tendit, certior factus Mauritium jam Graviam cepiſſe, et Breda tumultuantibus auxilia cum commeatu ſummiſiſſe, ipſumque in itinere eſſe; ipſe Venloam deflexit, quam praeſidium accipere detrectare audiverat. Et vix tandem loco milite firmato, quod et idem Ruremondae, et [l] Geldriae, et Trajecti fecit, ubi et Hermannum Bergenſem provinciae praefectum reliquit, ad interiora ſe recepit. Mauritius Germanum equitem dimiſit. Albertus et copias autumno jam incumbente diſtribuit. II equitum alae juxta Trajectum a Batavis caeſae. Inde Tilemonem ubi venit, majorem copiarum partem ad Oſtendanam obſidionem miſit, eique Fridericum [m] Bergenſem comitem praefecit, qui et tumultuantium excurſiones ab ea parte reprimeret. Spinolani multum imminuti [n] Herentalae, Wertae, Lirae ac Damae praeſidio impoſiti: ipſe [o] Gandavum ad Infantem ſalutandam conceſſit. Mendoza ſub id in Hiſpaniam profectus eſt, eique ſuffectus Ludovicus Velaſcus. Rei tormentariae cura, quam Velaſcus obtinebat, [p] Buquoii comiti ceſſit, ejuſque Gallo-Belgarum

INTERPR. [a] *Antunez.* [b] *Venlo.* [c] *Diano.* [d] *Nobili.* [e] *Placido di Sangre.* [f] *Coretti.* [g] *il y a Horn ſur la carte.* [h] *Ruremonde & Maeſtricht.* [i] *Hoockſtrate.* [k] *Dieſt.* [l] *Gueldre, & Maeſtricht.* [m] *le comte vanden Berghe.* [n] *Herentals, Weert, Liere, & Damme.* [o] *Gand.* [p] *Bucquoy.*

CIƆ IƆ CII.
HENRICUS IV.

Gallo-Belgarum legio Philippo [a] Torrenſi attributa. Theodori item [b] Trivultii legio, cum ſub id in Italiam abiiſſet, Alfonſo [c] Davalo, et mox Ludovico [d] Melzio ceſſit. Venerunt in caſtra tunc Petrus [e] Gironus Oſſunae dux, et Joannes Medices bellis Pannonicis magnam gloriam adeptus; [f] Bellijocenſis a Rodolfo Caeſare accerſitus, ut in Pannonia res gereret. Tumultuantes ad [g] Hugardam et Judogniam Albertum male mulctarunt. Eodem tempore Ludovicus Naſſovius cum globo militum in Lucemburgicum agrum deſcendit, et vaſtato [h] Viti fano magnam pecuniam tota provincia corraſit.

V. DUM haec in Belgio agerentur, Fridericus Spinola acceptis VIII triremibus Hiſpali ſolvit, I S. [i] Ludovici, cui [k] Reudonus; II [l] Trinitatis, cui Petrus [m] Fergas; III [n] Occaſionis, cui Avila; IV S. Philippi, cui Rodericus [o] Nervaſius; V Aurorae, cui Petrus [p] Collaltus; VI S. Joannis, cui Ferdinandus Vargas; VII Hyacinthi, cui Chriſtophorus [q] Mongis; VIII Padillae, cui Joannes Soſa praeerant, nomen ſortitae ſunt; quae bis mille quadringentos bellatores portabant. Trinitas et Occaſio in Luſitano litore incumbentibus navibus quae ex Indica navigatione revertebantur a Richardo [r] Leveſono Anglo depreſſae ſunt. Spinola cum [s] Oliſſiponam cum VI reliquis appuliſſet, in aulam accerſitus, non niſi inclinata jam tempeſtate coeptum iter perſequi potuit, et V Non. Oct. in freto Anglicano primum conſpectae ſunt, a II navibus Batavis, quibus Tigris et Pelicanus nomina; dein et a Roberto Manſello maris Anglici praefecto juxta Caletum diſploſo majore tormento ex praetoria, ſignum datum Batavis navibus hac illac excubantibus, quae ſubito convenerunt. Philippus et Aurora poſt obſtinatum et multoties repetitum certamen modo in Anglicano, modo in Belgico litore quaſſatae, ad extremum multis amiſſis et ceteris captis demerſae ſunt. Duae ad [t] Neoportum receptum habuerunt: una ad Caletum naufragium fecit, mancipio libertas data: ultima, qua Spinola ferebatur, ad Dunkerkam roſtrum illiſit. Cum tribus pro tempore inſtauratis [v] Sluſas Fridericus contendit, adducta legione Hiſpana cui Joannes Meneſes Luſitanus eques praeerat; ad eum Ambroſius frater protinus ſalutandum venit, captoque conſilio ad eluendam adverſae fortunae aliquo operae pretio invidiam Pompeium Juſtinianum cum octo cohortibus ad ſe venire jubent, et de exſcenſione in [w] Walacrinam Zelandiae inſulam facienda ſerio cogitatum, condicta ad Natalis pervigilium die; ſed tempeſtas ſuborta, irritum conatum reddidit, allatis interim ab Alberto literis, quibus Fridericus copias a Juſtiniano adductas ad tumultuantium motus compeſcendos in Brabantiam remittere jubebatur.

VI. SUB id et [x] Wachtendonka ope unius ex praeſidiariis a Matthaeo [y] Dulcheno [z] Straelis praefecto paene intercepta eſt. Arx amniculo ab oppido diſcluditur, ad quam admiſſus miles ille et cum eo Dulchenus, et XIII delecti, qui in navicula palea onuſta latebant, praeſidiarios ex improviſo irrumpentes obtruncant, et arcis praefectum capiunt. Oppidani cum ex altera ripa caſu territi, ſuperveniente cum ſuis Henrico Bergenſi comite, qui in propinquo rei eventum opperiebatur, de deditione cogitarent, Batavi forte apparuere, qui deliberantibus animos fecere, ſerius adventante cum auxiliaribus Hermanno Henrici fratre, cum jam [aa] Meurſia, Berka ad Rhenum, Schenkiana arce et Neomago tria peditum CIƆ, et CIƆ circiter equites a Batavis accerſiti veniſſent. Ad eorum adventum, qui arcem tenebant, honorificis conditionibus eam dediderunt. Id extremo anno actum, cum jam Trivultius ex Italia rediiſſet,

INTERPR. [a] *de Torres.* [b] *Trivulzi.* [c] *Davalos.* [d] *il cavalier Melzi.* [e] *Giron.* [f] *le comte de Belgioioſo.* [g] *Hougarden, & Judoigne.* [h] *S. Veit.* [i] *San Luis.* [k] *Reudon.* [l] *la Trinitad.* [m] *de Fergas.* [n] *l'Occaſion.* [o] *Nervaſio.* [p] *Colliado ou Collalto.* [q] *Mongis.* [r] *Leveſon.* [s] *Lisbonne.* [t] *Nieuport.* [v] *l'Eſcluſe.* [w] *Walcheren.* [x] *Wachtendonck.* [y] *Dulchen.* [z] *Straelen.* [aa] *Meurs, Rheinbergen, fort de Schenck, & Nimegue.*

rediiſſet, qui equitatus vicaria praefectura, abdicante ſe illa ob ſenium Nicolao Baſta, donatus eſt, et Bellijocenſis praefectura Bartholomaeo Sanctio attributa. Belgica proxime attingunt res Friſiae, in qua hoc anno [a] Embdae ad ſummas anguſtias redacti comites Friſiae Orientalis, qui arcem urbi impoſitam habent, eaque munita [b] Amaſum fluvium ſubjectum oppidanis infeſtum reddebant. Interpoſuerant partes ſuas [c] Ordines foederati Belgii, qui cum viderent comitis fratrem in Alberti archiducis aula verſari, eas molitiones Hiſpanorum inſtigatu fieri rati, laborantibus Embdanis auxilia ſummittunt, eoque comitem poſtremo adigunt, ut amice cum oppidanis tranſigi ſibi neceſſarium duceret. Itaque miſſi Hagam legati, qui ſe apud Ordines excuſarent, et [d] Delfiſilae conventis pactis ſtare paratum demonſtrarent. Viciſſim et Ordines ſe apud Caeſarem et ſeptemviros purgarunt, quod Embdanis a comite infeſtatis qui ad Imperium pertinent, auxilia miſiſſent; id ſe non ut Imperio controverſum jus facere, aut Caeſari ulla in re praejudicare in animum induxiſſent, ſed tutelae propriae cauſa feciſſe; quippe qui ſic exiſtimarent, quod comites facerent, in gratiam et inſtigatu Hiſpanorum facere; ſuſpicionem eam adjuvare, quod frater comitis in Alberti aula praecipuo loco ſit, et ipſe Albertus in pace [e] Vervinii nuper conventa titulos comitis Friſiae Orientalis ſibi ſumat. Itaque nemini mirum videri debere, ſi ſibi, aut amicis, ac vicinis in tali occaſione minime deeſſe conſultum duxerint. Secundum haec negotium de pace inter comites et Embdanos coeptum interventu Ordinum repetitur; de cujus exitu poſtea videbimus.

VII. In vicina Germania nihil proprium, armis Turcicis tantum omnia ſtrepebant. [f] Mercurianus ſuperiore anno re bene ad Albam-regalem geſta laetus, et comparatione improſperi ad Caniſam ſucceſſus clarior, cum Pragam ſub id excurriſſet, a Caeſare ingenti gratulatione exceptus eſt; et ita ab eo diſceſſit, ut fidem obſtringeret, fore, quamprimum res domeſticas ordinaſſet, ut ad bellum in Pannonia gerendum, cujus ſummum imperium ei denuo delatum eſt, protinus petita a rege venia reverteretur. Sed quo minus fidei datae et tam laudabili deſiderio ſatiſfaceret, inopinata morte, quae revertentem Norimbergae oppreſſit, prohibitus eſt. Fuit elato ingenio, et ad magna nato, profunda prudentia, cunctantior natura; ubi periculum inſtaret, in eo diſcutiendo ſolers et praeſenti animo. Cum vero primarium armorum robur in Gallia ultimis bellis ſecundum Meduanium penes illum fuiſſet, magnum etiam laudis decus [g] Cratumnenſi proelio meruiſſet, pace facta in ordinem cogi aegre ferens, ultro praeclarae huic militiae nomen dederat, et in ea potius procul a patria, dilectiſſima conjuge, et unica filia opulentiſſimorum bonorum herede certus conſeneſcere, quam ignavo otio domi marceſcere, aut committere, ut gloriam jam partam, et porro majorem his initiis ſecuturam inertis aulae noſtrae fumis poſthabuiſſe videretur. Obiit XI Kal. Mart. cum aetatis XLIII annum attigiſſet.

VIII. Hujus aemulatione jam in illa aetate Carolus Gonzaga [h] Clivius Nivernenſium dux, longinqua peregrinatione ſuſcepta, poſtremo in Pannoniam deſcendit, et tam illuſtris militiae decori participare voluit. Caſtrorum circa Oſtendam obſeſſam artificioſam metationem ante omnia luſtravit, ad [i] Neoportum ab Infante magna gratulatione exceptus; inde in Angliam venit, itidem ab Eliſabetha perhonorifice exceptus; inde per Zelandiam ad Batavos tranſiit, novi principatus vel Hiſpanis ipſis formidoloſi urbes opulentas, reipublicae ordinationem, vires ac robur [α] miratus. Per Germaniam deinde iter habuit, et ſalutato Brandeburgico, Saxone ſeptemviris,

VAR LECT. [α] Miratus. Cum Mauritio principe qui poſt patrem tanti imperii alter conditor merito creditur, belli praecipuo duce, aliquoties confabulatus eſt. Per Germaniam *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Embden.* [b] *Ems r.* [c] *les Eſtats des Provinces Unies.* [d] *Delfziel.* [e] *Vervins.* [f] *le duc de Mercœur.* [g] *de Craon.* [h] *de Cleves, duc de Nevers.* [i] *Nieuport.*

CIↃ IↃ CII.
HENRICUS IV.

ſeptemviris, et Pragae denique Caeſare, inde in Poloniam Cracoviam uſque excurrit; unde Viennam mox rediit, et Matthia ibi pariter ſalutato, et inſtrumento militari ſibi neceſſario comparato, exeunte Sextili in Caſtra Caeſarea ire perrexit, cum Alba-regalis a Turcis obſeſſa in ſummis anguſtiis verſaretur. Nam Heiduci, qui ſuburbium ante urbem munitum diu tenuerant, vi facta ad unum fere omnes trucidati fuerant. Ad Pappam convenerant auxiliares copiae, Nadaſtio Pannoniae regulo duce, cum quo Nivernius per biduum fuit. Quo tempore urbs cum damno noſtro amiſſa eſt; continuoque Javarinum ineunte Septembri proficiſcitur. Hermannus Chriſtophorus [a] Ruſwormius magnus caſtrorum praefectus cum ſummo imperio exercitui praeerat, a quo petita venia Nivernius cum delecta manu caſtra hoſtium unius diei itinere diſſita adducto ſecum Turriano comite contemplari voluit, et bis mille, qui in fronte exercitus leucae ſpatio excubabant, adortus diſturbavit; pleriſque caeſis, et nequicquam Turcis majore numero inſequentibus ad ſuas incolumis rediit; cum incertum eſſet, quid Turci cum tantis copiis molituri veniſſent, an [b] Tſchiaco in [c] Dacia laboranti contra Baſtam praeſto futuri, an vero [d] Strigonium petituri. Alis purpuratus, qui Caniſae praefuerat, et tunc Peſtam praeſidio tenebat, dum navigio per Danubium devectus Aſſano purpurato primario obviam proficiſcitur, ab Heiducis, qui Camorae in praeſidio erant, interceptus eſt; ex quo cognitum, Sultanum eo anno in [e] Pannoniam minime venturum, verum Aſſanum miſſum, qui cum numeroſo exercitu [f] Albam-regalem reciperet, et Strigonium omni ope expugnaret: juſſos XL CIↃ Tataros, ubi obſidioni principium factum fuerit, in armis eſſe, et excurſionibus circum omnia infeſtare, Budam et Peſtam commeatu et valido praeſidio idonee firmare. Inde re ad Matthiam delata, in conſilio belli ducum decretum fuit, ad diſturbanda hoſtium conſilia, antequam majore numero convenirent, Budam petendam. Eo Ruſwormius cum XX CIↃ peditum et V CIↃ equitum nulla mora interpoſita ducit; ductoque vallo cum confuſa in urbe videret omnia, ad partem inferiorem continuo vim facit; quam et facile capit, Turcis in ſuperiorem ſe recipientibus. Ponte Peſtam cum urbe conjunxerant Turci, cujus beneficio hinc inde commeabant, et ſuppetias laborantibus ac commeatum neceſſarium ferebant. Eo rupto cum noſtri vireis hoſtium dividi animadverterent, artificioſis ignibus onuſta navigia in fluvium demittunt, quibus accenſis cum prope eſſent, tormentorum vi, et incumbentibus noſtris, pons abrumpitur; eodemque tempore ſcalis admotis ad Peſtam totae vires vertuntur; ac tandem poſt magnam caedem editam, cum obſeſſi initio deditionem fruſtra petiiſſent, et ſe ad loca munita non auditi contraxiſſent, partim vi, partim pactione locus in noſtrorum manus devenit. Reſtabat urbs in altera fluvii ripa, ad quam ſine cunctatione ponte inſtaurato oppugnatio decernitur. Dum in eo ſunt, auxiliares Turci ſpe citius apparuerunt, et [g] Colonitium cum turma valida equitum praemiſſum, qui velitationibus hoſtem diſtineret, incumbentes majore numero fundunt, ita ut Ruſwormiani, qui ad Peſtam ſedebant, eventum expectantes, paene a ſuis ſint diſſipati. In eo conflictu magnum praeſentis animi ſpecimen edidit [h] Nivernius, Martinengo comite, qui juxta cum ſtrenue pugnabat, interfecto. Tandem collectis animis, firmata novo milite Peſta, decreta oppugnatio, et quia tempeſtas jam inclinabat, XI Kal. Nov. tentata. Magna vi utrinque res geſta: cum noſtri defendentibus ſe ſtrenue obſeſſis fatiſcerent, Nivernius juvenili ardore accenſus, dum cedentibus in primis ordinibus pugnans animos facit, gravi vulnere ictus eſt, majoris ſcloppeti glande inter pulmonem et pericardium in laevam ſcapulam penetrante, qua tamen nullae partes vitales laeſae ſunt; ceterum

exportato

INTERPR. [a] *Ruſworm.* [b] *Tſchiak.* [c] *Tranſilvanie.* [d] *Gran.* [e] *Hongrie.* [f] *Stul-Weiſſenburg.* [g] *Colonich.* [h] *le duc de Nevers.*

exportato illo miles jam toties repulſus poſtremo a certamine diſceſſit. Bis mille et IƆ ex noſtris illa oppugnatione amiſſi, ſtatimque re deſperata, tormenta in caſtra reducta, et denuo novus miles Peſtae impoſitus: Turci viciſſim Buda commeatu et recenti milite firmata huc illuc per praeſidia dilapſi ſunt.

IX. Parte diverſa in Dacia Baſta ſucceſſum urgebat, et cum ſuperiore anno tergiverſantem Bathorium inſigni clade adfeciſſet, ad [a] Biſtriciam vireis vertit, in quam nobilitas a Caeſare aliena et opulentior quiſque precioſa ſua congeſſerant. Verberatione facta [b] Gallo-Belgae et Germani confuſis ordinibus irrumpunt, cum damno ab oppugnatione depulſi; quo ſibi cautius agendum ratus Baſta, ut terrore injecto obſeſſos citra periculum ad deditionem compelleret, denunciatione publica oppugnationi diem dicit, et praedam opulentiſſimae urbis eorum, qui ſtrenue rem gererent, fore pronunciat. Itaque ad vim faciendam cum ſe pararet miles, oppidani per fecialem vim deprecantur, et conditionibus ſe agere paratos oſtendunt. Perſcriptis illis, cum quaedam mitigari peterent, redintegrata verberatio, et inde milites a praedae ſpe incenſi geſtire, hinc direptionis metu oppidani trepidare: Bathorius ipſe per Nic. [c] Ugnadum a Baſta pacem petit, et pro obſeſſis, quos aequis conditionibus tranſacturos dicit, fidem interponit, ſe vero in Caeſaris fide ac poteſtate fore pollicetur. Itaque Baſta veritus, ne ex deſperatione animi obſeſſis redirent, tandem in has conditiones urbem in fidem accipit, ut Biſtriciani pro mulcta xxx talerorum CIƆ penderent; liberum eſſet oppidanis domi manere; qui urbem relinquere mallent, in tutum deducerentur, vita ſalva et bonis, quae avehere ſecum poſſent. His tranſactis ccc circiter urbe exeunt, cum xc carris, in quibus foeminas ac liberos cum pretioſa ſupellectile depoſuerant. Baſta ingreſſus ante omnia ſacrum ſolemne ritu majorum celebravit, publicoque praeconio cavit, ne quis dicto factove contra quam promiſerat, cuiquam injurius eſſet. Verum inſigni perfidia a milite illuſum edicto fuit, ccc illis dedititiis in ſervitutem abductis, et omni re ſpoliatis; quamvis Baſta in ſpeciem et ceteri duces contra obniterentur. Quod exſecratus Ciculorum dux Moyſes libertatis patriae defenſor, et cum Turcis conſilia communicare inſimulatus, protinus inſtructo milite, cum magnae nobilitatis parti non placere leges a Baſta dictas oſtenderet, proinde alias tolerabiliores ferret, ob idque hoſtis judicatus eſſet, citra Mauriſum ſe recepit, tandem proelio juxta [d] Albam-Juliam commiſſo victus in montana confugit. In eo IƆ Baſta, ipſe ter mille amiſit, omnis generis et ex omni gente collectam multitudinem, eoque minus fidam, et dicto ducum audientem. Bathorius omni ſpe deſtitutus, ubi ſe de Moyſis molitionibus quaſi ſe inſcio et contra pugnante factis prius purgavit, ultro ad Baſtam ſupplex venit, et in Caeſaris poteſtate ſe porro futurum denuo confirmavit; cum eoque victore tanquam captivus Albam-Juliam ingredi et in triumphum duci pertulit: ſummique poſtremo beneficii loco meruit, ut inter Bohemici regni barones, quos vocant, ſpeciali privilegio allegeretur; ubi tot adoreis mactus dux, qualis ubique et maxime per Italiam paulo ante jactabatur, et nuper Caeſaris adfinitate ſubnixus, nunc vero ab ea cum naturae dedecore dejectus accepto annuatim viatico ſegnis et inglorius conſeneſcit.

X. Multa et hoc anno in Livonia acciderunt Carolo Sueco adverſa poſt ſuperioris anni ambigui ſucceſſus expeditionem, quae et infeſtam in provincia moram illi poſtremo fecere. De quibus antequam dicamus, dabit veniam lector, ſi quae per partes annis divulſas in finito jam opere executi ſumus; nunc certiora nacti, ex



INTERPR. [a] *Beſtereze* Hung. & Germ. *Noſenſtat.* [b] *Wallons.* [c] *Ugnadi.* [d] *Weiſſenburg.*

CIↃ IↃ CII.
HENRICUS IV.

relatione ab homine harum rerum inſpectore Germanice ſcripta, et mihi a fide dignis communicata continuo ſermone repetamus. Cum bello, fame horrenda, belluis rabie efferatis ubique in cadavera paſſim jacentia ſaevientibus, peſte denique, quae haec omnia conſequi ſolet, diu vexati eſſent populares, inde a Suecis, inde a Polonis indignum in modum lacerati; affectu nunc in illam, nunc in hanc partem propendente; ultimum ſeu neceſſitatis, ſive deſperationis telum in eos intortum, expulſis ubique Proteſtantium paſtoribus, templis deſtructis, et in religionis profeſſione adempta libertate: quae res eorum animos a Polonis majorem partem alienavit. Hinc Sueco majus, quam a propriis opibus, in Livonia robur, qui [a] Parnoviam, Solenem, Ubervalenen, Leiſſam non intermiſſo victoriae curſu cepit, et ad [b] Felinum tandem, auctis cum ſucceſſu animis, locum inexpugnabilem creditum, caſtra poſuit, quod Hungarorum praeſidio tenebatur, et tandem poſt aliquot certamina deditum fuit. Diverſa parte [c] Ferensbachius cum CIↃ IↃ circiter Livonis, et IↃ Polonis excurrens variis certaminibus Carolinos laceſſebat, pleriſque ex iis occiſis. Necnon aſtu a Polonis graſſatum. Carolum Caroli principis naturalem filium, adoleſcens quidam transfugam ſe fingens, et indignum in modum a Ferensbachio habitum, adit, et [d] Karkuſium capi facilem oſtendit, locum omni commeatu abundantem, et in quo Ferensbachius pretioſa ſua omnia congeſſerat. Carolus nothus eo a patre cum IↃ delectis mittitur, qui ducem viae transfugam ſecutus, per impedita ſylvis loca deducitur; inde proditor cum jam in propinquo eſſet, admiſſo equo procurrit, quaſi ſignum conſciis daturus, et Ferensbachio monito a circumpoſitis inſidiis circunfuſus Carolus cum ſuis caeditur. Carolus pater ultione ardens, locum continuo corona cum totis copiis cingit. Sueci e Finlandia evocati a Sigiſmundo rege loco impoſiti fuerant, qui ſtrenue admodum rem geſſerunt, et repulſo ſemel atque iterum Carolo, ad extremum deditionem fecere honeſtis conditionibus; quippe ſignis explicatis a victore in tutum deducti. Ingens omnium rerum copia in oppido reperta, et Ferensbachii praecipuae opes, quas ille, percontantibus cur non in locum tutiorem veniente Carolo aſportaſſet; jactabunde reſpondit, id conſilio feciſſe, ut Carolus vel victoria ſua cognoſceret, cum homine nihili ſibi rem non eſſe: is tamen qui penes ſe tantum bis mille armatos habebat, cum Sueco victore, qui XX armatorum CIↃ exercitum ſecum trahebat, quid amplius agere poterat, quam velitaribus proeliis homines plus numero, quam virtute militari valenteis laceſſere? Quod ille ſtrenue fecit, donec Chriſtophorus [e] Ratzivilius Lithuaniae praeſes Vilna tandem in provinciam cum regiis copiis venit, unde aequata quaſi fortuna concurrentibus utrinque hinc Polonis, hinc Suecis et Germanis admiſtis, nullo non genere in miſeros Livonos crudelitatis ſaevitum. Horrorem incutiunt, quae de licentia militari memorant, virgines paſſim impune ſtupratae in parentum etiam conſpectu, et mulieres, coram maritis ad palum alligatis aut ſubſtratis, itidem violatae. Dum direptionibus occupatur miles, [f] Lappis ſupervenientibus juxta [g] Syſdegallam ingens clades accepta, et CIↃ CC ſumma ipſorum ignavia trucidati, ad ſpectaculum ſedentibus Matthia [h] Debimskio, Ludovico [i] Veiero, Leone [k] Sapiha, Kryskewitio, aliis, cum ipſo Ferensbachio. Inde ad [l] Wendam promota caſtra cum VII armatorum CIↃ, ubi terrore injecto cum [1] Sueci ſe voti compotes crederent, pedite hoſtili incumbente ducibus Gul. [m] Spigelio, et Othone [n] Fittingo averſi ſunt, et glacie, dum ſe per flumen recipiunt, diſſiliente plerique miſerabili caſu merſi. Quo facto Poloni in Lithuaniam proximam ſe recepere, Kokenhauſeno in

itinere

INTERPR. [a] *Pernau, Solen, Oberpalen, & Leiſs.* [b] *Felin.* [c] *Farensbach.* [d] *Karkus.* [e] *de Ratzivil.* [f] *Lappons.* [g] *Syſdgall.* [h] *Debinski.* [i] *Wierzeicki.* [k] *Sapieha, & Kryskewitz.* [l] *Wenden.* [m] *Spigel.* [n] *Fitting.*

NOT. [1] *forſan* Poloni.

itinere crudeliter direpto, et [1] Debimskium ad Suecorum vim expoſitum deſtituerunt, qui ad arcem ſuam [a] Pobotgam ſe contulit, in qua paulo poſt ab omnibus deſertus, Ferensbachio ipſo captus eſt. Digreſſis Polonis Decembri menſe Sueci ad [b] Torpatum omnem vim vertunt, ſecundum [c] Revaliam et Rigam, tota Livonia urbem opulentiſſimam, quae praeſidio tenebatur, ducibus Georgio [d] Skemringio, Henrico [e] Stammelo, et Hermanno [f] Wrangelo; qui poſt aliquot eruptiones et oppugnationes, cum nulla auxilii ſpes eſſet, deditionem cogente multitudine fecere, ipſi capti, civitate a direptione ſervata; non item arx, quae militi in praedam conceſſa eſt. Sex menſium ſpatio, hoc eſt, a Quintili uſque ad anni CIↃ IↃ CI Februarium tota fere Livonia ſub Caroli imperium conceſſit, non tam ſuorum virtute, quam Polonorum dominandi impotentia et ignavia; ſolis ad Duinam oppidis et arcibus exceptis, [g] Duna-munda, Riga, Kokenhauſena, [2] Schuaneburga, et aliis in Moſcico limite poſitis. Inde ad Rigenſeis a Carolo datae literae, quibus eos ad deditionem hortabatur; a quibus hoc reſponſum, quando Carolus totius Livoniae potens eſſet, ſe quod ſui officii eſſet facturos. In [h] Semigalliam poſtea tranſmiſſo Duina deductae copiae, quae Rigenſibus magna damna intulerunt, incendio tamen abſtinuerunt. [i] Tridena capta, inde [k] Reſittum ducitur, quod a Matthia [l] Karkosfikio tenebatur cum CC Heiducis, qui ad reſiſtendum impar Starebergum [3] Aaroktevii in vicinia praeſidii praefectum per literas invitat ad expeditionem contra Germanos imparatos ſuſcipiendam, quibus oppreſſis, et praeda potiti, ipſi conjunctis copiis e provincia exirent. Quod adverſatus Starebergus, Germanos monet, ut ſibi caverent, qui aſſumptis ſecum ruſticis in Karkosfikium vim faciunt, et capto Reſitto, eum cum uxore et liberis immaniter trucidant, et locum Carolo tradunt. Hoc ſucceſſu ad Kokenhauſum exeunte Martio caſtra poſita, cui [m] Kouſzowechius praeerat, qui ſacramento ſecum Staniſlaum [n] Ruboskyriskium expertae virtutis militem, [o] Staurotam, Czyganskium, Bialoſſonum Roxolanum, inſuper oppidanos, qui arma ferre poterant, ad unum omneis adegit extrema quaeque paſſuros, antequam in deditionem conſentirent. XI Kal. April. oppugnatio totis viribus a Carolo facta, in eoque certamine ſcloppeti ictu ipſe [p] Kniaſzum Polenbiskium tranſverberavit. Poſtridie altera oppugnatione urbs capta, Polonis in arcem ſe recipientibus, et tormentis, quae in poteſtate habere cupiebat Carolus, in foſſam praecipitatis. Miſſus tubicen, qui deditionem imperaret, ictibus ſcloppetorum pro reſponſo ſternitur. Interea in limite, qui Lithuaniam tangit, Poloni Livonia digreſſi cuncta vaſtabant, et metu Suecorum Curlandia tota diffugiebant omnes, cum Sicinskius e nobilitate provinciali homo primarius ex Polonis fugitivis ad IↃC relegit, et cum CC equitibus ad [q] Bierſenem in limite poſitum oppidum VII a Kokenhauſeno milliaribus conſedit, Suecos venienteis excepturus. Et jam Sueci a Carolo miſſi in Lithuaniam deſcendebant, quos Sicinskius cum CCCC irrumpenteis ſtitit, et poſt leve certamen ex juvene a Coſacis capto cognoſcit, Carolum ad Kokenhauſenam arcem cum XVI bellatorum CIↃ adhuc ſedere, qua capta cum ſex millibus in Lithuaniam venturum: quod ubi inter Polonos diſſeminatum fuit, parum abfuit quin illi oppidum deſererent,

INTERPR. [a] *Pobotge en Livonie.* [b] *Derpt.* [c] *Revel, & Riga.* [d] *Skemring.* [e] *Stammel.* [f] *Wrangel.* [g] *Dunemund, Riga, Kockenhauſen, & Schwanebourg.* [h] *Semigalle.* [i] *Treiden.* [k] *Roſitten.* [l] *Karkofzki.* [m] *Kouſzmoweki.* [n] *Ruboſſzijrzki:* [o] *Staurota, Cziganski, & Bialoſſon Ruſſe.* [p] *Kniaſz Polibinski.* [q] *Bierſen.*

NOT. [1] Debimskium ad Suecorum vim expoſitum, *&c.* *Hic aliquid erroris latet.* Put.

NOT [2] la relation MS. d'où ce lieu eſt pris, marque qu'il faut eſcrire Ronebourg. *Put.*

NOT. [3] *Lege* Ludſeni. La relation met Starbergh, capitaine de Ludſen; & ce lieu eſt ſur la carte prés de Roſitten. *Put.*

deſererent, et ſe ad interiora reciperent; vixque virtute Sicinskii a tam dedecoroſa fuga prohibiti ſunt. Interea ſemel atque iterum arcem oppugnatione tentat eodem die Carolus intra ſex horas, et toties repulſus cum cuneis agere vellet, a Livonis diſſuaſum eſt, locum adeo munitum deſtrui non debere clamitantibus. Itaque tertio poſt acrem verberationem impetus ad arcem factus, quem ſtrenue obſeſſi ſuſtinuere, Petro [a] Stolpo primario tribuno ad Caroli latus occiſo. Tandem remittente frigore et glacie ſoluta Carolus ab obſidione diſcedit, relicto in oppido valido praeſidio, cui Chriſtophorus [b] Scheneminus praeerat, et diſtributis per alia praeſidia copiis, quibuſdam etiam dimiſſis; quod Johannes [c] Tiehenhauſenus aſſeveraret nullas Polonorum copias ante Jacobi feſtum, hoc eſt, VIII Kal. Sextil. Livoniam ingreſſuras, et ſi quae intra illud ſpatium advenirent, ſe parem eſſe ad eas ingreſſu prohibendas. Illae tamen ineunte Maio comparuere, et temerariae credulitatis ſuae poenas abunde Sueci luerunt. Ipſe [d] Torpatum ſe contulit, quo eum Anglici legati exſpectabant. Interea Sicinskium de auxiliis in Kokenhauſena arce obſeſſi ſolicitabant, qui cum preces eorum aliquandiu eluſiſſet, tandem periculum veritus aſſumptis ſecum IƆCCC equitibus ad [e] Memmelum amnem, qui [f] Semigalliam a Lithuania dividit, aquis paſſim extra alveum ſeſe effundentibus appulit, reſtitantibus initio ſuis, quod nulla navigia parata viderent, quos ut exemplo confirmaret, ipſe ſicut erat armatus, in amnem primus ingreditur, et natatu tranat, ac pudore ſuos in ulteriorem ripam citra magnum damnum ducit; infenſus ille ex privata injuria Friderico [g] Curlandiae duci, nullo injuriae genere temperavit, laxato militi laſcivienti fraeno. Caede et flammis in populareis et Germanos aeque ſaevitum; ad terrorem X aut XII ex hoſtibus captos, dum pabulatum proficiſcerentur, Sicinskius ſariſſis vivos ſumma immanitate tranſfixit, et erectis ſariſſis ad ſpectaculum ex adverſo munitionis Berkerhauſenae ſtatuit, qui plures horas in illo cruciatu ſuperfuere: inde inferius, quod Duina plus juſto intumuiſſet, deſtructis aliquot caſulis ligneis, pontem ſternit: quod ex provinciali nobilitate, cum quidam impedire fruſtra tentaſſet, quod ſupererat, per ruſticum ex ſuis Suecos, qui Kokenhauſeni oppidum tenebant, de adventu Sicinskii certiorem facit. Verum ille inſigni perfidia indicium ad Polonos perfert, et acceptis aliquot ſtipatoribus dominum ſuum, qui literas dederat, captum Polonis tradit, qui tortus a carnifice cum nihil fateretur, familiari inter eos ſupplicio ſariſſis transfixus fuit. Sicinskius inde pergit exeunte Aprili, et primum ad Kokenhauſenam arcem obſeſſis, qui aquae penuria inter alia laborabant, auxiliareis duxit, ſpemque fecit melioris conditionis, ſi in fide et conſtantia perſeverarent. Sub id et Joannes Tiehenhauſenus, qui Polonos ante Quintilem minime venturos affirmabat, et Georgius [h] Reſemus cum commeatum praeſidio in urbe ſummis anguſtiis laboranti conveherent, et compotationi pro more indulgentes iter minime accelerarent, Sicinskio praeter ſpem ad [i] Stokmaſhoffen vicum ſuperveniente caeſi ſunt, et in fugam verſi, amiſſo commeatu et impedimentis. Id ut Suecis in urbe animos ademit, ita obſeſſos in arce confirmavit, qui mutata rerum facie non jam obſideri, ſed urbem obſidere ſibi videbantur. Nam ad famam rei proſpere geſtae multi ex Lithuania vicina ſe ad Sicinskium agglomerabant, et Ratzivilius celebratis filii nuptiis, quam ob cauſam domum redierat, delectus provinciae habuerat, et VI CIƆ ſub ſignis habere dicebatur. Jamque copiae univerſae convenerant, quae cum vix XV CIƆ numerum explerent, adductis caculis et inutili comitatu ſpeciem centum millium bellatorum praebebant. Tum accerſiti Riga CCC circiter Germani et tormenta, et

XIV

INTERPR. [a] *le capitaine Stolp.* [b] *Schnenen.* [c] *Tieſenhauſen.* [d] *Derpt.* [e] *le Memel.* [f] *Semigalle.* [g] *Courland.* [h] *de Reſem.* [i] *Stokmaſhoffe.*

xiv Kal. Jun. urbs obſeſſa. Praefectus praeſidio nihil a vi metuebat, ultro aperto muro, ut Polonos ad oppugnationem prolectaret, vallo intus ducto et artificioſis ignibus inſtructus ad vim ſuſtinendam; ſed a viatico laborabat, carnibus conſumptis, et coriis, catis, et canibus victitante milite: quo cognito Carolus nothus qui de caſu Tiehenhauſeni etiam reſciverat, ſuis ſubvenire ſtatuit, et quamvis periculoſa via commeatum Duinae imponit, et diſpoſitis in ſilva ſubjecta inſidiis ipſe cum CCC delectis primum agmen ducit, contra quem miſſus [a] Liskovitſius cum CCCC, qui cedentem ſenſim inſecutus in inſidias poſtremo praecipitavit, et undique circunfuſus ad unum cum ſuis caeſus eſt; tantum [b] Simaskovius tribunus in manus Succorum incidit. Confeſtim eo a Ratzivillio miſſus Sicinskius cum CIↃ delectis, qui damnum acceptum ſarciret, et hoſtem victoria exultantem perſequeretur, quem ille a ruſtico edoctus ad Oellen vicum, jam menſis opipare paratis, genio indulgentem cum ſuis invenit; qui tamen quamvis necopinato caſu, nihil territi arma ſubito expediunt et ſtrenue rem gerunt, et in iis Germani praecipue, haud dubia victoria, niſi Carolus pejora veritus ſuos deſeruiſſet, qui ad arcem loci receptum habuit. In eo conflictu ex Carolinis Fabianus Tichenhauſenus perſpectae virtutis veteranus dux lanceae Polonicae ictu tranſverberatus periit, et Joannes Saſſewegenus et XX circiter Germani in veſtigio; ex Lithuanis et Polonis plus CCC occubuerunt, et multi ex vulneribus poſtea obierunt, victoria tamen penes ipſos manente, et Succorum impedimentis. Carolus interea noctu arce evaſerat. Itaque ſine mora Sicinskius in praedas effunditur, et caede ac flammis omnia circum vaſtat, foeminis etiam in arce vicina, in qua ſe a bello tutas fore ſperabant, incendio crudeliter abſumptis. Captae et terrore ſui ſparſo aliquot circum arces, ac municipia crudeliter direpta. Inde in caſtra rediit. Id maxime Succos alienavit, qui, victoria dubia, Polonos ac Lithuanos tam infeſtos experti, poſt plenam victoriam impotenteis dominos fore rati, ex animo deteſtabantur. Carolus, vitato periculo, pugnaturus denuo CIↃ aſſumptis peditibus, et CIↃ IↃ equitibus Succos paſſim tumultuanteis excipit, et cum iis ad Kokenhauſenum laborantibus ſubvenire conſtituit, et pridie Eid. Junias milliari ab urbe conſedit, carris undique diſpoſitis pro vallo. Poſtridie cum C Germani equites in Polonos excurriſſent, poſt aliquod certamen exercitus utrinque caſtris educti ſub horam ſeptimam matutinam: primam aciem Succorum ducebat [c] Brangelus cum iis quos [d] Torpato adduxerat, quem ſequebatur Georgius [e] Kindenerus Roſembergius cum [f] Parnovianis et Wendenſibus. In Polonica Janus [g] Ratzivillius Chriſtophori filius primus ſtabat, cum patrueli Georgio Ratzivillio cum vexillo nigro [h] Vaivodae Trotzkeni. Praecipua in eo proelio Germanorum virtus fuit, qui Lithuanos in fugam verſos ad tria milliaria perſecuti ſunt, tormentis etiam captis, quorum partem clavis confixere. E regione Succorum peditum ſtabat Sicinskius, et quanquam ſcloppetariorum majorum ictibus infeſtatus nunquam ſe loco movit. Carolus Koskevitzius inclinatos ſuos cernens, admiſſo equo eos ſiſtit, et ipſe primus in Livonos incumbit, qui fortiter impetum ſuſtinuere, et ita res gerebatur, ut plures Poloni quam Germani caderent. Carolus nothus equitatum ducebat, a cujus virtute ſucceſſus pendebat, qui numero hoſtium territus, nec ſuorum animis fidens de receptu citius cogitare coepit, et recedendo victoriam hoſti tradidit. Germani ad pugnam obfirmati, et Succi pedites, qui, recedente equitatu, nullam, niſi in propria virtute ſaluti reliquam viam videbant, fortiter pugnando victoriam Ratzivillio

CIↃ IↃ CII.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Liskowitz.* [b] *le Ritmaiſtre ou colonel Simaskove.* [c] *Brangel.* [d] *Derpt.* [e] *Kindener de Roſenberg.* [f] *ceux de Pernaw & Wenden.* [g] *de Radzivil.* [h] *Vaivode de Trotzken.*

CIↃ IↃ CII. Henricus IV. Ratzivillio cruentam fecere. A ſeptima matutina ad pomeridianam alteram proelium patratum, in quo Sueci et Germani, cum nihil ad ſummam conſtantiam in veſtigio pugnantes reliqui feciſſent, ad bis mille caeſi ſunt; pauci capti, et in iis Georgius Kindenerus Roſembergius, Thomas [a] Borkus, Gulielmus [b] Wigandus, Franciſcus [c] Varda, et famoſae virtutis dux Hermannus Wrangelus, [d] Tieſenhauſenus; ex Curlandis aliquot, plures ex Lithuanis et Polonis deſiderati. Chriſtophorus Ratzivillius campo potitus mox ad obſeſſos mittit, et deditionem imperat, quam, poſt longam altercationem poſtremo vitam ſalvam pacti, fecere. In templum cum ſe recepiſſent, Poloni ingreſſi in inermeis irruunt, quos, odio efferati, cum trucidaturi eſſent, Ratzivillius per poſticum emittit, et inde per portam Flumentanam homines miſeri et foeminae cum pueris ſe ejecere, ferro vitato a Duina abſorpti. Id prout varie adfecti erant animi, aliter atque aliter acceptum, quibuſdam divinae contra injuſtos invaſores ultioni caſum tribuentibus, multis ad incendendum contra Lithuanos et Polonos Livonorum odium, ne ſe deinceps eorum imperio vellent ſubjicere. Poſt tot ſucceſſus luſtrato exercitu Ratzivillius cum VI circiter CIↃ Wendam proficiſcitur, captis in itinere aliquot municipiis, quae Sueci deſeruerant: [e] Capellus, qui locum tenebat, impar viribus victori deditionem facit, fide accepta, quae illi ſervata eſt. Et ipſe cum CCC, a totidem Moſcis, qui Ratzivillio militabant, quoniam Polonis minus fidebatur, in tutum deducitur. Inde Sicinskius ad loca circumpoſita in poteſtatem redigenda miſſus, arcem, quae Kindeneri captivi erat, ſuppoſitis domini literis, dum colloquitur, intercipit, et praeſidiarios ad unum trucidat; ruſticis ut illo ſua bona aſportarent, invitatis, quae ille poſtea diripuit, et incenſa arce in caſtra rediit. Reſtabat [f] [1] Runkburgum, quod quo minus obſideretur, in itinere arx Hocroſſena obſtabat, quae a Germanis tenebatur. Eo Poloni et Tatari miſſi, qui cuncta horribili clamore miſcentes ignem in inferiorem curtem caſis ligneis ſtructam immittunt, quo accenſo in vicinam ſilvam ſe recipiunt, rati, quod et accidit, abeunte hoſte Germanos aſportata ſupellectile pretioſa locum deſerturos. Itaque in eos diſcedenteis necopinato invehuntur, et praeda potiti, foeminas in arce gravidas cum pueris relictas immaniter mactant. Cum nihil amplius a tergo obſtaret, Ratzivillius acceptis a Friderico Curlandiae duce CC equitibus Runkburgi praeſidiariis miſſo tubicine deditionem imperat, qui eum cum ſuperbo reſponſo dimiſerunt. Poſt XL dierum irritam obſidionem, re inter Ratzivillium, [g] Chodkowitſium, et ipſum Curlandiae ducem per jurgia extracta, cum Sicinskius occaſionem ipſi incommodandi per illa captaret, ad extremum certo conſtitit, Carolum cum novis viribus in Livoniam deſcendere, eaque in re, ſicuti ante Sueci, decepti ſunt Lithuani, qui nihil tale metuentes ſecure agebant. Miſſus tandem Sicinskius, qui de rebus hoſtium cognoſceret, quo ſtatim reverſo trepidatum totis caſtris, tantoque tumultu diſceſſum eſt, ut fugientibus propiores, quam pugnaturis Poloni viderentur. Magna ſtrages edita, recenti tot caedium ſenſu; et major praeda parta, quam amiſſa fuerat; receptaque fere oppida, quae a Lithuanis capta fuerant.

XI. JOANNES Naſſovius Joannis filius, conjuge elata multorum liberorum parente, domeſtico dolori ſolatium quaerens, ad Carolum dum [h] Parnoviae eſſet, Quintili proximo venerat, et literas a Palatino Septemviro attulerat. Rogatus, ut huic militiae nomen daret, oblata ſecundum ipſum ſumma praefectura, initio ſe excuſavit:

INTERPR. [a] *Borck.* [b] *Weigandt.* [c] *de Warda.* [d] *Tieſenhauſen.* [e] *Cappel.* [f] *Ronebourg.* [g] *Chodkowitz.* [h] *Pernaw.*

NOT. [1] *Runkburgum.* Ce nom eſt ecrit diverſement, Roneburg & Runkburg. Sur la carte il n'y a marqué que Roneburg, & faut ainſi mettre. *Put.*

excuſavit: cum urgeretur, quanquam videret res in caſtris Carolinis valde confuſas, et tumultu potius, quam judicio fieri omnia, magnamque pecuniae et rerum ad bellum neceſſariarum penuriam eſſe, tamen ne periculo territus militiam detrectare videretur, cum minus honeſtum duceret, poſt tam longum et laborioſum iter nullo operae pretio inde diſcedere; ad haec in Sueco milite, ſi ad diſciplinam inter Batavos uſurpari ſolitam, quam ipſe ſub Mauritio patrueli didicerat, formaretur, non vulgarem virtutem animadverteret, quippe qui frigoris et inediae patiens et ductorum imperiis audiens, neque mulierculарum greges ſecum traheret; ad extremum ſe precibus vinci paſſus eſt, et ſummam armorum praefecturam hac lege accepit, ſi Carolus ob incerta belli et Sueicas res minus conſtitutas domum redire cogeretur, et inde Livonico bello neceſſaria ſummitteret: nam inter belli peritos vel ex recenti principum Germaniae [a] Reſenſi expeditione conſtare, minime conſultum eſſe, ut duo pluresve caſtris praeſint. Additae et conditiones, ut x peditum CIƆ, V millia equitum, in queis et extranei admitterentur, cum XV majoribus et totidem campeſtribus tormentis, bellicóque omni apparatu, pecunia et commeatu traderentur: arma inſuper militi praeberentur, et diſciplina, de qua dictum, inſtitueretur. Praeterea Naſſovio jus eſſet, munia majora in exercitu, ut quaeſtoris, curatoris, tormentorum praefecti, metatoris, fabrorum praefecti, architecti, praefecti vigilum, item impedimentorum ex ſenatus bellici ſententia conſtituere. Conditionibus perſcriptis aegre aſſentiri viſus Carolus, qui tamen ad eas pro cumulo addidit, ut in annum operam ſuam addiceret, et fructus annuos epiſcopatus [b] Torpatenſis, qui XXX talerorum CIƆ excedere dicebantur, pro honorario acciperet: quod ille recuſavit, et in treis tantum menſeis operam addixit, pacto ſibi ad ſumptus ſuſtinendos menſtruo ſtipendio. Sub id VIII CIƆ auxiliarium in caſtra venere. Parnovia Carolus cum Naſſovio diſcedens ad ea venit, et publica ceremonia Naſſovium ſummum exercitus imperatorem dixit, addito elogio, tanquam affinem ſuum, a multis annorum centuriis praenobili familia, quae et Caeſares imperio dedit, natum, et rei bellicae expertum. Naſſovius ſecundum haec aciem inſtruere, et militem exercere curae habuit, et Carolo auctor fuit, ut quanquam Rigae obſidio avertendo hoſti inſtituta eſſet, tamen cum ſatis numeroſum peditem haberet, non eſſe negligendum [c] Runkburgi obſeſſorum periculum; monuit Carolum interea majora tormenta Rigam praemitterentur, in ancoris ad omneis occaſiones praeſto futura, ne ſi adverſo vento navigatio retardaretur, inutiliter tempus terendum, et cum dedecore et damno ſolvenda eſſet obſidio. Quod et evenit. Ad [d] Lenſelium deinde mutata caſtra, nuncio allato regios Runkburgi ſoluta obſidione, Suecico exercitui occurrere conſtituiſſe, habito conſilio decretum, ut obviam venientibus iretur. Nulla interim de commeatus ſubvectione, fruſtra inſtante Naſſovio, cura, cum Carolus natura praeceps, et inordinatae licentiae aſſuctus, Naſſovii monita cum ſtomacho eluderet; non eam eſſe in Livonia, quae in Belgio militiae rationem dictitans, militem quemque ſibi de viatico proſpicere debere, et jam matureſcere fruges, quamvis intempeſtivis imbribus retardatas. Ad Lenſelium cum induſtrii metatores deeſſent, Naſſovius ipſe loca deſignare, et regiones ſingulis aſſignare curae habuit. Caſtra ad mare poſita erant, ubi et equitatus collocatur. Retro ex altera parte ericeta erant, ubi poſiti pedites. Planities ſubjacebat, ad quam hoſti aditus patebat. Ibi vetus foſſa erat ad mare uſque olim ducta, et aliquot peditum ſigna cum XX campeſtribus machinis collocantur. In ipſis caſtris ſpatio relicto, in quod miles conveniret, et venientem hoſtem exciperet, carris, qui arma

INTERPR. [a] *de Rees.* [b] *de Derpt.* [c] *Roneburg.* [d] *Lemſel.*

CIↃ IↃ CII.

HENRICUS IV.

arma ſubvehebant, undique cincto. Hunc ordinem cum miraretur Carolus, et tanquam ſummopere placentem pictura exprimendum curaſſet, mox ſeu livore, ſive impatientia invertit, et ſtationarios magno errore per ericeta diſtribuit, adempto invicem proſpectu, cum regii tantum diei itinere abeſſent. Quod ad injuriam ſuam factum Naſſovius diſſimulavit, ne contentione tumultum in caſtris tam vicino hoſte excitaret. Veritus tamen, ne idem ſibi quod [a] Wendae nuper alternantibus ducum imperiis accideret, monito fruſtra in arcano Carolo; proficiſci certum, ſervatis ordinibus ſecutus eſt. Carolus nothus equitatum Suecicum et Finlandicum ducebat; Mauritius [b] Vrangelus Livonus virtutis expertae dux ſummi caſtrorum praefecti munere fungebatur, et mille Germanos equites penes ſe habebat. Joannes Bengelſonus, qui complures annos in Gallia meruerat, praeerat peditatui. Naſſovius CIↃ equites et CL pedites Germanos ſtipatores habebat. Carolus praeter has copias in comitatu habebat Suecorum equitum II vexilla, et IↃ pedites ſcloppetarios, idoneas ad rem faciendam vires, niſi moroſitas innata, et averſus a diſciplina ejus animus obſtitiſſet. Inter incedendum [c] Clenina et Ropea arces a regiis deduntur: cognitumque eos praeſidium ad flumen poſitum juxta Wendam abduxiſſe, dum pergunt, III campeſtreis machinas in via relictas reperiunt, indicium fugae. Naſſovius cum equitatu ſine mora noctu hoſtem inſequendum cenſebat, abnuit Carolus, niſi copiis univerſis traductis; ita noctis illius et diei poſteri, dum pons ſtruitur, jactura facta, et amiſſa rei gerendae occaſio. Wenda praemiſſis a Carolo duabus equitum turmis deditionem fecit. Traductis copiis ad [d] Niddam in hoſtium conſpectum ventum. Nihil prae feſtinatione actum, corruptis regiorum tranſitu viis, et commeatu deficiente: Naſſovius, qui primam aciem ducebat, audito ingenti fragore, hoſtem in propinquo eſſe conjectans, recedentem inſecutus ad [e] Novam-molam arcem II colubrinas, et aliquot levia tormenta extorſit; cognovitque pulverem tormentarium ab eo incenſum, fragorem illum excitaſſe: ad [f] Rotenpiſium pergendo confligitur cum CCC equitibus ſervato egregie ordine recedentibus, CC currus tentoriis onuſti in praedam conceſſere: C Poloni in conflictu oppetiere. Tandem altero a Riga milliari ſubſtitit Naſſovius, dum Carolus cum toto exercitu adveniret: recedentibus Lithuanis IↃ currus capti, de quibus dum inter equites et pedites, qui partem in iis ſibi vindicabant, diſceptatur, equitatus currus omnes direpti ſunt; et abſque illa praeda fuiſſet, multi fame perire neceſſe habuiſſent. Rigam ex occaſione premendam cenſebat Naſſovius, et regium equitatum, qui ſub moenia ſtationes habebat, trans Duinam pellendum. Aliter viſum Carolo, qui prius Novam-molam profectus, in eaque triduum commoratus de Dunemunda obſidenda conſultavit. Interea Ferensbachius IↃC Germanos et totidem Belgas ſecum adduxerat Rigam, et excitata in ſuburbio munitione ac foſſa egregie firmata, IↃC praeſidium in urbe cum XV machinis campeſtribus reliquerat. Cum de Dunemunda obſidenda non placuiſſet conſilium, ad Rigam poſita caſtra III Kal. Sept. ſub mediam noctem. Re tamen cognita ſuburbicariae domus ab obſeſſis incenſae. Munitio a Ferensbachio ſtructa primo impetu capta, et cervis fixis denuo firmata. CC caeſi in ea Poloni, ceteri intra urbem accepti ſunt, non ſine Carolinorum praedae et compotationi intentorum damno, quorum plerique tormentorum ex urbe diſploſorum ictibus diſcerpti ſunt: dum Sueci in aciem inſtructi ſtarent, cum Lithuanico equitatu confligere certi, cum non comparerent regii, machinae loci [1] defenſioni paratae a Suecis adducuntur. Ratzivillius inde, dum rex adveniret, trans Duinam ſe recepit, et per ditionem Gulielmi Platenbergi copias diſtribuit, ſicuti et Staniſlaus

[g] Zoltkerkius

INTERPR. [a] *Wenden.* [b] *Wrangel.* [c] *Clenin, & Rop.* [d] *Nidden* al. *Nittau r.* [e] *Neumul* al. *Nymolens.* [f] *Rodenpis.*

NOT. [1] *forſan* oppugnationi.

[a] Zoltkerkius, qui delectos CC equites nuper in caſtra adduxerat. Commeatus penuria caſtra ſubinde mutata. Tandem ad foſſam molariam juxta mare tranſitum, milliare a Riga diſtantem, et quadrantem milliaris a Dunemunda. Inter cumulos arenarios anguſte verſabatur miles, et longe pabulatio erat petenda. Munitio juxta urbem a Naſſovio noctu ſtructa, in quam cuſtodes, qui per vices inducebantur, ſub jactum tormentorum e navibus regiis diſploſorum [1] incidebant. Inter haec pluviis ingruentibus et frigore poſt imbrem jam ſaeviente infeſta in caſtris omnia, commeatu XX diebus tardius advecto; et mox de adventu regis nuncio allato, cum commeatus praecipiti hyeme commode ſubvehi non poſſet, per tumultum ſoluta obſidio XV Kal. Sept. et Heiduci, qui in Caroli caſtris erant, arrepto navigio ad hoſtem transfugerunt, indices famis et peſtis, quae inter Suecos inedia et nuditate ſuper haec exhauſtos ſaeviebat. Rex tandem VII Eid. Sept. Seelburgum in Curlandica ditione venit cum Joanne Zamoſcio Polonicorum exercituum imperatore, et pontem ex navigiis in eo conſtruendum per otium curavit, dum reliquae copiae convenirent; a quibus nullo injuriae genere, ſive in domos et in bona, ſive in homines ipſos temperatum, ſtupratis paſſim virginibus, et mulieribus, in conſpectu virorum palis alligatorum, ut antea violatis, quaſi quod exemplo fieret, id conſuetudine liceret. In Germanos praecipue ſaevitum, quos proditores manifeſtos, et meretriciam proſapiam vulgo appellabant, iiſque ex habitu ſolo, qui pro crimine erat, convictis, nares, auriculae probroſo vulnere praecidebantur. Inventa et nova ſupplicia ac cruciatus, quibus miſeri homines huc illuc vagi impatientia doloris ad confeſſionem adigerentur, et latebras, in quibus pretioſa ſua abdiderant, indicare cogerentur. Neque plus amicis quam hoſti parcitum. XVI Curlandicae ditionis praefecturae penitus vaſtatae et ad ſolitudinem redactae. X bellatorum CIƆ omnino in regiis caſtris erant, quibus recenſitis, et Duina tranſmiſſo rex ad [b] Kokenhauſenam conſedit.

XII. Et inde Jo. Zamoſcii et Staniſlai [c] Zoltkewiskii Caſtellani Leopolienſis, et campeſtrium copiarum praefecti, aliorumque belli ducum, ac militum tam Polonorum, quam Lithuanorum nomine, non autem regis, luculentum ſcriptum ad Carolum Sudermaniae ducem, ceteroſque ejus ſectae adjutores IX Kal. Oct. mittitur, in hanc ſententiam: Quanquam nullum nobis ſit rationis, aut ullius juris vobiſcum commercium, quandoquidem jura gentium violaſtis, nec ulla injuria laceſſiti, nec denunciato bello, contra regiam majeſtatem regni Poloniae, magnique principatus Lithuaniae arma ſumpſiſtis, Livoniam provinciam, Polonorum Lithuanorumque multo ſanguine, partam, et pacifice tot annorum ſpatio poſſeſſam invaſiſtis, eamque, cum nihil hoſtile a vobis expectaretur, injuria occupatis, vobiſque vindicatis; tamen nos noſtri officii putaviſſe ad vos ſcribere, gentium jus et perpetuam conſuetudinem reipublicae Poloniae et magni principatus Lithuaniae ſecutos, quae jam inde ab initio apud majores noſtros talis fuit, ut neminem unquam bello injuſto laceſſerent, illatum omni conatu viribuſque propulſarent. Quod cum ita ſit, praeſentibus literis noſtris denunciamus vobis, nos ad hanc tantam injuriam cum tanto contemptu et contumelia regiae majeſtatis et nominis Polonici et Lithuanici conjunctam cum exercitu venire perſequendam, optimo maximo et juſti belli praeſtantiſſimo fautore Deo fretos. Quocirca ſi viri militares, non praedones, neque fugitivi eſtis, ſi aequam vos habere cauſam exiſtimatis, propter quam adeo inſperatum bellum, vel potius latrocinium conflaſtis, perque juris Polonici, magnique principatus Lithuaniae provincias graſſamini, vocamus vos ad manum conferendam: expedite arma; in locum proelii

INTERPR. [a] *Zoltkerski.* [b] *Kockenhauſen.* [c] *Zolkiewski Caſtelan de Leopol de Ruſſie,* vulgo *Luwow*; Germ. *Lemberg.*

NOT. [1] *rectius forſan* incedebant.

CIϽ IϽ CII.

HENRICUS IV.

proelii adeſte; aciem, non piratica latibula, ullamve fugam cogitate; faceſſat fugae praeſidium. Ferro experiamini. Juſtitiae ratio a ſereniſſima regia majeſtate Poloniae et Lithuaniae, an a veſtris ſtet partibus, ſapientiſſimus idemque juſtiſſimus Deus judex dijudicabit. Differt quidem ille poenam; ſed, Carole, tua perfidia, impietas et parricidium notum eſt omnibus; tu patruus fratris regis et domini tui filium, tu ſubditus domum tuam nefarie circunvenisti: tu vicinos nulla accepta injuria laedis. Nos certe in tanta injuria vindicanda neque ſereniſſimae regiae majeſtati domino noſtro colendiſſimo, neque reipublicae et patriae dextris noſtris deerimus. His literis acceptis Carolus homo iracundus, quod Sigiſmundus eas ſubſignare per contemptum neglexiſſet, ultra modum commotus eſt; et cum ad eas utcunque reſpondiſſet, poſtremo ut contemptus injuriam contra [a] Zamoſcium ſcripto ulciſceretur, ſequentia verba literis ſuis inſeruit: Non es mihi par; ſi eſſes par, non armis te, ſed fuſte depexum et unctum darem. Scriba es, cum ſcribis verbis certa. Zamoſcius his acceptis non minus excanduit, et protinus regis permiſſu ad eas hoc reſponſum prolixius exaravit: Audiebam te hominem cerebroſum, et intemperantis linguae ac vitae eſſe: ingenii tamen aliquid in te ineſſe putabam: ſed oſtendiſti illud verum eſſe, quod de te, vel tui intimi ſentiunt, totum te effraenem, impetu animi ferri, non judicio regi. Scripſiſti ad me ſchedam, qua mirari te dicis me tibi duellum offerre; cum ſim tibi impar genere et dignitate; tuque regio ſis genere: et ſi tibi par eſſem, te non aliis armis quam fuſte mecum decertaturum. Sudericae et hoc eſt prudentiae, cum regio genere ſuperbias, non militarium hominum, ſed bajulorum more certamen proponere. Quaſi vero deſint fuſtes in Polonia, et valentes lictores, qui iis caeſos palis majoris, quam baculus, magnitudinis et proceritatis ſuffigant, eos praeſertim qui ſe perduellione foedarunt. Et ſi non ſint proditores in Polonia per Dei gratiam, in Sudermaniae aula quaerendi ſunt. Jam vero quod ſcribis de genere, eo par ſum omnibus nobilibus, vel ex quibus reges creati ſunt, et ita honeſtiſſime natus; ut quivis regum honeſtiſſime. Titulos ducum non appetivi, nec oblatos accepi; contentus ſum nobilitatis Polonicae libertate. Tibi ſordet nobilitas. Carolus V auguſtiſſimae memoriae et ſummi animi Imperator, cum aliquid affirmaret, id fide nobilis viri ſe affirmare aiebat. In te hoc ſolum quod reſpiciam, habeo, quod eadem familia cum ſereniſſimo rege meo natus ſis. Quo ſi tu careres, aliter tecum ageretur. Cetera tuo ingenio, tuiſque moribus digna flocci facio. Dicis, me ſcribam eſſe, nec debere arma ſumere. Sum cancellarius; quod munus non impedit electores imperii, qui illud gerunt, quo minus priorem locum, quam alii electores et duces, teneant. Sum certe cancellarius in patria mea, ampliſſimoque regno, eo jure, eaque dignitate, quae ubivis vel maxima eſt. Tu fortaſſe cancellarii Sudermaniae modo me metiare, quo majores et excellentiores nobiles Poloni vel privati habent. Nec vero cancellarius ſolum, ſed et generalis exercituum praefectus ſum; arma gero pro patria, exercituſque duco ſupra XX et aliquot annos. Nomen meum notum eſt orbi terrarum. Actiones meae honeſtiſſimae, labores, ſumptus, pericula pro republica ſuſcepta. Tuum nomen paucis innotuiſſet, niſi alieni regni dominatum invaſiſſes. Quia vero literis ſuis Carolus Zamoſcium tanquam turbinem et ſeditioſi ingenii hominem inſimulaverat, ſtomachoſius ad finem additum: patriam a me turbatam quod ſcripſeris, dico te mentiri, et quicquid aliud contumelioſum in me ſcripſeris aut dixeris, prorſus te mentiri dico, dicamque et ſcribam. Eodem tempore Sigiſmundus rex ad Livonos ex iiſdem caſtris ſcripſit, quibus eos ut deſerto Carolo Sudermaniae duce ad obſequium reverterentur, regiis verbis hortabatur; miſſum a ſe Zamoſcium cum exercitu,

INTERPR. [a] *Zamoyski.*

exercitu, ut provinciam tanto ſumptu ac labore Stephani deceſſoris, tantoque ſanguine Polono et Lithuano partam a Caroli, cui temere fidem dederant, tyrannide liberet; neque vero eſſe, cur fidem ei datam pluris aeſtiment, quam viator, qui latronibus e latebris erumpentibus et vita amictuque obvios ſpoliantibus ſe jurejurando obſtringit: nullam quippe cum latronibus humano generi conjunctionem eſſe: proinde hoc agant, ut inſigni aliquo facinore erratum ſuum emendent, opera ſua egregie navata efficiant, ut injuſtus hic bellator, alienique raptor, et praedo provinciarum, aut vivus in regis manus ipſis annitentibus veniat, aut hoc ipſo in loco patrati ſui latrocinii et ſceleris poenam monumento ſepulchri ſui poſteris teſtatam faciat: ad ſummum curent, ne illi ad naveis, ſive ad tranſmarinam fugam receptus pateat, quod ipſis et ſub ipſum proelium et aliis occaſionibus praeſtare ſit proclive. Quod ſi faciant, non ſolum veniam paratam, ſed commodorum ipſorum rationem habitum iri ſibi perſuadeant. Id verbo regio ſpondere ac promittere.

CIↃ IↃ CII.
HENRICUS IV.

XIII. A VERBIS ad arma deventum; Ratzivillius regem cum reliquiis, quas penes ſe habebat, quae CCC bellatores efficiebant, ad [a] Abſelam uſque proſecutus, inde ut Polonis locum faceret, domum rediit, a [b] Chotkevitzio, ſicuti jactabatur, ad tribunal vocatus. Qui Sigiſmundo in provinciam veniendi auctores fuerant, aſſeveranter ei confirmabant, cunctos ad primum ejus ingreſſum a Caroli partibus diſceſſuros: cum ſe propterea minime commoverent, et ad literas regias minus commode reſponderent, bellum ſerio gerendum decernitur, et Octobri menſe caſtra [c] Wolmariae admoventur. XL amplius dies inutiliter conſumpti, dum tormenta exſpectantur. Interea Carolus nothus, qui urbem trium millium praeſidio tenebat, crebris eruptionibus Polonos fatigabat: cum incertum eſſet, poſt ſolutam Rigae obſidionem, quo locorum Carolus pater ſe recepiſſet, ſparſo etiam rumore, quaſi relicta Livonia in Sueciam ſubito tranſmiſiſſet, ut motus per abſentiam ſuam exortos componeret. Sub id Niſovii ſeu Coſaci gens immiſta [1] Tataris pellitis, ita vocatis quia pelliceos pileos cum plumis nigris gerunt, quod Lithuani reliquum fecerant, continuis excurſionibus Koska duce exedebant, magno populariu damno ac gemitu: inde vaſtitatis a ſe factae pertaeſi ad limitem Moſcicum tranſierunt, ubi a Suecis magnam partem caeſi ſunt, quod omnium rerum in Livonia penuriam et caritatem ſummam, ac zythi praecipue, cujus menſura ordinaria ſex groſſis venibat, effecit. Magna ubique ſolitudo, et ruſticorum per ſilvas oberrantium deſperatio, qui tandem ſe locis abditis munientes in Polonos ad pabulationem vaganteis tanquam in hoſteis ex latibulis erumpentes ſaeviebant. Quod in Curlandica ditione praecipue accidit, quamvis eorum princeps regia caſtra ſequeretur. Rex ab obſidione x Kal. Dec. diſceſſit, et Rigam ſeptimo poſt die venit, et rurſus inde pridie Nonas Dec. in viam ſe dedit, et facto per Benskam Curlandiae principis arcem itinere Vilnam venit, ſub id tempus quo ſolemnis illa Moſcica legatio ad eum venit, ut foederis nuper initi ſacramentum ab eo exigeret. Ibi eventum rerum Livonicarum opperiens hyemavit, et comitia in Martium ſequentem indixit. Interea Zamoſcius nihil amplius cunctandum ratus III tormenta Wolmariam advehi curat, et arcem tam violenta verberatione pulſat, ut murorum quatuor craſſities perforaretur. IV Eid. Dec. oppugnatio imperatur, ad quam pedites fame attenuati vix induci poterant, donec equites in pedes deſilire, et exemplo pediti ad vim faciendam praeivere.

INTERPR. [a] *Apſel.* [b] *Chodkewitz.* [c] *Wolmar.*

NOT. [1] Tataris pellitis. *Tartares peliſſez,* à cauſe des peaux de mouton dont ils ſe ſervent au lieu de bonnets, auxquels ils attachent deux plumes noires. *Put.*

CIↃ IↃ CII. HENRICUS IV. praeivere. Obſeſſi quanquam morbis infracti initio gnaviter impetum ſuſtinuere, ad extremum nuſquam intermiſſa tormentorum diſploſione infeſtati ſenſim ceſſere, et ad arcem ſe recepere. Unde erecto pileo nigro colloquium poſcitur; fide data Carolus nothus cum [a] Pontio Gardia ad Zamoſcium venit, a quo praeter ſpem perhumane exceptus, accedentibus ad comitatem muneribus, et poſt pacta ſubſcripta lautum paratum convivium. Succi praeſidiarii in tutum deducti. Wolmariae copioſa reperta annona, minus bellici apparatus. Otho Rombaskus loco cum c delectis impoſitus. Carolus Zamoſcio receperat, loca, quae ipſe praeſidio tenebat, ad mandatum ſuum deditionem factura; quod ſi feciſſent, ipſe cum Gardia libertati [1] reſtituebatur. Sed contra evenit, Succis, qui Runkburgi erant, ad fidem Carolo patri ſervandam obfirmatis, cum dicerent, Carolum filium captivum cum libertate imperium in ipſos amiſiſſe; itaque ipſe et Gardia ad regem, qui Vilnae erat, ſub cuſtodia miſſi. Zamoſcius [b] Torpatum cum exercitu tendit. In itinere [c] Helmetha et Ermeſa arces in fidem acceptae, praeſidiariis in tutum deductis. [d] Antſenen inde proficiſcitur, Georgii [e] Schernknigii egregiam et peramoenam arcem, unde ad Livonos ſcribit, propoſitis capitibus, de quibus ſi inter eos conſtet, ad petitiones ipſorum benigne reſponſum iri. Capita erant contumelioſe concepta, Carolo Sudermaniae duci nihil juris in Livoniam eſſe, foedus Livonicum ipſum violaſſe, bellum ſine denunciatione Moldavorum more feciſſe. Arces et loca munita, quae tuenda ſuſceperat, turpiter deſeruiſſe. Ipſum cum Naſſovio comite interea latuiſſe; quae ceperit, nullo reſiſtente cepiſſe. Advenientibus Polonis, ſumma ignavia abjectis armis cum ſuis aufugiſſe. Livonos non ſolum deſtituiſſe, ſed probris quotidie onerare. Miſeros populareis facto ejus quotidie gravari, accuſari, et in ſuſpicionem adduci. Quae vero, ſi ipſi ad bonam mentem redeant, et errorem corrigere in animum inducant, a ſereniſſimo rege et Polonis ſperare poſſint, haec eſſe; tutum ac validum contra hoſteis patrocinium; bonorum, quae belli tempore ablata ſunt, plenam reſtitutionem, et magnam amplius ad illa acceſſionem; injuriarum oblivionem jure aequabili conſtituto ſanciri; regem ita velle et jubere. Propoſitae et hae conditiones a rege [f] Revalienſibus, ut rebellionis, quam populari ſeditioni potius, cui magiſtratus ad reſiſtendum impar fuerat, quam conſilio tribuebat, oblivio ſanciretur. Libertas, quae nunc eſt, in religione permitteretur, et uſus templorum non interdiceretur. Jura, libertates et immunitates confirmarentur, onera minuerentur, commodorum fructuumque, quo uberioribus iis in poſterum fruerentur, ratio iniretur, agris incultis deinceps excultis, eodem quo Rigenſes jure uterentur. Extra juriſdictionem ſuam non evocarentur. A praefectorum juriſdictione liberi cenſerentur; ſi ab hoſte peterentur, paratam a rege et a regno defenſionem haberent. [g] Eſthonicae et nobilitati, quae levitate potius, et terrore hoſtium injecto, quam mala mente peccaſſe arguebatur, promiſſa praeteritorum venia ſi Caroli partes deſererent. Nemo ad religionem aliam profitendam, atque nunc profitetur, adigatur, neque templorum uſus prohibeatur. In deferendis honoribus, magiſtratibus, praefecturis, indigenarum ratio habeatur; jura omnia, quibus fruuntur, denuo confirmentur; et ſi Eſthonica nobilitas jus Polonicae nobilitatis ſibi impertiri volet, ei cum ſtatuto Jagellonico impertiatur; quod ejuſmodi eſt, ut nemo carceri mancipetur, aut bonis exuatur, niſi jure victus. Injuriae item ſi quae ſint abrogentur, jure provinciali ſuo utantur, neque extra provinciam evocentur. Verum haec quantivis juſta ac ſpecioſa, poſt odiorum acerbationem, et ſaevitiae tot inauditae exempla, praeſertim cum metueretur, quod de libertate in religionis

cauſa

INTERPR. [a] *Pontus de la Gardie.* [b] *Derpt.* [c] *Helmet & Ermes.* [d] *Antſen.* [e] *Schernknigs.* [f] *ceux de Revel.* [g] *de Eſthen, province de Livonie.*

NOT. [1] *rectius* reſtitueretur.

cauſa promittebatur, ne minus bona fide impleretur, Livonis tanquam ſurdis narrabantur, qui fidem vel cum pernicie ſua Carolo ſervare certi, a partibus diſcedere noluerunt: itaque poſt tot Lithuanorum et Zamoſcii poſtea ſucceſſus, Sueci adhuc Januario proximo exeunte in Livonia tenebant [a] Torpatum, Parnaviam, Karchſam, Ringellam, Felinum, Marghenhauſenam, Schuaneburgum, Kyrenſpecum, Itzellam, Marienburgum, Witenſteinium, Weſenburgum, Narvam, Learam, Lodem, Habſallam, et Revaliam ſecundum Rigam et Torpatum urbem tota provincia pulcherrimam et opulentiſſimam, quarum aliquot anno, in quo verſamur, jacturam fecerunt. Carolus diſtributis per praeſidia copiis Parnaviam conceſſerat cum Joanne Adolfo [b] Holſatiae duce, qui v Sueeorum ſigna adduxerat, et Parnaviae reliquerat. Commendatoque Naſſovio exercitu, et tribunos militares hortatus, ut ejus dictis audientes eſſent, ceterum ne confligeret cum hoſte, publice vetuerat; inde Revaliam ſe confert, et in itinere obvium habuit Fridericum ducem Luneburgicum cum literis commendatitiis a patre et fratre Chriſtophoro. Secundum haec Naſſovius Felino et Witenſteinio valido praeſidio firmatis, cum Reinardo Solmenſi comite, qui in caſtra Rigenſia ad Carolum venerat, Carolo notho, Joanne [c] Bengelſonio et equitatu, ac praeterea [d] Hilli et Gardiae legionibus decemque machinis campeſtribus [e] Wolmariam venit, Aha flumine, qui et tunc vadari poterat, inter hoſtilem exercitum interjecto; cujus et ignes per noctem conſpici poterant. [f] Cremona et Treida duae in itinere arces incenſae. Heic ad eum venit Las-Jacobſonus cum CIↃ recentibus equitibus. Inde praemiſſus, [g] Ropae aſſervatus commeatus Wolmariam, et Hillus cum ſua legione [h] Novenhuſium, et Marienburgum proficiſci juſſus; ipſe quatriduo poſt, Wolmariam magno comitatu ingreſſus eſt; unde relicto Carolo, Gardia et [i] Lamota Gallo cum CIↃ praeſidio, Novenhuſium verſus ad limitem tendit. Cum Coſacos in caſtra regia advenire cognoviſſet, ad eos antequam ſe conjungerent, opprimendos deducit, ſed tumultuantibus Suecis et vix ad fidem et obſequium minis et hortatu adductis, interea pugnandi amiſſa commoditas. Sub id interceptae regis et Zamoſcii ad Torpatenſeis literae, quibus ſe brevi ad illos venturos nunciabant; jubebantque ut Caroli praefectos comprehenſos traderent; quod ſi facerent, veniam praeteritorum univerſis fieri, et ipſos tanquam a benigno patre in gratiam receptum iri ſcirent. Eapropter Naſſovius majore quam conſtituerat celeritate Torpatum contendere in animum induxit, ut hoſtem anteverteret, ubi ad III CIↃ, quae [k] Deerfeldius qui locum tenebat, etiam equitatum delectum adjecit; et civium confirmatis animis, jam trimeſtri elapſo per quod operam addixerat, ad Carolum, qui Revaliae erat, miſſionis petendae cauſa, ire ſtatuit. Eo venit exeunte Octobri, et Carolum more ſuo omnia, quae non feciſſet ipſe, quamvis ut fierent mandaſſet, incuſantem reperit. Soluta caſtra, vireis huc illuc ſparſas, dum interim hoſtis triumphabundus nemine reſiſtente libere per provinciam equitaret. Tandem ubi primus irae impetus deferbuit, Sueci ſive Finlandici CIↃ domum repetere juſſi, et ſolus Jacobſonus cum ſuis retentus, fame in agro, et inter praeſidiarios interim graſſante. Cum copiam abeundi peteret Naſſovius, tum mutata Caroli facies, [α] hortari ut maneret, et gubernatoris Livoniae munus meritis ſuis debitum acciperet; non defuturam pecuniam, commeatum, et cetera ad bellum neceſſaria, modo fratrem, modo filium appellando; palam dicere, plus ſibi

VAR. LECT. [α] hortari inter pocula ut maneret, *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Derpt*, *Pernau*, *Karchs*, *Ringell*, *Felin*, *Margenhauſen*, *Schwaneburg*, *Kyrampey*, *Itzell*, *Marienburg*, *Weiſſenſtein*, *Weſſenburg*, *Nerva*, *Leal*, *Lode*, *Habſel*, *&* *Revel.* [b] *Holſtein.* [c] *Bengelſon.* [d] *Hill*, *&* *la Gardie.* [e] *Wolmar.* [f] *Kremon* *&* *Treiden.* [g] *Rop.* [h] *Nyenhuſen*, [i] *la Motte.* [k] *Deerfeldt.*

CIƆ IƆ CII. HENRICUS IV.

ſibi illum uſui, quam x bellatorum CIↃ fuiſſe; eo res redactas, ut trium provinciarum ſalus ab uno capite pendeat; hinc Danum, hinc Moſcum imminere; ſi manere in Livonia nolit, ſibi in veſtigio ſubſiſtendi, Naſſovio in Succiam proficiſcendi, ut vices ſuas gerat, neceſſitatem imponi: Naſſovius videns hoc Carolum agere, ut ſua vel inviti opera, ſive in Succia, ſive in Livonia uteretur, aſperum et intractabile ejus ingenium expertus; cum ſe rebus Suecicis immiſcere nollet, in Livonia, in qua jam erat, ad tempus manere maluit; et poſt varias excuſationes, et ſcripto comprehenſas rei gerendae rationes, hortatore [a] Holſato ultro citroque inter eos commeante, ad trimeſtre operam ſuam addixit; poſteaque ſit ei liberum quo velit abire: quod ſi minus per hyemem liceat, ſtipendium tamen ejus procedat. Adjectae conditiones, ut provinciae penes Holſatum gubernatio eſſet, ſibi belli contra Polonos gerendi cura committatur. VI CIↃ bellatorum, IↃCC trahae in commeatu ſumminiſtrentur, et ad ſumptus neceſſarios VII talerorum CIↃ ante Caroli diſceſſum numerentur. Haec large promiſſa coram Holſato, Luneburgico et Solmenſi, ac conjuge propria, cum in eo eſſet ut navem ſolveret, nec majore quam antea religione ſervata. Enixe rurſus vetitum ne proelii aleam ſubiret, ſed recta Felinum concederet, et ibi praedationes hoſtium prohibendo per XL dies ſe contineret. Luneburgicus et Solmenſis Carolum ſecuti ſunt. Holſatus [b] Witenſteinii manſit, militi legendo intentus, ipſe pro ſeptem talerorum CIↃ, bis mille tantum accepit, et LXX trahas pro IↃCC promiſſis, et recenſitis copiis pro VI CIↃ tantum IↃ pedites et CIↃ IↃ equites numerati ſunt; cum Poloni, contra quam ſibi Carolus perſuaſerat, ſupra XII CIↃ in caſtris haberent. In has anguſtias Naſſovius conjectus, quamvis Felini ſummopere periclitaretur, omnia tamen ſumma faciebat, ut tempus citra grave damnum extraheret, dum promiſſa auxilia advenirent. Itaque diligenter ad Carolum, qui Wolmariae obſidebatur, ſcripſerat, ipſum ad durandum hortatus, facta ſpe per literas majoris, quam mitti poſſet, ſubſidii; ut in omnem eventum perlatae animos obſeſſis facerent, ſin interciperentur, terrorem hoſti injicerent. Interim [c] Karkhuſium receptum, et cum in Coſacos iretur, cognitum Carolum Wolmariae deditionem feciſſe, poſt LXX dierum obſidionem, licet fidenter paulo ante ſcripſiſſet, oppidum adhuc XIV dies defendi poſſe. Itaque intermiſſa expeditio, et Ermeſium, quo Zamoſcium iturum apparebat, retro iter flectit Naſſovius, et placato milite, ac loco firmato, avectis etiam matronis et virginibus, quibus plus quam loco metuebant, Hermetum conceſſit, quo jam impedimenta praemiſerat. Inſtabat Zamoſcius, cedente ſenſim Naſſovio, et [d] Ermeſium et Hermetum in poteſtatem victoris venere. Witenſteinium inde cedendo ventum; inde de Zamoſcio, qui ſe ad [e] Antcenam arcem ſecurus muniverat, intercipiendo captum conſilium, quod re detecta exitum non habuit. [f] Marienburgum et Novenhuſium eodem victoriae curſu recepta, oppidanis, ut in deditionem conſentirent, ſive aſtu, ſive ingentibus promiſſis a Zamoſcio ſolicitatis. Contrario aſtu tentatus Zamoſcius, facta ſpe ab adoleſcente transfuga de [g] Torpato tradendo, quo ſi veniſſet, in paratas inſidias praecipitabat, congeſto ad ſacellum vetuſtum pulvere, qua tranſeundum erat, qui vel III CIↃ conficiendis ſatis eſſet. Verum Zamoſcius fraudem qua erat ſagacitate ſubodoratus, quamvis aliquid pecuniae jam adnumeraſſet, et ſuos in urbem explorandi cauſa miſiſſet, impetum ſuſtinuit, et per Ferensbachium [h] Atzelam exiguam in propinquo arcem obſedit, et admotis tormentis ad deditionem compulit. Poſtea et [i] Runkburgum, quod fruſtra anno ſuperiore Lithuani obſederant, aditu omni per complureis menſeis intercluſo; poſtremo fame adactum deditione

INTERPR. [a] *le duc de Holſtein.* [b] *Weiſſenſtein.* [c] *Karkhus.* [d] *Ermes & Helmet.* [e] *Antſen.* [f] *Marienburg & Nyenhuſen.* [g] *Derpt.* [h] *Adzel.* [i] *Roneburg.*

deditione in poteſtatem Polonorum venit. Dedititii in tutum [a] Parnaviam deducti: cum Torpatum Zamoſcius pertranſiret, totis copiis Felinum tendens, a Naſſovianis, qui [b] Uberpalae erant, in impedimenta vis facta, et magna praeda parta. Coſaci et aliquoties caeſi, dum praedabundi excurrunt. Sed pejus cum fame et penuria quam cum hoſte Naſſovianis certamen, qui vigiliis et adſiduo labore fracti, plerumque totos XX dies, pane, cerviſia et ſale carerent, tantum carne et aqua turbida e paludibus inſalubribus hauſta victitarent, neque aegrotis ulla ſubſidia praeberentur, nullo tota Livonia medico reperto, qui caſtra ſequi vellet. Naſſovius igitur C equitibus Felinum ſubmiſſis, Uberpalae ſubſtitit, et L praeſidio relicto Witenſteinii aliquandiu haeſit; unde cum auxilia promiſſa non comparerent, jam trimeſtri elapſo, de trajectu in Sueciam cogitare coepit. Contra Holſatus inſtare, ut in provincia hoc rerum ſtatu ad aliquot menſeis adhuc perſeveraret; ejus diſceſſu proculdubio quae reliqua tenent oppida Sueci, in Polonorum poteſtatem tranſitura; Moſcum ad limitem cum validis copiis occaſionem opperiri, ejuſque adventu factum, ut commeatus qui e Finlandia exſpectatur, et in itinere ſit, non poſſit appellere. Id etſi non diffitebatur Naſſovius, tamen cum nullam auxilii ſpem reſiduam videret, arces indies et oppida ſub oculos a Polonis capi, magno non ſolum cum dolore ſuo, ſed etiam dedecore, aegrè faciebat, ut ſemel liberatam fidem denuo obligaret. Ad extremum plebis et primorum precibus victus, et communi calamitate infractus ad tempus neceſſitati cedendum duxit; et famis horrorem, et hyemis, dum miteſceret, ſaevitiem mora ac praeſentia ſua aliquantum ſolatus eſt. Tanta autem fames, adeoque intenſum frigus fuit, ut ſupra XXX CIↃ hominum inedia et hyemis aſperitate interiiſſe conſtet; ad cadavera voranda plerique adacti, et reperti, qui liberos fami explendae mactarent. Revaliae paſſim forum et plateae cadaveribus humi jacentibus oppletae, ut ſepeliendis vivi non ſufficerent. Et glacie aſtricto mari, et inſidiantibus Moſcis commeatus e Finlandia ſubvectio impediebatur. Itaque ſponte an aegre incertum Naſſovius quatuor amplius menſeis Revaliae ſedit, quo tempore Felinum a Zamoſcio obſeſſum, in quod IↃCCC ſelecti ſubſidio miſſi. Interea conventus indicuntur; in iis Naſſovius non aliam ſervandae Livoniae rationem eſſe oſtendit, quam ſi univerſi tam ex nobilitate, quam plebe arma capiant, pro patria libertate pugnent, et hoſtem e provincia ejiciant; ſatius quippe eſſe fortiter pugnando occumbere, quam fame et tot impendentibus malis victos aut turpiter perire, aut in hoſtium poteſtatem venire. Se, qui ipſos ad conſtantiam hortatur, paratum cum iis eandem fortunae aleam ſubire. Summa alacritate et aſſenſione excepta Naſſovii oratio, decretumque ut conjunctis viribus hoſtis peteretur. Praeſidiarii undique evocati publico voto concordes acceſſere, honeſte moriendi oblatam occaſionem avidiſſime amplectentes, quod poſt tot exantlatas miſerias ſolatii loco reputabatur. Felini obſeſſi, ad XX dies perſeverandi ſpem fecerant, ſed ſolutis nivibus eae inundationes ſecutae quae iter auxiliaribus interclufere. Itaque copiis ſicuti convenerat minime confluentibus, et vix ad triduum commeatu ſuppetente, intermiſſa tunc expeditio, et in aeſtatem rejecta; et obſeſſi tandem poſt XL dierum arctam obſidionem, et eruptiones crebras, in quibus ipſe Ferensbachius primarius belli dux cecidit, et cladem ab occulto cuneo, ad irrumpentium impetum parato, a praeſidiariis acceptam, deditionem fecere: dum Parnaviam deducuntur, quanquam contra obnitente Zamoſcio, bis a Coſacis ſpoliati, et quicunque e Livonica nobilitate inter eos reperti, in ſervitutem abducti. Sub id et literae a rege ad Revalienſeis venere, paratam veniam oſtendentes, ſi oppidum cum Naſſovio traderent; quae

INTERPR. [a] *Pernau.* [b] *Ober palen.*

CIƆ IƆ CII. HENRICUS IV.

quae non parum oppidanos jam belli taedio et calamitatibus preſſos infregere. Itaque Naſſovius eorum fidem labare cernens, quod potuit commeatus et pecuniae colligere, [a] Parnaviae, Torpati et Witenſteinii praeſidiariis diſtribuit, et ad conſtantiam hortatus eſt. Equitatum, cum aliter non poſſet, ad praedationes emiſit; ne nihil ageret, tentata Dunemunda, ſed irrito conatu. Felicior ſucceſſus Torpatenſium fuit in [b] Anteena arce capienda, quae a C Polonis tenebatur, a qua initio depulſi, parte copiarum in ſtabula juxta arcem abſconſa, ibique ponte ſtrato, cum ex altera parte oppugnatio inſtituta eſſet, et ad eam Poloni omnes accurrerent, quid a tergo fieret, ignari, ex inſidiis necopinato erumpentes per pontem ſtratum vallum tranſcenderunt, et arce potiti ſunt, caeſis ad unum obviis, et IX tantum captis, et in iis equitum primario praefecto. Facta ingens equorum et rerum pretii praeda, exiguum inter tot miſerias ſolatium. Vinum, quia aſportari non poterat, effuſum; expeditionis dux Joannes Bengelſonius graviter vulneratus, poſtea Torpati ex vulnere obiit. Zamoſcius Felino deditione recepto ad [c] Pontem-Nabiam caſtra poſuerat, Uberpala, quod vi ſuſtinendae par non eſſet, advecto inde commeatu, igni conſumpta. Miſſae inter haec a Naſſovio ad Zamoſcium literae comitatis initio plenae, quibus amicitiam ipſius expetere videbatur, primum Latine, dein et Gallice ſcriptae; quae poſtremo in acerbitatem et amaras utrinque exprobrationes deſierunt, cum juvenilem militaris petulantiae libertatem homo ſenex et ſerio gravis impatienter ferret, et ad jocos et dicteria cum ſevera mordacitate reſponderet. Injecta et VIII Eid. Maias de induciis mentio locum non habuit; quod etſi ab iis minime ſe alienum oſtenderet Zamoſcius, et jam obſides dediſſet, tamen quia Naſſovius ipſe venire noluit, abruptum fuit colloquium, et ad Witenſteinium tranſlata Junio ſequenti caſtra, quod praeſidio C peditum et L ab Anglo ſtrenuo milite tenebatur; qui infelici in praedatores excurſione facta captus, quid praeſidii et commeatus in eo eſſet Zamoſcio indicavit, et obſidionis tentandae occaſionem praebuit. Biduo ante loco metuens Naſſovius ſignum Germanorum, et frumenti, pulveris, rerumque neceſſariarum quod penes ſe reliquum habebat, Hiſpano perſpectae pugnacitatis duce miſerat; qua re obſeſſis animi facti: et jam ante ad ſummam penuriam redactus Holſatus, qui Naſſovio manendi in Livonia auctor fuerat, in Sueciam tranſmiſerat. Alienatis poſt literas regis allatas paſſim animis, et nullis e Suecia nunciis tanto tempore advenientibus, qui ſolutionis faciendae ſpem facerent, cum Parnaviae et Revaliae magna oppidanorum ſolitudo eſſet, miles praeter ſeſquitalerum et veſtem laneam nihil accepiſſet, et armis prae egeſtate divenditis purum baculum geſtans pro mendicabulo paſſim oberrare conſpiceretur, Naſſoviuſque torqueis aureos, et pretioſa monilia ſublevando militi oppigneraſſet, tandem de receptu, cum a nemine amplius retineretur, [α] ſerio cogitare coepit. Itaque confirmatis per literas Torpatenſibus ac ceteris munitorum locorum praefectis, ſpeque facta ut in Sueciam ad Carolum profectus coram de ſubſidio propediem mittendo commodius ageret, navem Revaliae, commendata praefecto urbis cuſtodia, XII Kal. Quintil. conſcendit; nec tamen vento adverſante citius XIII Kal. Sextil. Stocholmiam appulit, tribus regiis navigiis vi tempeſtatis in conſpectu ſuo fractis. Inter navigandum cum nobilem quendam obvium habuiſſet, a Carolo cum CIƆ tantum taleris egeſtatis domeſticae potius indicio, quam militis levamento miſſis, hominem protinus cum pecunia Revaliam contendere juſſit, ipſe iter ſuum perſecutus eſt. Magna gratulatione a Carolo, conjuge, et primariis conſiliariis exceptus, ſtatim poſt actas pro exantlatis laboribus gratias, quorum nunquam immemores ipſi futuri eſſent, denuo de repetenda militia

ſolicitatus

VAR. LECT. [α] ſerio ſed ſerius cogitare *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Pernau, Derpt, & Weiſſenſtein.* [b] *Antſen.* [c] *Pont de Nabbe.*

ſolicitatus eſt, et rogatus ut ad treis menſeis ſaltem operam ſuam tam provinciae ſalutarem addiceret; et jam in eo erat, poſt multas excuſationes, ut ſe vinci pateretur, cum venere a Palatino ſeptemviro literae per Henricum [a] [1] Severinſcium Heidelbergae praefectum allatae, quibus ipſe evocabatur. Itaque venia domum repetendi impetrata, cum aliud ab eo obtinere non poſſent, rogatus eſt, ut mandata a Carolo ad ſeptemviros et principes Imperii et Bataviae ordines acciperet, et ipſe Palatini ſeptemviri et Mauritii Heſſi legatis adeſſet, arbitris controverſiarum, quae Carolo cum Lubecenſibus propter navigationis libertatem intercedunt. Inde poſtquam convivio pro regionis more Carolum, uxorem, conſiliarios, ac nobilitatem lautiſſime excepit, exeunte Sextili mari ſe commiſit, in quo periculoſe jactatus ad inſulam Danicam, nomine [b] Bornholmam vix tandem appulit, a praefecto loci commeatu, quo maxime egebat, adjutus; Roſtochii poſtremo exſcenſionem fecit, unde maris pertaeſus terreſtri itinere v Non. Oct. Lubecam petiit, in eaque negotio controverſo cum Palatini et Heſſi delegatis vacavit, quod tamen pro tempore exitu caruit, et tertiodecimo poſt die ad [c] Perleburgenſem Witgenſteinii comitis arcem patri, matri, ac fratribus obviam profectis occurrit.

XIV. Sub id in [d] Africam a Melitenſibus equitibus expeditio ſuſcepta auſpiciis et conſilio Adolfi [e] Vignacurii Hieroſolymitanae militiae principis. A Melita in eam partem CCCL milliarium tranſitus eſt, in qua [f] Mahometa poſita, quae ad ortum vergit, [g] ſinumque LX circiter milliarium fere efficit ſupra [h] ſyrtim minorem, inter Neapolim et [i] Aphrodiſium ſive Africam, de qua in ſuperioribus abunde dictum eſt. Ex oppido populoſo, et, ut locorum illorum ratio fert, ſatis munito, crebrae per totum vicinum tractum excurſiones fiebant, magnoque ſe incommodo levatum putabat Vignacurius, ſi eas capto loco refraenaret. Deſtinatae ad id v triremes egregie armatae; ſed Philippus ad portandum [k] Neapolim et Genuam militem cum pro jure ſuo iis uſus eſſet, non niſi Quintili exeunte domum reverſae ſunt. Inſtructis copiis et minoribus aliquot navigiis partim cataſcopiis, partim onerariis, pridie Nonas Sextileis ſolvunt. Cum ſummo imperio praeerat [l] Matha Sequanus veteranus dux, qui CCXL equites ducebat, et CIↃ circiter armatos. Poſtridie [m] Lampaduſam claſſis ſub noctem appulit, quae CXX milliarium a Melita abeſt: inde cognito binas Turcicas in propinquo excubare, ad eas perſequendas curſum intendit, eaſque fugienteis poſtremo adſequitur. Capti in iis LVIII Turci, et ſub jugum miſſi. In conſpectum Mahometae haud citius Eid. menſis, albeſcente jam die, venerunt, cum tenebris adhuc intenſis maluiſſent, quarum beneficio locum citra periculum luſtrare, et copias inſtruere poſſent. IↃCC armati in terram expoſiti relictis aliis ad triremium cuſtodiam, et [n] Gadagnio Bellogardio et Canremio datum negotium, ſingulis XX attributis, ut ad duas portas, quarum una in mare, altera terram reſpicit, crepitacula admoverent; ſingulos praeterea XX partim equitum partim delectorum globus ſubſequi [α] juſſus. Ita incedentibus illis et ex oppido detonantibus tormentis admota feliciter crepitacula, eodemque tempore ab aliis ſcalae appoſitae, vique facta, fruſtra ſcloppetis et ſagittis, teliſque miſſilibus ſe defendentibus praeſidiariis, urbs capta. Ad Sangiaci aedeis, ad quas fortiſſimi quique ſe receperant, ultimus conatus fuit, in quo Carolus [o] Eſpinaeus Sanlucius Harlevius corpore

VAR. LECT. [α] juſſus, ducibus Eſpinaeo Sanlucio Harlevio et . Ita incedentibus *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Severinski.* [b] *Bornholm.* [c] *Perleburg.* [d] *Barbarie.* [e] *de Vignacour, Grand Maiſtre de Malte.* [f] *Mahomette.* [g] *golfe de la Mahomette.* [h] *golfo di Caps.* [i] *Tripoli de Barbarie.* [k] *Naples, & Gennes.* [l] *le commandeur Matha, Franc-comtois de la Langue d'Auvergne.* [m] *Lampadoſa.* [n] *les chevaliers de Guadagne, de Beauregard, & Canremy.* [o] *d'Eſpinay de S. Luc, Sr. de Harleu.*

NOT. [1] Severinium *dans la Relation latine.* Put.

CIƆ IƆ CII.
HENRICUS IV.

corpore nudo pugnans lancea confoſſus eſt, magno ſui relicto deſiderio; corpus exportatum et Melitae ſolemni pompa funeratum. Dum pugnatur, pluſque praedae, quam loci ſecuritati miles attendit, neglectum fuerat a tergo poſticum, per quod oppidani fere dilapſi; tantum CCC et amplius capti atque in ſervitutem abducti. Locus quia ſervari non poterat, jam auxilio confluentibus Turcis, poſt direptionem igni conſumptus. IV equites, XXVI milites deſiderati, ad XC vulnerati. Victores equites [α] XVIII Kal. Sept. domum reverſi ſunt: Melitae ob rem proſpere geſtam a Vignacurio gratiae Deo actae. Eodem tempore conatus ille in parte revictus appulſu claſſis Turcicae in Calabriam, duce [a] Cicada, qui [b] Rhegium in freto [c] Siculo cepit, et late caeſis arboribus, abductaque in ſervitutem numeroſa multitudine locum vaſtavit; ibi matrem et fratrem in occurſum ejus venienteis complexus eſt; fruſtraque monitus per viſcera materna ut ſe reſpiceret, neque momentaneae proſperitati ac potentiae diſpendium ſalutis aeternae poſthaberet, non propterea reſipuit, et in fortuna, quam ampliſſimam ſub illo imperio adeptus eſt, ad extremum conſenuit, relicto filio paternae pugnacitatis et fortis in parte herede.

XV. SCRIBA, qui ſeditioſos in Aſia proxima jam tot annos fovebat, cum ſub portas uſque novae Romae continuo excurreret, praetoriani inde tumultuandi occaſionem captantes in armis ad Portam ante [d] Divanum comparent, et inaudita ad hunc diem arrogantia, Purpuratos, qui de republica conſultaturi venerant, per duces e ſuo numero delegatos rogarunt, quorum culpa fiat, ut rebelliones in imperio tamdiu impune tolerentur et diſſimulentur; id ſe ulterius ferre non poſſe, et eos, quorum culpa id accidat, dedi ad poenam intento clamore expoſcunt. Aſſanes purpuratorum princeps, qui ſe peti videret, per ſe non ſtare aut ſtetiſſe ſubito reſpondet, quo minus in tempore Sultanus de iis per ſe certior factus robur imperii contra opponeret; ſed principem Eunuchorum a Sultana ita juſſum vetuiſſe, et otium Sultani minime interpellandum monuiſſe, nam brevi res in Aſia quieturas; ita ſibi ſilentium imperatum, cum interim nihil non faceret, quo rebellium audacia vi armorum componeretur. Incaleſcente militum furore cum Sultanus in throno ſedens eos placare conaretur, Mophti ſacerdotum principe etiam ad latus, quo majorem dictis ſuis auctoritatem conciliaret, ſedere juſſo; nihil illi minis Sultani infracti, ſed in clamore furibundo perſeverantes, ad extremum ab invito obtinuerunt, ut bini Eunuchorum principes, matris et filii Sultani, ad poenam dederentur; qui eorum truncatis capitibus et in medium allatis aliquantum mitigati ſunt. Sultanam ad tempus ab aula relegari petebant; ſed duorum morte ira expiata quieverant; cum viciſſim ut indignationem conceptam expleret Sultanus, eadem poena reliquos purpuratos, quos furentibus gratioſos, ſeu fortuna ſeu Aſſanis odium fecerat, per carnificem affici vellet, iram in aliud tempus preſſit; veritus, ne ſi ulterius pergeret, creſcente ſeditione parentem ipſam, quae priſtinum gratiae locum retinebat, in periculum devocaret. Itaque cum Scriba mox tranſegit, eoque in gratiam recepto, quo ab Aſia proxima illum longius ablegaret, in [e] Illyrium tranſtulit, Boſniae praefectura attributa, et belli in [f] Pannonia gerendi curam commiſit, quo et ille cum X CIƆ ex iis, qui ipſum ſemper antea ſecuti fuerant, ſine mora ſe contulit. Verum homo in voluptatibus marceſcens, cum ne ſic quidem ſecurus, exinde tuta omnia timeret, ultionis avidum animum, quem nec in Scribam, aut contra praetorianos explere potuerat, in uxorem ipſam majore immanitate an imprudentia incertum, paulo poſt effudit. Ab aemulis perlatum fuerat ipſam de filii fato

VAR. LECT. [α] XVII. *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Cigala.* [b] *Reggio.* [c] *Faro di Meſſina.* [d] *Divan.* [e] *Sclavonie.* [f] *Hongrie.*

fato anxiam curioſe impotentia muliebri ſciſcitatam fuiſſe, an non patri in imperium ſucceſſurus eſſet. Quod impatientia dictum cum interpretaretur, et metueret, ne regnandi ſceleratum deſiderium ipſi per illam exitium maturaret, occupandum ratus, filium dilectiſſimum in conſpectu matris ſtrangulari, ipſam vero in mare abjici juſſit, una cum XIV circiter ſeu viris ſeu foeminis, quos ſecreti conſcios putabat. Tandem ſive ignaviae, ſive crudelitatis ferinae poenas haud diu poſt luit, [a] Tauriſio amiſſo, et clade ad [b] Patras et Naupactum accepta, et morte paulo poſt ſecuta.

XVI. Sub id et [c] Finalium in Liguria ab Hiſpanis occupatum fuit, [d] Carrectorum familia aut excluſa, aut ad diſceptandum jus ſuum in aulam Caeſaream amandata. Id a [e] Fontano Mediolani prorege actum, miſſis Didaco Pimentello cognato et Sanctio Luna cum copiis, et deducto inde Germanorum praeſidio, quibus XVI menſium ſtipendium, quod debebatur, praeſenti pecunia exſolutum eſt. In proximo et [1] Medeſimus vulgo portus captus et milite firmatus. P. Toletanus cum CC Hiſpanorum praeſidio iis locis impoſitus. Amoto a triremium praefectura Joanne Andrea [f] Auria ob rem male ſuperiore anno in [g] Africa geſtam, atque adeo ultro ſe abdicante, Joannes Cardona ei in illo munere ſuffectus eſt, qui magnam claſſem ex copiis in Sicilia, Neapoli, et [h] Inſubria lectis inſtruxit, in Africam denuo ſicuti rumor erat, trajecturus, ubi [i] Feſſae rex Hiſpanorum partibus in occulto favere dicebatur, et per amicos de [k] Julia Caeſarea toties infeliciter tentata, tunc vero ex inſidiis capienda ſpem fecerat. Sed qui ſanius de conſiliis Hiſpanorum exiſtimare credebantur, ita judicabant, haec arma non Africam aut Aſiam reſpicere, ſed in Europam dirigi, atque adeo regnum Franciae, quod ſecretis motibus agitari ab hominibus ſuae factioni addictis ſibi perſuaſerant, et eventum in armis expectabant; ut ſi fortuna coeptis arriſiſſet, ſuis in tempore ſubvenirent. Praeterea Sabaudo tunc cum Hiſpanis optime conveniebat, et conſilium de intercipienda Geneva tunc in procinctu erat; quod ſi ſuccedebat, minime dubitabatur quin rex ad urbem recuperandam, cujus ut limiti firmando neceſſariae nuper patrocinium ſuſceptum fuerat, omne regni robur converſurus eſſet. Itaque pontifex interceſſionem, Philippus paratas copias habebat, ut noſtrorum conatus impedirent; qua de re, poſtquam noſtra executi fuerimus, ordine dicetur.

XVII. Hoc anno Aprili menſe ad meliorem vitam in patria migravit Lazarus [l] Superantius patricius Venetus, cujus exſtat de rebus Turcicis magni judicii ac prudentiae commentarius: et eodem fere tempore itidem Venetiis deceſſit Maximus [m] Margunius Cytherenſis epiſcopus natione Graecus, qui ſanctorum patrum aliquot reliquias e communi naufragio vix ſervatas et ſecum aſportatas publico dedit; et ſua quaedam eleganti ſtylo, nam poetica excellebat, admiſcuit. In Germania Paulus [n] Meliſſus Schedius Mellerſtadii in Franconia natus, qui ingenium poetica, aetatem peregrinationibus exercuit, poſtremo Heidelbergae, ubi bibliothecarii officio fungebatur, anno climacterico ſuo deceſſit XV Kal. Martias. Martinus [o] Rulandus Friſingenſis Caeſareus medicus ſcriptis editis clarus, Pragae IX Kal. Maias ex hac vita demigravit, Hungarico, de quo nuper ſcripſerat, morbo correptus. Eadem profeſſione et mathematicarum praeterea ſcientiarum cognitione clarus, eum paulo poſt ſecutus eſt

INTERPR. [a] *Tauris.* [b] *Patras, & Lepanto.* [c] *Finale en la coſte de Gennes.* [d] *del Carretto.* [e] *le comte de Fuentes, gouverneur de Milan.* [f] *Doria.* [g] *Barbarie.* [h] *le Milanois.* [i] *Fez.* [k] *Alger.* [l] *Soranzo.* [m] *Margunio, evêque de Cerigo.* [n] *Meliſſus Schedius de Melrichſtat.* [o] *Ruland de Freiſingen.*

NOT. [1] *lege* Mileſimum oppidum captum, et milite firmatum. *Le cayer d'où ce lieu eſt pris, met; Il s'accommoda encore d'un autre port voiſin nommé* Mileſimo. *Mais il ſe trompe; Mileſimo n'eſt point un port; c'eſt un bourg ou village à quatre lieues de la mer, dependant du Montferrat dont les Eſpagnols ſe ſaiſirent.* Put.

CIↃ IↃ CII. HENRICUS IV.

eſt Gaſpar [a] Peucerus [b] Budiſſinae natus, Philippi Melanchthonis gener, longa vita et ſcriptis ac fortuna clarior: nam LXXVIII annos vixit; et poſt Carrionis chronologicam epitomen completam, et de divinationibus opus recognitum, decennali carcere ab Auguſto Saxone ſeptemviro vexatus, vixque ſub Chriſtiano filio libertati reſtitutus, publicato de ea re libro [c] Deſſaviae ultimum vitae variis moleſtiis jactatae diem Septembri menſe clauſit. Menſe proximo Franciſcus Junius in [d] Biturigibus Cubis apud nos natus, itidem obiit Lugduni Batavorum peſte abſumptus, cum tantum annum LVII attigiſſet; vir deſultorio ingenio, qui multa conatus, an adſecutus ſit quod moliebatur, doctorum erit [1] judicium. Ultimus commemorabitur ex noſtris Joannes [e] Paſſeratius [f] Auguſta Tricaſſium natus, Latinae linguae profeſſor digniſſimus, qui felicitate verſus pangendi, etiam Gallicos, et ſoluta oratione ſcribendi, ac bonos ſcriptores interpretandi, diu magnam laudem in Pariſienſi academia meruit. Homo emunctae naris, et cui aliena vix placerent, ultimo elogio vovit, ne manes ſui malis carminibus onerarentur. Itaque pauci mortuum laudarunt, dum verentur, ne voto ejus minus reſpondeant. Obiit menſe Septembri ſenio effoetus, amiſſa oculorum luce, et jam fatiſcente ingenio, cum vel vitae cupidiſſimi vivere velle deſinunt.

INTERPR. [a] *Peucer.* [b] *Bautzen en Sileſie.* [c] *Deſſau.* [d] *Bourges.* [e] *Paſſerat.* [f] *Troyes.*

NOT. [1] *In editione priore Genevenſi, ſc. An.* 1620. *locus ſic ſe habet.* judicium: Lugduno Batavorum, ubi diu profeſſus eſt, ob rerum novarum ſuſpicionem, ab Ordinibus Belgii exactus, ſicuti ſuo loco diximus, et Altorfii, ubi defecit a Norimbergenſi republica honorifico ſtipendio invitatus. Ultimus *Sed in editione poſteriore Genevenſi ſc. An.* 1630 *emendatur prout in textu habetur; Puteano ſic monente,* ‘ *Il y a faute à* ‘ *cet eloge de Junius; car il eſt faux qu'il ſoit mort à* ‘ *Altorff, ains à Leyden; je voudrois lire,* menſe proximo Fr. Junius in Biturigibus Cubis apud nos natus, itidem obiit Lugduni Batavorum, ubi diu profeſſus eſt, cum tantum annum LVII attigiſſet; vir deſultorio ingenio, qui multa conatus, an adſecutus ſit quod moliebatur, doctorum erit judicium. *Put.*

JACOBI

# JACOBI AUGUSTI THUANI

## HISTORIARUM SUI TEMPORIS

### LIBER CENTESIMUS VICESIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

*APUD nos initium anni a pompis nocturnis et choreis factum. Interim rex domeſticis conjurationibus conflictari coepit. In Petrocorios proficiſci ſtatuit. Bloeſis cum eſſet, acrem cum Bullionio verborum concertationem habuit. Rex Pictavii Panchartae vectigali abolito Fontem-bellaqueum redire ſtatuit.* II. *Lutetiae in Mercuriali conventu de advocatorum ſalariis moderandis agitatum, quae res pene totam urbem commovit. Motus tandem conquievit.* III. *Jac. Lafinius delator ad regem venit, et impetrata venia teſtimonia molitionum Bironi apud cancellarium depoſuit. Bironus ab Eſcurio et Janino a rege miſſis perſuaſus in aulam venit. Bironi durum et pervicax ingenium.* IV. *Rex cum nihil precibus impetraviſſet, ipſum, Arvernorumque comitem conſiliorum participem, comprehendi juſſit. Captivi ad urbem adducti et Baſtilia incluſi. Rex cum ad Foſſatenſe caſtrum profectus eſſet, Bironi gentiles ſupplices ad eum venere. Pro iis Forcaeus de geniculis verba fecit. Rex legibus fraenum laxare apud ſe conſtituiſſe reſpondet. Bironus cognito regis reſponſo, paulatim infringi coepit. Libellus ſupplex ab ipſo, ſeu conſcio factus, per manus hominum volitavit.* V. *Diploma ad ſenatum miſſum, quo de Bironi conjuratione cognoſcendi plena poteſtas fiebat. Achilles Harlaeus primarius praeſes, aliique delegati Baſtiliam veniunt et Bironum adeunt. Ab Harlaeo de ſecretis cum Sabaudo conſiliis interrogatur, tum prolatae ipſius ad regem et alios literae manu propria ſcriptae, quas cum agnoviſſet, prolata quatuor folia integra, quibus ſeries conjurationis continebatur. Inde confectae adverſus reum probationes et auditi teſtes. Mox a delegatis Bironus interrogatus.* VI. *Summa teſtimoniorum Lafinii et Renazaei ipſius domeſtici fuſius declaratur. Lafinius, Renazaeus, et reliqui teſtes cum reo commiſſi.* VII. *E Baſtilia in ſenatum adducitur, et coram cancellario ſiſtitur, qui eum interrogat. Quae a reo pro defenſione in medium allata. In Baſtiliam reducitur. Poſtridie dictae ſententiae, concordibuſque ſuffragiis decretum, ut reus in platea Portuenſi capite plecteretur.* VIII. *Rex eum in Baſtilia plecti voluit. Cancellarius eum ad conſtantiam hortatus eſt. Reus commotior regis miſericordiam imploravit. Amanuenſis decretum contra ipſum latum pronunciat. De rebus ſecretis a cancellario et Harlaeo interrogatus paulo poſt ad mortem ſe comparat, et in genua procumbens caput a cervice reciſum.* IX. *Carolus Hebertus Bironi ab epiſtolis ad carcerem perpetuum damnatur, qui poſtea regis indulgentia dimiſſus eſt. Burgundiae praefectura quam Bironus tenebat Bellogardio attributa. Exteri principes de conjuratione revicta per oratores ſuos regi gratulati ſunt. Regis ad Philippicum oratorem reſponſum. Guido Ederus Fontanella tanquam reus laeſae majeſtatis ad ignominioſam mortem damnatur. Cum eo et alii ſupplicio affecti. Monbarotus comprehenſus. Arvernorum comes ex reo delatoris partes induit,*

*induit, ac in gratiam receptus libertati reſtituitur. Luxius conjurationis itidem particeps eadem fiducia in aulam venit.* X. *Bullionius in Septimaniam deſcendens, Caſtrum venit, et ad regem literas dedit, quibus profectionis ſuae et mutati conſilii rationes reddebat; et ſe coram judicibus in Caſtri camera conſtitutis purgare paratum oſtendit. Rex cognitionem cauſae Caſtri camerae interdixit. Bullionius Monpelium venit, Proteſtantiumque advocatione apud regem implorata tandem Genevam pervenit. Proteſtantes in gratiam Bullionii dant literas.* XI. *Eliſabetha, quam rex per oratorem ſuum de Bullionii conſiliis monuerat, pro eo nimis fortaſſe libere intercedit.* XII. *Scriptum publicatum quo praecipua accuſationis capita continebantur. Quae omnia fere inficiatione Bullionius diluit.* XIII. *Claudius Lotaringus Jonvillae princeps cum Phil. Anglurio Guionvillano conſilia pernicioſa agitaſſe delatus juſſu regis ſiſtitur, ſed deprecante pro eo illuſtriſſima familia in gratiam receptus.*

Ex auctoribus,

*Actis curiae Pariſienſis, Bironi interrogationibus et actis probatoriis, Scriptis publicatis, Actis magni conſilii, Bullionii ad regem literis, Eliſabethae Anglae et Proteſtantium literis, Scriptis publicatis.*

## LIBER CENTESIMUS VICESIMUS OCTAVUS.

APUD nos principium anni a ludis et pompis nocturnis, quibus impenſe regina oblectabatur, factum; ipſa inſignem choream perſonatam duxit, coram oratoribus principum, et ipſo pontificio legato, Caeſare [a] Vindocino regis naturali filio dilectiſſimo, Cupidinis ſpecie reginam praeeunte. Inter haec, cum foris pacata eſſent omnia, rex domi ſeu praeſentium taedio, ſeu futurorum metu, et quod verius, otii impatientia, alienatis magnatum animis, periculo conflictari coepit. Nam coitiones et miſſitationes occultae inter eos paſſim celebratae, jam ab eo tempore, quo Sabaudus ad regem ante triennium per hyemem venit, et cum re infecta diſcedens nihil praeter lutum e Gallia reportare per ludibrium diceretur, minaci dicterio contrario id eluſerat, tam alte ſui adventus in regno impreſſa veſtigia jactitans, ut ejus aeterna apud nos eſſet memoria, ſicuti jam demonſtravimus. Nunc pace cum eo facta, cum in [b] Aquitania clandeſtina conſilia quotidie repeti rex intelligeret, ac praecipue in [c] Petrocoriis, ubi Carolus [d] Guntaldus Bironus, unus ex IV primariis provinciae regulis, multas amicitias et clientelas habebat, a fidis admonitus eo proficiſci ſtatuit. Ea eſt nobilitate innumera, quam vix capit, foeta; et ingenia loci, quod vel nomen ipſum indicat, dura, et rixarum ac rerum novarum ſemper cupida, ad quoſvis rumores facile commoventur; obſervatumque, ex quo [e] Renaudius, tumultus [f] Amboſiani dux et auctor, principium bello civili fecit, ſicut in ſuperioribus ſuo loco plenius diximus, nullum magnum toto regno motum excitatum, cujus prima fundamenta per Petrocorios, et in ea provincia jacta non fuerint. [g] Benacus familiae ſuae princeps in illa per abſentiam Bironi, qui in Burgundiae praefectura commorabatur, ut inde propius cum Sabaudo conſilia communicaret, res novas agitare credebatur. Ad cauſas ſuperiores addebatur, ſpecioſum levandae plebis nomen,

quae

INTERPR. [a] *le duc de Vendoſme.* [b] *Guienne.* [c] *Perigort.* [d] *de Gontaud, mareſchal de Biron.* [e] *la Renaudie.* [f] *d'Amboiſe.* [g] *le baron de Benac.*

quae per nova onera ad ſupplendum aerarium bellis praeteritis exhauſtum impoſita ultra modum gravabatur. Et jam in [a] Lemovicibus res ob id tumebant. Rex igitur in viam ſe dedit, et [b] Bloeſis cum eſſet, acrem cum Henrico [c] Turrio Bullionio, quem participem, aut ſaltem non ignarum molitionum illarum rebatur, verborum concertationem habuerat. [α] Bullionius ad regem, qui jam Bloeſis erat, pergit, cum eoque liberius collocutus, et poſtea [d] Pictavii, novis ſubinde ſuſpicionibus ipſius animum implevit; quae poſt intempeſtivum ſuum in Lemovices diſceſſum auctae, poſtremo in perplexas ac longas moleſtias errantem, et vix tuto loco pedem quocunque ibat ponentem induxerunt, et paene in exitioſum ſibi exitum deſierunt. Rex abolito panchartae, quam vocant, vectigali, quae turbis per vicinas provincias a tumultuantibus obtendebatur, cognitoque Bironum, ad cujus diſturbanda conſilia profectionem ſuſceperat, jam reſipiſcentem minore negotio in poteſtate ſe habiturum, ſi conſilium ulterius pergendi in praeſentia omitteret, [e] Bellaqueum-fontem redire ſtatuit.

II. Dum Pictavii eſſet, ne vel a levibus curis quies eſſet, res Lutetiae intervenit, quae paene totam urbem commovit: in Mercuriali conventu cum de ſalariis advocatorum moderandis mentio incidiſſet, Antonius [f] Seguierius [β] praeſes, Achille [g] Harlaeo ſenatus primario praeſide, rem in diem proximam, quoniam deliberatio majorem diei partem conſumpſerat, rejiciendam [γ] cenſente, non amplius differendum dixit, tandemque pervicit, non repugnante Harlaeo, ac ceteris cum eo bene ſentientibus, ut ſine mora rogarentur ſententiae. Neque tamen inclinata jam die aliud cenſuit ſenatus, quam ut inceſſanter et omni re alia poſthabita, proxima die convocatis claſſibus univerſis [δ] deliberaretur. Decretumque III Eid. Maias, ut juxta CLXI caput Bloeſenſis edicti ante XXIII annos in ſenatu publicati, et hactenus minime executioni demandati, advocati quid pro honorario accepiſſent, ſcripto profiterentur, ut in impenſis victori reſarciendis juxta illam profeſſionem ratio a delegatis judicibus iniretur: ni facerent, concuſſionis poena tenerentur. Cum libello intercederent, et ſcripto publicato, quare caput illud Bloeſenſis edicti executioni minime demandatum eſſet, multis verbis exponerent, ſeque potius munere publico cedere, quam ſervili miniſterio amplius defungi paratos oſtenderent; XV Kal. Junias iterum decretum, ut advocati, qui munere deinceps defungi nollent, apud acta publica id profiterentur, quo facto, omni advocationis munere ſub falſi poena interdicebantur. Poſt unam et alteram, a veneranda canitie et praecipua probitatis opinione advocatis A. [h] Hamelio, Jacobo [i] Choartio, Antonio [k] Oiſello in ſenatu factam deprecationem, cum factione contraria et juvenum, qui numero vincebant, contra ſeniores calore praevalente, nihil obtinerent, in conſultationum, quam vocant, camera

CCCVII

VAR. LECT. [α] Bullionius regem ſecuturus cum me Lutetiae inviſeret, et habitos jam cum rege, et quos in itinere porro habiturus eſſet, liberiores ſermones mihi referret; ego, qui nihil de re omni, niſi quod per famam et rumuſculos jactabatur, certi compertum habebam, monueram eum, ut ſibi a libertate illa nimia temperaret; nam regem jam irritatum, eo irritatiorem futurum, et ſuarum rerum metum, quem illi injicere vult, in bonam partem minime accepturum: imprimis, profectionem quam inde in Aquitaniam et in Lemovices et Petrocorios, ubi ampliſſimas poſſeſſiones habet, petita a rege venia, parare ſe dicebat, enixis quantum potueram verbis ac precibus, diſſuaſeram; nam ipſum proculdubio nimia illa libertate jam inviſum, eo magis regi ſuſpectum fore; ac potius videri, ut res minus ſuſpecta, ut Sedani ſe per has turbas contineat; ſic enim ſecuritati propriae citra regis offenſam optime conſuli, et loco tuto eventum rerum commodius expectari poſſe: id quo minus ſalutare conſilium ſequeretur, res domeſticas cauſatus, ad regem, qui jam Bloeſis erat, pergit *MS. Reg.*

[β] praeſes obtrectandi occaſionem quaerens, Achille *MS. Reg. Put. & Rig.*

[γ] cenſente, inſolita nec ſperata audacia inſurrexit, et non amplius *MS. Reg. Put. & Rig.*

[δ] deliberaretur: per factionem ab hominibus factioſis res acta, decretumque III Eid. *MS. Reg. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Limouſin.* [b] *Blois.* [c] *de la Tour, duc de Bouillon.* [d] *Poictiers,* [e] *Fontainebleau.* [f] *de Seguier.* [g] *de Harlay.* [h] *du Hamel.* [i] *Chouart.* [k] *Loiſel.*

CCCVII congregati concordibus votis ſtare ſibi dixerunt, munere ſe publice abdicare, et ſubſignata deliberatione e veſtigio bini ordine apud [a] curiae [α] archiva ea mente perrexerunt; qua re quaſi juſtitium indictum, et magna perturbatio in ordine judiciario ſecuta, ita ut urbis facies parum a ſeditione abeſſet. Triumviri regii, quanquam in occulto advocatis faverent, cum tamen decretis curiae, quae Bloeſenſis edicti auctoritate nitebantur, contra ire minime auderent, ad regem et cancellarium diligenter perſcripſerunt, obiter et obſcuris verbis mitigari decreta poſtulantes, et edicto nunquam executioni demandato publicam offenſionem opponentes: nam verendum, ne dum partium commodo in ſpeciem ſtudetur, parum decori praecipui in jure dicendo ordinis, qui ampliſſimi ordinis partem non minimam facit, conſulatur, et paucorum culpa in univerſorum dedecus redundet; nimirum ſeveritate legis bonorum verecundiam non mediocriter laedi; ſublato autem pudore, quo praecipuo advocatorum ordo continetur, una et fidem et conſciam virtutem tolli; et honorarium illud in turpiſſimam mercedem [β] degenerare: tandem ſedatus tumultus diplomate VIII Kal. Junias per diſpoſitos equos miſſo, quo ſenatus decretum confirmabatur, et advocati Bloeſenſi conſtitutioni parere in poſterum jubebantur, et quanquam ſe munere ſuo ſponte abdicaſſent, ut eo nihilominus defungi ſicut antea poſſent, facultas dabatur, et ad id faciendum, ut cogi a ſenatu itidem poſſent, enixe mandabatur. Allato diplomate, qui minus probabant, ne regi in tempore tam ſuſpecto contradicere viderentur, ultro aſſenſi ſunt, et advocatis auctores fuerunt, ut ad munia ſua redirent, et ita motus ille conquievit. Initio juxta decretum quidam ſed pauci ſubſcripſere, qui ita cenſuerant: inſtantibus dein et iiſdem [γ] conniventibus, idem intermiſſum, paulatim omnino in deſuetudinem abiit.

III. REX, pacatis in [b] Aquitania rebus, [c] Fontem-bellaqueûm rediit, Bironum in poteſtate habere certus, miſſo primum in [d] Aeduos Petro [e] Fugeo Eſcurio homine Birono familiari, qui caſtrorum metatoris munere ſub eo ſtrenue defunctus fuerat, et poſtea praeſide Janino, cui et ille plurimum tribuebat. Jam menſe Martio, antequam rex [f] Pictavium proficiſceretur, Jacobus [g] Lafinius Bironi conſiliorum ab initio particeps et auctor, ſicuti ſupra demonſtravimus, et ubi ipſum ſibi diffidere, et Amatum [h] Malanium Luxium in gratiae amiſſae locum ſucceſſiſſe vidit, prae indignatione delator acer ad regem clam venerat, et, impetrata venia, teſtimonia molitionum Bironi, quae penes ſe ſervaverat, manu ipſius ſcripta apud cancellarium depoſuerat. Antequam veniret, quo magis falleret, ad Bironum ſcripſerat, et a rege ſe vocatum dixerat, fide religioſe obſtricta, nihil ſe, quod ipſi praejudicare poſſet, dicturum aut revelaturum. Et poſtquam in arcano cum rege collocutus eſt, literis ad Bironum ſcriptis idem confirmavit. Eodemque tempore rex Luxio in Aeduos diſcedenti, qui tunc forte in aula erat, cum Lafinius eo venit, familiariter dixerat, ſe colloquio cum Lafinio habito magna cura levatum, quippe cognoviſſe multa

falſo

VAR. LECT. [α] archiva ire perrexerunt, et in abdicationis ſignum caputia, quae vulgo vocantur, pellibus farta, dignitatis inſignia, ſupplices depoſuerunt; qua re quaſi *MS. Reg.*

[β] degenerare: ex eo illi triumviri concordes, qui antea diſſidebant, in Jac. Aug. Thuani praeſidis aedes venerunt, et Jacobus Gueſlaeus cognitor regius animadvertere ſe ingenue profeſſus eſt, quam diu ab Harlaeo ipſi diſſidium feciſſent, multa peccari quotidie aemulorum et obtrectatorum livore; qui ex illo diſſidio occaſionem captabant, auctoritatis, qua ad privatas libidines et factiones abutebantur, in majus augendae: et Simo Marionus, qui ex levi cauſa cum Thuano ſimultatem exercebat, cum eo reconciliatus eſt, et ipſe, et Gueſlaeus e veſtigio Harlaeum adierunt; et porro ſe in publica cauſa cum ipſo conſilia communicaturos religioſe polliciti ſunt: quod ſummo bono, ex ea occaſione factum, in cauſa fuit, ne ulterius factio invaleſceret. Sed pro tempore eadem quae in ſenatu, in aula praevaluit invidia, et odio Harlaei, quem aemuli calumniis apud regem traducebant, diploma VIII Kal. Junias per diſpoſitos equos miſſum; quo ſenatus decretum *MSS. Reg. Put. & Rig.*

[γ] conniventibus, poſtquam factionis aeſtus deferbuit, idem *MSS. Reg. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *le greffe de la cour.* [b] *Guienne.* [c] *Fontainebleau.* [d] *Bourgogne.* [e] *Fougeu Sr d'Eſcures.* [f] *Poictiers.* [g] *de la Fin.* [h] *de Malain, baron de Luz.*

falſo Birono improperata, et gaudere, quod ille, quem tantopere ob virtutem bellicam diligebat, ab iis criminibus innocens eſſet, quae eum ſibi ſuſpectum reddebant; quae res ſummopere Birono impoſuit, qui natura praefidens, de Laſinio, a quo ſolo ſibi ut conſcio metuebat, ſecurus, facile ſibi ab Eſcurio et Janino perſuaderi paſſus eſt, ut citra diſcrimen, quod illi ſpondebant, poſſet in aulam venire. Quod ille poſt varias protelationes et maxime diſſuadente Luxio tandem fecit, praemiſſo Eſcurio, qui regem de adventu ſuo certiorem faceret. Igitur Eidibus Juniis Fontem-bellaqueum improviſus advenit, ſponſione a pleriſque facta ipſum minime venturum. Primo congreſſu poſt demiſſam a Birono ſalutationem hinc alienati, hinc praefidentis animi utrinque ſigna obſervata, cum rex Bironum ad ingenuam conſiliorum clam in ſe initorum, de quibus aliunde conſtare ſibi dicebat, confeſſionem hortaretur, et ſibi ſoli dicturum affirmaret, plenamque confeſſioni veniam paratam oſtenderet: ille contra non ut ſe purgaret, quippe a criminibus objectis innocens, ſed ut delatorum nomina reſciſceret, et de iis ſibi ſatisfieri a rege peteret, aut ipſe ſibi ſatisfaceret, ad aulam veniſſe audacter reſponderet. Rex tamen qui aegre faceret, ut ſummo jure cum viro de ſe, deque nomine Francico tam bene merito ageret, ſpatium deliberandi ei relinquere voluit. Et cum ille apud Eſpernonium prandiſſet, cum eo et Eſpernonio ipſe et [a] Sueſſionum comes in ludo palmario luſerunt, ludoque finito, Bironus apud Sueſſionem coenavit; et poſt coenam Sueſſio apud ipſum juſſu regis enixis precibus inſtat, ut ſe regis voluntati morigerum praeberet, alioqui ipſi verendum eſſe, ne contumacia ſua, regis iram in ſe minime deinceps placabilem accendat; non fruſtra a ſapiente rege dictum, 'Iram regis eſſe nuncium mortis.' Cum ille obfirmato animo perſtaret, et Sueſſio durum Bironi ingenium nulla ratione emolliri a ſe potuiſſe ad regem retuliſſet, nihil praeterea eo die actum. Poſtridie ſummo mane rex in hortum juxta aviarium deſcendit, et Bironum vocari juſſit, cum quo diu collocutus rurſus eum interpellat, et ut ex ipſius ore de rebus, de quibus abunde ſibi aliunde conſtabat, ſatisfieret, enixe rogavit: ubi nihil impetravit, eadem ſemper quae initio, illo reſpondente. Poſt prandium fidos in porticu ſevocat, et quando nullam ab eo confeſſionem exprimere potuerit, unum hoc ſupereſſe dicit, ut ipſum comprehendi, et legibus cum eo agi jubeat, ſed nolle in tali dignitate virum manus injicere, niſi prius certo conſtet, abunde probationum eſſe, quibus laeſae majeſtatis reus citra dubitationem convinci poſſit. Cum abunde probationum eſſe cuncti concordi voce affirmarent, moniti in arcano Ludovicus [b] Hoſpitalius Vitrius, et Carolus Choeſelius Pralinius, ſtipatorum regiorum praefecti, ut ſuos ſub noctem paratos haberent. Inde Bironus apud Franciſcum [c] Grangium Montinium divertit, et inter coenandum obſervatum, quod Hiſpanos et regem Hiſpaniae, qui benemeritos gratiis ac beneficiis large remunerabat, eaque ad filios eorum, qui in bellis ac proeliis cecidiſſent, porro extendebat, profuſius laudaret: ad quae a Montinio reſponſum ferunt, haec quidem in Hiſpanis merito laudari; ſed et hoc verum eſſe, nullius offenſae cuiquam, ne filio quidem proprio, in illa aula gratiam fieri. Quod aculeate ab eo dictum, ad retundendum nimis apertum et intempeſtivum Bironi erga Hiſpanos affectum.

IV. Poſt coenam cum ad regem iviſſent, denuo rex ne quid intentatum relinqueret, miſerum hominem urget, ut quod jam ſciat, ipſe ſibi patefaciat; quo recuſante, Atqui, Birone, quod negas, rex infit, ego ab [d] Arvernorum comite an reſciturus ſim, pro ultimo conatu tentabo. Is participare Bironi conſiliis arguebatur: itaque

INTERPR. [a] *le comte de Soiſſons.* [b] *de l'Hoſpital baron de Vitry, & Ch. de Choiſeul Sr. de Praſlin, capitaines des gardes de corps.* [c] *de la Grange de Montigny.* [d] *Auvergne.*

CIƆ IƆ CII. itaque et ambo comprehendi ſtatim juſſi. Cum ſe Vitrius de Arvernorum

Henricus IV. comite ſiſtendo, amicitiam arctam cum ipſo cauſatus, excuſaſſet, Pralinio id negotii datum. Ipſe Bironum, qui cum regina poſt coenam chartarum alea luſerat, cum exiturus eſſet, ſtitit, et enſem, cui jam manus injecerat, ſibi tradi juſſit; quod ille aegerrime fecit. Arvernus, quod erat ſuſpicatus, equos paratos in area extra arcem habebat, ſed a Pralinio antequam eo pervenire poſſet, ſiſtitur, et ambo ſub cuſtodia totam noctem a ſtipatoribus regiis aſſervati; Birono ſua merita, et ingratitudinem alienam, importuna verborum petulantia identidem exprobrante. Mane conſultatum, quid facto opus eſſet; et ſtatim decretum, ut captivi ad urbem adducerentur, et Baſtilia includerentur, cum iiſque legibus more majorum ageretur. Igitur XVII Kal. Quintil. per flumen Lutetiam devecti et Baſtilia incluſi, quo eodem die rex ad urbem ſub noctem venit, per [a] Sanmarcellianam portam ingreſſus, et feſtis plebis obviae, quaſi detectam conjurationem gratulantis vocibus exceptus. Triduo poſt cum ad [b] Foſſatenſe caſtrum IV ab urbe lapide profectus eſſet, ſupplices ad eum venere rei frater Joannes [c] Sanblancartius, Car. [d] Petrobuſerius Caſtronovius, Car. [e] Roius Rupifulcaudius Ruſſii comes, [f] Pontius Lozerius Theminius, Carolus [g] Rupifortius Santangelus, Fr. [h] Guntaldus Bironus Salignacus, Jacobus Nompar [i] Caumontius Forcaeus, qui pro iis de geniculis verba fecit, quamvis rex eum ſurgere juſſiſſet: Clementiae tuae confiſi, potentiſſime rex, non ingratas preces et vota noſtra tibi futura nobis perſuaſimus: quos heic vides c hominum CIƆ vicem ſuſtinent, qui tibi per haec bella ſub Birono militarunt, et nunc pro ejus ſalute ſupplicationes ſuas nobiſcum conjungunt. Miſericordiam tuam illi implorant, nec jure cum miſerabili reo agi poſtulant. Deus, cujus beneficio, non humanis viribus, coronam impoſitam debes, hoc a nobis exigit, ut quod nobis ab ipſo condonari cupimus, ejus gratiam iis, qui nos offenſione aliqua laeſerunt, faciamus. Nulla re magis ad Deum, quam clementia principes accedunt. Non taedioſa oratione utar, vitae gratiam fac reo, et ſecuritati tuae per carcerem ubicunque placuerit conſule. Male ſit ambitioni et vanitati, quae miſerum hominem aeſtu aetatis ferventem eo impulit, ut ſe omnibus ſpectabilem et deſiderabilem vellet oſtentare. Ignoviſti pleriſque, indulgentiſſime princeps, qui te gravius offenderant. Precibus, lachrimiſque quantum poſſumus infamiae notam deprecamur, quae juſta illius poena nobis, ac poſteritati noſtrae cum indelebili ignominia alioqui inureretur. Veniam iterum ſupplices oramus, non legibus cum reo agi petimus. Scimus illum graviter contra regnum peccaſſe, ſed voluntate magis, quam facto. Merita patris, filiique, etiam noſtra ante oculos tibi propone, clementiſſime domine. Tu, qui offenſas patratas tam benigne condonaſti infeſtis ſemper antea hoſtibus, Birono tot exantlatis pro ſalute publica laboribus, de te tam bene merito, ſed ad extremum ex indignatione ad prava conſilia, quorum poenitentia ſubire potuit, prolapſo, non ignoſces? Qui factorum oblivionem indixiſti, conſiliorum et malarum cogitationum gratiam non facies? De miſericordia tua, quam et pro reo et pro decore familiae, cujus pars ſumus maxima, nunc cum ſuſpiriis et fletu, imploramus, patiare, ut melius ſperemus. His dictis cum rex eos ſurgere iterum juſſiſſet, ſic infit: Nunquam mihi ingratae fuerant meorum deprecationes, et ſupplicibus ſemper apud me facilis aditus patuit. Atqui majores mei non ſolum amicos et adfines ad illud officium non admiſerunt, ſed matres, patreſque ac fratres in tali criminis gravitate omnino rejecerunt. Recenti temporum memoria patrui mei uxorem pro marito deprecaturam Franciſcus II a conſpectu ſuo excluſit. Clementiam, quam tantopere urgetis, non miſericordiae, ſed crudelitatis

INTERPR. [a] *Porte de S. Marceau.* [b] *St. Maur les Foſſez.* [c] *de St. Blancart.* [d] *de Pierrebuffiere de Chaſteauneuf.* [e] *de la Rochefoucaud dit de Roye, comte de Roucy.* [f] *Pons de Louſiers, Sr. de Themines.* [g] *de Rochefort de St. Angel.* [h] *de Gontaud de Biron, baron de Salignac.* [i] *de Caumont, Sr. de la Force.*

crudelitatis nomen mereri ſi dicam, vero verius dicam. Publica, non mea res privatim agitur, quae ſi ageretur, ultro libenterque ſupplici ignoſcerem, ſicuti ex animo ignoſco. Reipublicae, liberiſque meis, qui majorem partem imperii faciunt, pluſquam mihi debeo, quos exprobraturos mihi procul dubio eſt, ſi quid in hac cauſa, neglecto tanto malo, vel imprudentia vel incuria peccavero; quapropter ſtat legibus in ea fraenum laxare: interim libertatem facio vobis innocentiae ejus, quantum eniti legitime poteritis, omni ope et honeſta ratione defendendae, quod vobis permitto, quamdiu integra cauſa licebit. Nam peracto ſemel majeſtatis laeſae reo, amplius eniti aut intercedere, neque patri pro filio, neque uxori pro marito, aut contra per leges licet. Videte, quaeſo, ne nimio in illum affectu in odium meum, ac publicam regni indignationem incurratis. Ad ignominiam veſtram, quam a vobis tantopere deprecamini, minime cauſa ejus pertinet. Fani-Pauli comes magiſter equitum, a quo genus maternum duco, et Nemoroſii dux, cujus haereditatem crevi, in exemplum ſunt. Et ut ad propiora veniam, Condaeus patruus meus, ſi rex Franciſcus diem ſupervixiſſet, capite truncabatur. Neque tamen illi mihi aut majoribus meis, notam inuſtam reliquerunt, neque vobis culpa aut poena Bironi nocebit, modo in fide atque officio, quod ſemper feciſtis, deinceps conſtanter perſeveretis: vobis veſtras dignitates non ſolum confirmare, ſed augere potius, quam ex ea cauſa imminuere mihi eſt animus. En Santangelus, quem ille a ſe alienaverat, quod averſo eſſet a factionibus animo, ſcit quo in eum propendeam affectu. Plus mihi, Bironi culpa, quam vobis ipſis dolet. Sed in benefactorem ſuum conjurationes iniri quis ſanae mentis ferat? In haec verba ſtomachoſior cum deſiiſſet, Forcaeus inſurgens, Hoc ſaltem ex hac occaſione, clementiſſime princeps, ad rei exonerationem reportamus, quod ille in ſacroſanctam tuam perſonam non conjuravit. Rex ſtatim: Pro innocentia ejus tuenda facite quod in vobis eſt. Ego illum pro virili ſublevabo. Ubi de regis reſponſo cognovit Bironus, dein ſerio ſecum agi videns, contra quam initio ſibi prae fiducia perſuaſerat, paulatim infringi, et de priſtina ferocia coepit remittere, et ſive ab ipſo, ſeu conſcio, quod vix credo, libellus ſupplex per manus hominum in urbe volitavit, quo exquiſitis ad miſericordiam commovendam verbis, et laudato a clementia rege, reus confeſſus veniam petebat, ſanguinem ſuum non ad plebis ſpectaculum, ſed ad certamen ſe dignum pro rege ac ſalute regni ſervari, deprecabatur. Quod ſi ſuſpectus regi in regno eſſet, in Hungariam ablegaretur, contra Turcas tota vita pugnaturus; aut ſi poſtremo arma tractare prohiberetur, privata domo pro carcere includeretur, ex qua niſi juſſu regis exire nunquam poſſet.

V. Verum haec ſive ab ipſo profecta, ſive per amicos jactata minime in aureis regis penetraverunt; quippe cum res eo proceſſiſſet, ut locus poenitentiae non eſſet: nam qui fidem ſervaturum eum poſt acceptam injuriam ſperari poſſet, qui tot beneficiis ac honoribus cumulatus, regi patriaeque non pepercisſet? Igitur diploma ad ſenatum miſſum, quo de conjuratione a Birono inita cognoſcendi, et legibus cum eo agendi plenam poteſtatem faciebat, ſeorſim diplomate ad Achillem Harlaeum ſenatus primarium praeſidem, Nicolaum [a] Poterium item praeſidem, et Stephanum [b] Florium, et Philibertum [c] Turinum ſenatores directo, ut reum interrogarent, et amplius in eum anquirerent. Illi XIV Kal. Quintil. in Baſtiliam venerunt, et ad Bironum admiſſi cum diploma legi per Danielem [d] Vicinum criminalem amanuenſem juſſiſſet Harlaeus, ille nihil opus eſſe reſpondit, neque enim dubitare ſe, quin plenam a rege poteſtatem haberent; ceterum duas ſecum et cum aliis reis agendi vias eſſe,

INTERPR. [a] *de Potier, Sr. de Blancmeſnil.* [b] *de Fleury Doyen.* [c] *de Turin.* [d] *de Voiſin greffier criminel.*

eſſe, jure, an gratia, in arbitrio regis poſitum eſſe, ſe rudem et ignarum ordinis judiciarii, nunquam in animum induxiſſe, fore ut fides ſua ab accuſatoribus in dubium revocaretur, verum innocentiae ſuae fiducia niti, neque ſi aliquo conſcientiae morſu teneretur, ad aulam venturum fuiſſe: non defuiſſe qui miſſis in itinere ipſum de via revocarent, et poſtquam ad regem venit, qui ipſi fugam ſuaderent; ſed maluiſſe carceris periculum ſubire, quam committere, ut, ſi venire detrectaſſet, aut poſtquam venit, fuga ſe ſubduxiſſet, contumacia ſua, aut inopinato diſceſſu crimen, cujus falſo inſimulabatur, agnoviſſe videretur. His dictis ab Harlaeo interrogatur, de ſecretis cum Sabaudo conſiliis, et nunciis ad eum miſſis; quod initio conſtanter pernegavit. Tum prolatae ipſius ad regem et alios literae manu propria ſcriptae, ut ex earum comparatione cum commentariis Laſinio traditis, et Sabaudo tradendis, ab ſe ſcriptos commentarios inficiari non poſſet. Quas cum agnoviſſet, dein prolata quatuor folia integra unum poſt alterum; et cum primum a ſe ſcriptum faſſus eſſet, altero prolato jam ſpe, quam de ſuppreſſis illis initio conceperat, fruſtratus, variare et vultu coepit palleſcere, et illud a ſe ſcriptum inficiatus eſt; addito, habere ſe duos domeſticos, quos et nominavit, qui ſcripturam ſuam probe imitarentur, quos ab accuſatoribus corruptos illud ſcripſiſſe aiebat. Dein tertium quod ſequebatur titubante lingua agnovit, cujus quia prima verba cum ultimis praecedentis conveniebant, convictus eſt utrumque ſcripſiſſe, ad ultimum et poſtremum agnovit; et poſt aliquot altercationes univerſa a ſe ſcripta animo confuſo faſſus eſt, ſed ad Laſinium tantum ſcripta, ut eum de rebus ſuis certiorem pro familiaritate faceret, ſed non ad Sabaudum perferenda. Tum ad miſeras deprecationes revolutus, et omnia ſe regi ingenue antea confeſſum dixit, et veniam eorum ſibi benigne ab ipſo datam; illa vero in aeſtu furente doloris ſcripta, cum arcis Burgi repulſam ab rege paſſus eſt; ſe vero ad iram natura pronum, tali injuria, ut rebatur, indigne habitum, tunc in verba haec temeraria prorupiſſe, ſed quae minime facta ſunt ſecuta. Itaque ſperare ut rex veniae ſemel conceſſae memor, inimicorum ſuorum odio minime ſe indulgentem praebeat; ſed eorum calumnias, qui nihil dignum pro ſalute regis regnique fecerunt, ſua autem verba cum nihil aliud poſſunt, arguant, paternis ac ſuis meritis poſthabeat. Foliis autem illis haec ſcripta inerant; primo, ut auxiliaris exercitus adventus tegatur, et qua parte venturus ſit, dubitetur, diſpoſitis qui aditus ſervent; nam incertum et improviſum adventum regios proculdubio turbaturos, et antequam nobilitas, quae jam dilabitur, ad exercitum redeat, et Helvetii ad ſigna conveniant, rem confici poſſe, pedite jam fere aut morbis conſumpto, aut ad munia militaria invalido. Si per [a] Valeſios, aut per [b] S. Bernardi montem fiat deſcenſus, opus erit equis et funibus ad trahenda tormenta, quae in S. Catharinae munitione ſumentur, alioquin inſeſſis caſtellis circumpoſitis et interclufis aditibus exercitum auxiliarem a commeatu laboraturum. Si hac fiat, id eſt, in [c] Sebuſianos, per equitum globum et peditatum minus inſtructum in [d] Allobrogibus et proxima [e] Provincia arma oſtentanda erunt. Nam in Sebuſianis minus equitum eſſe, et qua minus putatur parte vis facienda erit. Si [f] [1] Ocelli, qui Allobroges quaſi ſejungunt, capi poſſint, et ſummopere incommodaturum, idque unice omneis vereri. Rebelleis in Belgio haud magnum partae nuper victoriae fructum reportaſſe: nam poſt eam ab Archiduce coactos ſemel atque iterum a locorum corona cinctorum obſidione diſceſſiſſe, et ignominioſe in Zelandiam fugae ſimili receptu ſe contuliſſe, et copias per praeſidia diſtribuiſſe; et res in eo eſſe, ut de pace inter eos conveniat; ſic enim regium oratorem, qui iſtic eſt, ſcripſiſſe. Treis aut quatuor bene animatos ad munitionem S. Catharinae

introducendos

INTERPR. [a] *pays de Valais.* [b] *Mont S. Bernard.* [c] *Breſſe.* [d] *Dauphiné.* [e] *Provence.* [f] *Exilles.*

NOT. [1] Il y a dans l'Eſcrit, *ſi on pouvoit prendre Exilles, cela incommoderoit fort; à cauſe qu'Exilles ouvre la venuë de Dauſiné; on craint infiniment cela.* Put. L.

introducendos, qui praefectum nutantem confirment, nam illum audiri de numero militum queri; pretium eſſe, ut praeſidiarii et iſtic et ad [a] Monmelianum crebris excurſionibus exercitum fatigent. Proſpiciendum commeatui ad alendas auxiliareis copias, frumento mature coempto, et domibus certis clam ſepoſito. Unum et alterum chirurgum in arcem [b] Burgenſem immittendum cum medico inſtrumento antequam obſeſſi arctius premantur. Item quatuor aut quinque equos, pannis et tela onuſtos, cum ſartore, ad militem veſtiendum. Item coria cum cerdone; alioqui prae frigore ſuperventu hyemis deditionem facturos. Burgenſeis monendos, ut pulveri et pilis parcant: neque tam frequenter foras erumpant. Noctu per fidos viae indices commodo ſilvae vicinae utendum, et ſub horam octavam cum excubiae permutantur, militem immittendum. Dum circa Monmelianum et Mauriennam vallem exercitus occupatur, ſimulato ad [c] Camberium itinere, ad [d] Cornetum facile declinari poſſe, nam nullum eo loco praeſidium eſſe. Militem in [e] Feretenſi comitatu proximo Auſtriacae ditionis, et in limite Lucemburgenſi, nam Archidux poſt [f] Neoportuenſe proelium copias per praeſidia diſtribuerat, abunde et nullo negotio legi poſſe. Haec primo folio continebantur. Tribus ſequentibus de exercitus regii ſtatu [g] Laſinium inſtruebat, luſtratum peditatum, in [h] Praetoriana legione III CIↃ, Navarrena IↃ CCCC numeratos: [i] Nereſtanum in ſua IↃ CCC, legionarios CIↃ CC, Helvetios IↃCCC, [k] Crequium CIↃ IↃC, [l] Burgum CIↃ CC, Ornanum Corſos IↃ CC ſub ſignis habere. Multos in iis ad fraudandum ſtipendium a ductoribus cohortium ſuppoſitos fuiſſe, qui recenſitis ab Eſpernonio poſt primam luſtrationem necopinato copiis, bis mille et quingenti comperti ſunt numero deeſſe. [m] Campobaldum poſtea ſuperveniſſe cum CIↃ CC omnis generis, nullum ſtipendium praeſenti pecunia numeratum, eam quotidie expectari; equitatum omnem non plus CIↃ efficere, et praeterea IↃ equites ſcloppetarios. Sueſſionem cum IↃ CCC equitibus, et III peditum millibus in [n] Chablaſiam praefecturam profectum, ut Valeſianis praeſto ſit, qui ad intercludendum Sabaudo aditum id a rege petierunt: ita agrum [o] Anicio circumpoſitum ab eo vaſtatum iri, ubi Sabaudus caſtris locum ſumpturus creditur. Si Campobaldus cum ſuis Cornetum verſus tendat, ut illac aditus inſideat, facile eum circumveniri poſſe, per ſummum Cornetum impreſſione facta, ſummiſſis clam copiis, quae per [p] Turriculam erumpentes et [q] Bellofortium a tergo incumbant: nam a Corneto, ubi pars exercitus hoſpitia habet, ad [r] Petri Albiniaci-fanum IX leucas intercedere, et [s] Iſaram mediam ad [t] Confluentem tranſmitti oportere. Ad [v] Migenam et alias copias equeſtreis hoſpitia habere, quae impetu facto facile fundi poſſunt; ita fieri vincenti animos, aliis jam conſternatis terrorem injici. Fruſtra propter impedita itinera et difficilem commeatus ſubvectionem in ſuppetiis Monmeliano ferendis laborari. In eo laborandum, ne pacta conventa ſerventur; Bironum, cum iſtic eſſet, opera ad obſidionem inutilia majorem partem judicaſſe, ſed [w] Ronio neminem ob gratiam contradicere audere; tantum velint obſeſſi, neque animo deficiant, introducendos aliquot, qui animos iis faciant. [x] Briquераſcum captum, et caligis excuſſis literas ejus contra inducias interceptas, hinc legitimam excuſationem ſumi poſſe, ſi pactis non ſtetur. Regem multis de cauſis pacem expetere nervi pecuniarii penuria, cujus defectu miles, ubi primus ardor deferbuerit, a ſignis ſenſim dilaberetur, neque tam facile ad ea deinceps conveniet; et quia ſi CCCC aureorum CIↃ dotalia in belli ſumptus expendat,

INTERPR. [a] *Montmelian.* [b] *citadelle de Bourg.* [c] *Chambery.* [d] *montagne ou pas du Cornet.* [e] *de Ferrete.* [f] *de Nieuport.* [g] *de la Fin.* [h] *regiment des Gardes.* [i] *de Nereſtang.* [k] *de Crequy.* [l] *de Bourg.* [m] *Chambaud.* [n] *bailliage de Chablais.* [o] *Aniſſy.* [p] *la Tournelle.* [q] *Beaufort.* [r] *St. Pierre d'Albigny.* [s] *l'Iſere r.* [t] *Conflans.* [v] *Migenes.* [w] *de Bethune, marquis de Roſny.* [x] *Briqueras.*

CIↃ IↃ CII.
HENRICUS IV.

CIↃ IↃ CII. HENRICUS IV.

expendat, non habebit, unde Helvetiis, ad renovandum foedus jampridem quiritantibus, poſſit ſatisfacere. In ſingulos menſeis CLX aureorum millibus ad ſtipendium et reliquos belli ſumptus opus eſſe, cui ferendo oneri regem imparem eſſe. Sibi pacem illum ſpondere ac velle, dum [a] Bugenſe et Veromenſe territorium habeat, neque ad [b] Gexenſis praefecturae et locorum in [c] Vatenſi occupatorum reſtitutionem teneatur; nam illi conſilium eſſe, ad [d] Sequanos et Belgium obſtruere acceſſum; et ſiquidem per biennium pacem habeat, de fide hoſtium ſecurus, dum nullo praeſidio gravatur, ſperare ſe tantam pecuniam accumulaturum, ut et Helvetiis ſatisfacere queat, et in Sequanos ac Belgium ſimul invadere, ſtrata ſibi ad Mauritium principem via, qua vireis cum eo conjungat; quo facto de illis provinciis actum eſſe, et Lutetiam ac regni meditullium in tuto collocari; inde ad Mediolani principatum et Hiſpaniam ipſam ob veteres de Navarrae regno controverſias animum et vireis verſurum, Catholicorum rebus interim ita debilitatis, ut ab auctoritate Sectariorum omnino deinceps pendeant. Jam Catholicos in Francia ubique murmuranteis audiri proximi exitii metu; ſed quia inter ſe diffident, Hugonotos natura diffidentes et audaces praepollere, quippe qui ſemper arma in manibus habeant, et occaſionem exſpectent. Quo plus illi habent, eo plus habere velle. Itaque proculdubio eſſe, ſi bellum Sabaudicum protrahatur, quin ad arma inter Catholicos et Hugonotos deveniatur. Regem, qui videat Catholicis merito diſplicere, quod erga Hugonotos tam munis ſit, cum [e] Diguierio et [f] Crequio agere, ut cum bona ipſorum gratia [g] Paſſagius, qui partibus eorum favet, aut favere fingit, Monmeliano, ubi captum fuerit, praeficiatur: his autem rationibus agere, ſi pax fiat, Monmelianum ſine dubio reſtituendum eſſe, et ita nihil Paſſagio dari: ſi non fiat, habere Diguierium circa Monmelianum, inde [h] Barraliam munitionem, inde [i] Camberium, Carbonariam, Confluentiam, et Miolanum, et ſtudioſe proſpectum iri, ut exiguus commeatus Monmeliano inferatur; de Burgo ſtare regi arcem Hugonoto committere, eaque re graviſſimam injuriam Birono fieri. Regem, ſi Sancatharinam munitionem capiat, Hugonotum loco impoſiturum, quouſque [k] Vallium et Logias receperit, et Fanum [l] Guigoti verſus propugnaculum ſtruxerit; nam decreviſſe eum has duas praefecturas Genevenſibus tradere, ut grande aes, quod illis belli cauſa debet, hac ratione luat; aut ſi aliunde luat, penes ſe illas retenturum. A [m] Terralio cum milite in Sancartharina munitione ſecretum de prodendo loco conſilium iniri, et mature praeverti debere periculo. Vitrium ad regem veniſſe, et affirmaſſe, praeſidiarios ob penuriam munitionum ſe quotidie e muris demittere. Vix CCCC in ea integros ſupereſſe, qui ſcalis admotis aperta vi et clara luce expugnari poſſint. Itaque mature proſpiciendum: nam in Sancatharina munitione omnem Catholicorum ſpem repoſitam, et ea ſervata Sabaudum omnia quae amiſit recuperaturum. Regem cognito Sabaudi copias in procinctu eſſe, ad Bironum ſcripſiſſe, ut ad ſe veniat, quod an facturus ſit, adhuc incertum eſſe, ceterum difficile eſſe, ut ſe excuſare poſſit. Si Sabaudus impedire poſſit, ne ſecuturae Monmeliani deditioni pactis ſtetur, expeditum videri, ut ad Anicium veniat, copioſum in eo commeatum collecturus, et Sancatharinam abunde milite et rebus neceſſariis firmaturus. Inde venturum cum Chamberium, et tormentis Sancatharina advectis nullo negotio illud capturum. Nam ſi illud rex defendere in animum induceret, id nonniſi cum toto exercitu facere poſſe; quod ſi faceret, Sabaudum Iſarae ripam legentem cum V peditum millibus noctu Miolanum verſus tendentem cuſtodias

Monmeliani

INTERPR. [a] *de Bugey & Valromey.* [b] *bailliage de Gex.* [c] *pays de Vaud.* [d] *la Franche Comté.* [e] *de Leſdiguieres.* [f] *de Crequy.* [g] *du Paſſage.* [h] *fort de Barraux.* [i] *Chambery, Charbonnieres, Conflans, & Miolans.* [k] *Vaux & Loges.* [l] *St. Guigot.* [m] *du Terrail.*

Monmeliani poſitas in itinere trucidaturum. Quod ſi rex Camberium negligeret, a commeatu brevi laboraturum ejus exercitum, qui per Iſaram magno comitatu et difficili, et per terram longe difficiliori advehitur. Sabaudum praeterea in itinere munitionem [a] Nunciatae inſtauraturum, quod harum rerum periti qui ſunt in caſtris regiis intra XV dierum ſpatium fieri poſſe oſtendunt, et eo certatim agreſteis ſumma alacritate undique advolaturos, alterum iter copiis advenientibus per [b] Jacobi-fanum juxta [c] Brigantionem et Confluentiam patere; quod ſi ſumatur, caſtra cis fluvium commeatu in iis undique congeſto, et Anicio poſt tergum ſepoſito munienda. Recentem Sabaudi militem eſſe, regis infractum et taedio fatiſcentem, nobilitatem tantum ad XVI menſeis ſub ſignis futuram. Regem ipſum belli moleſtiam impatienter ferre. Summum exercitus imperium Birono cum ampliſſimis conditionibus delatum, verum illum ſe excuſaſſe; idem poſt eum feciſſe Monpenſerium, ne [d] Sueſſioni injuriam faceret, qui illud acceptavit, aegerrime ferente rege, ut aliis ſe excuſantibus Sueſſioni id deferre animo invito ſit coactus. Eſpernonium, cum primum agmen ſub Sueſſione ducere juberetur, ſe excuſaſſe, et poſt Monmeliani deditionem, regem ad ſponſam profecturum comitari maluiſſe. Si pax ſequatur, Sabaudo expeditius videri et regi Hiſpaniae, ut [e] Carmaniola reſtituatur, neque Sebuſiani compenſationis loco dentur; nam [f] Sebuſianos eo loco apud Sabaudum eſſe quo Belgium apud Hiſpanos: a pleno ac praeſenti Hiſpani ad res Sabaudi ſublevandas patrocinio ſalutem Catholicorum et ipſius Hiſpani pendere. Additae erant tribus illis foliis literae cum impenſae benevolentiae ſignificatione ad confidentem ſcriptae, qui Stephanus [g] Renazaeus erat Lafinii domeſticus, monito eo, ut quo ſecretum melius ſervaretur, quam minimo cum comitatu incederet, caveretque ne domeſtici aleâ luderent; nam inter ludendum pleraque, ſeu laſcivia ſeu ira, excidere. Haec primo die acta. Inde confectae adverſus reum probationes, et auditi teſtes. Dein VII Eid. Quintil. poſt prandium eodem delegati redeunt, et ſuper probationibus Bironum interrogant: et ille quidem diſertius et magis ingenue quam prius fecerat, ſe reſponſurum dixit, quod, cum primum interrogatus eſt, ſcrupulo ſe attineri diceret; nam in arcana confeſſione a [h] Pauliano quodam monacho in ea opinione confirmatum, nihil eorum quae tegere religioſe promiſiſſet, cuiquam revelare debere; ſed poſtea quam carceri mancipatus eſt, contra ab archiepiſcopo [i] Bituricenſi melius inſtructum, quippe qui in jure interrogatum verum dicere teneri affirmaret, ad interrogata ex animi ſententia reſpondere decreviſſe.

VI. SUMMA vero teſtimoniorum Lafinii et Renazaei ipſius domeſtici erant: Cum ad pacem jurejurando firmandam Bironus cum Pomponio [k] Bellevreo, Nic. [l] Brularto Sillerio Bruxellas ante triennium profectus erat, [m] Picoteum quendam Aurelianenſem cum aliis ob damnatas factiones regno profugum ad eum veniſſe, et jam tum de Henotica factione, cujus ille dux eſſet, Hiſpanorum opibus in regno ad Catholicae religionis defenſionem renovanda ſermonem injeciſſe, Bironum autem pro tempore ita ſe excuſaſſe, ut ſermonem non tam diſplicuiſſe, quam in aliud tempus, cum in aulam aut Burgundiam reverſus eſſet, rejeciſſe appareret. Ceterum Picoteum illum, cum rex in Sequanos venit, Birono et Amato [n] Malanio Luxio Bironi vicario et intimo innotuiſſe, ultro citroque ad [o] Fortunium, qui [p] Inſubrum oppidum tenebat, commeantem, et de conditionibus dedendi oppidi cum eo agentem. Ab eo tempore Luxii interventu, poſtquam Bironus domum rediit, cum Picoteo actum, quem [q] Fargius quidam Luxii domeſticus ducebat, et reducebat cum

INTERPR. [a] *fort de la Nuntiade.* [b] *S. Jacomo.* [c] *Briançon & Conflans.* [d] *le comte de Soiſſons.* [e] *Carmagnole.* [f] *Breſſe.* [g] *Renazé.* [h] *Minime.* [i] *de Bourges.* [k] *de Bellievre.* [l] *Brulart Sr. de Sillery.* [m] *Picoté d'Orleans.* [n] *de Malain baron de Luz.* [o] *le capitaine la Fortune.* [p] *Seurre.* [q] *la Farge.*

CIↃ IↃ CII. HENRICUS IV. cum vel a Ferdinando Velaſco Caſtellae Conneſtabili Mediolani prorege, vel a Sabaudo redibat. Et [a] Divione et ad Vallii pontem, interdum [b] Matiſcone, quo magis laterent, ſolitos convenire. Tandem Picoteum, quo certius negotium conficeretur, ad regem Hiſpaniae miſſum acceptis a Birono duobus aureorum CIↃ, cum mandatis ad eum, ut religionem Catholicam, quae in regno Franciae occulto regis in Sectarios favore ſummopere periclitabatur, ſalvam vellet. Duarum coronarum cauſam conjunctam eſſe, ut alterius ad alteram proculdubio periculum pertineat. Stare regi Ordines Hollandiae contra ipſum omni ope et ratione tueri; et colorem quaeſitum eſſe, quod cum illi milite et pecunia regem, ſuperiore bello, juverint, aequum videri, ut creditam ab iis pecuniam bona fide reddat, et paria cum illis faciat; audiviſſe ipſum ex rege, ſibi conſilium eſſe paulum per triennium reſpirare, ad pecuniam colligendam, et apparatum bellicum faciendum, quo facto vim inopinato Hugonotorum ritu diverſis partibus inferre in Belgio, Sequanis, Italia, et Hiſpania. His proinde in tempore praevertendum. Haec mandata Picoteo data. Literae vero, quae Sabaudia, Mediolano, et ex Hiſpania veniebant, et ad eas reſponſa, cujuſdam [c] Dolenſis in Sequanis civis, cui captivo Bironus pretii gratiam fecerat, miniſterio fieri, ut ad Bironum perferrentur. Ceterum Lafinium harum rerum participem XII circiter dies, antequam Sabaudus in aulam apud nos veniret, literas fiduciarias a Sabaudo per equitem Britonem Paſchalibus feriis antea acceptas Birono communicaſſe, et juxta eas de rebus duabus cum eo egiſſe, de matrimonio ipſius, et Picotei in Hiſpaniam profectione. Tum rogatum a Birono, ut ad Sabaudi uſque adventum in urbe remaneret; deinde poſt ejus adventum importunis ejuſdem Bironi precibus ſolicitatum, et poſtremo victum, a [d] Jacobio Sabaudiae praeſide ad ipſum introductum fuiſſe; quod Lafinius dicebat, ut excuſationi apud regem ſibi viam ſterneret: nam penetrare in conſilia illa altius voluiſſe, ut regem de iis poſtea certius edoceret, cum conſtet eum ab initio pravorum conſiliorum Birono auctorem fuiſſe, et eo uſque in illis perſeveraſſe, quouſque ſe Hiſpanis, Sabaudo et Birono ſuſpectum a Luxio aemulo redditum cognovit; ob idque Renazaeum ſuum a Sabaudo carceri mancipatum. Dum autem cum Sabaudo colloqueretur, ita ſe reperire aiebat, ipſum bene animo affectum ad nos veniſſe, ut regi de Saluciano principatu ſatisfaceret. Sed cognito res in regno miſceri, et per Bironum turbari poſſe, qui eum de omnibus, quae in ipſius negotio agitabantur, in horas edocebat, quippe qui deliberationibus intererat, tandem mutaſſe, et occaſionem re infecta diſcedendi quaeſiviſſe; ante omnia monitum a Birono Sabaudum, ne Burgum et arcem regi traderet; quod ſi faceret, intercludi Hiſpanis facilem in Sequanos et Belgium deſcenſum, et arcem tota Europa firmiſſimam ac munitiſſimam in Hugonotorum poteſtatem deventuram: nam ſcire ita regem decreviſſe. Bironum item, cum videret interdum Sabaudum nutare, quaſi cum rege conventurus eſſet, ut id impediret, et ejus diſceſſum praecipitaret, injeciſſe haerenti metum, quaſi, niſi conditionibus agitatis, et in parte jam conventis ſubſcriberet, de vita periclitaretur. Additum et ipſi inſidias ſtrui. Itaque tempore petito, ut de conditionibus, quae diverſae proponebantur, utras accipere vellet, amplius deliberaret. Tandem impetrato a rege commeatu Sabaudum diſceſſiſſe, et per Aeduos a Luxio deductum iter feciſſe, ut munita loca in ea praefectura ex occaſione inſpiceret. Antequam diſcederet Sabaudus cancellarium ſuum poſt Picoteum in Hiſpaniam miſerat, ut quid cum Birono egiſſet, plenius regem doceret: quid autem Lutetiae inter eos actum ſit, de induſtria ſuppreſſerat Lafinius; quod quicquid actum erat,

INTERPR. [a] *Dijon, & pont de Vaux.* [b] *Maſcon.* [c] *un bourgeois de Dole en la Franche Comté, nommé Bibu.* [d] *le Sr. de Jacob gouverneur de Savoye.*

erat, ejus ſuggeſtione actum erat, et cum praecipuum conſpirationum incentorem fuiſſe arguebat. Nam ante Sabaudi in aulam adventum nunquam Bironus cum Sabaudo conſilia communicaverat. Tunc vero injecta matrimonii mentio, et cum Lafinius noſſet Bironi ingenium iracundum, et plus ira, quam conſilio peccare, in horas colloquia Sabaudi cum rege habita calumnioſe deferebat, ut fidem ambitione ferocientis hominis ſolicitaret. Regem de ipſo male ſentire et loqui, Bironum oſtentatione valere, tunc ſtrenue agere, cum teſteis et ſpectatores habet: De Bullionio vero quaſi infelicis ominis ave, quae vulgo [a] Oſſifraga nominatur, loqui, quaecunque ei committuntur, quanquam ingenio et animo valeat, miſere diſperire: Unum Lavardinum laudare. Id cum ex quiete excitato Birono, oſculo prius, ut ſolebat, in oculum laevum impreſſo (quod faſcinationis ergo fieri poſtea interpretatus eſt Bironus) blanditiis admiſtis, detuliſſet; ille ira frendens, Et cur haec dicenti regi non interfui, retulit; nam me totum cruore conſperſiſſem. Atqui non ita de te ſentit Sabaudus, (infit Lafinius) et quicquid rex de te dicat, ille te ſibi optat generum; idque tibi per me ſignificari juſſit. Itaque quantum tibi injurioſe inde detractum, ab eo tantum honorifice tributum vides. Alia vice ad Bironum detulerat, ita contemptim regem de eo locutum, ut cum Sabaudus de filia ei in matrimonium collocanda mentionem faceret, ille dixerit, plus L familias in regno ſuo dignitate praeſtantiores eſſe, et ipſum jam aetate provectum, ut cum decenni virgine commode conjungi non poſſet; praeterea minora bona poſſidere, quam ut tantae adfinitati par eſſe poſſit. Haec irritatum hominem poſtremo impulerunt, ut fallacibus promiſſis caecus animi auſcultaret, et porro fidem ſceleratis conſiliis Lafinio inſtigante obligaret. Nam mox ubi domum rediit Sabaudus, a Birono Lafinius Camberium miſſus, qui conſilia Lutetiae coepta perſequeretur, ubi cum [b] Roncaſio a ſecretis Sabaudi epiſtolis et [c] Torrenſi ſaepius egiſſe, cum [d] Boſco item Roncaſii cognato, ac poſtremo cum Alfonſo [e] Caſali, qui Hiſpani nomine Lucernae orator fuerat, qui LX aureorum CIↃ praeſenti pecunia Birono ſe numeraturum, et deinceps majorem ſummam uſque ad IↃCC aureorum CIↃ repraeſentaturum promiſerat. Sub id interpellatus a delegatis judicibus Lafinius de conſiliis ad regem aut ſiſtendum aut perdendum initis, ſic reſpondebat: Cum Renazaeus a Sabaudo veniſſet, et quid cum eo egiſſet coram Birono referret, interveniſſe ſe, cum Bironus per eundem Renazaeum ſecreta ad Catharinae-fani praefectum mandata daret, de machinis ita dirigendis, ut cum rex ad locum luſtrandum veniret, quod brevi facturum eum rumor erat, eum certo et deſignato ictu peteret; ad quem ſermonem cum exhorruiſſet, Bironum ilico retuliſſe, cum eo qui ſuam, qui ipſius Lafinii vitam petat, et de pernicie utriuſque ſerio cogitet, ita agere debere; tum ſilentio imperato ſubjeciſſe, in tali re plus facto quam verbis opus eſſe. Praeterea interfuiſſe ſe, cum Luxius ad Bironum referret, [f] Saviniacum quendam ex Sabaudica nobilitate juvenem in bello captum et lethaliter vulneratum, duxiſſe octo ſecum devotos ut regem interficerent, unum ſibi in morte proxima ſolum dolere, quod voto ſatisfacere non potuerit, ceterum ſperare, ut id aliquis felicius exequatur. Id poſtea cum ad Sabaudum profectus retuliſſet, illum negaſſe quidquam tale Saviniaco aut ulli alii imperatum: Ceterum minime dubitare, quin plerique, videntes quid rex contra ſe moliatur, idem quod Saviniacus ſint auſuri. Item Sancatharinae munitionis praefectum monitum, ut certa die, qua rex cum Birono ad locum luſtrandum venturus eſſet, tormenta minora ad partem notatam parata haberet, et ex habitu Bironi

INTERPR. [a] *Orfraïe, forte d'aigle.* [b] *Roncas.* [c] *la Torre.* [d] *Boſc.* [e] *Caſale.* [f] *Savignac.*

Bironi, qui praecedere debebat, rex qui ſecuturus erat, ad necem deſignabatur. Et per Renazaeum jam multoties Birono et Luxio mandata data, ut regem qua ratione poſſent, aut inter venandum, aut alia re intentum interciperent, et captum ſub cuſtodia in Hiſpaniam mitterent; ni facerent, praeſens ipſis et inevitabile imminere exitium. Idem a [a] Fontano et Caſali ſaepius ſibi inculcatum, ac poſtremo cum omnes [b] Somae ad Padum conveniſſent extremo Januario anni ſuperioris. Quae vero conventu illo acta ſunt, haec praecipue meminiſſe; de pace, cui ſe medius interpoſuerat Aldobrandinus cardinalis pontificius legatus, non conſenſuros, et ſi quid jam conveniſſet, pactis conventis minime ſtaturos, et omne de pace colloquium cum vellent et opportunum videretur, abrupturos. Bironus eligeret, an e re videretur, ut prior cum ſociis et foederatis arma ſumeret, an rex Hiſpaniae ſex ante ipſum menſibus bellum denunciaret. Hiſpanum de pace nunquam cum rege acturum, niſi ex Bironi et ſociorum conſenſu. Omnia loca, quae in regno armis caperet, in manus eorum, quos Bironus nominaret, traditurum, ut a ducibus ex Gallica nobilitate tenerentur, excepta [c] Maſſilia, quam ſibi ad triremium receptum ſervaret. CIↃ IↃCCC aureorum CIↃ annuatim in illud bellum exſolveret, quorum diſpenſatio a Birono fieret. Vicarius ipſe generalis per totas Hiſpani ditiones conſtitueretur, et ut inſolubili cum Hiſpanis nodo vinciretur, unam e filiabus regis Hiſpaniae, aut unam e Sabaudicis uxorem, Burgundiae inſuper principatum ſibi ac ſuis cum pleno proprietatis jure, immenſis praeterea penſionibus acciperet: et ſi quidem conatus non ſuccederet, nihilominus Hiſpaniae regem Birono in omnem eventum CXX aureorum CIↃ annui reditus aſſignaturum, et CIↃ CC aureorum CIↃ praeſenti pecunia in Germania aut Italia, aut ubicunque commodius videbitur, depenſurum. Inſertum conditionibus, ſi res exitum ſortiretur, Bironus daret operam cum ſuis foederatis, ut regnum per pares adminiſtraretur, et regis in eo electio inſtar Romanorum imperatoris conſtitueretur. Haec ſe meminiſſe pro tempore dicebat Lafinius, cetera deinceps, quae memoria ſuggeret, enarraturus. Quae monſtra ſive ille ingenioſe confinxerat, ſive ab Hiſpanis plerumque longius, quam fert humana prudentia reſpicientibus, ad emovendam Bironi vaſta ambitione furentis mentem, excogitata acceperat, eo amentiae miſerum hominem impulerant, ut fidei et patriae charitatis, atque adeo nominis Francici oblitus ſuſdeque omnia haberet, dummodo immoderatas ſpes expleret. Addebat Renazaeus Lafinii domeſticus et arcanorum conſcius, conſilium datum Sancatharinae munitionis praefecto, ut praeterea in foſſa loco deſignato ſeptem aut octo milites dirigendi certos cum ſcloppetis abderet, qui, cum rex tranſiret, quem ea ratione, qua ſuperius deſignabat, in eum repentina diſploſione vim facerent, et ſe indicem ad praefectum miſſum. Poſtea et ad Sabaudum trans Alpeis tranſiſſe cum mandatis Bironi, quibus eum de itineris ratione edocebat, et ut quamprimum deſcenderet increpita ejus ulteriore mora hortaretur. Inſuper de ſecreta ad Monmelianum per tympaniſtam molitione eum certiorem faciebat, monebatque, ut praefectum hominem ignavum et animo deficientem inde amoveret. Tum ad excuſationem heri ſui ampliſſimas conditiones ab Sabaudo et Hiſpanis ei propoſitas aiebat; quas ille, jam tum conſilia tam perniciosa execratus, recuſaſſet; eaque re factum, ut ſuſpectus eſſe inciperet, et Sabaudum a Fontano, qui multis indiciis fidem ejus nutare comperiſſet, monitum; ob id ipſum Renazaeum ad ſe miſſum aliquandiu detinuiſſe, ac poſtremo carceri incluſiſſe; primum Auguſtae [d] Taurinorum, deinde et [e] Claraſci, ubi annum et IV menſeis integros ſub arcta cuſtodia fuerit, aſtuque tandem inde elapſum. His fere onerabatur reus. Cum Lafinio commiſſus Bironus, et monitus ab Harlaeo, quando coram judicibus a rege delegatis



INTERPR. [a] *le comte de Fuentes.* [b] *Somo ſur le Po.* [c] *Marſeille.* [d] *Turin.* [e] *Chieraſco.*

cauſam diceret, ut nihil iracunde proferret, et verbis injurioſis ac ſe indignis abſtineret; ille ad teſtis aſpectum vultu pallido et membris trementibus totus repente cohorruit, et ſpatium popoſcit, dum lecto impoſitus ſpiritus colligeret; tum ad ſe rediens, voce tremula adhuc, ira in expoſtulationes converſa, Laſinium acerbe incuſavit, qui ipſi pravorum conſiliorum auctor et praecipuus incentor, cum venia praeteritorum a rege accepta de illis amplius non cogitaret, et tantum ad expiationem ſilentio et oblivione opus eſſet, feſtinato indicio, ut ſe ſervaret, amicum deteſtanda perfidia prodiderit. Nam ſibi, antequam ad regem veniret, et poſtquam ab aula diſceſſit, enixis literis, et per [a] Pregentium Laſinium Carnutum vicedominum fratris filium confirmaſſe, nihil dicturum facturumve, aut poſtea dixiſſe vel feciſſe, quod ipſi periculum creare poſſet, et chartas omneis ac commentarios omnino ſuppreſſos. Hac fiducia ſe ad aulam veniſſe, et rege ipſum interrogante, et ad confeſſionem promiſſa venia invitante, pertinaciter ac praefracte reſpondiſſe. Atqui ſi certo cognoviſſet, quid Laſinius regi dixiſſet, ſibi facile aeque fuiſſe, confeſſione ingenua, ſicuti jam Lugduni fecerat, gratiam regis demereri, quam damnoſum fuit, contumaci inficiatione iram ejus provocaſſe, et impreſſam in animo ejus ſuſpicionem relinquere, quaſi de conſiliis illis pernicioſis, poſt primam a rege impetratam veniam, atque adeo poſt natum ſereniſſimum Delphinum cogitaverit, et nunc adhuc cogitet. Potuiſſe Laſinium ambos ſervare, ſi ſe in tempore monuiſſet. Quod cum non fecerit, apparere, illum inſita malignitate ac perfidia non tam ſe ſervare, quam amicum perdere voluiſſe; idque manifeſtum fieri, literis et chartis tam ſtudioſe aſſervatis, quae in aeſtu indignationis ob repulſam, de qua in ſuperioribus locutus eſt, conceptae exaratae fuerant, et quas igni tunc traditas oportuit, niſi de perfidioſo indicio jam tum cogitaſſet. Ad haec cum ſe homo natura loquax, qua poterat ratione excuſaret, facile in tali crimine acceptae excuſationes, in quo filii contra patrem accuſatio non ſolum a legibus admittitur, ſed etiam laudatur. Poſt longas altercationes et exprobrationes, cum Bironus objecta purgaret, niſi quae ſcripto probabantur, quorum ſibi gratiam a rege factam aſſeverabat, et cum Sabaudo nulla ſe conſilia communicaſſe ante ejus in urbem adventum, idque Laſinio; amicitiae infauſtae parario, confirmaret, et quicquid poſtea cum illis actum eſt, interventu Laſinii ultro citroque commeantis, et Mediolani ſponte propterea profecti actum eſſe; Laſinius contra nil niſi Bironi juſſu ſe feciſſe diceret: poſtremo adjecit, quo reum magis oneraret, Bironum Sabaudo auctorem fuiſſe, ut [b] Saluciarum principatum reſtitueret, non Breſſae, quem vocant, comitatum, ea lege ut nullos praefectos in [c] Ciſalpinis locis Proteſtantium ſectae addictos imponeret, patrocinium Genevae deſereret, et jus in ea ſuum perſequendi Sabaudo libertatem faceret. Sic enim regem in invidiam et odium ſuorum adduci, ſi conditiones rejiceret; quod facturum cum ſciebat, quippe cum ex ore regis, qui cum ipſo ea de re familiariter quotidie fabulabatur, cognoviſſet. Poſtea [d] Renazaeus et reliqui teſtes cum reo commiſſi; et cum ille porrecto curiae ſupplici libello matris nomine, ſibi conſilium diſtribui petiiſſet, quod idem olim [e] Aureliani in cauſa [f] Condaei factum aiebat, interceſſit cognitor regius, et ore ſuo, nullo adhibito conſultore, ad objecta reſpondere, et ex vinculis juxta veterem formulam cauſam dicere juſſus eſt. Moris eſt apud nos, ut criminis capitalis rei in ſella ſedentes coram judicibus interrogati cauſam dicant. In arcano deliberatum, quia nulla adhuc in eum ſententia lata erat, tantum cognitor regius eum laeſae majeſtatis reum convictum peragi poſtulabat, propter dignitatem perſonae hoc ei tribui deberet,

INTERPR. [a] *Pregent de la Fin Vidame de Chartres.* [b] *Marquiſat de Saluces.* [c] *delà les Monts.* [d] *Renazé.* [e] *Orleans.* [f] *le Prince de Condé.*

CIↃ IↃ CII. deberet, ut intra ſepta Camerae, quae vocant, audiretur: Et ita, re cum Pomponio
HENRICUS IV. Bellevreo cancellario, qui judicio praefuit, communicata, placuerat.

VII. SECUNDUM haec reus e [a] Baſtilia a [b] Montinio, diſpoſitis ubique per viam cuſtodibus, in ſenatum adducitur, et convocatis univerſis claſſibus coram cancellario ſiſtitur, intra ſepta, ut loco honoratiore, ſtare juſſus: quod ille tarditatem auris ob vulnera accepta cauſatus cum deprecatus eſſet, ultro in ſella, ſicuti de aliis fieri conſuevit, in media cavea ſedit; ubi a cancellario interrogatus, cum praeter ea, quae ſcripto convictus inficiari non poterat, omnia pertinaciter pernegaret, ac praeſertim quae de inſidiis vitae regis ſtructis objiciebantur, et quae ſcripto comprehendebantur, ſibi condonata a rege diceret, in Laſinium vehementiſſime invehitur: vitamque ejus cunctis criminum generibus contaminatam inſectatus eſt, ac magiae praecipue, qua et factum dicebat, ut ſe in malas cogitationes oſculo illo in laevum oculum impreſſo plerumque praecipitaſſet; tum de literis ſuggeſtis et ſumma malignitate ſubductis conqueritur: librum inſuper inſignis prudentiae militaris a parente fortiſſimo duce, de officio ſummi caſtrorum praefecti, quo ipſe poſt ejus mortem in exercitibus fungebatur, conſcriptum, ab eodem Laſinio ſibi ſubreptum declaravit. Summa defenſionis fuit, ſaepe ira ſuperante ad malas cogitationes ſe prolapſum, ſaepe etiam male locutum eſſe, ceterum ſemper bene feciſſe, et potius facta bene, quam cogitata et dicta male ſpectari debere, praeſertim in eo qui tot egregie factis de rege et regni cauſa bene meritus fuerit. Poſtquam toto trihorio auditus eſt, in Baſtiliam eodem comitatu reducitur. Poſtridie dictae ſententiae concordes, et laeſae majeſtatis reus pronunciatur, decerniturque, ut in [c] platea Portuenſi capite plecteretur, bonis ejus fiſco addictis, et extincta ducis ac paris dignitate. Quidam etiam in Laſinium auctorem et inſtigatorem ſcelerum, ſicuti vel ex proprio ipſius teſtimonio, quantumvis ſe exquiſitis rationibus tueretur, abunde conſtabat, aliquid decernendum cenſuerant; ſed exploſa ea ſententia, quod in tam atroci crimine, et quod omnia alia in ſe crimina complectitur, ſemper prudentibus viſum ſit aequiſſimum, ut ſumma feſtinati indicii eſſet praerogativa, et conſcii ad revelationem paratae veniae praemio invitarentur. Multos ad miſericordiam inflexit, quod in ejus literis poſt natum regi puerum ad Laſinium miſſis, et a [d] cognitore regio prolatis perſcriptum his verbis erat, Quando Deus Delfinum regi ac regno dederit, temporis praeteriti vanitates oblivioni tradendas eſſe, et ſi olim bene, deinceps melius quam unquam antea faciendum.

VIII. FACTO decreto, rex, qui interea ad Germani-fanum ſeceſſerat, diplomate obrogavit; et reum non in platea Portuenſi, ſed in [e] Baſtiliae area, ne tumultus confluente, ut fit, ad ſpectaculum plebe exoriretur, plecti voluit; quod et factum: et ſtatim a prandio cancellarius in Baſtiliam venit, et Bironum ad conſtantiam gravi oratione hortatus eſt: Veniſſe diem, quo virtutis priſtinae, quam in tot periculis imperterritam ſemper habuerit, ſpecimen ederet, in extrema nimirum vitae tot adoreis mactae clauſula, et ſe divinae voluntati audientem praeberet; id eum a Deo optimo maximo, qui inſcrutabili nobis et juſta providentia ſua res cunctas ordinat, converſa in ipſum mente et a terrenis cogitationibus revocata, ſuppliciter petere et ſperare debere. Ad quae ille commotior, et vitae nimium deſiderium prae ſe ferens, clementiam regis multis verbis laudatam imploravit, et gratiam qua indulgentiſſimus princeps erga tot, qui ipſum dictis, ſcriptis, et factis graviſſime offenderant, tam benigne uſus fuerat, ſibi bene alioqui merito, et qui ſolos duos menſeis in reatu fuerit, nulloque facto regiam majeſtatem laeſerit, fieri enixe et vehementer poſtulavit, exemplo

INTERPR. [a] *la Baſtille.* [b] *de la Grange de Montigny.* [c] *place de Greve.* [d] *le procureur general.* [e] *cour de la Baſtille.*

exemplo etiam Auguſti in medium adducto, qui Cinnae conjurationis contra ſe initae convicto non ſolum gratiam fecerit, ſed juvenem multis beneficiis et honoribus cumulaverit, et eodem anno ſecum conſulem creaverit. Tunc merita paterna et ſua per exprobrationem in majus exaggeravit, et, Abſque iis eſſet, inquit, quid vobis, quid toti regno futurum erat? Tum rurſus ad miſeras preces revolutus, et laudata denuo regis clementia, non effluxurum biennium dixit, quin eum Francia mortuum deſideret. Haec ſubinde mutans inter ſpem et mortis horrorem cum dixiſſet, cancellarius ſibi imperatum dixit, ut inſigne S. Spiritus ab eo repoſceret, quod ille collo detractum ſtatim reddidit, addito, ſe illud digne geſtaſſe, neque perjurio fidem fefelliſſe. Cum itidem ſcipio, quod eſt tribunatus equitum inſigne, et corona ducalis expoſcerentur, cum neutrum pro tempore haberet, ſe excuſavit. Tum cancellarius eum denuo ad conſtantiam et patientiam hortatus eſt. Heic Bironus quaſi de morte certus, a ſua gente ignominiam deprecatus eſt, et monuit regem a Laſinio ſibi caveret, ac ſuppliciter eundem rogavit, ut bona ſua fratribus nihil commeritis conſervaret; quod a regis benignitate ſperare illum juſſit cancellarius: et paulum ſeceſſit, dum amanuenſis curiae officio ſuo apud reum defungeretur. Coram eo rurſus repetita a reo quae prius; et praeterea cum acerba increpatione quaeſitum, quibus de cauſis condemnatus eſſet, petiit ut ſibi teſtamentum condere liceret, nec abnuerat cancellarius. Cum id urgeret, amanuenſis ante omnia decretum contra ipſum latum pronunciare ſibi neceſſitatem impoſitam reſpondit, quod ut pro more fieret, opus eſſe, ut aperto capite, et in genua procidente reo illud recitaretur. Quod et ille fecit, et poſt recitatum decretum, monitus a ſacerdotibus qui aderant, ut ſe ad mortem compararet, primum ſe teſtamenti condendi cura exſolvere voluit, ut eo facto de ſalute ſua ab omni alia cura vacuus cogitaret. Sub id rurſus ad eum venere cancellarius et Harlaeus, et de rebus ſecretis eum ſeorſim ab amanuenſi interrogarunt; tum ſub horam IV pomeridianam, cum publicus miniſter conclave ingreſſus eſſet, ut eum vinciret, ille ab eo tangi, et omnino vinciri recuſavit, minis ferociter additis, ſi contra pergeretur, et ſponte in aream deſcendit, ubi ad ſcalae gradus precibus ad Deum conceptis, ſe fratribus commendavit, eos obnixe rogans, ut fideli obſequio Delfinum colerent. Poſtea ſibi faſciola oculos velavit, et crineis a tergo ſubſtrinxit, nam a carnifice tangi nunquam paſſus eſt; et in genua procumbens, tanta celeritate ictus eſt, ut enſis extra jugulum appareret, antequam caput a cervice reciſum humi caderet. Corpus ad D. Pauli delatum et cum capite humo mandatum eſt; tanto plebis concurſu, quantus ad ſpectaculum ſupplicii coiiſſet: nec unquam major aquae vis religioſe ad tumulum effuſa, haud occulto aulae livore, quae in publicam invidiam velut aegre ferebat, quod ad regis, regnique ſecuritatem ex neceſſitate factum interpretari quiſque debuit. Plerique ſane, alioqui tanti principis impenſe gloriae faventes, hoc in ejus florentiſſima fortuna deſiderarunt, quod ſaluti propriae non aliter conſulere potuerit, quam ſi peſtem in regni viſceribus haerentem, exercitatiſſimi bello ducis et bene de ſe meriti peſte expediret.

IX. Carolus [a] Hebertus Bironi ab epiſtolis quaeſtioni graviſſimae ſubjectus, cum nihil confeſſus eſſet, ad perpetuum carcerem damnatus [α] eſt. Is indulgentia regis poſtea dimiſſus, et patriae degeneri natura pertaeſus ad Hiſpanos transfugit, ac [b] Neapolim conceſſit; ad quem et Matthiam [c] Brucrium, qui ſe jam eo contulerat,

VAR. LECT. [α] eſt. Inſcitiae hominis, et lachrimis datum. Is indulgentia avunculi Furnerii exſenatoris pro eo deprecantis id *MS. Reg. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Hebert.* [b] *Naples.* [c] *la Bruyere.*

CIↃ IↃ CII.
HENRICUS IV.

contulerat, tanquam ad ſentinam, quicquid ſicariorum et perduellium infamium toto regno exulare cogebatur, ſe colligebat, et pernicioſa in regis ſalutem ac nominis Francici decus conſilia ſimul coquebant, quod in deteſtandi Ravalliaci parricidio poſtea patuit. Cum primum Bironus captus eſt, monuerat regem, ſive ſerio ſive ſimulate, ut fidem ſuam approbaret, in [a] Aeduos propere mitteret, nam [b] Luxium deſperatione [c] Belnae et Divionis arces hoſti traditurum. Sed jam ante Joannes [d] Bellomanerius Lavardinus equitum tribunus eo deſtinatus fuerat, qui loca in fidem acciperet, et Hiſpanis per [e] Sebuſianos tranſituris, ſi quid in itinere molirentur, cum delectis copiis ſe opponeret. Ante mortem Bironi Jo. Baptiſta Taxis Philippicus orator ſtatim ad regem venerat, et ex foedere tranſitum per [f] Greſinium pontem [g] Rhodano impoſitum copiis in Belgium deſcendentibus petierat; ſuique regis nomine rogaverat, ſibi perſuaderet, Philippum nullatenus Bironi poſtulati conſiliis participare aut cauſam dediſſe. Ad quae rex ita reſpondit, ut commercii libertatem nolle ſe impedire oſtenderet; ceterum haud ſibi facile perſuaderi poſſe, Philippum ignoraſſe conſilia a [h] Fontano comite cum Birono inita; neque vero ſimile fieri, pecuniam ſuam ipſius injuſſu tam large ab eo profuſam eſſe. Poſt mortem Bironi Burgundiae praefectura Rogerio [i] Sanlario Bellogardio magno Franciae Hipparcho attributa eſt; qui provinciam, dum Delfinus adoleſceret, vicarii titulo adminiſtraret. Et certatim mox exteri principes, Eliſabetha Angliae regina, Jacobus rex Scotiae, Venetorum reſpublica, de conjuratione detecta et diſturbata per oratores ſuos regi, dum Sextili menſe [k] Moncelli eſſet, gratulati ſunt: Taxis ipſe ſumma diſſimulatione officio defunctus eſt, et Sabaudus per [l] Viſci comitem injuriam, quae ſibi ea re inurebatur, apud regem deprecatus factum inficiatione excuſavit. Archidux Albertus culpam item per ſuos in Fontanum rejecit. Nec multo poſt dum reliquiae conjurationis colliguntur, [m] Guido Ederus Fontanella, qui Bellomanerii etiam nomen ſumebat, ſed familiae perilluſtris reſpectu id in actis omiſſum fuit, latrociniis et perfidia per haec bella infamis, aſtu a Nic. Rapino captus; et de [n] Triſtani inſula, cui praeerat, portu maximopere opportuna in Armorica prodenda cum Hiſpanis tranſegiſſe convictus, a magni conſilii aſſeſſoribus, quibus cognitio criminis attributa fuerat, tanquam reus laeſae majeſtatis ad ignominioſam mortem damnatus eſt, poſteritate ejus cum ipſo damnata. Tum crati per vicos tractus in platea Portuenſi membris confractis ſemimortuus rotae imponitur. Cum eo et capti fuerant [o] Marcellus Andreas Calaber eadem ſententia plauſtro trahi juſſus, et membris fractis rotae imponi, qui literis regis allatis poenae pro tempore exemptus eſt, executione dilata; et Petrus [p] Bonnemetus Redonenſis, qui laqueo vitam finivit; et Jacobus [q] Savinellus Tertraeus quaeſtioni ſubjici juſſus. Id actum v Kal. Oct. Caput deinde Ederi [r] Condatum perlatum, et in [s] Tuſana urbis porta juxta ſententiam affixum fuit. Reis ante ſupplicium tortis, cum ex confeſſionibus Renatus [t] Mareccus Monbarotus onerari videretur, a magno conſilio comprehendi jubetur. Is ſtrenuam olim operam in Redonum civitate contra [v] Mercurianum recipienda navaverat; captus et is Briſſaci mandatu in Redonum civitate atque adeo in ipſius Briſſaci aedibus, et Lutetiam ſub cuſtodia miſſus, neque tamen magno conſilio traditus, ſed Baſtiliae diuturno carcere retentus, poſtremo ex eo amiſſa civitatis praefectura dimiſſus eſt. Octobri demum menſe Carolus [w] Valeſius Arvernorum comes, qui cum Birono captus fuerat, cum amici conſiliorum conſenſione ſecum conjuncti contumaciam ipſi detrimentoſam

fuiſſe

INTERPR. [a] *Bourgogne.* [b] *le baron de Luz.* [c] *Beaune, & Dijon.* [d] *de Beaumanoir mareſchal de Lavardin.* [e] *Breſſe.* [f] *pont de Greſin.* [g] *le Rhone.* [h] *de Fuentes.* [i] *de S. Lary de Bellegarde Grand Ecuyer.* [k] *Monceaux.* [l] *le comte de Vieſque.* [m] *Guy Eder de Beaumanoir Sr. de Fontenelles.* [n] *commandant au fort de l'Iſle-Triſtan de Douarnenez en Bretagne.* [o] *Marcello Andrea dit Marſeille, natif du Creſſon en Calabre.* [p] *Bonnemet de Rennes.* [q] *Savinel dit du Tertre.* [r] *Rennes.* [s] *portail du Touſſaints.* [t] *de Marec Sr. de Monbarot.* [v] *le duc de Mercœur.* [w] *de Valois comte d'Auvergne.*

fuiſſe videret, et apud ſagacem principem ad periculum vitandum confeſſionem ingenuam ſufficere, ex reo delatoris partes induit, et molitionibus ac conſciis detectis in gratiam receptus eſt, ac libertati reſtitutus. [a]Luxius eadem fiducia in aulam poſtremo venit, quanquam initio tergiverſaretur, et Petro [b]Janino praeſidi paratam confeſſo veniam promittenti jocoſe dixiſſet, non boni ducis ipſum officio functum qui ductum ad bellum militem ſecum non reduxiſſet.

X. At [c]Bullionius, qui [d]Turenae erat, poſt regis e [e]Pictavio diſceſſum, diſſuadentibus amicis eo profectus, nullis rationibus adduci potuit, ut ſibi perſuaderet quod Luxio bene ceſſiſſet, ſibi futurum ſalutare. Itaque cum regi, eum per literas XIV Kal. Nov. manu propria ſcriptas, ad ſe venire jubenti, initio venturum ſe quamprimum recepiſſet, ſtatim mutavit, et converſo itinere in [f]Septimaniam deſcendens feſtinanter [g]Caſtrum venit, et ante literas [h]Cyri-fano pridie Kal. Dec. ad regem dedit, quibus mutati conſilii rationes reddebat, et de profectione aliorſum ſua ſe excuſabat. Ubi de accuſatoribus ſuis cognoverit, cum in procinctu eſſet, ut in aulam veniret, officii ſui duxiſſe, regem quam demiſſe poteſt rogare, ut hominum perfidorum, et qui toties vitae ipſius inſidias ſtruxerint, et contra regni tranquillitatem conſpiraverint, criminationibus fidem non habeat. Nam homines ejuſmodi eſſe, ut accuſari ab iis nec debeat, ac multo minus convinci poſſit. Eorum venaleis et mendaces linguas eſſe, qui cum perverſa ſua conſilia exſequi nequiverint, hoc ſolum reliqui habent, ut delationibus ſuis alterum ex primariis coronae officialibus ſuſpectum reddant, atque adeo veterem domeſticum, et qui nullum majus ad gloriam decus tota vita ambivit, quam quod ex gratia et beneficentia majeſtatis ſuae in ſe profluxit. Male de miſericordia regia illos exiſtimare, qui cum in poſterum non habeant, quem peſtilenti ſua malitia in culpam trahant, judicio ſuo non tam nocentes eſſe deſinunt, quam calumnioſa accuſatione id agunt, ut innocenteis criminationibus falſis onerent, et quod ipſi cum maxime vellent, facere non poterant, alios qui nollent, ut idem faciant, quantum in ſe eſt, per deſperationem adigant. Qui jam fidem fefellere, qui poſſe fidem dictis ſuis [α] aſtruere? Proinde ſe regis praeſentiam exhorreſcere, qui taleis homines ad ſe accuſandum admiſerit. Quare non veniat, hoc in cauſa eſſe; non quod conſcientiae morſu teneatur, ſed quoniam rex rebus ſuis conducere arbitratur, ut rei veritas pateat, quo majeſtati ſuae, regno, dignitati propriae ea in re plene ſatisfiat, et contumeliae dedecus eluatur, quod ipſe inter eandem religionem profitenteis incurreret, ſi impunitum crimen ſuum relinqueretur; ea propter rogare majeſtatem ſuam ſibi libertate edictis conceſſa uti liceat, et apud judices delegatos cauſam dicere. Quod eo magis ſibi concedi debere exiſtimet, quod nullos ſeveriores in ea cauſa habere poſſit, in qua de imminuta regni dignitate et Hiſpanorum per eam incremento agitur: eo conſilio ſe Caſtrum tendere, ut quamprimum calumniae ſe pondere exoneret, et innocentiam ſuam regi approbet. Itaque rurſus quam demiſſe poteſt majeſtatem regiam obteſtari, id ut in bonam partem accipiat, et non detrectandi imperii, ſed accelerandi judicii factum pro aequitate ſua interpretetur. Rex acceptis literis qui fugam ad poenae metum referret, protinus reſcribit, et ut veniat jubet, non de conſtituendo judicio nunc agi, ſed ut coram rege ſemotis arbitris de objectis criminibus reſpondeat, et alioqui Caſtri Cameram, quam vocant, non eſſe competentem, ut de ejus cauſa cognoſcat. Interim Caſtrum venerat Bullionius, et porrecto Camerae, in qua Claudius [i]Sanfelicius praeſes ſedebat, ſupplici libello

VAR. LECT. [α] aſtruere? Proinde ſe cum *antequam refocillatus ſim:* regis ſe praeſentiam *MS.* Pſalmiſta dicere, *Domine, ne appropinques ad me Reg.*

INTERPR. [a] *le baron de Luz.* [b] *le preſident Jeannin.* [c] *le duc de Bouillon.* [d] *Turenne.* [e] *Poictiers.* [f] *Languedoc.* [g] *Caſtres.* [h] *S. Seré.* [i] *de S. Felix.*

CIↃ IↃ CII. HENRICUS IV. libello petierat, ne deinceps contumax haberetur, publico inſtrumento ſibi caveri, quo ſe in judicio ſtitiſſe omnibus appareret. Cognitionem minime ſibi ſumpſit Camera, a rege interdictam, denunciatione a Jacobo [a] Fabritio Toloſa miſſo facta, ſed Bullionio ad regem remiſſo, qui de judicibus ſtatueret. Interim ſupplici inſtrumenti copiam fecit, quo conſtabat de ejus comparitione apud judices facta, quos competenteis eſſe aiebat, quod Turenae ditio, in qua domicilium ſuum habebat, ad Toloſanum ſenatum pertineret. Quod ipſi conceſſum rex graviſſime tulit. Id actum VIII Eid. Dec. Bullionius poſtea cognito Ludovicum [b] Fabrum Caumartinum magni conſilii praeſidem a rege miſſum, ut illum nactus ubicunque ſiſteret, et ſub cuſtodia ad regem adduceret; poſt ſalutatum Annam [c] Levium Ventadurium in ea provincia vicarium ſub H. Momorantio equitum magiſtro, qui tum forte [d] Caſtri erat, in viam ſe dat, et [e] Monpelium venit, ubi frequenti Proteſtantium conſeſſu de innocentia ſua proteſtatus, advocationem eccleſiarum apud regem imploravit: et ut judicibus a lege conceſſis, et ejus beneficio uti ſibi liceret, enixe petiit; et interim ne quid publica tranquillitas, quam illis ſummo affectu commendavit, mora in regno ſua detrimenti acciperet, ſe eo ad tempus exire decreviſſe declaravit. Quo facto, Arauſionem primum petiit; et inde in Delfinatum iter flexit, et ſalutato per nobilem e domeſticis ad eum miſſum Diguierio, dum interim iter ſumma celeritate perſequeretur, Genevam tandem incolumis pervenit. Nec multo poſt [α] Proteſtantium delegati ad regem dant literas in Bullionii gratiam, quibus ipſum orabant, ut innocentiae ejus rationem haberet, neque quod improperabatur, delationibus malevolorum facileis aureis praeberet, aut ſibi perſuaderi pateretur, virum ea virtute et religione cum Hiſpanis in regni perniciem conſilia iniiſſe, et pro ſua prudentia et aequitate videret, ne quid odio religionis in ea cauſa peccetur, et ejus cognitionem cui velit, ex illis, quas edicto conſtituit, Cameris attribuat. Neque eorum improbitati indulgeat, qui cruore innocentium tanquam ſuavi holocauſto aras Romae fumare et conſpergi cupiunt. Haec enim verba ad acriorem ſenſum exprimendum adjecta erant. Sub id [β] et Proteſtantes in Septimania ad regem literas ſupplices miſerunt, quibus Bullionium in judicio ſiſtere paratum oſtendebant, et ut id ei liceret apud judices edictis conceſſos et minime ſuſpectos enixis precibus petebant, et fieri debere contendebant.

XI. REX anxius, ne, fama in Angliam perlata, Eliſabetha ſiniſtram de exagitato Bullionio opinionem conciperet, idque rectum de rebus communibus inter ipſos ſenſum conturbaret, per oratorem ſuum Chriſtophorum [f] Harlaeum Bellomontium cum ea ſedulo agit, et criminum commemoratione et moderatione in iis ſervata nihil feſtinanter, aut contra jus factum oſtendit, et ſuper ea re ut bene erga ſe affectae ſororis, ſententiam exquirit. At ſolers foemina, quae comiter magis et officioſe, quam ſerio ſecum agi putaret, neque tamen homini ſibi charo, et quem calumnioſe, atque adeo religionis odio in aula a malevolis traduci arbitraretur, deeſſe vellet; viciſſim per ſuum oratorem cum rege agit, et poſt gratias pro tanta familiaritate et confidentia actas, communicato inter principem et ſubditum, quod nunquam alias fieri inter vicinos conſuevit, ſecum negotio, ſic cenſere ait, melius futurum, ut de eo minime conſuleretur; nam e duobus alterum ſecuturum, ut aut curioſa in negotiis alienis, quod ſemper longa experientia edocta quantum potuit, caute vitavit, habeatur, aut integritatem ſuam ac candorem, dum, quamvis rogata, ſenſum

VAR. LECT. [α] Proteſtantium eccleſiarum delegati *MS. Reg.* [β] et Septimaniae eccleſiae ad regem *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *du Faur.* [b] *le Fevre Sr. de Caumartin.* [c] *de Levi, duc de Ventadour, Lieutenant de roy en Languedoc.* [d] *Caſtres.* [e] *Montpellier.* [f] *de Harlay comte de Beaumont.*

ſenſum ſuum in tanti momenti cauſa ingenue aperit, in dubium revocari patiatur. Nam vix eſſe poſſe, ut rex non ſuſpectam ipſam habeat, qui ſciat, eum, de quo agitur, ſemper maximi a ſe factum; et ſi quae contra illum dicuntur, elevare aut excuſare conetur, quae ad fratris chariſſimi ac regni ſecuritatem faciunt, parvi pendere ac negligere videatur. Sed quando non ultro alienis rebus ſe immiſcet, ſed rogata conſilium dat, inde ab ambitione vacuam, inde conſcientia teſtificante, nihil odio aut gratiae a ſe dari, ſic cenſere, ſuſpiciones adverſus Bullionium, atque adeo probationes valde infirmas eſſe, nec adverſus perſpectam duris et diverſis temporibus fidem poſſe apud ſe praevalere. Nam ſi rex eum a prima juventute ſemper fidum expertus eſt, cum ſummis difficultatibus ipſe premeretur, Bullionius ſolo affectu duceretur, qui fieri veroſimile, ut cum Bullionius non jam affectu, ſed fidei vinculo conſtringatur, quam, niſi Deum infeſtum habere velit, violare non poteſt? Cum is, qui pericula ſola et decus in iis ſuperandis propoſitum tunc pro omni praemio habebat, nunc fortunarum amplificationem ſub legitimo principe ac florenti ſperare debeat, qui, inquam, fieri poſſe, ut qui toto vitae curſu hactenus fidei violatae aut imprudentiae inſimulatus non fuerit, eo dementiae et perfidiae venerit, ut et ſimul famam tot egregie factis quaeſitam profligare, et ſciens prudenſque ſe manifeſto et inextricabili periculo exponere voluerit? Nam cum Birono conſilia communicaſſe, quo minus ſibi perſuadeat, occultas ſimultates et aemulationes, quae ipſis intercedebant, et cunctis perſpectae fuerunt, in cauſa eſſe; et religionem quam profitetur non pati, ut cum Hiſpanis, quod alterius accuſationis caput eſt, conſilia in regis regnique perniciem ſociaſſe credi queat. His argumentis fieri, ut nihil ſiniſtri de Bullionio ſibi facile perſuadeat: proinde orare regem fratrem chariſſimum, ut hac in re moderationem, quam in aliis conſuevit, adhibeat, et hoc apud ſe conſideret, Bullionii ſive conſcii, ſive inculpati cauſam cum multis conjunctam eſſe, et tamen nullum alium in judicium vocari, ut odio potius, quam propter certi ac confeſſi criminis atrocitatem id fieri appareat; quod quo pertineat, prudentiſſimum regem etiam atque etiam videre debere. Nam probationes, quae adverſus eum collectae ſunt, minime, quod dici ſolet, luce meridiana clariores eſſe; et ſi Bullionius innocens comperiatur, quod ſperet et cupiat, qua ratione talis dignitatis viro decus reſarciri poſſe? Itaque dolere ſibi, quod non alia ratione ab initio cum illo actum ſit, nunc per regis literas, quae ubique volitant, omnibus nationibus palam eſſe, eum criminis horrendi a maximo rege ac domino ſuo poſtulatum; ac verendum ne vir generoſus plus iram regis, et malevolorum, qui circa ipſum nunc ſunt, exhorreſcere, quam dum ſe judicio minime ſiſtit, innocentiae ſuae diffidere videatur. Itaque regem prudentiſſimum, qui videat ab Hiſpano infeſto molitiones contra ſe quotidie novas intra et extra regnum ſtrui, melius facturum, ſi aperte et citra diſſimulationem eum petat, et omneis vireis ac conatus ſuos cum fidis et amicis nominis Francici principibus adverſus eum conjungat; ſic enim futurum, ut hoſtem certum habeat, et amicos ac ſocios adverſus communem hoſtem conſtantes experiatur. Haec in Bullionii defenſionem per Anglicum oratorem nimis fortaſſe libere dicta. Quae rex irritatus nequaquam in bonam partem accepit, ſed ſenſum ad tempus preſſit.

XII. ADJUNCTUM et a Bullionio ad capita accuſationis ſcriptum, tunc circumferri coepit. Ea erant, quod homo inquietus in obſidione [a] Rotomagenſi, et poſtea in Anglia [b] Eſſexio comiti conjurationis ab eo infeliciter tentatae auctor fuiſſet, quod domi principes et proceres Catholicos artificioſis et confictis rationibus, quibus plurimum pollet, eo pertrahere conatus eſſet, ut legitimum Delphini ſtatum in dubium

INTERPR. [a] *de Rouen.* [b] *le comte d'Eſſex.*

CIƆ IƆ CII. dubium revocarent; et ita eos in apertum exitium praecipitaret, ipſe ſe alia ratione

HENRICUS IV. iis praecipitatis expediret. Quod in Hiſpanorum gratiam per interpoſitas perſonas Ordines Belgii ſolicitaſſet, ut ſe ad pacem colendam honeſtis et opimis, quas ipſe dicturus eſſet, conditionibus ei ſubjicerent. Quod de regno lacerando ac diſſipando cogitaſſet, quoque id commodius faceret, a religione, quam amplectitur, defectionem meditari, et Delphinatum pro diſſipationis praemio ac legitima portione ſibi deſtinaſſet. Quod Bironi conſiliorum contra regis perſonam et regni ſalutem initorum particeps fuerit, et qui in regis cubiculo muneris ratione pernoctaret, ut vitam regis quodammodo in poteſtate habere videretur. Quod accuſatores Bironi ab initio tanquam ſuſpectos rejecerit, quod innocentiae ſuae diffidens, non in aulam, ſicuti receperat, ad regis mandatum venerit, ſed incompetentem [a] Caſtri judicum juriſdictionem affectaverit, et quaſi fuga crimina objecta ſit confeſſus. Quod tot beneficiis a rege affectus ſumma ingratitudine gratiam rependerit; quod [b] Tremollii ſororii, eum ut Sedanum ſe conferret, ibique regis imperia opperiretur, monentis rectis conſiliis non auſcultaverit; quod [α] Proteſtantium [c] Septimaniae, quod reginae Anglicanae, ſcilicet cauſae ſuae diffidens, advocationem imploraverit. Quae omnia, ſaltem praecipua, fere inficiatione diluit. De Eſſexio nihil tale dictum aut cogitatum fuiſſe, et reginae Anglicanae ipſius, quae pro ſe intervenerit, fidem appellare. Principum item et procerum memoriam ac fidem implorare, ſi quidquam de Delphini ſtatu cum iis egit; neque ſe adeo deploratum, ut in re deteſtanda, et nomine Gallico indigna, tot homines proxima cognatione ſecum conjunctos in periculum vocare in animum induxerit, aut illis periclitantibus expedire ſe poſſe ſperaverit. De ſolicitatis Belgii Ordinibus aeque futile eſſe et abſurdum; neque enim id tentari poſſe, quin Proteſtantium per Germaniam principes et Ordines in ſummam rerum ſuarum ſuſpicionem et deſperationem adducantur, quaſi ſecuritatis publicae per eam reconciliationem pignore ſublato, et vel cum [d] Naſſauvianis contractam affinitatem tot vinculis adjunctis firmatam, calumniae fidem omnem detrahere. Quod vero de Delphinatu adducitur, extra omnem veri ſimilitudinem eſſe; cum et ſimul cum ſcelerate perfidum et mentis emotae eſſe oporteat, qui id aggredi auſus fuerit, aut eſſe qui poſſe ſperaverit, praeſertim Diguierio ſummo belli duce, auctoritate ac viribus in eo pollente, qui provinciam fere Proteſtantium aut religioni addictam habet, aut totam validis praeſidiis tenet. Nunquam Bironum quenquam conſciorum nominaſſe, et ſi quidem nominaverit, non ſe ſolum, ſed et alios plures nominare debuiſſe: atqui mirum eſſe inter tot conſcios nominatos, ſe ſolum peti, cum alii nunc in aula et gratia polleant, et cumulatis quotidie beneficiis ornentur; et in alios, quam ſe, qui et conſcientia bona nitatur, ut decus vita potius habeat, deteſtandi parricidii ſuſpicionem veriſimilius cadere poſſe. Ad accuſatores quod attinet, eos nondum nominatos, ſed ex fama notos eſſe, et fidei adeo propter vitae infamiam ſuſpectae, atque taleis, ut vel in vulgari cauſa, et contra vileis reos vix eorum teſtimonia ab aequis judicibus admitti debeant. Quod vero ad Caſtri cameram ſe contulerit, id privilegio edictorum feciſſe; ut cum de capite et fortunis ageretur, judices minime ſuſpectos habeat, ſed eos, a quibus ſolis, niſi vis edictis afferatur, judicari debet. Itaque Septimaniae [β] Proteſtantium ſponte ſe offerentium minime ea in re advocationem repudiaſſe; ut nec reginae Anglicanae, quae ſiquidem in accuſatione inſtituta, aut verum, aut vero affine quidquam vel ex ſuſpicione comperiſſet, quam benignam expertus eſt, tam infeſtam apud regem chariſſimum fratrem, praeſertim

VAR. LECT. [α] eccleſiarum Septimaniae, quod *MS. Reg.* [β] eccleſiarum ſponte *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Caſtres.* [b] *de la Tremoille duc de Thouars.* [c] *Languedoc.* [d] *maiſon de Naſſau.*

praeſertim in conjuratione, quae aeque ſe ac regem et principes alios ſpectat, interpellatricem ac vindicem habiturus eſſet. Cetera, quae in hac cauſa ſunt acta, ad ſequenteis annos pertinent.



XIII. CLAUDIUS Lotaringus [a] Jonvillae princeps, cum Philippo [b] Anglurio Guionvellano Sequano, qui per ſuperiora bella continuis excurſionibus limitem noſtrum infeſtaverat, conſilia pernicioſa agitaſſe delatus, ſub exitum anni juſſu item regis ſiſtitur; et Guiſii fratris fidei in cuſtodiam traditur, datis a rege ad praefectos literis, quibus quicquid ex illa accuſatione colligebatur, ad reum ſolum peculiariter ſpectare ſignificabat, neque ullum ex illuſtriſſima ejus familia in ea nominatum aut comprehenſum reperiri. Poſtea juveniliter peccaſſe convictus, et quod erat confeſſus, deprecante pro eo familia, et per oratores ſuos Lotaringiae duce, et Guiſio fratre imprimis, in gratiam [α] receptus eſt.

VAR. LECT. [α] receptus eſt; impetrato diplomate, quod, ipſo momentaneum carcerem ingredi juſſo, et in genua procumbente, in ſenatu ſummo mane recitatum fuit: qua in re verecundiae tantae dignitatis adoleſcentis ab Achille Harlaeo primario praeſide conſultum fuit, ne aſpici et aſpicere alios cum rubore clariore luce cogeretur. *MS. Reg. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Joinville.* [b] *d'Anglure Sr. de Guionvelle, Franc-comtois.*

JACOBI

# JACOBI AUGUSTI THUANI

## HISTORIARUM SUI TEMPORIS

### LIBER CENTESIMUS VICESIMUS NONUS.

#### EPITOME.

*RENOVATUM a rege cum Helvetiis foedus, ad quod ſervandum delegati Lutetiae in aede D. Mariae, coram rege et omni aulico comitatu tactis ſacroſanctis evangeliis, adacti ſunt.* II. *Edictum ad refraenandam duellorum licentiam conditum, et in ſenatu publicatum:* III. *Pernicioſa et in re monetaria mutatio facta eſt. Edictum Moncelli conditum. Promulgatio ejus poſt enixum regis mandatum ſaepius repetitum facta.* IV. *De auri argentique venis, plumbi, ſtanni, aliorumque metallorum fodinis aperiendis apud nos actum, nullo proventu. Edictum ea de re conditum et in ſenatu promulgatum.* V. *Burdigalae inter ſenatum et card. Surdiſium urbis praeſulem, qui altare inconſultis S. Collegii ſodalibus demoliri aggreſſus fuerat, ingens orta contentio. Cardinalis primarium praeſidem et Jo. Bonellum Verdunum a ſenatu delegatos extra eccleſiae communionem ponit. Severum ſenatus contra cardinalem decretum. Rex diplomate ſuo negotii cognitionem ſibi ſumpſit.* VI. *Lis inter plebeium ordinem et reliquos duos in Delphinatu, tandem hoc anno in regis conſiſtorio finem accepit, ſed deteriore plebis conditione.* VII. *Cauſa inter epiſcopum Andegavenſem, qui Breviarii et Miſſalis recepti uſum inconſultis rege et dioeceſis ordinibus abolere voluerat, et S. Trinitatis collegii ſodaleis ab ejus decreto ab abuſu appellanteis magna contentione in ſenatu agitata.* VIII. x *Kal. Dec. regina filiam Lutetiae enixa eſt.* IX. *Sabaudus irrito conatu Genevam tentat. Expeditionis ordo. Cum res hac occaſione ad bellum apertum erupturae crederentur, interventu tandem regis inter Sabaudum et Genevenſeis perſcriptae pacis conditiones.* X. *Rex Gaſtonem a Fuxo naturalem filium ex Henrica Balſaca ſuſceptum diplomate ſuo legitimum declarat. Id tacito curiae decreto firmatum, et in acta relatum. Rex cum regina in Mediomatrices ad res provinciae ordinandas profectus eſt. Motus bellicus inter Car. cardinalem Lotaringum et Brandeburgicum de epiſcopatu Argentinenſi contendenteis a rege compoſitus.* XI. *Dum rex Divioduri eſſet, Jeſuitae de reſtitutione ſua ſoliciti ex Varani conſilio ſolemnem ad eum legationem adornant. Ignatii Armandi provincialis ſupplex ad regem oratio. Rex eos benigne excepit, et bono animo eſſe juſſit.* XII. *Rex literas in Bullionii gratiam ſcriptas a Friderico ſeptemviro accepit. Ad eas reſponſum. Nancium rex excurrit ad inviſendam ſororem.* XIII. *Rex ubi Lutetiam rediit, totus in pacis ocia intentus augendis rebus et opulentiae regni ſtudere coepit, omnium opificiorum officinis inſtitutis, atque ante omnia ſerici artificio.* XIV. *Eliſabethae Anglorum reginae mors. Ejus elogium, ingenium, mores, proſpera fere ſemper fortuna.* XV. *Poſt ejus mortem in Jacobum Scotorum regem concordibus ſuffragiis omnes regni ordines conſenſerunt. Cum toto comitatu novus rex Londinum* XVI *Kal. Junias venit. Magna de eo a Catholicis ſpes concepta. Ab iis libellus ſupplex oblatus. Eam ſpem fidei confeſſio ſub id evulgata non parum imminuit. Eliſabethae juſta perſolvuntur.* XVI. *Max. Bethunius Ronius ad novum regem ſalutandum a rege miſſus. Antiqua foedera firmata, nova addita.* XVII. *Inter*

*Sueſſionem*

*Sueſſionem et Ronium nuper in aulam reverſum, atrox jurgium, quod tandem compoſitum eſt.* XVIII. *In Anglia rex Weſtmonaſterii cum Anna uxore in regem unctus eſt. Detecta in eum conjuratio. In conſciis plectendis memorabile clementiae regis exemplum.* XIX. *Joannes Taxis ad eum a Philippo miſſus. Taxim mox ſecutus Jo. Ferd. Velaſcus comes ſtabuli Caſtellae.* XX. *Apud nos Vapinci in Allobrogibus ſynodus a Proteſtantibus celebrata. Quae in ea decreta. Hen. Roanus dux et patricius creatus in ſenatu ſacramentum dixit.* XXI. *Illuſtrium mortes: Mariae Caroli* V *filiae, Georgii Friderici Brandeburgici Onosbacenſis, Chriſt. Ratzivilii, Adami a Bikema Moguntini praeſulis ſeptemviri.* XXII. *Literis clari obierunt Jac. Monavius, Andreas Caeſalpinus, Franciſcus Vieta, Vidus Coquillius Romaneius.* XXIII. *Mors Hametis Mahametis filii Marochi, Feſſae et Suſiani regis. Ejus liberi.*

Ex auctoribus,

*Actis curiae Pariſienſis, Editis publicatis, Actis curiae Burdigalenſis, P. Matthaei hiſtoria, Fr. Baconi relatione Anglicana MS. Scriptis Londini editis, Actis ſynodi Vapinci celebratae.*

## LIBER CENTESIMUS VICESIMUS NONUS.

CIↃ IↃ CII. HENRICUS IV.

NE triſtis omnino hic annus eſſet, qui a ludis et pompis nocturnis inceperat, renovatum cum Helvetiis foedus. Ad eos anno ſuperiore Nic. Brulartus Sillerius, qui orator apud eos antea fuerat, Septembri menſe miſſus, qui longa et appoſita oratione [a] Soloturni in aedibus publicis habita, rei a Franciſco [b] Hotmano Morfontano propoſitae, et ſaepius dilatae rationes in belli Sabaudici moras rejecit, foederis mutuas commoditates et utilitates expoſuit, malignitatem eorum, qui illud diſſuadebant, ſugillavit, ut diſſidii ſemina rupto cum rege foedere inter eos ſpargerent, et per diſcordias infracta illorum potentia antiquas ſpes reſumerent, et liberos populos tandem ſub jugum mitterent: e contrario laudata regis virtute et prudentia, fide, pacis ſtudio, quantas inde utilitates ſperare et percipere poſſint, oſtendit. Nec abnuebant univerſi, ſed Quinquepagici ob novum cum Hiſpanis foedus ictum cunctabantur, et oratores noſtros rogabant, ut rationes explicarent, quibus et regi de antiquo foedere ſatisfacere, et poſteriora pacta ſervare poſſent. Heic aliquandiu altercatum, [c] Fontano Mediolani prorege nullum non lapidem movente, ut negotium bene procedens conturbaret. Decies centena aureorum millia promiſſa. Tum Quinquepagici Lucernae conveniunt VII Kal. Oct. et [d] Badenis Nonis Octobribus univerſi, ac poſtremo Soloturni VII Kal. Dec. Emericus Vicus, qui tunc oratoris ordinarii munere fungebatur, vir ſolers et impiger [e] Curiam Raetorum miſſus, ut cum III populis ageret, qui coram LXVII delegatis ab iis miſſis, quid regis voluntatis et deſiderii eſſet, graviter expoſuit, ut nimirum iiſdem conditionibus, quibus majores cum ipſis foedus iniiſſent, nullo addito aut detracto, cum ipſis conveniret, et illud renovaret. Pecuniae retardata ex occaſione ſubvectio, cum ſpes multorum fruſtraretur, nonnihil negotium

INTERPR. [a] *Soleurre.* [b] *Hotman Sr. de Morfontaine.* [c] *le comte de Fuentes, gouverneur de Milan.* [d] *Baden.* [e] *Coire, capitale des Griſons.*

CIƆIƆCIII. HENRICUS IV.

negotium turbavit, quod tandem [1] adventu Bironi, qui magno comitatu ſub id exeunte Januario venit, et Soloturni militari oratione univerſos compellavit, foedus eo magis optandum ipſis, quod rex rebus florentibus, et parta cum vicinis pace, non acciſis, et belli neceſſitate, amicitiam eorum expetiverit; renovata interim et patris memoria, et ſua erga eos praecipua charitate ac benevolentia, quam pace et bello integra fide ſemper ſit ſervaturus. Secundum haec foedus renovatum, iiſdem, quibus ſuperiora, legibus, ſed prorogato amplius tempore, ut quamdiu Rex et Delphinus viveret, et ultra ut praecedentibus, duraret. Hic ultimus fuit Birono honorificus dies, quo et delegatos Helvetiorum et Raetorum lautiſſimo convivio excepit; qui poſtea ipſo vivis exempto pridie Eid. Octobreis, qui in Saturni diem incidebat, Lutetiam ampliſſimo comitatu ad regem venere, ad [a] Carentonii pontem a [b] Sillerio et Vico in Bartholomaei [c] Cenamii aedibus convivio excepti. Inde Hercule [d] Roano Monbazonio et Franciſco [e] Grangaeo Montinio, ac multis e nobilitate deducentibus, ad Sancti Antonii portam [f] praefectum mercatorum cum aedilibus, et urbana militia obviam habuerunt, qui eos regis nomine, quem a virtute ipſis perſpecta ac fide praecipue laudavit, honorifice ſalutavit, delata item Pariſienſium amicitia; inde per hoſpitia a metatoribus regiis deſignata, diſtributi ſunt. A Pomponio Bellevreo cancellario, qui olim apud eos oratoris munere defunctus fuerat, primum convivio excepti, poſtridie [g] Luparam ad regem ab Henrico Emmanuele [h] Lotaringo Aquillonii duce Meduanii filio cum L e primaria nobilitatis aulicae juventute introducti fuerunt. Inde ad reginam perrexerunt, et poſtridie fanum [i] Germani iverunt, et Delphinum bimulum ſalutarunt, cum quo educabatur Henricus [k] Aurelianus Longavillae dux puer, qui ipſis ad menſam ſedentibus venit, et Delphini nomine propinavit. Poſtquam in cancellarii aedibus auditi ſunt, verba pro univerſis faciente advocato [l] Sagnero Bernenſi: duae conditiones additae, ut Quinquepagici in foedere cum Mediolanenſi principatu et Sabaudo nuper icto manere poſſent, dummodo ante omnia antiqua cum regibus inita ſervarent; et Proteſtantes, ſi bellum contra Proteſtanteis in regno gereretur, ad auxiliareis copias ex foedere mittendas non tenerentur, et ſi quas in eo haberent, eas ſalvo eodem foedere revocare poſſent. [m] Sueſſionum comes eos Saturni piſculento die ſumptuoſo admodum et opiparo convivio excepit. Poſtridie ſolemni ceremonia in aede [n] Beatae Mariae, coram rege et aulico omni comitatu, ſacrum celebravit archiepiſcopus [o] Viennenſis: Proteſtantes templum ingreſſi ad pulpitum extra chorum conceſſerunt. Sacro peracto cum cancellarius pro rege verba feciſſet, et rex verbo regis ex formula, et ſinguli pagorum delegati ad foedus ſervandum tactis ſacroſanctis evangeliis jurejurando ab ipſo adacti ſunt. In epiſcopi aedibus dein celebratum magna pompa epulum, cui rex cum omni principum coetu interfuit, et univerſis honorifice propinavit. Cum poſtridie inſtarent, ut ad decies centena aureorum CIƆ, aliqua inſuper ſumma adderetur, nam CCCC millia annua ad aes alienum exſolvendum nequaquam ſuffectura, rex ſe excuſavit per bella praeterita, et exhauſtum aerarium cauſatus: et inde illi ad aedeis publicas, in quibus parato ab urbano magiſtratu lautiſſimo convivio excepti ſunt, perrexere. [p] Longavillani itidem parens, quae cum civitate Helvetiorum ob [q] Novocaſtrenſem comitatum arctam foederationem habet, eos altero poſt die excepit, et inde a Vico ad regem deducti commeatum ab eo petierunt. Lautia praebita, et praeterea in memoriam foederis cuſi grandiores nummi, ex auro nuper in [r] Seguſianis apud nos effoſſo, ut prae ſe fert inſcriptio.

II. QUAEDAM

INTERPR. [a] *Charenton.* [b] *de Sillery & de Vic.* [c] *Cenamy.* [d] *de Rohan, duc de Montbazon.* [e] *de la Grange Sr. de Montigny.* [f] *Bragelone prevoſt des marchands.* [g] *le Louvre.* [h] *de Lorraine duc d'Aiguillon.* [i] *S. Germain.* [k] *d'Orleans duc de Longueville.* [l] *l'Advoyer de Berne nommé Sagner.* [m] *Soiſſons.* [n] *Noſtre Dame.* [o] *de Vienne.* [p] *madame de Longueville.* [q] *Neufchaſtel.* [r] *Forez.*

NOT. [1] *forſan legendum* tandem confectum eſt adventu

II. QUAEDAM et domeſtica ſuperant. Dum rex Bloeſis eſſet, querimoniae ex omnibus regni provinciis allatae ſunt de duellorum licentia, quae ad Numinis contumeliam et legum auctoritatem labefactandam ſpectabant, nec minore omnium ordinum, et publicae tranquillitatis diſcrimine, quotidie exercebantur; de ea refraenanda vix tandem edictum conditum fuit, quo duella vetabantur; et tam qui ad certamen provocabant, quam provocati, ſi ad ea irent, gravi atque adeo capitali poena coercebantur; illi item qui provocationis libellum ferebant, aut ſecundariam in illis operam ſeu provocanti ſeu provocato navabant, addictis in fiſcum bonis, ſine veniae aut gratiae ſpe quantum ad vitam et bona quovis praetextu impetrandae: eo amplius ſancitum, ut qui offenſionem ad decus pertinentem ſe accepiſſe cauſarentur, aut qui ad certamen, quod detrectare manifeſtae turpitudinis inter nobileis et arma tractanteis eſſe cenſebatur, provocati eſſent, ad magiſtrum equitum, aut equitum tribunos, atque adeo provinciarum praefectos querimonias ſuas, aut provocationem deferre tenerentur; qui partibus vocatis et auditis, interdicta omni armorum vi, de injuria reſarcienda ex aequo et bono ſtatuerent; quorum judicio utraque pars ſtare jubebatur. Si aliter faceret, in regis indignationem incurreret, et aula ac provincia exularet, aut alia extra ordinem poena plecteretur. In occiſos item in illis duellis, tanquam laeſae majeſtatis reos, extraordinario judicio ageretur. Edictum in ſenatu publicatum, exceptione addita, ne propterea aut magiſter, aut tribuni equitum, aut praefecti provinciarum cognitionem ullius criminis, aut delicti, praeter ea quae ad decus inter nobileis pertinere exiſtimantur, ſibi ſumerent, aut edicto illis attributa cenſeretur. Id actum menſe Junio. CIↃIↃCIII. HENRICUS IV.

III. QUAM ſancte id decretum, et magno noſtro malo atque adeo cum divina offenſione neglectum, tam imprudenter perniciosa in re monetaria mutatio facta eſt, abrogato ſalutari in commercio et contractibus per aureos computandi uſu, qui ab anno CIↃIↃLXXVII feliciter uſurpatus fuerat, augendi per libras, quae imaginariae ſunt, auri et argenti pretium, et mercium ac rerum omnium caritatem invehendi praeciſa per eum occaſione. Nam per haec licentioſa bella cum collybiſtarum flagitio nihil inauſum eſſet, hac ſola ratione effectum eſt, ut nihil in jactatione nummorum peccatum ſit, cum in media pace ante illud edictum anni LXXVII eo res deveniſſent, ut cum aureus ad ſex libras uſque excreviſſet, et ceteri nummi tam exteri, quam nomine regio cuſi aurei et argentei, eadem proportione valorem ſuum exceſſiſſent, in bonis nemo ſciret quid haberet. Itaque re in deliberationem in aula regis deducta, ubi ex tribus curiis primarii, item ex [a] monetaria, et urbis ordinibus, peritiores ad multam noctem ſententiam dixerunt, magno conſenſu ac paucis diſſentientibus coram ipſis aulae proceribus convenerat, ut nihil in uſu recepto innovaretur. Vicit tamen experimenti tam diverſis temporibus probati fidem et auctoritatem impatiens repulſae animus, qui, quod ſemel voluerat, non obtinere, ad injuriam referebat. Igitur conditum edictum [b] Moncelli menſe Septembri, et in curiam allatum, ſemel atque iterum poſt unam et alteram juſſionem rejectum, et rationes refutati edicti ſcripto breviter [α] comprehenſas, Jacobus Auguſtus Thuanus cum Antonio [c] Seguierio et aliquot ſenatoribus, nam alii praeſides morbo attinebantur, e veſtigio ad regem pertulit; quae ſtomachoſe exceptae, et ſeorſim a ſenatus delegatis, quod nunquam antea factum fuerat, lectae ſunt, et de plano reſponſum, edictum adverſus rationes ſcripto comprehenſas, praeponderare debere, ac proinde velle, ut ſine ulteriore mora promulgaretur. Igitur promulgatio, poſt enixum regis mandatum

VAR. LECT. [α] comprehenſas; nam vocales contumacia audiendi fere exoleverant, Jacobus *MSS. Reg. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *cour des Monnoies.* [b] *Monceaux.* [c] *Seguier.*

CIↃ IↃ CIII.
HENRICUS IV.

mandatum ſaepius repetitum, et rationes ſcripto expoſitas, propter quas curia edictum huc uſque inhibuerat, ſicuti in actis continetur, tandem facta XVI Kal. Oct. Idem in rationalium et vectigalium curiis factum. Majore plauſu apud judices monetarios res acta, qui ſoli ab initio edictum probaverant. Ei quaeſitus color, quod libra omiſſa, quae tertiam tantum partem tunc aurei faciebat, luxui et profuſioni per aureos computandi uſus portam aperuiſſet; quaſi non potius a morum cenſura, et ſumptuariis legibus huic malo remedium quaerendum fuerit. Sed experimento poſtea compertum, quod anno LXXVII ad ſiſtendum in nummis per libras pretii incrementum decretum fuerat, prudentiſſime factum fuiſſe, eoque abrogato incommodum idem, quod antea invaluiſſe, quod tandem nummi aurei augendi et per illud incrementum mercium pretium praecipue externarum pariter augendi neceſſitatem impoſuit; ſicuti ſuo loco, ſi eo uſque progredi Deus conceſſerit, plenius dicetur.

IV. DAMNUM ambitioſo edicto acceptum aliquantiſper reſarciri viſum felicitate regni, quod non ſolum ſoli ubertate, ſed quod deſertis ac ſterilibus locis plerumque natura compenſationis loco dat, etiam diverſorum metallorum fodinis abundare compertum eſt. Nam et ad Pyrenaeos et in principatu [a] Fuxenſi argenti venae et auri ramenta per [b] Aurigeram inde dictam ſcatere memorantur, et Carcaſſonae argenti, in [c] Cevenis montibus et Gabalis plumbi et ſtanni, [d] Annoniaci in Vivarienſi pago plumbi, in [e] Arvernis ferri laudabiles ſunt fodinae, et nuper ad [f] Martini-fanum in agro Lugdunenſi aurum et argentum magna copia erutum. Sed laboris improbi et plerumque periculoſi aſſiduitatem, parſimoniam, et victus tenuitatem, quae in operariis requiritur, terrae Francicae abundantia ſubminiſtrare minime poteſt, in qua homines lautius vivere aſſueti, quantum ad opus tanti ſumptus opus eſt, ſibi parcere neſciunt. Itaque de Germanis ad opus conducendis deliberatum, ſed quos tamen, ubi noſtrum coelum hauſerint, liberaliorem victum quam domi habent, deſideraturos appareat: tanto cum impendio fodinae conſtant, ut qui aperiendas illas ſuſcipiunt, ſi operarios plus aſſe dietim abſumenteis habeant, quantamvis induſtriam ac diligentiam adhibeant, et venas ſe ſequenteis ad manum habeant, lucri quidquam facere, aut ſumptus in eam rem neceſſarios diu tolerare nequeant. Edictum nihilominus ea de re menſe Junio factum, ac vix tandem in ſenatu promulgatum, quo ſuperiora, de quibus ad annum LXIII praecedentis ſaeculi diximus, confirmantur, et ad ea quaedam addita; ut ne ſingulares toto regno domini eruendis illis ſibi injuriam fieri conquerantur, aut inde damnum ſentiant, eis proſpectum, cautumque ut ſulfuris, nitri, ferri, chalybis, chalcanthi, carbonis ceſpitarii, lapidis coerulei, qui pro tegulis eſt, gypſi, cretae, lapidis caementarii et molaris, fodinae penes eos ſint, nec a proprietariis illorum poſſeſſio avocari poſſit. Quoque major dignitas renovatae metallorum veſtigationi conciliaretur, [g] magni magiſtri titulo iis praeponitur Rogerius [h] Bellogardius magnus Hipparchus et ſummus Burgundiae vicarius, et vicaria poteſtate ſub eo Mart. [i] Ruzaeus regi a ſecretis epiſtolis, et curator Petrus [k] Beringanus primarius regis cubicularius. Juriſdictio et inter operarios inſtituta, cujus praetor conſtitutus Joan. [l] Villamarellus ſenator Pariſienſis, ſed nullo ob eas, quas dixi cauſas, profectu.

V. INCIDIT et ſub id Burdigalae res, quae non ſolum totam urbem conturbavit, ſed ſacrae juriſdictionis cum regia conflictum ſeu fortuito ſeu temerario maxime auſu renovavit. Henricus [m] Eſcubleus Surdiſius cardinalis urbis praeſul in majore

S.

INTERPR. [a] *comté de Foix.* [b] *l'Ariege r.* [c] *aux Cevennes & Givaudan.* [d] *Annonay en Vivarais.* [e] *Auvergne.* [f] *S. Martin en Lyonnois.* [g] *grand maiſtre des Mines.* [h] *de Bellegarde, grand Ecuyer & Lieutenant de roy en Bourgogne.* [i] *Ruzé Sr. de Beaulieu, ſecretaire d'Etat.* [k] *de Beringen premier valet de Chambre.* [l] *de Villemereau.* [m] *d'Eſcoubleau Sr. de Sourdis.*

S. Andreae templo altare demoliri aggreſſus eſt, magna omnium ordinum offenſione, ac praeſertim ſenatorum, qui tunc frequentes in eo erant. Cauſa obtendebatur, quod plerique e plebe ad concionem euntes, non audire contenti, etiam concionantium vultus videre plus juſto cupidi, in illud irreligioſe inſilirent, et in orationis loco ridiculum ſpectaculum excitarent. Id inconſultis, atque adeo invitis ſacri collegii ſodalibus factum; qui cum poſtridie inſtaurare opus vellent, ſuperveniente cum domeſticis cardinali caementarii huc illuc diſturbati, et ipſi ſodales qui aderant, pugnis tumultuario [α] caeſi; caementarius, qui mandato ejus altare demolitus fuerat, cum decreto ſenatus in carcerem conjectus eſſet, carcere effracto ab ipſo liberatus eſt. Re ad ſenatum delata, convocatae univerſae claſſes, decretoque facto, deſtructum altare inſtaurari juſſum, et [a] Godofridus Malvinus Seſſacus et aetate et meritis princeps ſenatus, et Jo. [b] Bonellus Verdunus delegati, qui operi cum ſatellitio armato conſulum urbanorum, ad vim prohibendam intereſſent. Ii poſtridie ad locum venerunt, et altare, nemine prohibente, quippe viribus potiores, denuo exſtruxerunt. Tantum miſſus ſacerdos quidam, qui cum ſenatores diris devovere vellet, Malvinus eum contemptim cluſit, et praeſentiam hac in re ipſius cardinalis requiri pronunciavit. Igitur vi militari cum non amplius poſſet, ſpirituali injuriam, ut rebatur, ſibi factam ulciſci ſtatuit cardinalis: et cum Malvinus et Verdunus ad S. [c] Projecti, ut ſacro et concioni intereſſent, mane Dominica proxima veniſſent, ipſe non ſolum cruce, ſed quod magis animos ſpectantium perculit, ſacra Euchariſtia praelata ad templum venit, et pro valvis Malvinum et Verdunum citatos extra eccleſiae communionem poſuit, ceremoniis in ea re adhiberi ſolitis, et ad majorem horrorem etiam quatuor facibus extinctis, et concionatorem, ne populum jam congregatum ex ſuggeſtu alloqueretur, et ſacerdotem ne coram iis ſacrum celebraret, metu excommunicationis injecto prohibuit: addita et multa verba contumelioſa a cardinali, quae Malvinus paucis excepit, illum more ſuo inſanire dictitans, et fore, ut male cantata recantare cogeretur. Ut tamen majorem tumultum inde exoriturum impedirent, templo pedem extulerunt; cardinalis ablato ſecum ſacro ciborio, et per urbem ſolemni pompa circumlato, quaſi re bene geſta triumphabundus ad aedeis ſuas perrexit. Lunae die proximo cum offenſioni publicae praevertere, et ſuam, hoc eſt, regiam auctoritatem tueri cuperet ſenatus, convocatis claſſibus, praeſente Alfonſo Ornano equitum tribuno, provinciae per Condaei abſentiam praeſide, cognitore regio audito, et contra cardinalem non ſine acerbitate verborum perorante, decretum factum, quo ille fulminatam a ſe excommunicationem revocare, et inſtrumentum de ea re ſcriptum apud acta curiae intra diem deponere jubebatur; ni pareat, mulctam IV aureorum [β] millium regi exſolvere teneatur. Sanctio praeterea addita, ut nemini archiepiſcoporum et epiſcoporum toto regno liceat regium magiſtratum munere ſuo defungentem, aut alios officialeis diris devovere; ſi contra faciant, X aureorum millibus mulctentur. Inſuper cardinali injungitur, ut ad S. Projecti excommunicationis revocationem in templi pronao publice per ſacerdotem recitandam curet. Id actum menſe Martio, quo tempore et ipſe cum in ſenatum veniſſet, non admiſſus et ad portam ſedere per horam juſſus, coram Ornano a primario praeſide acerbe increpitus eſt, et deinceps conſiderate magis agere juſſus. In aulam ſecundum haec miſſi, qui querimonias utrinque deferrent, inde ab ipſo, inde a ſenatu, Ornano, et urbano magiſtratu; qui nihil niſi recte et ex neceſſitate

ad

VAR. LECT. [α] caeſi; quidam etiam crucis praelatae manubriis egregie dedolati ſunt; caementarius *MS. Reg.* [β] millium, quae ex vectigalibus ejus deradentur, regi *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Geraud de Amalfi Sr. de Seſſac, Doyen.* [b] *Boneau Sr. de Verdun.* [c] *S. Projet.*

CIↃ IↃ CIII.
HENRICUS IV.

ad tumultum ſedandum factum excuſarent. Rex ſolemni formula, ne ulterius ab utraque parte in hoc negotio procederetur, diplomate inhibuit; et aſtu uſurpari pridem ſolito, plerumque cum auctoritatis propriae detrimento, cognitionem ejus ſibi ſumpſit.

VI. NEC omitti debet lis inter plebeium ordinem, quem tertium vulgo vocant, et [a] reliquos duos in Delphinatu, quae longo et contentioſo comperendinata ſufflamine, quod ad provinciae tranquillitatem aut ſuſpenſa, aut deciſa ſpectare videretur, tandem in conſiſtorio regis hoc anno finem accepit, referente Andrea [b] Huralto Meſſio. Querebatur tertius ordo omnia onera provinciae in ſe unum a ceteris rejici, quamvis nullam in honoribus, dignitatibus, emolumentis publicis partem caperent; nec ipſi aut numero, aut opibus pares eſſent ferendo, quippe qui vix ſextam provinciae portionem efficerent. Univerſam provinciam a principio ab illis immunem, hac etiam lege in grandiorem regis filium a principibus ſuis tranſlatam, nunc mutata temporum conditione, ſi novis oneribus gravari illam neceſſe fuit, aequiſſimum eſſe, ut aequaliter illa inter univerſos dividantur, et qui plus aliis dignitate et opibus pollent, ab illis minime ſint immunes. Nullum capitale vectigal, ut in aliis regni provinciis a provincialibus pendi, ſed ratione poſſeſſionum ea imponi, proinde ab univerſis aequaliter ferri debere. Querelae hac ante L annos primum agitatae, et parum aberat res a ſeditione, [c] Morani et poſtea ad [d] Romanium coitione facta. Tandem tranſactione lis finita, anno CIↃ IↃ LIV, quae ſacri conſiſtorii decreto confirmata fuit, referente Michaele Hoſpitalio, qui digniſſimus poſtea Franciae cancellarius fuit; quam, quia in gratiam ſacri ordinis, nobilium, et qui privilegio nobilium ordini accenſentur, pronunciatum fuerat, reſcindi haud minore ſtrepitu nunc petebat, eoque clamoſiore contentionum aeſtu querelae renovabantur, quod ad luendum grande aes alienum per haec bella civilia contractum, plebs ruſtica omnibus bonis a nobilitate quaſi ſpoliata fuerat: contra ſacer ordo ſe praerogativa ſua tuebatur: Nobilitas, quae eadem praerogativa ubique fruitur, invidiam a ſe deprecabatur, et non a ſe per bella plebem ruſticam, ſed ab oppidanis in pace et foeneratoribus exeſam, et vectigal annuum non ratione poſſeſſionum, ſed per capita pendi et per focos, ut vulgo loquuntur, imponi ſolitum, aiebat. Inſuper qui privilegio nitebantur, juris utriuſque profeſſores, magiſtratus, et aerarii curatores, contra tertium ordinem pugnabant, et immunitates ſuas urgebant; tandem factum decretum, quo idem fere quod antea conſtitutum eſt. Nam nobiles tam togati, quam qui militant, eccleſiaſtici item, aliique qui eadem praerogativa nituntur, ab omni onere tam nobilium, quam ruralium poſſeſſionum ratione, immunes declarantur; exceptis iis penſitationibus quae a nobilibus pendi conſueverant; colonis item eorum qui mobilium bonorum et pecoris et mercimonii ratione ad onera ferenda coguntur. Praeſides, conſiliarii, [e] advocati fiſci, et [f] cognitor regius, qui nunc ſunt, a vectigali annuo et onere imponi ſolito immunes pariter pronunciantur, quamdiu munere publico defunguntur, et poſteaquam dignitates ſuas ejeraverint, modo per XX annos eas habuerint: aliis curiae officialibus ab ea gratia excluſis, [g] advocatis etiam conſiſtorialibus, amanuenſibus, apparitoribus, caſtellanis item judicibus, aliiſque inferiorum tribunalium aſſeſſoribus, advocatis et [h] cognitoribus; ſalva [1] Griſivodani ſuccincti quaeſitoris antiqua immunitate. Inſuper ſtatuitur, ut filii illorum praeſidum, conſiliariorum, advocatorum fiſci, et cognitoris regii, qui eadem dignitate funguntur, eadem gratia fruantur,

INTERPR. [a] *la nobleſſe, & le clergé.* [b] *Hurault de Meiſſe.* [c] *Moirans.* [d] *Romans.* [e] *Avocats generaux.* [f] *le procureur general.* [g] *avocats du conſeil, greffiers, huiſſiers, & ſergens.* [h] *procureurs.*

NOT. [1] *dele* Griſivodani. Attendu que dans l'arreſt il n'eſt parlé que du prevoſt general de la province. *Put.*

fruantur, ſi per xx annos munere defuncti ſint, aut eo fungentes deceſſerint; qui ſi deinceps nihil indignum nobilitate privilegio quaeſita admittant, nobiles in poſterum cenſebuntur. Qui vero deinceps eaſdem dignitates obtinebunt, ſi patrem aut avum eadem dignitate praeditos non habuerint, aut alia praerogativa, quae regni legibus et moribus nobilitati principium facit, non nitantur, ab ea gratia excludantur. Idem de rationalium officialibus ſtatuitur: ex curatorum aerarii tribunali, quod ab ea gratia excluditur, antiquior privilegio fruatur. Domeſtici regis, Griſivodani praefecti ſatellites, curſores regii, monetarii et rei tormentariae officiales, ita privilegio fruentur, ut edicti anni CIϽ IϽ XCVIII de immunitate a vectigali annuo facti ratio habeatur, et in eos qui XL abhinc annis beneficio abutuntur, diligenter anquiratur, revocata jam nunc gratia natalium, quae per diplomata ignobilibus ante XXIII annos facta eſt; cujus rex ſibi cognitionem ſumit, ut ex meritis illorum, quibus conceſſa eſt, deinceps in conſiſtorio ſuo ſtatuat. Naturales filii nobilium et officialium ab immunitate excluduntur. Profeſſoribus qui regis et ordinum urbis ſtipendio jus publice Valentiae docent, immunitas confirmatur. Tertius ordo negotiorum communium provinciae ſumptus ſuſtinere jubetur, diſpenſatione ac moderatione penes reliquos duos ordines manente, qui eam ex aequo et bono facere teneantur; addito, ne ſuorum privatim negotiorum onus in eum rejiciant. Poſtremo nobiles ex Septimania et vicina provincia ratione bonorum ruralium xx abhinc annis in Delphinatu acquiſitorum, aut quae deinceps acquirent, ad annuum vectigal pendendum adigantur, modo domicilium in provincia non habeant. Haec pro tempore, ut dignitatum ordo ſervaretur, decreta. Quam graviter id plebs tulerit, vix dici poteſt; ſed in media pace, et ſub praepotenti principe illi patientia pro ſolatio fuit: quae tamen cum ſuos fineis habeat, ii qui rerum ſummae praeſunt, etiam atque etiam videre debent, ne ſaepius tentata illa in furorem et funeſtam ipſi ac totius provinciae ordinibus, ſeditionem aliquando [α] deſinat.

VII. HAUD minore contentione cauſa inter epiſcopum [a] Andegavenſem et S. Trinitatis collegii aliquot [b] ſodales ab ejus decreto ab abuſu appellanteis agitata, per eam ſuperioris anni renovata memoria, quo Recollectos adverſus ſenatum tutatus erat, et aulico favore ejus auctoritatem non ſine regiae majeſtatis laeſura infregerat. Is uſum Breviarii, Miſſalis, et Pſalterii recepti in S. Trinitatis collegio, abolere, et loco eorum inconſultis ſuae dioeceſis ordinibus, atque adeo ſuo metropolitano, hoc eſt, archiepiſcopo [c] Turonenſi, uſum concilio Tridentino probatum introducere voluerat; etiam decreto facto arguebatur, libros alios omneis antiquos, qui divinis officiis ſerviebant, igni aboleri mandaſſe, et ut terrorem refractariis incuteret, Michaelem [d] Suſannam unum ex iis, cum appellationis interpoſitae judicium urgeret, ex alia cauſa ignominioſe Lutetiae prehendi et carcere includi juſſiſſe. Partibus appellantibus ſuffragatus eſt cognitor regius, et pro eo Ludovicus Servinus verba fecit, et quidquam in uſu recepto, niſi permiſſu regis, et conſulto metropolitano, et dioeceſis univerſo ſacro ordine, innovari potuiſſe negavit, his praecipue rationibus: quod ab initio, hoc eſt, Caroli Magni temporibus, uſus diurni in

VAR. LECT. [α] deſinat: magnum perſonarum, ac conditionum in hac civili ſocietate diſcrimen eſt, et eſſe debet; ſed in noviſſimo die cunctos Deus renudata cervice, et ſublato perſonarum diſcrimine ad tribunal ſiſtet, et de dictis factiſque, etiam cogitationum rationem [β] exiget. Haec ſecum reges ac magnates, quos vitae, neciſque, ac fortunarum, dum hic ſunt, arbitros Deus conſtituit, diligenter reputent; et charitatis opera in hac vita, ſi fidei fructus in altera ſe decerpturos ſperant, mature exerceant; mitiuſque cum tenuioribus, quos Chriſtus aeque ſanguinis ſui pretio redemit, agere, hoc eſt cum fratribus et regni aeterni coheredibus, diſcant. Haud minore contentione *MSS. Reg. Put. & Rig.*

[β] exiget; et qui bene fecerint, ad regni partem vocabuntur; qui ſecus, in ignem aeternum ibunt, ubi fletus et indeſinens ſtridor dentium. Haec *MS. Reg. Autog.*

INTERPR. [a] *d'Angers.* [b] *Chanoines de la Trinité.* [c] *de Tours.* [d] *Suſanne.*

CIƆ IƆCIII. in eccleſiis officii introductus ab eo eſſet, qui eum a Stephano papa accepiſſet, ſicuti
HENRICUS IV. a Walafrido Strabone ſcriptis mandatum eſt. Itaque regis auctoritatem ea in re intervenire debuiſſe. Per cc amplius annos uſum in Andegavenſi diœceſi receptum invaluiſſe, et Pii v conſtitutione ſancitum eſſe, ut ab recepto per tot annos uſu non recedatur, ſed ſi quid in eo mutandum ſit aut delendum, id ab epiſcopo ex collegii ſui conſilio fiat. Idem olim temporibus Gregorii vii et Urbani ii, qui Gregorio ſucceſſit, in Hiſpania tentatum fuiſſe, et eo contentionem, cum de Gallicano et Toletano officio certaretur, animoſe deveniſſe, ut res duello dirimenda cenſeretur, et utriuſque officii poſtea probatio ignis arbitrio commiſſa ſit, ſicuti a Roderico archiepiſcopo Toletano in hiſtoriarum libro ſexto, proditum fuit. Itaque cum anno CIƆ IƆ LXXXIII ea de re Lutetiae actum eſſet, et epiſcopus eccleſiaſticarum precum libros auctoritate Tridentini concilii recognitos introducere cuperet, prudentiſſime primum ſui collegii ſodaleis conſuluiſſe. Illos autem poſt ſolemnem deliberationem ita cenſuiſſe, eam Breviarii et Miſſalis Pariſienſis antiquitatem eſſe, a pontificibus Romanis ſemper probatam; praeterea ceremonias ejus et ritum, qui non ſolum in Gallia, ſed in omnibus orbis Chriſtiani eccleſiis ſuper reliquos ſemper excelluit, tanta in admiratione et praecipuo cultu fuiſſe, ut continuari potius quam aboleri debeant, et ita tenuiſſe. Additum et theologos Pariſienſeis pariter ab epiſcopo conſultos reſpondiſſe, varietate illa, quae in diverſis orandi formis cernitur, a ſapiente providentia ſuavem eccleſiae concentum temperari; ſublata illa, induci perturbationem cum ratione et cum fide per charitatem operante pugnantem: nam rationem inferiorem debere conſentire cum ratione aeterna: quae varietatem in conditu univerſi poſuit ab initio, ut ſit diſcors concordia, et ut magis excitemur ad virtutem. Cum enim diverſa et varia, ac denique plura exempla videamus, varietate illa ſublata, minui Dei optimi maximi gloriam, ſanctorum cultum, et Chriſtianorum, qui exemplis inflammantur, aedificationem; minui item epiſcoporum et diœceſium auctoritatem; eos, qui hanc ſublatum eunt, non eſſe ſimplices et devotos ſeu ſpiritualeis, ſed aſtutos, politicos, qui ex re qualibet, quovis modo rem facere conantur. Omnem ut novitatem ſuſpectam, ita talem mutationem non poſſe eſſe ſine detrimento magno. Id fovere cantorum et eccleſiae inſervientium inobedientiam et diſciplinae ſolutionem, ſi unum et idem ſit omnium eccleſiarum officium. Quot porro ſumptus faciendos? Ruſticos minime poſſe in officio peragendo, quod tamen ſumme in pagis neceſſarium eſt, plebanos ſuos adjuvare. Spiritus Sancti gratia factum, ut magnalia Dei omnibus linguis ubique perſonarent; idque argumentum eſſe varietatis, ut in univerſo, ita in ſingulis corporis humani membris Deo placentis; ſanctos patres, qui ſapientia, prudentia, virtute, ac donis S. Spiritus prae hominibus hujus ſaeculi praecelluerunt, juſtis de cauſis ſingula conceſſiſſe ſingulis diœceſibus officia. Mirari debere Galliam ſuum Marcellum, ſicuti miratur ſuum Silveſtrum Roma. Tali mutatione Sectarios exultaturos, quaſi in errore aut inſcitia hactenus talis momenti in re fuerint patres Catholici; et ad offenſionem piorum et Catholicorum id pertinere, qui ſcrupulo poſſent attineri de ipſa fide ac religione, cujus conſuetam profeſſionem nulla juſta de cauſa immutatam viderent. Quid praeterea utilitatis ad eccleſiam hinc redundare? Reliquos epiſcopos habere poteſtatem publicae rei in diœceſibus ſuis ordinandae, aeque ac Romanum in ſua; quod ſi mutatio haec toleratur, plane convelleretur. Quare enim amplecterentur officium Romanum, quod a paucis annis ter immutatum ac derelictum fuit? Succedente novo pontifice, novum forſan exſpectandum officium. Hoc libertatem Gallicanae eccleſiae labefactare, quae ſi in tanta re ſe Romanae ſubmittat, procul dubio fore, ut in ceteris ac reliqua omni politia ſe ſummittat: nam quod principale eſt acceſſorium ſecuturum; unamquamque

eccleſiam

eccleſiam ac provinciam gaudere ſuis ritibus; eccleſias pagorum ſaepe non ſequi cathedralis ſuae ordinationem, quo minus cathedraleis debere ſequi Romanae eccleſiae breviarium. Avaritia et ambitione id a Romanis fieri, qui hoc tantopere urgent, alios ſumptum timere, alios adulari et lucrum ſperare, alios occulte et aſtute cultum et ſplendorem Catholicae profeſſionis imminuere, et pacem Catholicae eccleſiae turbare: proinde ſatis videri, ut corrigantur, idque prudenter et non curioſe aut ſcrupuloſe nimis, ſi quae indigent correctione, in dioeceſium officiis; non autem deſerantur. Alioqui concionatores et plebanos non tam facile populos edocturos, utpote peculiarium ſanctorum vitas ignorantes peculiaribus ſuis locis magis celebrium: Deum optimum maximum ubi ſanctos dedit, ibi quoque velle per illos invocari a fidelibus populis: peculiarium ſanctorum cultu abjecto, ſuffragia eccleſiae magna ex parte imminui. In terra diverſorum fructuum arbores ac ſemina nutriri, Deum optimum maximum, ut ex decimis ac primitiis, ſic ex diverſis diverſarum provinciarum cultibus, hoc eſt, ex peculiarium ſanctorum per ſingulas regiones veneratione coli ac laudari velle. Non abeſſe ab impietate, illorum memoriam in terris ſepeliri, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitae, et in coelis glorioſa. Quid ergo inde provenire, niſi Romanae non dico religionis, ſed ſuperbiae et ambitionis augmentum? Non igitur cedat criſta Gallica Romano ſupercilio; quippe non heic de religione, ſed de ſuperbia aſtuta agi. Ubi enim minus quam Romae conciliorum oecumenicorum decreta ſervari? An non hoc eſſe, in clerum dominari potius, quam eccleſiam aedificare? Proinde vitandos, qui mutant tempora et leges, juxta Danielis ſententiam; et hoc cum Dei verbo firmiter tenendum, eum ſolum, qui uſque in finem perſeveraverit, ſalvum fore. Perſeverantiam autem non eſſe obſtinatam ad profanas novitates voluntatem, ſed in antiquitate religioſe retinenda conſtantiam. Haec tanquam ex archivis collegii Sorbonici deprompta; quae quoniam tunc evulgata ſunt, et materiam clamoſae querimoniae poſtea praebuerunt, heic praetermittere non potui; quippe quorum poſt biennium memoriam ex occaſione repeti neceſſe erit. Congeſtae et Dominici a Soto, qui Carolo v a ſacris confeſſionibus fuit, viri religioſi, et Martini doctoris Navarri, et poſtremo cardinalis Bellarmini auctoritates et teſtimonia. Cum epiſcopus male ſe citatum diceret, ſenatus decrevit, audito cognitore regio, ut ad appellationem reſponderet; cum tempus peteret, denuo regio cognitore inſtante, eremodicium ab epiſcopo contractum pronunciavit, et male et abuſive ab eo decretum, et bene ab ipſo appellatum, et ne quid in libris divini officii in ſua dioeceſi ſine regis auctoritate innovaret, inhibuit; de reliquis, quae a cognitore regio petebantur, amplius deliberaturus. Nam inter litigandum contentionum aeſtu ab appellantibus confirmatum fuerat Chriſtophorum [a]Augerium epiſcopi poenitentiarium, cum Julianum [b]Gueſdonem, qui de rege occidendo conſilium ceperat, ob idque poſtea ad mortem damnatus fuerat, ad ſacram confeſſionem admiſiſſet, et ex confeſſione id reſciviſſet, deteſtandum ejus conſilium non revelaſſe.

VIII. Hoc anno x Kal. Dec. mane regina filiam, ut ſuperiore anno Delphinum, felici partu Lutetiae in [c]Lupara, enixa eſt: ut non ſolum per mares columina ad firmandam in regno ſucceſſionem, ſed etiam ad jungendas adfinitates, quod in magno imperio requiritur, per foeminas inſtrumenta ſuppeterent.

IX. Poſt diſceptatum multoties ſcriptis et in conventibus jus ſuum, ſicuti diximus, Sabaudus cum apud ſe decreviſſet, quacunque ratione poſſet Genevam in poteſtate habere; ſic rem inſtruit, ut dum per delegatos, ac praeſertim per praeſidem

[a] Rochetum

INTERPR. [a] *Auger.* [b] *Gueſdon.* [c] *le Louvre.*

CIↃ IↃCIII. HENRICUS IV.

[a] Rochetum de commercii libertate cum Genevenſium republica agit, copias [b] Camberii coactas ad vim faciendam paratas haberet. Summae rerum praeerat Carolus [c] Simiena Albinius: [d] Brignoletus [e] Bonae praefectus praecipuus dux et auctor diſpoſitis excubiis ultro citroque commeanteis ſiſtebat, ne quis ad urbem index pervaderet. Sabaudus ipſe cum paucis, quo magis lateret, [f] Auguſta Taurinorum XVI Kal. Januarias profectus, ultra montes erepit, et ad [g] Tremblerias, pagum leucae ſpatio diſſitum, quarto poſt die venit, ut eminus rei eventum opperiretur. Per [h] Arvae ripas copiae incedere juſſae, ut ſtrepitu aquarum inter ſaxa labentium, quo minus audiri poſſet armorum fragor, impediretur. Inde tranſmiſſo Rodano ad [i] Plani-Palatii pratum conſiſtunt, et ad [k] Corrateriam media nocte per craticulas, ut lutoſas voragines eluctarentur, appellunt. In ea urbis parte a Corrateria turre longus murus ad [l] propugnaculum Anſerinum porrigitur, cui area pari longitudine ſubeſt, antiquo urbis pomoerio ſubſtrata. In eo muro binae ſunt ſpeculae, in altera vigiles ſtabant, altera neglecta fuerat, quod turri propior eſſet. Juxta eam ſcalae novo artificio fabricatae admoventur: nam et mulis portari poterant, et ternae tanta firmitudine inſeri, ut pondere minime flecterentur, aut gravarentur; ima unco ferreo in terram adacta, ne loco moveri poſſet, mediae tranſverſo clathro ferreo per ſumma capita connectebatur; et rurſus media, clathro item tranſverſo ferreo, ſummae pariter apta commiſſura jungebatur, et ad murum fiſtucis applicabatur: ſumma autem cochleis binis ſeu rotis panno coactili, ne fragorem ederent, involutis, pinnas muri attingebant. Summo ſilentio per unam ex illis CC delecti enituntur, duce Brignoleto, qui [m] vigilem excubitorem occupat, et [n] teſſeram mortis metu intentato prodere juſſum, de muro pugione confoſſum dejicit; in veſtigioque circuitores exſpectare certus uſque ad alteram poſt mediam noctem horam manſit: cum eos pari aſtu deturbaſſet; puer qui laternam praeferebat, periculum evaſit, et in urbem ſubito profectus, ad arma ſumenda civeis excitavit. Idem ab excubitore, qui in turri monetaria ſtabat, ſcloppeto diſploſo factum: quo animadverſo Brignoletus, qui horam quartam exſpectabat, ne per longiores tenebras aliquid inopinati, ut fit, ſuboriretur, non amplius cunctandum ratus, praeſidium ad portam novam collocatum aggreditur, et crepitaculo affixo ingreſſum univerſis copiis, quae ad Plani-Palatii pratum remanſerant, aperire ſtatuit. Trucidatis ſeu diſſipatis cuſtodibus unus ex iis in ſummam portam enixus raſtrum demiſit: continuoque in urbe armis arreptis huc illuc magno ut in nocte tumultu diſcurritur, confuſique mulierum et puerorum inde clamores, inde gemitus et ululatus exaudiebantur. Verum Sabaudi qui fere jam CC ingreſſi fuerant, ſubito occurſu turbati, non jam conferti reſiſtere, ſed relictis ducibus fuga ad ſcalas quaſi conatu irrito repedare coeperunt, quas tormentis interim ex Anſerini propugnaculi laevo latere diſploſis confractas repererunt. Itaque LIV cum effugium non haberent, deſiderati, XIII circiter capti, in iiſque [o] Attiniacus a ſuis deſertus, inſigni [p] Mauritianae militiae prius caloni tradito, qui fortiſſime certans tandem in manus Genevenſium devenit. Capti item [q] Sonnas, et Schaffardonus mane, qui in Dominicam incidebat: poſt prandium, in conſilium itum, et quid de captivis ſtatuendum eſſet, ſerio deliberatum fuit. Alii mitius agendum cenſebant, et quibus belli fortuna pepercerat, in eos quidquam gravius decernendum negabant. Alii ſub cuſtodia tenendos aiebant, ut ſi res ad bellum deveniret, obſides vitae ac vades civium eſſent. Sed incenſis animis et tanto periculo exaſperatis vicit ſeverior ſententia, quae eos tanquam

INTERPR. [a] *le preſident de Rochette.* [b] *Chambery.* [c] *de Simiane d'Albigny.* [d] *Brignolet.* [e] *Bonne.* [f] *Turin.* [g] *Tremblieres.* [h] *Arve r.* [i] *Plain-Palais.* [k] *du coſté de la Corraterie.* [l] *boulevart de l'Oye.* [m] *la Sentinelle.* [n] *le mot.* [o] *d'Attignac.* [p] *Ordre de S. Maurice.* [q] *de Sonnas, & de Schaffardon.*

tanquam foedifragos latrones, et publicae tranquillitatis turbatores, morti addixit. Igitur iis ſtrangulatis, ac pariter aliis, qui in conflictu ceciderant, capita abſciſſa, et in propugnaculo Anſerino ad horrorem ſuſpenſa. Corpora in profluentem proximum merſa. Ex urbanis XVI interfecti, et in iis [a] Canartius ex patritiis, et Marcus [b] Cambiagus. Inde magiſtratus ad Philibertum [c] Guichium [d] Lugduni regium praefectum dat literas, et de ſucceſſu eum docet, et bis mille delectos in ea expeditione numeratos dicit; petitque, ſiquidem Sabaudus poſt irritum conatum nocturnum aperta vi obſidionem tentare, in animum inducat, ſibi, ut viribus regiis praeſto eſſe non cunctetur; nam quid periculi damnique regis regnique rebus amicae urbis amiſſione impendeat, minime ipſum ignorare. Sabaudus copiis [e] Thononii et Ternii ac per [f] Foſſiniacum agrum diſtributis per diſpoſitos equos actutum Alpeis repetit; per legatos ſuos apud Bernates facto excuſato, quaſi non ut publicam foederatorum pagorum quietem turbaret, ſed ut Diguierii, qui urbi cum copiis regiis inſidiabatur, conatibus praeverteret, expeditionem ſuſcepiſſet: et verendum non ſolum ſibi, ſed ipſis ſummopere fuiſſe, ne tam potentem vicinum haberent. Rex cognita re ſtatim ad Genevenſeis ſcribit, et de ſucceſſu gratulatus, ſi quidem Sabaudus obſidionem tentaret, mandaſſe ſe dicit praefectis ſuis in [g] Sebuſianis et vicino limite, iis ut cum omnibus copiis praeſto ſint. Inde excurſionibus utrinque certatum, ſed exiguo ſucceſſu. Mericus [h] Vicus, qui apud Helvetios oratoris munere fungebatur, cum inde diſcederet, ad eos proficiſci juſſus, et animos civium ad pacis conſilia inclinare. Accenſo quippe bello Hiſpanos non quieturos apparebat, et pontificius legatus eventum veritus apud regem inſtabat, ne ex ea cauſa ambo principes arma Chriſtiani orbis bono poſita reſumerent. Cum multi inter eos cum hoſte toties reconciliato, et nunquam quieſcente bellum tutius quam pacem ducerent, rex, qui periculum ſociorum negligere non poterat, et ſi in bello illi perſeverarent, ſibi in armis eſſe impoſitam neceſſitatem videret, onus et invidiam deprecatus, per [i] Baſileenſes, Schafuſianos, Claranos, et Appecellenſeis cum iis agit, eodemque tempore cum Sabaudo, ut pacem quam bellum mallet, quod non cum Genevenſibus, ſi ultra tenderet, ſed ſecum habiturus eſſet. Tandem ille, qui initio querelas aeque ac vireis minaſque illorum inſuper habuerat, ubi vidit regem patrocinii ſuſcepti ratione, huic bello ſe paratum immiſcere, conditionem accepit, et [k] Romillium, quo Genevenſium delegati venturi erant, [l] Albinium miſit, et poſt acerbas utrinque altercationes, conventus ad Juliani-fanum tranſlatus; ubi tandem inter partes convenit XII Kal. Sextil. et tractatus perſcriptus XXII capitibus conſtans: Quo commercii libertas ante omnia conſtituitur, ſalis uſu excepto, judicia utrinque bellorum occaſione facta revocantur. Bona ac poſſeſſiones belli tempore occupatae in [m] Chablaſienſi principatu, et [n] Ternenſi et Gallardenſi praefecturis, ſine mora aut tergiverſatione reſtituuntur, viciſſim Genevenſeis [o] Geneſii-fanum cum territorio ſuo reſtituere tenentur. Controverſiae de S. [p] Victoris et [q] collegii terris ſuſpenduntur, et eodem ſtatu quo erant anno CIↃ IↃ LXXXIX, quo bellum coepit, indeciſae remanent. Iis, qui hoc bello Genevenſium partes ſecuti ſunt, a Sabaudo fit gratia; praeterea iis, qui religionis cauſa alio migraverunt, bona reſtituuntur: et ſi quidem eam religionem profiteri velint, retinere bona ſua ac poſſeſſiones poterunt, et de iis arbitrio ſuo ſtatuere, et quater in anno ad eas venire, ſinguliſque vicibus per ſeptem dies, in iis ſalva conſcientiae libertate commorari: quo tempore nulla inquiſitione vexabuntur, dummodo nihil agere comperiantur, quod dogmatis ſui

CIↃIↃCIII.

HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Canart.* [b] *Cambiague originaire de Cremone.* [c] *de la Guiche.* [d] *Lyon.* [e] *Thonon & Ternier.* [f] *Foſſigny.* [g] *Breſſe.* [h] *de Vic.* [i] *ceux de Baſle, Schaffhouſe, Glaris, & Appenzell.* [k] *Ro-milly.* [l] *d'Albigny.* [m] *duché de Chablais.* [n] *mandement de Ternier & Gaillard.* [o] *S. Genis,* [p] *S. Victor.* [q] *le Chapitre.*

ſui per ſecretas inſtitutiones ſparſi ſuſpicionem faciat. Privilegia, immunitates Genevenſibus a Sabaudi deceſſoribus conceſſae denuo confirmantur; alienationes et conceſſiones a Bernatibus factae, dum praefecturas occuparent, ratae habentur; ſi qui inde expulſi fuerunt, quamprimum reſtituentur. Perſecutiones in jure et citationes addito temperamento mitigantur. Proſcriptiones occaſione hujus belli revocantur, et irritae declarantur. Per contumaciam decreta reſcinduntur. Fructuum ex bonis ſacris et aliis a Genevenſibus ab anno CIƆ IƆ LXXXIX perceptorum perſecutio ceſſabit. Sabaudus intra IV leucas ab urbe Geneva nullos delectus habebit, nec ulla loca muniet. Utrinque captivi dimittuntur, impenſis ex aequo perſolutis. Genevenſes Vervinienſi pacificatione comprehenſi intelliguntur. A Sabaudo hoc tractatu pontifex, Caeſar, ambo reges, et foedera, quae ille cum Hiſpaniae corona habet, nec non cum pagis Helvetiorum comprehenſa intelliguntur; a Genevenſibus Caeſar et Imperium Romanum, rex Chriſtianiſſimus et foedera, quae ipſi cum pagis Helvetiorum et ſpeciatim cum [a] Tigurinis et Bernatibus habent. Subſcripſere Carolus [b] Rochetus praeſes, Claudius Pobelus Petrae baro, Sabaudi nomine; Genevenſium Dominicus [c] Chabraeus, Michael [d] Roſetus, Jacobus [e] Lectius ſyndici et conſiliarii reipublicae, Joannes [f] Saracenus ſtatus amanuenſis, et [g] Joannes a Normandia juriſconſultus, et in magno urbis conſilio aſſeſſor. Subſcripſere et Helvetiorum qui aderant legati, Clarenſium pagi nomine Jo. Henricus [h] Schwartius, Nicolaus [i] Schuletus, Baſileenſium Jacobus [k] Golzius, Andreas [l] Riffus; [m] Soloturnenſium Petrus [n] Surius, et Joannes Jacobus a [o] Stalo eques; Schafuſenſium Georgius [p] Medelus et Henricus Schwartius juriſconſultus; Appecellenſium [q] Ulricus Naſus, Joannes [r] Hamus eques, et Sebaſtianus [s] Thorigus. Pacta conventa Sabaudus quatriduo poſt [t] Auguſtae Taurinorum rata habuit.

X. Annus apud nos, ut ſuperior, a ludis incepit, et per pompas nocturnas et choreas et inter comoediarum Italicarum recitationes hyems in aula exacta. Exeunte Januario diploma in ſenatum allatum fuit, quo rex naturalem filium ex Henrica Balſaca ſuſceptum, quem Gaſtonem a [v] Fuxo nominavit, renovata per illud nomen famoſiſſimi ducis cognati ſui memoria, legitimum declarabat; in id, ut bona poſſidere, hereditates privatas capere, et honores ac dignitates adipiſci poſſet. Id tacito curiae decreto firmatum, et in acta relatum, audito cognitore regio, XV Kal. Feb. et in [w] rationalium item camera ſeptimo poſt die, et poſtremo in archiva regia relatum; re, de legitimi nomine, jam praejudicata, in cauſa Vindocini, qui eandem gratiam, nulli antea conceſſam, ab indulgentiſſimo parente meruerat. Inde rex cum regina in [x] Mediomatrices ineunte Martio profectus eſt, ut inde vicinior Catharinam ſororem, quae Nancii erat, et uterum geſtare dicebatur, inviſeret, et in provincia res ordinaret. In ea ſub Eſpernonio Raimundus [y] [1] Convena Sobolius arcis et urbis praefectus, ab ipſo olim Henrico III rege impoſitus, primas tenebat; homo bonus et ſtrenuus et ultimis bellis fidei perſpectae, ſed qui plus nimio fratri tribueret, homini avaritiae impotentis, qui claudus vulgo vocabatur. Itaque ab eo ſibi perſuaderi paſſus eſt, dum ſecuritati locorum fidei ſuae commiſſorum ſtudet, occultas

INTERPR. [a] *Cantons de Zurich & de Berne.* [b] *le preſident de la Rochette, & Pobel baron de la Pierre.* [c] *Chabrey.* [d] *Rozet.* [e] *Lect.* [f] *Saraſin.* [g] *Jean de Normandie.* [h] *Schwartz,* [i] *Schuleu.* [k] *Golz.* [l] *Riff.* [m] *Soleurre.* [n] *Surich.* [o] *de Stall.* [p] *Medel.* [q] *Ulrich Quaf.* [r] *de Ham.* [s] *Turich.* [t] *Turin.* [v] *de Foix.* [w] *chambre des Comptes.* [x] *Mets.* [y] *de Comminges Sr. de Sobole.*

NOT. [1] M. de Thou confond enſemble deux affaires de Mets. Cette pretendue conjuration des principaux habitans de la ville, & intelligence avec le comte de Mansfeld, gouverneur de Luxembourg, fut decouverte l'an 1601, & M. le preſident Myron y fut envoyé pour ce ſujet. L'an 1603, la mauvaiſe intelligence continuant entre le Sr. de Sobole & les habitans, le roy fut obligé d'y faire un voyage, où il oſta ledit Sr. de Sobole, comme il eſt ici marqué. *Put.*

occultas molitiones cum [a] Theodonis villae ac vicinis Lucemburgicae ditionis praefectis agitari, conſciis aliquot opulentis civibus; in eos ſevere admodum actum, nec ſervato judiciario ordine, plerique crudeliter torti; ita ut Petro Janino primum, dein Roberto Myrone eo miſſis, vix tandem rex violentiam eorum coercuerit. Res tandem ad Pariſienſem ſenatum remiſſa, qui de ea diligenter ac ſumma ſolicitudine cognovit, et quamvis debiles admodum, atque adeo ſuſpectae probationes eſſent, auditis reis, ut in tanti momenti crimine, minime eos quaſi innocenteis abſolvit, ſed amplius anquirendum ſtatuit; verum liberos dimiſit, et civitati, bonis ac dignitati reſtituit. Nam quidam ex iis regio magiſtratu fungebantur; inde odium et ſimultatum igniculi, quamvis eo judicio aliquatenus ſopiti, ad omneis occaſiones inflammabantur. Eſpernonius, qui urbi et arci Sobolios impoſuerat, quod eos non ſatis morigeros, ut ſibi videbatur, aliquoties expertus eſſet, loco movere ſtatuerat; ſed cum provideret, hoc ſi faceret, regem alios impoſiturum, qui minime, ut illi, hoc ſibi beneficium eſſent debituri, rem diſtulerat; et ſemel, dum valetudinis cauſa ad aquas [b] Tungrenſeis proficiſceretur, atque iterum [c]Diviodurum venerat, et diſſidium inter civeis et Sobolios componere aggreſſus fuerat. Cum fruſtra fuiſſet, rex eo venit, qui interim [d] Varano ad eum miſſo cum Sobolio convenerat, et Soboliis amotis Fr. [e] Grangaeum Montinium urbi, [f]Arcianum fratrem bello ſtrenuum virum et ſibi fidum arci praepoſuit. Antequam rex urbem ingrederetur, Sobolius arcem tradiderat, ſicuti Varano receperat, ut obſequio potius, quam vi coactus id feciſſe videretur. Fama adventus regis per limitem ſparſa, vicini Germaniae principes certatim ad ſalutandum ipſum ſe comparabant, et jam ſuos praemiſerant, qui a metatoribus regiis hoſpitia acciperent. Sed mox contraria fama ſparſa, de brevi iis locis mora, plerique conſilium mutavere: ſoli Mauritius [g]Heſſorum princeps, [h] Baioarus Palatinus Neoburgi dux, Pomeraniae princeps, et ab archiepiſcopo [i] Trevirenſi ſeptemviro delegatus venere. Iis conſultis rex motum bellicum iis locis pridem excitatum compoſuit. De epiſcopatu [k] Argentinenſi adhuc contendebant Carolus Lotaringus cardinalis, et Jo. Georg. Brandeburgicus, ſicuti in ſuperioribus demonſtratum eſt; et huic in occulto rex favebat, neque illum propter geminatam cum Lotaringiae duce adfinitatem a ſuo patrocinio aperte rejiciebat. Itaque arbitri partes ſibi ſumpſit, et partem poſſeſſionum urbi vicinarum Brandeburgico, ut minus Argentinenſibus ſuſpecto, attribuit, partem cardinalem poſſidere [α] juſſit. Per [l] Virodunum Lutetia veniens rex iter habuerat, ubi Jeſuitarum inſignis ſchola eſt, et frequens; qui poſt demiſſam ſalutationem a rege, verba faciente Carolo [m]Turriano ſcholae rectore, ſuppliciter petierunt, ne ſenatus-conſulto Pariſienſi, quo toto regno expulſi erant, comprehenſi cenſerentur. Perbenigne acceptis rex reſpondit, ita nolle eos S. C. comprehendi, dummodo juventus, quae ad [n] Muſſi-pontem literis operam navabat, inde Virodunum migraret. Neque enim iis male velle, et benevolentiam pollicitus bene erga ſe affectos eſſe juſſit. Cum hoc reſponſo dimiſſi, a Varano, qui eorum reſtitutionem urgebat, monentur, regem non de [o] ſchola Virodunenſi tantum conſervanda, ſed pridem a ſe et iis qui circa ipſum erant, exoratum, de illis toto regno reſtituendis ſerio cogitare. Itaque confeſtim ad Muſſi-pontem conveniunt, et ex Varani conſilio, ſolemnem ad regem legationem adornant; cui obeundae deſignati Ignatius Armandus provincialis, [p] Caſtellarius, Broſſardus, Turrianus.

XI.

VAR. LECT. [α] juſſit; qui Zabernis inde ſemper domicilium paratum habuit, cum ſacri collegii ſodalibus majorum religioni addictis. Per Virodunum *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Thionville.* [b] *eaux de Spa.* [c] *Metz.* [d]*Fouquet Sr. de la Varane.* [e] *de la Grange Sr. de Montigny.* [f] *d'Arquien.* [g] *Landgrave de Heſſe.* [h] *de Baviere comte Palatin, duc de Neuburg.* [i] *de Treves.* [k] *de Strasbourg.* [l] *Verdun.* [m] *de la Tour.* [n] *Pont à Mouſſon.* [o] *college de Verdun.* [p] *Chaſtelier, Broſſart, & la Tour.*

CIↃ IↃ CIII.

HENRICUS IV.

XI. Secundum hacc [a] Diviodurum venerant, et tempus idoneum nacti in profeſto Paſchali, cum feria quarta rex ac regina pro more in lavandis pauperum pedibus ſolemni ceremonia defungerentur, ſacro interfuerant, et poſt prandium a Varano ad regem, cum quo [b] Eſpernonius, [c] Villaregius, et [d] Gevreus a ſecretis epiſtolis erant, introducti ſunt, ubi Ignatius cum ſociis in genua primum procumbens, mox ſurgere juſſus talem orationem [α] habuit: Poſtquam, Domine, ita Deo placuit, ut tibi victoriam annueret, et legitimae ſucceſſioni ac virtutibus tuis debitum ſceptrum reſtitueret; in tuo vultu ac moribus mirati ſumus eximias virtutes omneis, quae per praeteriti temporis repetitam memoriam in magnis principibus ubique commendantur, et inter eas clementiam illam vere nobilis ac generoſi animi notam inſignem, qua poſt tot laureas ac triumphos de hoſtibus partos erga victos et offenſione obnoxios uſus es; ex eaque jam tum ſpem concepimus, fore, ut eandem clementiam ac benignitatem erga nos experiremur: quod et ad aliquot dies ſucceſſit. Verum, ut res humanae mutant, ſub id cum in eo eſſemus, ut cultu et aſſiduitate noſtra devoti erga majeſtatem tuam animi et principi a ſubditis debiti obſequii fidem faceremus, res incidit, quae conſilia noſtra conturbavit, et teſtandi obſequii gloriam nobis invidit. Hoc tamen religioſe affirmare vere poſſumus, inter tot adverſa, tot obtrectationes ex falſis rumoribus domi, et per exteras nationes a malevolis contra nos excitatas, nos nunquam patriae charitatem amiſiſſe, nunquam animi erga tuam majeſtatem fidum affectum depoſuiſſe, aut ſpe conſtanti excidiſſe, quam de tua clementia ac benignitate ab initio concepimus, qua et futurum confiſi ſumus, ut tempus veritati tandem lumen praepanderet, et bellorum tempore contractum injuriarum ſenſum apud te ſenſim deleret. Ea ſpe nos ab eo tempore ſuſtentavimus, in majus aucta, poſtquam ad hunc limitem veniſti. Quapropter nunc ad majeſtatis tuae pedes nos proſternimus, et ſupplices petimus, ne ſperatum beneficium, pro quo toties et aſſidue huc uſque expoſtulavimus, ulterius differre velit, nobiſque per illud materiam praebeat, ubique jactandi vanas non fuiſſe ſpes noſtras; quippe quae magni regis bonitate niterentur, noſque tanquam humillimos ſubditos in gratiam ſuam recipiat, nihil aliud in votis habentes, quam ut cultu et obſequio fidem noſtram tibi approbemus. Nihil enim triſtius nobis accidere poteſt, quam ſi propter regis noſtri indignationem prohibeamur, patriae, qua poſſumus tenui a Deo conceſſa induſtria, et juxta munus, ad quod ille nos vocavit, pro modulo noſtro ſubvenire. Multa jactari contra nos minime ignoramus, ut alii quam ſumus eſſe videamur, objectis criminibus horrendis erga principem et patriam, quaeque nos tanquam execranda deteſtamur; et quorum ſi conſcii eſſemus, nos ipſi non ſolum patria excludi debere, ſed etiam orbe univerſo exterminari tanquam vita indignos judicaremus. Praeterea voti a concilio generali et tot pontificum ſuffragio ac regum deceſſorum tuorum conſenſu probati invidia oneramur, quaſi per illud ad ea, quae Dei voluntati et rationi repugnant, erga generalem noſtrum obligaremur. Nam ab illa obedientia, quam ſuperioribus debemus, per noſtras conſtitutiones ſemper excipitur, quicquid ad Dei offenſionem vergit, neque quemquam aliter exiſtimare credimus. Et qui fieri poſſet, ut ex tot hominibus, qui ſalutis ſuae cupidi in noſtram ſocietatem migrarunt, vel unus in ea remaneret, ſi quid tale in nobis animadverterent, quod non obedientiam, ſed meram impietatem redoleret? Neque vero quiſquam ex iis, qui a nobis exierunt, quantumvis iniquus hactenus repertus eſt, qui dixerit obedientiam illam, aliqua in re ſubjectioni, quae regibus et magiſtratui debetur, repugnare; multo minus nos impellere, ut conſilium cuiquam demus,

VAR. LECT. [α] habuiſſe dicitur. *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Metz.* [b] *le duc d'Eſpernon.* [c] *de Villeroy.* [d] *de Geſvres, ſecretaire d'Etat.*

demus, quod tuae majeſtati aut ejus imperio praejudicet. Multi et tibi, Domine, perſuadere conati ſunt, nos id agere, ut nobiles, ac opulentis prognati familiis pueri, in ſocietatem noſtram aggregentur, quo ex eorum bonis ditiores evadamus. Atqui hoc inſtituto noſtro valde reſiſtit, qui nullos in noſtram ſocietatem admittimus, niſi prius longo tempore ac diligentia explorata eorum voluntate, utrum ſcilicet eorum vocatio a divina proveniat inſpiratione, an ab hominum ſuaſu; idque ſaepius per triennium, atque aliquando per quadriennium: quod vero a Deo non provenire deprehenditur, ilicet rejicitur, cum id unum ſit praecipuum, atque adeo eſſentiale in noſtra ſocietate, ut nulli temere ad eam admittantur neophyti. Idque praepoſiti noſtri ſedulo cavent, ne quis quemquam ad religioſae vitae profeſſionem amplectendam hortetur; tantum curae ſuae commiſſos ad virtutem et literas diſcendas excitet, integra Sancti Spiritus ad perfectionem evangelicam, et ſequenda conſilia Dei relicta vocatione. Quo fit, ut exiguus in Francia ſit eorum, qui in noſtris militant collegiis, numerus, nec viceſimam partem efficiat, ad aliorum collegia comparatus; et ſi quidem ad amplectenda ejuſmodi vota pueri ſolicitarentur, aliam, cui nomen darent, profeſſionem potius eligerent. Quod vero ex eorum bonis, qui ad nos veniunt, diteſcamus, haud multis verbis opus eſt, ut id falſum eſſe oſtendatur. Exigua ſunt admodum, quae inde nobis bona obvenerunt, vixque collegium ullum reperias, cujus vectigalia oneribus ferendis ſufficiant; et pleraque ſunt, quae tantum piis ac devotorum largitionibus ſuſtentantur. Ipſum Pariſienſe, quae metropolis totius tui regni eſt, etiam comprehenſis legatis ab [a] Santandreano et Hennequino praeſidibus aliiſque undecunque profectis, haud plus III librarum CIↃ annui reditus poſſidet, quae vix XX hominibus alendis ſatis eſſe poſſunt, cum LX ad minus librarum millia in tanto collegio, ubi cunctarum facultatum artes docentur, neceſſaria eſſent. Multi ex illa urbe etiam opulenti noſtrae ſocietati nomen dederunt, qui ne quidem terrae pedem nobis reliquerunt. Si quid dederunt, ad ſupplendam collegii egeſtatem eleemoſynae modo datum, nec octavam patrimonii partem exceſſit. Idque fere cum bona gratia et ex conſenſu heredum factum. Quae collegia vectigalibus abundant, ab iis nihil exigitur; et liberum eſt noſtris de bonis ſuis ſtatuere, et ſi indigos heredes habent, iis omnia relinquunt. Si locupletes ſint, partem ex iis in opera pia et ptochotrophia cum bona heredum gratia erogant. Miſeri vero nos, et ſanae mentis omnino expertes ſimus, ſi, cum omnia reliquerimus, quae nobis ex ſucceſſione obvenire poſſent, aut quae induſtria noſtra quaerere potuimus, ea in coenobio quaeſitum iremus. Qui vero tam ardenter ea quaeramus, et ut habeamus, tantopere laboremus, cum nihil proprium habeamus? Nam ſi quidem centuplo majora in communi haberemus, non plus eo privatim poſſideamus; cum quicquid ex iis ſupereſt, ad egenos, qui literis dant operam, alendos, et alia charitatis opera impendatur. Aſſidue aureis veſtras, Domine, ſunt qui pulſent, vitioque vertunt, quod nos publicis negotiis, atque adeo quae ſtatum ſpectant, curioſe immiſceamus. Haec falſo de nobis anticipata opinio non aliunde promanat, quam quod quidam principes ac proceres, qui ad conſolationem, et exonerandam conſcientiam et ordinandas privatas devotiones opera noſtra utuntur, quicquid poſtea faciunt aut decernunt, quanquam ignaris nobis et inconſultis faciant, id conſilio noſtro et inſtigatu facere dicuntur. Nam nihil magis ab inſtituto noſtro alienum; nihil tam enixe, et ſub gravioribus poenis inter nos prohibitum, quam ne negotiis hujuſmodi nos immiſceamus. Haec praecipue ſunt, Domine, quae nobis imputantur, et ſi quae ſunt alia, ad ea, cum proponentur, ſcripto aut viva voce reſpondere ſemper parati erimus, et plene ad omnia ſatisfacere. Sunt enim ejuſmodi

CIↃIↃCIII.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *les preſidents de S. André & Hennequin.*

CIƆ IƆCIII.

HENRICUS IV.

ejuſmodi, ut aut a malevolis confiſta, aut ab iis, qui inſtituti noſtri rationem ignorant, fabrefacta appareant. Id autem clarius faciemus, ſi, quod verbo dicimus, per benignitatem tuam, ſolutis quae nos vinciunt manicis, opere perficere liceat. Tunc omnes oculis cernent, quod dicimus et promittimus, et majeſtas tua teſtabitur, etiam ii, qui nobis adeo adverſantur, nos in verbis noſtris veraces fuiſſe. Quod ſi precibus ac ſupplicationibus noſtris amplum et capax adeo cor tuum capiendis locum non habeat, non minus propterea impreſſum et coelatum te noſtris in cordibus habebimus, te amabimus, et amplificationem ac proſperitatem rebus tuis optabimus, et preces aſſiduas ad Deum pro majeſtatis tuae ſalute, reginae dilectiſſimae conjugis, et liberorum, et regni tui, quae noſtra chariſſima patria eſt, incolumitate fundemus, cum deſiderio aeterno non ad exitum perducti affectus. Sed meliora Deus, iterumque hac fiducia majeſtatem tuam ſuppliciter oramus, radios clementiae ſuae in parvulum hunc ſubditorum ſuorum gregem ejaculari dignetur, qui cum lachrima oculis profluente, cum deſiderio in corde ſcaturiente, genibus in terram defixis, miſericordiam tuam implorant. Ne memineris, Domine, aut rationem habeas eorum, quae pauci ac privati minus conſiderate per zelum dicto vel facto peccaverunt: ſi quod membrum privatim peccavit, id totum corpus, quod minime probavit, luere aequitas nequaquam patitur. Quod miſericordiam tuam, Domine, imploramus, non alio fine facimus, quam propter Dei gloriam et tuum ſervitium. In hoc unum conſilia cuncta noſtra et conatus collimant, in hoc vitam ac ſanguinem profundere parati ſumus. Qui magnitudinem tuam et imperii minus aequis oculis vident, non multum laborant, cum nos extra patriam poſitos cernunt; imo potius laetantur, veriti nimirum, ſi reſtituamur, ne ad ejus amplificationem aliquid pro virili conferamus. Nihil enim magis eos urit, quam ſi res tuas aliquando florenteis aſpicere cogantur. Supplices proinde tuam majeſtatem obſecramus, hanc ad alias innumeras, quibus tibi devincti ſumus, inſignem adjungat obligationem, ut miſericordia, et qua clementia erga nos uſurus es, ſicuti a te ſolo pendet, ita hujus beneficium nulli niſi ſoli tibi debeamus. Hoc nos ad te colendum magis ac magis incitabit, et aliis, ut te pari cultu colant, et vehementi affectu proſequantur, in exemplum erit. Ab exteris in Hiſpania, Italia, Germania, qui ſuos principes et magiſtratus amant, vinci nolumus; quin potius eos affectu ſuperare avemus, et quem illi ſuis, nos tibi, patriaeque affectum tanto beneficio et naturali ac divino jure obſtricti rependemus. Hoc, Domine, ſanctum et acceptabile mortis et paſſionis Servatoris noſtri tempus pro nobis loquitur. Sanguis iſte, quem per grumos ſupra crucis altare pro peccatoribus ſibi infeſtis effudit, te invitat, ut erga eos lenitate utaris, qui corde et affectu tibi devoti ſunt. De tua majeſtate non tantum meriti ſumus, ut eam gratiam noſtro reſpectu impetrari poſſe, ſperare debeamus; ſed ille, cujus Nomine eam petimus, et qui eam citra dubium aſſiduis noſtris precibus exoratus pro nobis petit, hoc apud te poterit, qui qua pietate es, non potes non gratum habere, quod ſupremae Dei bonitati placere et gratum eſſe cognoveris; quem veneramur, ut te poſt longi ac felicis in terris exacti regni annos, aeterni et nunquam deſituri regni compotem efficiat. Perorantem de geniculis Ignatium rex excepit; Jeſuitis nequaquam male volui, inquiens, et ſi cui male volo, id in caput meum recidat. Quod curia mea hac in re decrevit, id non niſi mature et conſulto decrevit. Tum ſcriptam orationem accepit, et Villaregio tradidit, et bono animo eos eſſe juſſit, addito, negotium penes pontificem eſſe, quo inconſulto nihil velit decernere. Ceterum ſe amplius, cum Lutetiam venerit, deliberaturum, et effecturum, ut ſibi reſtitutionem ipſorum curae eſſe intelligant. Poſt gratias actas, cum petiiſſent, ut tres provinciales, ſi ita regi placeret, cum tribus e ſuo ſodalitio regem comitarentur,

Ignatium

Ignatium ſufficere rex reſpondit, cum Petro Cottono, neque majore comitatu opus eſſe.

XII. Dum rex [a] Divioduri eſſet, literas a Friderico Baioaro ſeptemviro Palatino accepit VI Eid. Febr. Heidelberga, quo ſe [b] Bullionius poſt fugam receperat, datas; quibus ſe de ejus infortunio dolere teſtabatur, de quo, ejuſve cauſis nihil reſciverit; ante ipſius adventum, ſicuti Jacobo [c] Bongarſio regis negotia in Germania procuranti affirmaverit. Sed poſtquam cum eo collocutus eſt, ex ipſo cauſas didiciſſe propter quas in aulam, ſicuti jubebatur, minime ſit profectus; noluiſſe quippe illum coram majeſtate ſua comparere, antequam criminum, quibus onerabatur, ſe pondere exoneraſſet; nobilem ad eum a [d] Tremollio ſororio communi miſſum, non niſi Genevae nanciſci ipſum potuiſſe; cum jam Heidelbergam venire et electricem propriae uxoris ſororem, quam nondum viderat, inviſere decreviſſet; propterea [e] Sedanum, quo a Tremollio ire monebatur, minime profectum eſſe; eoque nomine, ut illum excuſatum habeat, enixe rogare; unum addere, eam videre in Bullionio conſtantem ad aequitatem, et regis obſequium ac regni magnitudinem amplectendam comparatam virtutem, ut niſi bona conſcientia niteretur, non poſſit non rubore perfundi, et ſuo ipſius judicio condemnari, tanquam Chriſtiano nomine, honoribus et beneficiis a rege acceptis, atque adeo adfinitate quam ſecum, et aliis principibus erga nomen Francicum bene animatis habet, prorſus indignus. Ad eas rex XVI Kal. April. Divioduro reſpondit, et in bonam partem, ſe literas in gratiam Bullionii ſcriptas accepiſſe dicit; quippe rem proximitate, quae ipſi cum illo intercedit, dignam ſeptemvirum feciſſe, et quam de ejus innocentia fiduciam habet, eo majorem ſe habere, quod non ſolo divino naturalique jure, ſed et mutuis officiis multiſque beneficiis acceptis ſibi devinctus ſit; nec putare hominem tali dignitate et praeſtantia adeo ſui oblitum, ut quam in juventute tot egregie factis fidem cunctis approbavit, eam in extrema aetate contaminaret; eapropter cupiiſſe cum ipſo in arcano coram agere, et ut ad ſe veniret, juſſiſſe. Quod cum non fecerit, diffidentiae et inobedientiae non ſolum ſuſpicionem dediſſe, ſed etiam hoc effeciſſe, ut innocentiae, qua tantopere gloriatur, minus fidere videatur. Sed in ipſius ſeptemviri gratiam, qui pro illo partes ſuas interponit, hoc etiam oblivione ſepultum velle, modo intra bimeſtre in aula compareat, et ad objecta crimina coram ſe reſpondeat. Hoc cupere, ut per ipſum ſciat Bullionius ſibique perſuadeat, neminem toto regno exiſtere, qui plus ſe gloriae ejus faveat, et contra calumnias et obtrectationes innocentiam ipſius tueri ſit paratior. Minae in eundem, ni pareat, adjectae, qui contumacia ſua jam effecerit, et porro ſit, ſi in ea perſeveret, effecturus, ut patrocinio tanto, quod in ſeptemviro cognato reperit, in poſterum indignus habeatur. Inde rex [f] Nancium excurrit cum Joanne [g] Baioaro Bipontino duce ad inviſendum Lotharingiae ducem, et Catharinam ſororem, cum qua erat Catharina Roana cognata, cujus tunc ſponſalitia cum Bipontino celebrata ſunt.

XIII. Dein VII Eid. April. Nancio profectus Lutetiam menſe exeunte rediit, ubi totus in pacis otia intentus, augendis rebus et opulentiae regni ſtudere coepit, omnium opificiorum officinis inſtitutis, atque ante omnia ſerici artificio, quod olim cognitum, tamen ſerius apud Romanos in uſu eſſe coepit; nec niſi Juſtiniani imperatoris temporibus, cum per Graeciam et vicinam Aſiam abundare coepit, et inde ad nos, hoc eſt, ad Siculos tranſlatum a Roberto Siciliae rege, ex regia [h] Andegavenſium ducum familia, qui Athenis, Corintho, et Thebis captis, cum ex Hieroſolymitana expeditione rediret, opifices omnes captivos [i] Panhormum ſecum abduxit, qui

INTERPR. [a] *Metz.* [b] *le duc de Bouillon.* [c] *Bongars.* [d] *de la Tremoille, duc de Thouars.* [e] *Sedan.* [f] *Nancy.* [g] *de Baviere, duc de Deux Ponts.* [h] *Anjou.* [i] *Palerme.*

CIƆ IƆ CIII. HENRICUS IV.

qui Siculos artem et uſum ſerici docuerunt, ſicuti epiſcopus Friſingenſis Otho prodidit, et inde per totam Italiam et Hiſpaniam propagarunt. Noſtra memoria, atque adeo ſaeculo praeterito per Longobardiam, cum antea per Calabriam et Etruriam opificium illud invaluiſſet, in uſu eſſe coepit, ac nuper in agro [a] Vicentino, cum propter [b] Euganeos montes proximos minus aptum coelum in eo tractu crederetur. Paulatim inde ad nos in [c] Provincia, Allobrogibus, qua meridiem ſpectant, Cavaribus, quorum metropolis [d] Avenio, et vicina Septimania, atque adeo Lugdunenſi provincia frequentari coepit. In aliis regni partibus, ac fere per totam Aquitaniam provenire poſſe, argumento eſt, quod in [e] Turonibus citerioribus feliciter Franciſci I temporibus id inſtitui coeptum eſt, et ad hoc uſque tempus perſeveravit. Idem circa Lutetiam tentatum non aeque felici ſucceſſu, quippe coelo adverſo: quanquam Manfredus [f] Balbanius Lucenſis, qui rei ſuſcipiendae regi auctor fuerat, nullum non lapidem moveret, ut eam confectu facilem facto probaret, ſtructis ad [g] Blaudi-fontem, [h] Madriti in Bolonienſi ſaltu, et ad [i] Figulinas aedeis regias bombycum receptaculis. Itaque et commercii nomine tribunal inſtitutum, in quo ex ſacri conſiſtorii, ſenatus, rationalium, vectigalium conſiliariis delecti jus dicerent. Rex inſita ſagacitate, qui regnum bellis civilibus longo tempore exhauſtum videret, et ad ſupplendum illud non ſolum longa pace, ſed libero commercii beneficio opus eſſe, parum profectum auri et argenti prohibita exportatione animadvertebat, niſi in iis, quae importationem adjuvabant, ſtrenue elaboraret. Videbat ſerici uſum hodie ita frequentem eſſe, ut pannorum laneorum frugalis olim, et utiliter apud majores noſtros uſurpatus uſus, nunc etiam inter tenueis vileſceret, eaque re fieri, ut grandis pecunia in luxum illum non ſolum effunderetur, ſed extra regnum magno ejus diſpendio exportaretur. Itaque optimum factu judicavit, ut et ſericum in regno naſceretur, et manupretium, quod plerumque rem ipſam excedit, in eo remaneret, de ſerici illis officinis ſerio cogitare coepit, quae Lutetiae [k] Santoto curatore inſtitutae ſunt, et ubique leucomori ſeri et propagari juſſae alendis vermiculis, quorum ſemina ſeu ova quotannis Hiſpania afferuntur; libellus etiam ejus juſſu ea de re vernaculo ſermone perſcriptus, ab Olivario [l] Serrano Joannis, qui magnum nomen in literis meruit, fratre, ut per vulgi manus volitans artem ſerici, etiam ruſticos doceret. Inſtitutae et aulaeorum texendorum officinae in S. Marcelli ſuburbio, operariis e Flandria accerſitis. Eodem tempore vaſis figulinis albis aeque ac [m] Faventina, nec non verſicoloribus inſtauratae itidem in diverſis regni partibus officinae, Lutetiae, [n] Novioduni Aeduorum, [o] Briſſamburgi in Santonibus. Et vitrariae Henrici II temporibus ad Germani-fanum, Venetarum aemulatione olim celebres, et poſtea aliquandiu intermiſſae, Novioduni itidem et majore impendio Lutetiae renovatae ſunt. Linificium denique [p] Medontae ad Sequanam inſtitui coeptum. Nec in aedificiis admirandi operis, ſive vetuſtis inſtaurandis, ſive novis ſtruendis, aviariis, piſcinis, hortis regia magnificentia ordinandis ceſſabat, in quibus propatrui Franciſci I gloriam non ſolum aemulari, ſed et ſuperare velle videbatur; eumque, ſi non male corporis, at oris lineamentis et animi magnitudine, ac morum ſimilitudine referre dici gaudebat.

XIV. SUB id de Eliſabethae Anglicanae morte allatum eſt, 'glorioſiſſimae et omnium, quae unquam ſceptrum geſtarunt, feliciſſimae foeminae.' His enim elogiis eam decorari memini ab illuſtriſſima heroina Anna [q] Ateſtina, Guiſianorum et Nemoroſiorum parente, quae alioqui illam ſibi ſuiſque liberis infeſtam ſemper experta fuerat,

INTERPR. [a] *de Vicenza.* [b] *Monti di Padoa.* [c] *Provence, & Dauphiné.* [d] *Avignon, & Languedoc.* [e] *Tours.* [f] *Balbani Lucquois.* [g] *Fontainebleau.* [h] *Madrid au Bois de Boulogne.* [i] *les Tuilleries.* [k] *Saintot.* [l] *de Serres.* [m] *Vaiſſelle de Fayence.* [n] *Nevers.* [o] *Briſambourg en Saintonge.* [p] *Mante ſur Seine.* [q] *d'Eſte.*

fuerat, quo magis heic ejus ingenuam, et a veritate expreſſam teſtationem inſerendam exiſtimavi, quod a gratia, et adulatione longe abeſſet. Iiſdem ſiquidem verbis; cum me, ipſo nuncii allati die, qua humanitate erat, officioſe inviſeret, ad primum conſpectum, et antequam ſederet, ad me uſa eſt. De matris et prima ejus fortuna ſub Maria ſorore dicere ſupervacuum arbitror, cum id ſatis ſuperque in ſuperioribus factum ſit. Poſtquam autem regnum inivit, adeo celebre ipſius nomen fuit, ut nullus annus abierit, ſine inſigni tantae reginae mentione, quae magnis caſibus tota vita conflictata, magnas res pari cum viris animi magnitudine geſſit, gloria an felicitate, juxta Ateſtinae praeconium, incertum illuſtrior; quo pauciora, ſed tamen quaedam de moribus ejus et ingenio dicenda ſunt. Fuit alto et virili animo, et cum regnum auſpicata eſſet anno aetatis XXV, non puerileis, ſed jam maturas et vexatione exercitas curas ad illud attulit, nec alieno, ſed proprio ingenio uſa eſt, et moderationem cum prudentia ſummo temperamento miſcuit; erga praeferocem et ardentem nobilitatem ſevera, erga ceteros mitis, ut in illius animis metum et reverentiam, in aliis amorem ſui ſtatim ab initio impreſſerit: aequali inde uſque ad exitum vitae tenore hoc adſecuta, ut conſtantem et aequalem fortunam tota vita experta ſit; in gratiis diſpenſandis ita munifica, ut juris ſemper majorem rationem habuerit; in donando parcior, ne aerarium exhauriret, et largitionibus, illo exhauſto, populis ſuis gravis eſſet: neque tam avara, quam provida, ſic praeſentibus in illo faſtigio fruebatur, ut non ſecure inter voluptates, ſed cauta inter dignas principe ſolicitudines in futurum reſpiciens tempus exigeret. Pacem ita coluit, ut foris populos bellicoſos et in otio ferocienteis per occaſiones ſemper fere in armis habuerit, et ſub foeminino imperio nihil famae et priſtini nominis decori in re militari ſuis deperire paſſa ſit. Nam et auxiliareis copias in Scotiam conterraneam, et in Belgium proximum miſit, et duris temporibus in Galliam opportuna auxilia Henrico dilectiſſimo fratri ſubminiſtravit; et illuſtres in Indias navigationes ejus auſpiciis feliciter ſuſceptae ſunt: circumnavigato a Franciſco [a] Draco terrarum orbe, et aperto ad ſepoſitas Hiſpanis opes ſtrenuis hominibus invadendas itinere, quod Batavi poſtea non minori felicitate perſecuti ſunt. Pacem paene toto regno habuit. Motus tantum quidam ad Borealeis partes anno regni decimo exorti, ac ſtatim oppreſſi ſunt. Ab eo tempore per XVII annos domi quievit, et quanquam ob religionis mutationem occultos adverſarios haberet, moderationem natura inſitam ad eam diem ſervavit, a ſanguine et duritie, quam deinceps exercuit, aliena; quippe ex ſuo ſenſu ſic de aliis exiſtimans, ut vim conſcientiis adhibendam non putaret, neque tamen ita indulgendum cenſeret, ut libertate conſcientiis permiſſa praetextu religionis, publicam tranquillitatem perturbari ſineret. Itaque crebreſcente conjurationum procella, ex ſuorum potius, qui fortaſſe non minus ſibi quam ipſi metuebant, quam proprio ingenio leges acuit, et periculis imminentibus edictorum ſeveritatem oppoſuit; quae tamen in bona magis, quam corpora graſſata eſt, avaritiae interim ipſi inuſta nota, cujus invidia potius in miniſtros rejici debuit. Felicitas, in tot annorum et ſumptuum Hiſpana claſſe ſuperno auxilio potius quam humanis viribus profligata, praecipue emicuit, ambitione caſtigata, et iniqua alieni invadendi cupiditate coeleſti judicio damnata. Quo caſu monitus prudentiſſimus Philippus de odio, quod nimis avide cum illa exercebat, quodque ſibi adeo detrimentoſum ſenſerat, tandem deponendo cogitare ſerio coepit, et pacem, quam nobiſcum fecerat, antequam moreretur, cum ea habere voluit. Nec abnuebat Eliſabetha, propenſo privatim in Philippum animo, ob non ingratam accepti ab eo, dum Mariae ſororis vir eſſet, in ſummo diſcrimine, beneficii memoriam, quod et libenter depraedicare ſolita erat, ſed

CIƆ IƆ CIII.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Drake.*

CIↃ IↃCIII. HENRICUS IV.

ſed odia publica et aemulationes regnorum adverſus privatam gratiam praevalebant. Igitur tentata reconciliatio regis interventu, et commodatus apud nos locus circa Bononiam, et deſtinatum inter delegatos colloquium, quod tamen exitum non habuit. Fuit ingenio docili, et ſcientiarum cupido; Latine ſciebat, et commode loquebatur; Germanice, quod vernacula lingua ab illa derivaretur, bene; Gallice ſaepius, ſed abſona voce, Italice pereleganter: muſica et poetica ſummopere delectabatur, et Ronſardi noſtri, quem olim in Anglia e Scotia redeuntem viderat, verſibus capiebatur, luculento carmine ab eo laudata; nonnulla tamen contra eum poſtea contracta offenſa propter liberius de nuptiis illius dicterium, in carmine elegantiſſimo, cui *Nubes* titulus; cum diceret, antiquae nobilitatis virum non decere, reginam praepotentem et amicam, dum rumuſculos maligne confictos colligit, licentioſe ac per laſciviam proſcindere. Quo cognito, Ronſardus poenitentia ductus illud in operibus ſuis ſuppreſſerat, poſt ejus obitum ab amicis additum, cum offenſae periculum utrinque conquieviſſet. Multa in eam odio religionis jactata, quae longa vita, et aequabilis, imperſcrutabili Numinis favore, eam ad ultimum ſpiritum comitata felicitas magna ex parte confutavit. Ambiri, coli ob formam, et amoribus etiam inclinata jam aetate vacare videri voluit; de fabuloſis inſulis per illam relaxationem renovata quaſi memoria, in quibus equites ac ſtrenui homines errabant, et amores foeditate omni prohibita generoſe per virtutem exercebant. Quibus rebus, ſi quid famae, nihil imperii majeſtati deperiit, in cujus adminiſtratione nunquam clavum a recto moderamine deflexit. Et alioqui tota vita coelebs a nuptiis abhorruit; ab iis, qui circa eam erant, quo magis ipſam in poteſtate haberent, injecto per medicorum ſuggeſtionem metu, ſi conciperet, fore, ut in puerperio moreretur. Et tamen de nuptiis cum Alençonio, et poſtea ejus favore Brabantiae duce creato, ſerio cogitavit; et res parum ab exitu abfuit. Inſitae virtutis conſcia nihil a fortuna et regia majeſtate mutuari videri volebat, quaſi ſatis in ſe haberet, unde etiam in privata et mediocri conditione commendari et laudari debuerit. Vitae cupidam ac aegre de morte et ſucceſſore cogitaſſe quidam arguerunt; tamen multis ante obitum annis ſe comiter vetulam, ut in juventute virginem cum nuptiis habilis eſſet, vocare conſueverat, et de ſepulchri inſcriptione mandatum dediſſe conſtat; nolle ſe ambitioſos titulos, tantum ut nominis, virginitatis, et regni diuturni, inſtauratae ac religionis, et pacis ſtudii, mentio in eo fieret. In ſucceſſionis negotio item negligenter verſari credita eſt, quaſi parum de poſteritate ſolicita; cujus rei cum quidam ex occaſione publicorum munerum, quae jam diu vacabant, mentionem injeciſſet, illa poſt profundam meditationem quaſi commotior, aſſurrexit, et ſe certo ſcire, locum ſuum ne tantillum temporis vacaturum, reſpondit; quod verum eventu patuit. In parte felicitatis poſitum, quod pacatum regnum legitimo heredi tranſmiſit, et pacem, quam viva coluerat, quaſi teſtamento populis ſuis imperturbatam reliquit. Nam ſub illud tempus defectio in Hibernia proelii proſpere a Carolo [a] Montjoio regulo geſti eventu ſtatim ſedata eſt. Ut verbo dicam, ingentes in ea foemina, et viro atque adeo magno rege dignae virtutes fuerunt, et pauci et ut in muliebri ſexu excuſabiles defectus. Sed poſt ſciſſum ſectis orbem, religionis odio decus illud apud multos obſcuratum eſt; et quod ex neceſſitate ad ſecuritatem publicam, ut res erant, decretum fuit, id crudelitati et ſaevitiae imputatum: ut ad leniendam invidiam tempore opus ſit, Eliſabethae olim optimo laudatore; quippe quod cum jam diu volvatur, nihil aut priſco aevo cum ea comparandum viderit, aut porro viſurum eſſe in eo ſexu appareat. Fuit procera ſtatura, et digna imperio ſpecie, et proſpera ad ſenectutem valetudine, cujus nulla fere incommoda ſenſit;

INTERPR. [a] *baron de Montjoy.*

CIↃIↃCIII.

HENRICUS IV.

ſenſit: placida demum et qualis in Auguſto memoratur, tranquilla mors vitam feliciſſimam finivit, cum nihil triſte, nihil miſerabile, nihil ominoſum, nulla doloris impatientia, nulli cruciatus, aut convulſiones eam praeceſſiſſent. Tantum paucos ante obitum dies nervorum ſiccitate attenuatorum rigore tentari, hebetiore voce, ac mentis et totius corporis tarditate debilitari coepit, ac ſenſim hora IV matutina defecit Richmondiae pridie Nonas Aprileis, quin in XXIV Mart. juxta calculum [α] veterem incidebat, cum LXIX annos, VI menſeis vitae egiſſet, XLV et amplius regnaſſet.

XV. LITERIS manu propria ſcriptis, et ſigillo clauſis, ac Roberto Cecilio [1] magno theſaurario et ſecretario ita traditis, ut poſt mortem ejus tantum aperirentur, Jacobum Scotorum regem legitimum ſucceſſorem declaraſſe, a multis proditum fuit. Ut ut ſit, ſtatim ſpirituales ac temporales regni proceres, cum privati conſiſtorii reginae conſiliariis, et aliis magno numero magnatibus ac nobilibus, et Majore ac Aedilibus urbis Londinenſis, ſic enim titulus praefert, de ſucceſſore deſignando deliberarunt, et concordibus ſuffragiis in Jacobum Scotorum regem conſenſerunt, ex Margarita Henrici VIII ſorore prognatum, qui ambo ab Eliſabetha Edvardi IV filia genus ducebant, et programmate hora octava matutina publicato eum regem declararunt, et fidei ac obedientiae ſacramentum dixerunt: vitam et bona adverſus eum expendere parati, ſi quis declarationi contra ire, aut regem ingreſſu regni prohibere conaretur. Secundum haec Robertus [a] Carius, qui defunctam reginam cognatione contingebat, per diſpoſitos equos miſſus, triduo poſt Edimburgum venit, et nocte media in lecto decumbenti, morte Elizabethae, tanquam legitimo heredi regnum delatum nunciavit, tradito programmate. Inde rex ſurgens e veſtigio ad templum pergit, ut Deo gratias ageret, et decimo poſt die rebus convaſatis, non ſine magno Scotorum deſiderio, ad profectionem ſe accinxit, uxore cum filiis ſubſequi juſſa, et facto per [b] Berwicum, Eboracum, et Stamfordiam itinere XVI Kal. Jun. ad Cartuſianos in ſuburbio Londinenſi cum toto comitatu appulit. Magnam de novo rege ſpem conceperant majorum religioni addicti, aequitate ejus a longo tempore perſpecta; et quia dum adhuc in Scotia eſſet, cum Philippo clam conſilia communicare dicebatur, et pleriſque perſuaſum fuerat, Annam Danicam uxorem ejus, quamvis Lutheranae doctrinae domi innutritam, in occulto Catholicis favere, et a majorum cultu non alieno eſſe animo. Itaque cum primum tanta gratulatione omnium ordinum regno inauguratus eſt Jacobus, libellum unum et alterum ſupplicem ei obtulere, hac fiducia liberiorem; quo ſciſſurae in regno Salomonis poſt obitum ejus ſub Roboamo, ob neglectas populorum ſuorum preces, qui impoſitorum patris temporibus tributorum onus deprecabantur, ſecutae, propoſito exemplo, longe graviorem ob cauſam, et magis propenſa obedientia pro vitae et conſcientiarum libertate pedibus ipſius ſupplices advolvebantur. De re agi, quae non hujus tantum vitae, pro qua illi tantopere tumultuabantur, commoda reſpicit, ſed illius aeternae, cui omneis curas et adfectus poſthabere, pro qua ſanguinem ipſum profundere tenerentur; eam ſe religionem profiteri, a majoribus acceptam, ſub qua deceſſores ejus in tantam rerum magnitudinem feliciter excreverunt, extra quam citra aeternae diſpendium, hujus caducae vitae commodis frui non poſſe ſe arbitrentur; eam ipſos ab ea alienos ac gentilium erroribus addictos principes magno ſuo bono ſubditis ſuis olim conceſſiſſe, ipſum Chriſtiani nominis infeſtiſſimum hoſtem Turcum ejus libertatem populis ſuis, qui in Chriſtum Servatorem credunt, minime denegare.

Eandem

VAR. LECT. [α] veterem qui in Anglia adhuc ſervatur, incidebat *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Cary, fils du Baron de Hunſdon.* [b] *Berwick, York, & Stamford.*

NOT. [1] Temporis heic ordo male ſervatus; Quaeſtura enim non gaudebat Robertus Cecilius ante annum 1608. *v. Tom.* III. *p.* 99.

CIↃIↃCIII.
HENRICUS IV.

Eandem populis in Germania, qui a majorum religione deſciverunt, pro Imperii lege datam. Ea negata proculdubio ſecuturos periculoſos ac pernicioſos motus; nullam quippe ex omnibus, quae nos in hac vita exercere ſolent, moleſtiis ac vexationibus duriorem eſſe poſſe, quam quae conſcientiarum libertati vim affert; et in diriſſima hac ſervitute cuivis pio ac generoſo optabilius ſemel mori, quam diu vivere. Huic a benignitate regia periculo ac deſperationi paratum remedium, et proculdubio, ſi relaxatio a miſeriis praeteritis concedatur, futurum, ut civiles motus et arcanae molitiones, nimis ob eam cauſam antea frequentes, deinceps promiſſa libertate conquieſcerent, et non ſolum Catholici qui nunc ſunt, ſed etiam qui poſt naſcentur, eam clementiae regiae cum fauſta diuturni imperii comprecatione ſint debituri; proinde orare et obteſtari ſuam majeſtatem, ut quam a Donaldo I, qui jam XVII ordine princeps in Scotia regnare coeperat, pietatis confeſſionem amplexi ſunt, uſque ad beatae memoriae ipſius parentem, quae proprio ſanguine eandem a majoribus acceptam fidem obſignavit, antiquitate venerandam, majeſtatis amplitudine praeſtantem, continuata ſerie conſtantem, in doctrina irreprehenſibilem, virtutum foecundam, vitiis infeſtam, ab antiquis doctoribus praedicatam, ab optimis imperatoribus Chriſtianis conſervatam, per eccleſiae faſtos celebratam, cruore tot martyrum irrigatam, tot confeſſorum exemplis adultam, virginum innumerarum impolluta puritate decoratam, rationi et naturali ſenſui, atque adeo veritati evangelicae per omnia conſentientem, eandem porro profiteri liceat; et ſi quidem ejus confeſſio publica non probetur, at feratur, at humana diſſimulatione toleretur. Viſa, pro libertate ſupplicantium, nimiae plena fiduciae oratio, et accepta, nec exaudita eſt; ſpemque de novo rege, etiam a pontifice conceptam, non parum imminuit confeſſio Fidei ſub id Londini evulgata, qua pontifex ipſe, tanquam Antichriſtus proſcindebatur, ſacramentorum numerus contrahebatur, Miſſale ſacrificium, ordo hierarchicus, et concilii Tridentini decreta tanquam ſanguinarii et erronei verbis contumelioſis damnabantur; quod non tam primis regni initiis fieri indignabantur in occulto Catholici, quam ſub eo principe dici, qui literis et doctrina egregie inſtructus, cum nihil in eo genere niſi ipſo conſulto fieret; rei quoque invidiam in ſe unum recipiebat, nec in miniſtros et praeſentem rerum ſtatum ad ſe exonerandum transferri patiebatur. Inter haec Elizabethae juſta perſoluta ſunt, ſolemni ritu, effigie in lectiſternio collocata, et curru poſt ſtatas ferias quatuor equis albis illuſtri procerum, nobilium matronarum, et [a] Arbelae [1] marchioniſſae inprimis, et regni officialium pompa, [b] Weſtmonaſterium deducta, funus deducentibus epiſcopis, eodem prorſus quo apud nos ordine, niſi quod taedae deerant. Tum recitato prioris ad Corinthios capite XV de Reſurrectione, et oratione funebri in laudes defunctae habita, peractae ceremoniae, et corpus in Henrici [2] patris monumentum illatum fuit.

XVI. ID actum VIII Eid. Maias. Nec multo poſt rex benevolentiae novi regis tanta acceſſione locupletati conciliandae cupidus, honorificam ad eum legationem decrevit, cui obeundae deſtinatus Maximilianus [c] Bethunius Ronii marchio, qui magno comitatu nobilium [d] Caletum Eidibus Junii venit, quo VI naves Batavae egregie inſtructae, et II majores Anglicanae ad eum portandum jam appulerant. Dominicus [e] Vicus Caleti praefectus, et in [f] Armoricano tractu Ammiralii vicarius, aliquot et naveis inſtruxerat. Ronius Anglicanam praetoriam conſcendit, ut vel eo facto Francorum cum Anglis fiduciae ſpecimen daret, reliquo comitatu in reliquas

INTERPR. [a] *Arabella Stuart, fille de Charles comte de Lenox, petit fils de Marguerite reine d'Ecoſſe ſœur ainée du roy Henry 8.* [b] *Weſtminſter.* [c] *de Bethune marquis de Roſny.* [d] *Calais.* [e] *de Vic.* [f] *Bretagne.*

NOT. [1] *dele* marchioniſſae. [2] *rectius* avi.

quas naveis Gallicas et Batavas impoſito. Vicus, qui cum ſuis praeceſſerat, Ronium comitatus, ubi ad [a] Doveram ſuos expoſuit, ſtatim ſublatis ancoris ad reditum ſe comparavit, et dum Anglicanam, in qua Ronius erat, praeterveheretur, uraniſcum erexit, et diſploſo tormento eum honorifice ſalutavit; quo conſpecto Anglicani Ammiralii vicarius, homo ferox, ultra modum incanduit, et poſt dejerationes non laturum ſe dixit, ut quiſquam coram ſe in mari oceano uraniſcum erigeret; ſtatimque tormenta contra Vicum diſplodi juſſit, quod in magnam anxietatem Ronium induit, qui de injuria proteſtatus, et tamen vectoris violentiae cedere hoc rerum ſtatu opportunum ratus, Vico ſignum dedit, ut uraniſcum abſconderet, atque ita ſine alia offenſa praetervectus eſt: rem poſtea Jacobus excuſavit, et ruſtica hominis ferocitate increpita Ronio de injuria ſatisfecit. Ad Doveram exſcenſione facta Ronius ciſium Chriſtophori [b] Harlaei Bellomontii oratoris regii nactus cum eo et CCC equitibus [c] Cantuariam venit, ubi Robertum [d] Sidneium obvium habuit a Jacobo miſſum, qui de adventu gratularetur; inde adverſo [e] Tamiſi per aeſtuarii occaſionem paratis navigiis devectus Londinum venit, et XXC currus paratos invenit, quibus vecti ſui per hoſpitia deſignata diſtributi ſunt. Poſtridie ad [f] Greenwicenſem arcem Jacobus a venatu rediens Ronium ſolemni pompa ſub uraniſco ſedens ex ſuggeſtu accepit, duobus gradibus obviam in amplexus prodiens, et cum eo per horam collocutus eſt. Id actum Saturni die. Inde Londinum repetiit Ronius, ubi Mercurii die ſequenti rurſus ad regiam admiſſus eſt. Idem aliquoties repetitum totis ſeptendecim diebus, quibus in ea aula fuit, inter ſpectacula, convivia, et regali magnificentia repoſitae a multis annis ſupellectilis ubique per arces regias urbi vicinas luſtrationem. Tandem amicitiae et foederationis utrinque ſumma benevolentiae ſignificatione data pignora, antiqua foedera firmata, nova addita, et peculiari utriuſque manu ſcripto et ſubſcripto inſtrumento, cujus exemplum uterque rex alterius manu ſcriptum retinuit. Cautum, ut qui prius decedenti ſuperſtes eſſet, ejus regni, liberorumque curam ſuſciperet; conſilio et opibus viduam, filios, res juvaret; et adverſus hoſtilem vim fraterno, atque adeo paterno patrocinio tueretur.

XVII. INDE Ronius eodem quo venerat comitatu ad ſuos in aulam rediit; ubi pro gratulatione a [g] Sueſſione, tanquam acris nec ferendae injuriae morſu ab eo petitus eſſet, accipitur. Id cum ad animum revocaret rex, veritus ne ex ea occaſione Sueſſio, quicum alioqui minus belle conveniebat, a malevolis inſtigatus Ronium etiam indicta cauſa male mulctaret, Pomponium Bellevraeum cancellarium et Nic. [h] Brulartum Sillerium ad eum mittit, et omni ratione velle oſtendit, ut diſſidium illud citra majorem tumultum componatur; nam non dubitare, quin multa, de quibus conqueritur, ad ipſum ab Ronii obtrectatoribus delata ſint, ſed nec itidem dubitare, quin ea calumnioſe ſint conficta; nam inficiari Ronium, et armorum via cum delatoribus confligere paratum, quo ſibi id impudentiſſimo mendacio improperatum eſſe, vel cum vitae periculo manifeſtum omnibus faciat. Itaque cum ſibi de iis non conſtet, non poſſe non patrocinium Ronii contra malevolos ſuſcipere. Id male habuit Sueſſionem elati animi virum, qui ſibi non jam cum Ronio, ſed cum rege ultro ſe offerente rem eſſe cerneret. Itaque aula diſcedere voluit, vix Franciſci [i] Aureliani Fani-Pauli comitis, et Herculis [k] Roani Monbazonii ducis, proxima cognatione conjunctorum ſuaſu remanere compulſus. Tandem Carolo [l] Coſſaeo Briſſaco equitum tribuno et Antonio [m] Sillio Rupipotio ultro citroque commeantibus, et declaratione per epiſtolam a Ronio ſubſcripta, ab ipſis ad eum allata, injuriam reſarciri paſſus eſt.



INTERPR. [a] *Dover*, ou *Douvres.* [b] *de Harlay comte de Beaumont.* [c] *Cantorbery.* [d] *le lord Sidney.* [e] *la Thamiſe.* [f] *Greenwich.* [g] *le comte de Soiſſons.* [h] *Brulart Sr. de Sillery.* [i] *d'Orleans comte de S. Paul.* [k] *de Rohan duc de Montbazon.* [l] *le mareſchal de Coſſé Briſſac.* [m] *de Silly de la Rochepot.*

CIↃIↃCIII.
HENRICUS IV.

XVIII. INTERIM in Anglia pridie Nonas Sextileis rex [a] Weſtmonaſterii cum Anna uxore, quae interim Scotia, cum Henrico Friderico [b] Walliae principe, advenerat, in regem unctus eſt, et inſignia regni ſumpſit. Rex exutis veſtibus, ſicuti apud nos fit, et accepto a D. [c] Montjoio, Hiberniae nuper prorege enſe regio, qui ſupra altare ſtrictus jacebat, de fide ſua cunctis regni ordinibus proteſtatus eſt, et poſt feſtas acclamationes in capite, fronte, pectore, intra humeros, in brachiis, manibus et pedibus coram Walliae principe filio, et Eliſabetha filia, unctus fuit. Regina tantum in capite et cervice uncta eſt. Inde ad Londinenſem turrem ventum, in qua inaugurationis noviſſima uterque conſummavit. Ita enim vetuſta apud Britannos opinione receptum eſt, ut in eo, et ex eo loco principalis juriſdictio auſpicia legitima accipiat et incipiat. Graſſabatur tunc temporis in urbe inauditae violentiae lues, quae plerumque dictim CC homines abſumebat. Itaque ſtatim et longius diſceſſum. Sub id detecta Junio menſe conjuratio, quae generoſum alioquin principis animum non parum exacerbavit; nec tamen clementiam ſuam omnino infregit. Angli quidam proceres, et alii ab Eliſabetha ad honores provecti, ſeu gratia ſeu meritis, cum viderent novum regem e Scotia quaſi alienigenam cum ſuis Scotis venientem, ſperatas dignitates ereptum ſibi ire, illa gentis mutatione indignati, conſilium inter ſe ceperant regis interficiendi; quo facto [d] Arbelam, quae olim ſub Eliſabetha, ob clandeſtinas cum [e] Northumbrii comitis filio nuptias, in carcerem conjecta fuerat, et poſtea libertati reſtituta, funerali pompae reginae interfuerat, in reginam ſumpturi erant, et cum bona Philippi gratia uxorem Sabaudiae duci daturi. Walterus [f] Raleighus eques inter eos ingenio et manu promptus, ſuſceptis in Indias navigationibus homo notus, et qui ſtipatorum reginae praefectus fuerat, dignitate motus, ob id concepta indignatione delatum ab aliis rei patrandae periculum in ſe receperat. Ubi dies condicta facinori venit, facti horrore perculſus, improvida temeritate cum a ſorore Londino diſcederet, ſe commendatum apud Deum precibus ſuis ut haberet, rogavit; nam eo ſe proficiſci unde reverti vix ſpes erat. Illa quidvis aliud quam quod erat, ſuſpicata, eadem levitate id evulgavit, rata illum cum aliquo rixam duello dirempturum proficiſci. Res ad aulam perlata, non perinde accepta eſt; et homo quidvis audendi juxta ſolers et ſtrenuus, illico majoris facinoris ſuſpicionem dedit, ex odio in Scotos auctam. Itaque ex conjectura comprehenſus, confeſſione ingenua cogitati criminis poenam evaſit. Conſcii ab eo nominati [g] Cobhamus et [h] Greius e procerum numero, et Grifinus [i] Markhamus; Georgius item [k] Brokus et duo ſacerdotes, qui tres exeunte Novembri, horribili in tali crimine uſurpato ſupplicio, vitam finiverunt. Eadem gratia, quae Raleigho, facta Cobhamo, Greio, et Markhamo, eo gratior, quo inſperatior. Nam ſolemni judicio a paribus ſuis tanquam proditores damnati, et ad ſupplicium ducti VII Eid. Dec. Primus Markhamus, poſt preces ad Deum fuſas cum carnificis ictum expectaret, [l] Scabinus Hamptoniae, qui executioni praeerat; nam in arce [m] Winceſtriae res agebatur, accepto regio mandato, nec ſtatim evulgato, ſic enim jubebatur, carnificem inhibuit, et Markhamum ſurgere juſſum, intra palatium reducendum curavit, quaſi rurſus cum aliis ante mortem committendus eſſet. Idem de Greio factum, qui itidem eodem colore quaeſito in aulam palatii remiſſus eſt. Dein et Cobhamus ad pegma ſiſtitur; et cum cervicem carnifici praebiturus eſſet, tunc Scabinus ſurgere illo juſſo Greium et Markhamum ad pegma rurſus adduci, et mandatum regium recitari jubet; quo rex de officio boni principis, et de tranquillitate publica ſoliciti praefatus, aequiſſimi judicii contra primarios viros lati executionem ſuſpendere ſe declarat,

INTERPR. [a] *Weſtminſter.* [b] *Wales,* ou *Galles.* [c] *le baron de Montjoy.* [d] *Arabella Stuart.* [e] *de Northumberland.* [f] *Raleigh.* [g] *Henry Broke baron de Cobham.* [h] *Thomas baron Grey de Wilton.* [i] *Markham.* [k] *Broke, frere du baron de Cobham. Les Noms des deux prêtres etoient Watſon & Clarke.* [l] *le Sheriff de Hampſhire.* [m] *Wincheſter.*

declarat, quod nolit regni ſui initia hominum, quamvis atrociſſimi criminis convictorum, ſanguine cruentari; proinde id natalium ſplendori et conſanguineorum et adfinium erga ſe tam bene adfectorum meritis condonare, et quia ut procerum, ſic et humilioris hominum conditionis in diſpenſanda clementia etiam ratio haberi debet; et jam ſatis Broki et complicium ſuppliciis crimen expiatum putet, eandem ſe gratiam Markhamo facere. Recitato diplomate populus, qui magno numero ad ſpectaculum confluxerat, inſperata gratia attonitus novi regis clementiam admirari, in diverſa ſententiis raptari, et tanquam in ſcena variis adfectibus duci: Cobhamus et Greius manus ad coelum tollere, vix ſibi prae pudore et laetitia credere, et praeſentem Dei favorem adorare, qui hanc mentem regi tam graviter offenſo dederit; ſe palam incuſare et extrema commeritos agnoſcere, indignos ſe tanta gratia dicere, pro qua vitam et ſanguinem contra eos, qui tale quid auſi in poſterum fuerint, profundere paratos oſtendere. Qui prudentiores erant, ex praeteritorum conſideratione ventura proſpicientes, ſic exiſtimare, imperii a tam memorabili clementiae exemplo inchoati diuturnam ac conſtantem fore magnitudinem. Detecta initio conſpiratione admodum commoti ſunt animi, et Carolus [a] Ligneus Arembergi comes, qui nomine Alberti in aula erat, non caruit ſuſpicione, quaſi cum conjuratis conſilia ſociaret. Itaque in illo tumultu parum a periculo abfuit: ſed mitis ac moderatus princeps furorem illum plebeium prudentia ſua compeſcuit, de tanta dignitate et morum probitate viro nihil tale temere ſuſpicandum ratus, qui ſe alioqui publici ac ſacroſancti inter gentes muneris, quo fungebatur, religione tuebatur.

XIX. Dum haec fierent, Joannes Taxis Villamedianae comes, et publici [b] curſus praefectus,[1] [c] Pinciae Carpetanorum per diſpoſitos equos a Philippo miſſus eſt, et ad novum regem Septembri menſe venit; et poſt querelas de [α] VI CIↃ militum Oſtendam miſſis, renovata occulti favoris, ſuperſtite Eliſabetha, apud regem reginamque memoria; ſecutae poſtea concordiae et amicitiae fundamenta jecit: ejus principium ab ipſo Jacobo jam factum fuerat, publicato ſtatim menſe Junio edicto, quo ut a pacis conſiliis felicia regni auguria inchoaret, ab omni contra Hiſpanos hoſtili vi ceſſationem ſuis imperabat. Taxim mox ſecutus eſt, ſed tardiore inceſſu, Jo. Ferdinandus [d] Velaſcus Friaſii dux, comes ſtabuli Caſtellae, qui extremo Octobri magno procerum comitatu ſe in viam dedit, et facto per Franciam itinere, et ſalutatis rege reginaque, anno exeunte Bruxellas ad Archiduces venit, ut inde per otium comparatis, quae ad tantae rei negotium neceſſaria videbantur, in Angliam trajiceret.

XX. Sed jam ad noſtra redeo, quibus Anglicana admiſceri neceſſe fuit, ob honorificam ad Jacobum miſſam a rege legationem. Alioqui invitus facio, ut quae ad ſingula regna et civitates pertinent, menſium et dierum diſcrimine appoſito divellam, ſingulorum annorum cujuſque populi geſta ſub unum aſpectum ponere ſatius judicans, quam ea, quod alii faciunt, cum aliis, interrupta toties narratione, confundere. Ineunte Octobri [e] Vapinci in Allobrogibus [β] conventus Proteſtantium hoc anno celebratus. In eo ex omni regno, etiam externi, quod minime oportuit, miniſtri admiſſi, et de rebus, quae non ſolum ad diſciplinam in coetibus illorum uſurpari ſolitam, ſed etiam ad doctrinam ſpectant, magno animorum aeſtu actum. Poſt recitatam in Francia receptam fidei confeſſionem, de ſciſſura, quae inter [f] Martinianos, quos vocant, et Calviniſtas ſive Zuinglianos componenda, ſi fieri poſſet, per colloquia

VAR. LECT. [α] VI CIↃ auxiliariorum Scotorum Oſtendam *MS. Reg.* [β] ſynodus celebrata. In ea *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *de Ligne comte d'Aremberg.* [b] *Correo major.* [c] *Valladolid.* [d] *Velaſco duc de Frias.* [e] *Gap en Dauphiné.* [f] *Martiniſtes.*

NOT. [1] *potius* Pincia Carpetanorum

CIↃ IↃCIII. HENRICUS IV. colloquia et conventus, rationes initae: quod ſi non ſuccederet, at in eo laboraretur, ut acerbitas ingeniorum per ſcripta virulenta ſingulis nundinis per Germaniam volitantia magis ac magis in dies exardeſcens, adhibito temperamento mitigaretur. Vix credibile eſt, quanta odiorum impotentia alteri in alteros, hoc eſt, Martiniani, qui in Germania pollent, contra reliquos ferantur, ut pejus eos Catholicis oderint. E palatinatu, ubi Calviniſtae invaluerunt, [α] miniſtri ea de cauſa ad conventum venerant. Itaque propoſitae rationes, et ſcriptae ſynodales literae, quae non tam acerbitatem illam mitigarunt, quam ſerpente interim per mutationem illam doctrina, interiora Germaniae, ac totam fere Brandeburgicam ditionem, quae ampliſſima eſt, pervaſerunt, et ſenſim ad ſuas partes pertraxerunt. Cum inter ſe tanta contentione diſſideant, in oppugnando pontifice et Romana eccleſia magna omnium concordia eſt. Itaque inter eos tunc agitatum, ac tandem poſt magnas altercationes decretum, ut ad confeſſionis recitatae capita adderetur, pontificem Romanum Antichriſtum eſſe, eique notas a Daniele et Apoſtolo deſignatas convenire, a [β] cunctis conſtanter teneretur. Id moderatiores inter ipſos, et quam ſiniſtre id a Catholicis acciperetur, minime ignaros, tunc male habuit, et poſtea omnium maxime regem anxium tenuit, apud quem de tanta injuria pontificius orator graviter expoſtulavit. Et ſane ſic aequiores cenſebant, tolerandam non eſſe eorum audaciam, qui cum acerrimo leviſſimae cujuſque injuriae ſenſu tangantur, alios injuria afficere pro ludo habeant. Edictis cautum eſſe, ne quis illis dicto vel facto contumeliam faciat. An propterea licere illis alios impune laedere? Quam autem majorem injuriam, majorem denique contumeliam Catholicis infligi poſſe, quam ſi dicantur Antichriſtum colere, ejus ſucceſſionem et auctoritatem agnoſcere, ejus ſe poteſtati in rebus ſacris ſubjicere? Atqui ſi illorum aſſertio locum habeat, ex ea ſequi, Catholicos Antichriſti cultores et ſequaces eſſe. Crebras retro ſaeculis multorum, etiam eorum qui ſciſſuram nolebant, querimonias auditas, ſupercilium, faſtum et luxuriantis potentiae typhum in Romana eccleſia incuſantium; illam a ſe abire, ab humilitate, caſtitate, tenuitate majorum, a quibus incepit, a charitate denique priſtina, ſine qua ceterae virtutes frigent, jampridem receſſiſſe. Qui propterea eam Antichriſti officinam dixerit, adhuc repertum neminem. Ex quo autem in apertam ſciſſuram res evaſit, pleroſque ex iis qui a nobis ſponte abierunt, per contentionem in voces contumelioſas, voce et ſcriptis prorupiſſe; ſed qui id fidei confeſſioni inſerendum, et piis neceſſario credendum cenſuerit, adhuc itidem neminem extitiſſe. Nunc cum credendi neceſſitas imponatur, hoc quid aliud eſſe, quam eos, a quibus offendi nolis, ſpontanea offenſione laedere, et per eam quaeſita diſſidii occaſione publicae concordiae, cujus cauſa ſancita ſunt edicta, rationes ultro ſine injuriae provocatione conturbare? Contra, qui factum tuebantur, ſic differebant, et non animo laedendi Catholicos, cum quibus pacem et amicitiam malint, hoc feciſſe Proteſtanteis aiebant, verum ut ſuae a pontifice diſceſſionis rationem redderent; nam niſi juſtas ob cauſas e Babylone exiiſſe ſe oſtendant, et non Petri cathedram deſeruiſſe, ſed propter abominandas profanationes alio ad tempus migraſſe, dubium minime non relinqui, quin merito ſegreges et Sectarii ab omnibus habeantur. Itaque coactos eum Antichriſtum pronunciare, quem deſeruerunt. Id cum ſinguli credant, cur non univerſi confiteantur? Conceſſae conſcientiis libertatis id potiſſimam partem facere. Ea ſublata edicta et uſum vitae adimi. Quapropter non eſſe, cur Catholici tantopere exaſperentur, cum ipſi extra cauſam religionis cum illis, ut bonos civeis decet, idem in republica ſentiant, pro nomine Francico tuendo adverſus externa machinamenta

VAR. LECT. [α] paſtores ea de cauſa ad ſynodum *MS. Reg.* [β] cunctis Reformatis eccleſiis conſtanter *MS. Reg.*

machinamenta aeque concordes ac ſtrenui. Haec ita in utramque partem jactata, quae novam antiquis odiis et ſcriptis amarulentis hinc inde poſtea certatim evulgatis materiam praebuerunt. Alia et in ea ſynodo decreta, de impoſitione manuum, cum paſtores ad munus ſuum vocantur, quod non amplius in conſiſtoriis aut colloquiis, ſed coram populo diebus Dominicis, coetu ſolemni, deinceps fieret. Moniti et paſtores, ut inter concionandum parcius auctoritate patrum et ſcholaſticorum doctorum teſtimoniis uterentur, ſed purum Dei verbum pro ſolido fundamento aedificiis a ſe ſubſtructis ponerent, theologicae diſputationes in ſynodis et colloquiis antea agitari ſolitae ad ſcholas, ſicuti jam [a] Salmurii decretum fuerat, in poſterum rejectae, praeſcripta argumentandi forma. De appellationibus et actum, quae a ſtatutis et ſynodorum provincialium decretis interjiciebantur. Item ex ea occaſione, de cenſuris et aliis in arcano caſtigationibus. Tum lectus libellus Proteſtantium in Saluciano marchionatu degentium, qui permutatione per pacificationem ultimam Sabaudo ceſſerat; decretumque, ut rex rogaretur, auctoritatem ſuam apud Sabaudum interponeret, et libertatem conſcientiarum ſubditis quondam ſuis conceſſam ab illo impetraret. A rebus etiam ad verba deventum, et praetenſae religionis reformatae, quae actis judiciariis uſurpantur vocabula, ut non tenerentur deinceps apponere, magna petitum contentione, cum paſtores ea ſe amplius in atteſtationibus appoſituros praefracte negarent; quippe cum id ſalva conſcientia facere non poſſe dicerent; quod agitatum tunc potius, quam a rege impetratum: tamen poſtea cum ſemper reponeretur, inventa tandem ratio, qua, omiſſis illis omnino vocabulis, utrique parti ſatis ea in re [α] fieret. Cum a Santonica nobilitate quaereretur, an in monumentis effigies ad familiae decus erigere, et ſepulchra peculiaria ſtruere, an item in templis, quae aedificabuntur, inſignia ſua apponere fas eſſet; a [β] conventu reſponſum eſt, debere ipſos ſimplicitate antiqua contentos eſſe, nec ſibi peculiare quidquam habere velle, communione Sanctorum illa, ut in morte, ſic in reſurrectione, ſpem reponere prae ſe ferenteis. In templis eadem ſimplicitate et modeſtia utendum; idque contra legis Romanae praeſcriptum, quae invidiae affine pronunciavit aliquem prohibere fructu munificentiae ſuae, hoc eſt, inſcriptione ſui nominis. Leges item dictae ſcholis et academiis, et ſeminaria inſtituta in ſingulis provinciis ad juventutis inſtitutionem, ex quibus miniſtri poſtea probatae vitae et exploratae doctrinae miniſterio obeundo deligerentur. Inſtitutae et bibliothecae, et ut biblia Complutenſia ſive Antuerpiana plurium linguarum in iis haberentur, poſtremo decretum. Antea VII Eid. Sextil. Henricus [b] Roanus Leonenſis princeps, dux ex vicecomite antiquo, et patricius regni creatus, in ſenatu ſacramentum dixit. Id decori illuſtriſſimae familiae datum a rege, quem Roani proxima cognatione contingunt; quippe qui Eliſabetham [c] Labretanam Henrici Navarrae regis ſororem aviam habuerint, quod amplius diplomate ea de re a cognato rege conceſſo exprimitur.

XXI. Nunc illuſtrium mortes dicentur. Maria Caroli V filia, et Maximiliani agnati conjux, Rodolfi Caeſaris et tot liberorum parens, a Philippo fratre ex Germania in Hiſpaniam revocata, ut ſi ſe mori prius contingeret, regnorum curam et adminiſtrationem cum iis, quos illi attribuebat, conſiliariis ſuſciperet, ante Anglam VI Kal. Mart. annos nata LXXV [d] Mantuae Carpetanorum deceſſit. Paulo poſt VIII Eid. April. Geor. Frid. Brandeburgicus [e] Onosbacenſis fatis conceſſit Onosbachii, cum XLVII totos annos principatum tenuiſſet, LXIV vixiſſet: cujus morte, nam ſine liberis

VAR. LECT. [α] fieret, quod a Juliodunenſi dein poſt edicto deciſum fuit. Cum *MS. Reg.* [β] ſynodo *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Saumur.* [b] *de Rohan prince de Leon.* [c] *d'Albret.* [d] *Madrid.* [e] *le marquis d'Anſpach.*

CIƆ IƆCIII. liberis obiit, magna acceſſio ad agnatorum ſeptemviralem ſtirpem facta eſt, ut hodie

HENRICUS IV. nulla tota Germania plus terrarum ac ditionum Brandeburgica familia poſſideat. Eum eodem anno ſecutus eſt Chriſtoph. Ratzivilius Nicolai, a nobis in ſuperioribus toties memorati filius, [a] Birzarum dux et [b] Vilnae in Lithuania Palatinus XII Kal. Dec. cum LVI, qui a multis aeque climacterico periculoſus exiſtimatur, aetatis annum ageret. Paulo poſt Adamus a [c] Bikema [d] Moguntinus praeſul ſeptemvir, diem ſupremum obiit, cui in dignitate ſuffectus eſt Jo. [e] Snicardus Cronebergus.

XXII. NEC omittendi ſunt viri literis clari, et in iis Jac. [f] Monavius Wratiſlavienſis, patritius, et doctrina propria atque humanitate, et Juſti Lipſii commendatione clarus; qui diem ultimum vitae clauſit in patria, cum LVI aetatis annum ageret. Quem ſecutus eſt Andreas [g] Caeſalpinus praeſtantiſſimus peripateticus, qui cum diu [h] Piſis docuiſſet, et ſcriptis famam nominis propagaſſet, a Clemente VIII evocatus archiatros ejus fuit, et Romae deceſſit. Initio anni VII Kal. Martias Lutetiae Pariſiorum anno climacterico ſuo ad Deum migravit Franc. [i] Vieta Fontenaio in inferiore Pictonum provincia natus, vir ingenioſa et profunda meditatione, cujus vi nihil illi inacceſſum in abſtruſioribus ſcientiis, nihil, quod acumine mentis poſſet confici, difficile confectu fuit. In mathematicis praecipue induſtriam, inter alias occupationes et negotia, a quibus capax et indefatigabile ejus ingenium nunquam vacavit, tota vita exercuit; in quibus adeo excelluit, ut quicquid ab antiquis in eo genere inventum, et ſcriptis, quae temporis injuria aut perierunt aut obſoluerunt, proditum memoratur, ipſe adſidua cogitatione invenerit et renovarit, et multa ex ſuo ad illorum ingenioſa reperta addiderit. Tam profunda autem meditatione fuit, ut saepius viſus ſit totum triduum continuum in cogitatione defixus, ad menſam lucubratoriam ſedere, ſine cibo et ſomno, niſi quem cubito innixus, nec ſe loco movens ad refocillandam per intervalla naturam, capiebat. Scripta ejus rara, neque tamen pauca, quod ea ſumptu ſuo cudenda curaret, et exemplaria penes ſe retineret, quae amicis, homo longe ab omni avaritia poſitus, et harum rerum peritis liberaliter diſtribuebat. Multa et adfecta reliquit, quibus praeclaras has artes, repetita veterum memoria, ſummo ſtudio inſtauravit, quae Petri [k] Alealmi Aurelianenſis, cujus induſtria a ſe, dum in vivis ageret, exculta utebatur, fidei ab heredibus commiſſa ſunt, ex eoque theſauro poſtea tam ab ipſo, quam Alexandro Anderſono Scoto et aliis, multa deprompta ſunt, et in lucem edita, quae admirationem in animis harum rerum peritorum majorem in dies excitant, et immortalem ejus gloriam intermori minime patiuntur. Hadrianus Romanus cum problema omnibus totius orbis mathematicis conſtruendum propoſuiſſet, Vieta illud continuo ſolvit, et cum caſtigationibus et auctario, et Apollonio praeterea Gallo ad Romanum remiſit, tanta cum Romani admiratione, ut confeſtim ille iter in Galliam corripuerit, ut hominem ſibi antea ignotum conveniret, et poſtea arctam cum eo amicitiam coleret. Cum Romanus [l] Herbipoli, ubi relicto [m] Lovanio domicilium fixerat, Lutetiam venit, Vieta aberat, ad ſuos Pictones profectus ut valetudinem jam infirmam curaret; qua re cognita, quamvis adhuc C leucarum noſtratium iter reſtaret, Romanus obfirmato ſemel animo in viam ſe dedit, et ad Vietam prius per literas monitum contendit, cum quo totum menſem fuit, et de quaeſtionibus, quibus ad eum inſtructus venerat, per otium egit, et majora omnia ſpe in homine minime fucato, cum ſtupore admiratus eſt: tandemque poſt amplexus et aegre vale dictum, pro tam honorifica ad ſe profectione, Vieta hoſpitem reducendum ad limitem curavit, et ſumptus in eam rem neceſſarios ſuppeditavit. Tanti autem conatus in Apollonio factus eſt, ut Vietae

INTERPR. [a] *Byrtza.* [b] *Vilna.* [c] *de Bicken.* [d] *de Mayence.* [e] *Swichard de Cronenberg.* [f] *Monaw de Breſlau.* [g] *Ceſalpini.* [h] *Piſe.* [i] *Viette de Fontenay en bas Poictou.* [k] *Aleaume d'Orleans.* [l] *Wirtzbourg.* [m] *Louvain.*

Vietae aemulatione Marinus [a] Ghetaldus Racuſinus praeſtantiſſimus mathematicus, anno VII poſt Apollonium redivivum ediderit, una cum ſupplemento Apollonii Galli. Doluit mihi valde, quod tam ſtomachoſe cum eo altercatus fuerit initio Scaliger, cum de Cyclometricis inter ipſos ageretur. Sed vir generoſus tunc Vietam ignorabat, et aegre propterea ab illo reprehendi ferebat, cum nondum ſatis perpendiſſet, an citra paralogiſmum, quod probandum ſuſceperat, demonſtraſſet. Itaque poſtea honorifica recantatione ſe ipſum caſtigavit, et in arcano praecipuam erga Vietam ab eo tempore reverentiam ſervavit. Paulo antequam moreretur Vieta, in Kalendario Liliano defectus magnos ab aliis jam notatos cum animadvertiſſet, de forma, quae in eccleſia Romana recipi poſſet, ſerio cogitare coepit; et Kalendarium novum, quod vere Gregorianum appellabat, conſtruxit, ad eccleſiaſtica feſta et ritus accommodatum, quod typis mandatum cum relatione de ejus ratione ad eccleſiaſticos doctores anno CIƆ IƆC cardinali Aldobrandino Lugduni obtulit, cum ille de pace cum Sabaudo acturus a pontifice ad regem veniſſet. Sed nullo ſucceſſu, ſicuti proficiſcentem, cum mihi conſilii ſui rationem expoſuiſſet, amice monueram; quippe qui animo providerem, emendationem apud principes Chriſtianos adfectatione tanta inſinuatam, et per prenſationes poſtremo receptam, non facile vel in melius mutaturos eos, qui ulla in re erraſſe, aut errare poſſe, ne fateantur, pro imperii arcano ducunt. Sane cum Aldobrandinus poſt pacem factam Romam revertiſſet, et Chriſtophorus Clavius, qui pro [b] Lilio, tot editis jam ſcriptis, anticipata opinione propoſitam emendationem protinus rejeciſſet, gravem ad eum expoſtulationem miſit Vieta; nec, ſi diutius ſuperfuiſſet, eo ſtetiſſet contentio; nec, qui mortuo barbam vellere non dubitarunt, eo ſuperſtite ſi auſi eſſent, non vapulaſſent. Ita autem de Clavio ſentiebat Vieta, antequam ob illam contentionem contra eum exacerbari potuiſſet, optimum eum eſſe mathematicorum elementorum interpretem, et eximia facilitate, quae ab inventoribus obſcurius in quavis eorum parte tradita ſunt, explicare: ceterum, quantum ad ſcientiam, ita ſcribere, ut ſcribendo quae ſcribit, primum diſcere videatur; nihilque de ſuo ingenio addat, ſed exſcribat omnia, ſuppreſſis fere eorum, a quibus proficit, nominibus; nullo operae praeterea pretio, niſi quod ſparſim, confuſe, et minus dilucide ab aliis ſcripta, ipſe colligit, ordinat, et ita perſpicue proponit, ut ex alienis propria efficiat. Leve eſt, quod dicam, vel ipſo judice Vieta, quod tamen quivis alius magni fecerit. Res Hiſpanorum longe lateque ſparſae, ut communicatione et conſiliorum conſenſione conjungantur, ſecreto egent, ad quod illi, qui vaſtam et longius plerumque juſto reſpicientem prudentiam adhibent, literis exſoleto et incognito charactere exaratis uti ſolent, brevioribus ad ſingulos, ad univerſos amplioribus, et ordinem et charactérem ſubinde per otium interpolant, vertunt, mutant, ne tempore ſecretum emanet. Sed cum hoc faciunt, longo temporis ſpatio opus habent, quo praefectos longe ad Indias poſitos moneant. Tale erat illud notis amplius IƆ compoſitum inſtrumentum, quo per bella infeſti adeo decennii contra nos utebantur, quo tempore pleraeque eorum interceptae literae valde prolixae, quibus conſiliorum ſuorum rationes explicabantur, quibus ii, qui vulgo his in rebus induſtriam ſuam exercent, ob notarum tantam multitudinem expedire ſe minime poterant. Itaque ad Vietam regis juſſu miſſae, nihil tale cogitantem, et qui ſatius habuiſſet, alia quavis in re ingenium ſuum fatigare; qui familiari ſibi in ſtudiis gravioribus meditatione illud totum expiſcatus, et pleraſque deinceps alias maximi momenti, reperto ſemel arcano, nullo negotio interpretatus eſt: quod res Hiſpanas totum biennium valde conturbavit, qui re per noſtras

INTERPR. [a] *Ghetaldo de Raguſe.* [b] *Lilio.*

noſtras viciſſim interceptas detecta, neceſſitatem inſtrumenti, quod inexplicabile rebantur, mutandi impoſitam dolebant. Itaque illi, qui ad odium et invidiam nihil non comminiſcuntur, magicis artibus, nam aliter fieri non potuiſſe, a rege id factum, paſſim, et Romae praecipue, non ſine riſu et indignatione rectius ſentientium per emiſſarios ſuos [α] publicabant. His ſenior, et quia voluit obſcurior [a] Vidus Coquillius Romaneius [b] Novioduno Aeduorum, quod nunc Nivernium dicitur, et illuſtriſſimorum Clivenſium ſeu Gonzagarum principatus caput eſt, et civitas epiſcopalis, natus, poſt obitum illuſtrior, ſcriptis ejus publicatis, quae vivus preſſerat, nunc vel invitus in hominum memoriam retrahendus eſt. Lutetiae primum literis humanioribus, dein juri utrique operam dedit; et in foro Pariſienſi aliquandiu verſatus [c] Patavium petiit, ut ſe Mariano [d] Socino juniori, cujus tunc nomen erat celebre, recoquendum daret. Inde patriam repetiit, nunquam inde migrare certus, et aequitatis ac doctrinae laude inter ſuos clarus, conſulentibus facilem ad ſe aditum praebebat, a ſordibus alienus, et erga tenueis munis; nec in literis interea ceſſabat, nam jus conſuetudinarium, cujus cognitione praecipue excellebat, dum jus municipale proprium interpretatur, maxime illuſtravit, et hiſtoriam praeterea patriam magna fide ac diligentia ſcripſit. Item accuratiſſimas de Gallicanae eccleſiae juribus, quae nunc ubique exagitantur, obſervationes collegerat, quae plagio perierunt: dum domi lateret, a popularibus tribus ordinum regni conventibus in lucem productus eſt, iiſque magnam ab omnibus gratiam reportavit. A principibus ſuis generali provinciae procuratione decoratus fuit, et in ea, menſe Maio, major octogenario vir de ſua aetate et poſteritate optime meritus, deceſſit.

XXIII. Eodem anno [e] Hametes Mahametis filius, [f] Marochi Feſſae et Suſianae rex, qui poſt victoriam proelio, in quo Sebaſtianus Luſitaniae rex occubuit, partam, et [g] Melici fratris obitum repentinum, ſicuti in ſuperioribus demonſtravimus, rerum per annos xxvi, arcta cum Anglis et Batavis, quandiu vixit, foederatione conjunctus, potitus fuerat, ultimum vitae diem clauſit; relictis quinque filiis, quorum natu grandior [h] Checus nomine ob mores a patre cuſtodiae mancipatus fuerat. Ordine ſequebatur [i] Zidanus, qui captivum fratrem cum in poteſtate habere vellet, Bucerus tertius frater eum antevertit, et captivum Marochum ſecum abduxit, retentoque ejus filio obſide, bello contra Zidanum praefecit. [k] Bucerum pater Checo et Zidano praedilexerat, et Marochi, ac reliquarum a ſe bello quaeſitarum provinciarum ad [l] Tombutum uſque et Gagum, regem vivens conſtituerat, relictis in ejus poteſtate theſauris. Praeter eos et reliquit Nacerum, et Abdalam xvi annorum puerum. Checus rem felicitate tanta contra Zidanum geſſit, ut eum bello profligatum Feſſae regno, quo Larachia continetur, penitus exuerit; duobus aliis fratribus, quibus vires potius quam animus deerant, interim quieſcentibus. Abdala Hametis [1] parens praeter Melicum et Hametem reliquerat Mahametem, qui de regno controverſiam [2] fratribus moverat, et Sebaſtiano in Africam tranſeundi auctor in proelio cum eo ceciderat. Is filios duos reliquit, Nacerium in Africa caeſum, [m] Mahametem cognominem, qui ejerata peſtifera ſecta ſacris Chriſtianorum initiari voluit, et Philippi ab Africa nomen ſumpſit. Bucerus poſt exactum Zidanum rerum potens

Checum

VAR. LECT. [α] publicabant. Exempla literarum auctoris manu eleganter deſcripta, quae ille mihi ipſe tradidit, penes me adhuc religioſe ſervo. Haec de tanto viro non ſatis vulgo cognito prolixius dixiſſe, qui in aliis brevior ſim, ſi quibuſdam videbor; ii certe erunt, qui quod virtuti, quod admirabili doctrinae, quod denique arctae, quae nobis cum illo fuit, per multos annos amicitiae debeatur, aut ignorantia, aut naturali ingratitudine caeci neſciunt. His ſenior, *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Gui Coquielle Sr. de Romeney.* [b] *Nevers.* [c] *Padoue.* [d] *Socino.* [e] *Muley Hamet.* [f] *Maroc, Fez, & Suſa.* [g] *Muley Melec.* [h] *Muley Chec.* [i] *Muley Zidan.* [k] *Muley Bucer,* ou *Buſſeros.* [l] *Tombuto, & Gago.* [m] *Philippe d'Afrique.*

NOT. [1] *lege* et Melici frater reliquerat Mahametem filium *Put.* [2] *lege* patruis.

Checum fratrem Feſſae regno frui indulgenter permiſit, Abdala filio penes ſe obſide retento, Abdalam fratrem juniorem utrique ſucceſſorem deſignans et Checo et ſibi; quippe Abdala Meluco vicenni, quem unicum filium habebat, immatura morte ſublato. Nunc ex gente apud Portam ſupereſt Iſmael Melici, qui victoriam contra Sebaſtianum Hameti peperit, filius; qui de regno patruo Hameti, et poſt mortem ejus filiis non ceſſat controverſiam movere, ſed irrito hactenus ſucceſſu, Turcorum viribus in Aſia hinc contra Perſas, et Europa bello Pannonico occupatis. Haec materia novi belli in utraque Mauritania, ad omneis non ſolum principum obitus, ſed etiam ad quoſvis ex quacunque occaſione motus frequentis, hinc a Porta Othomanica, hinc ab Hiſpanica aula imminet.



JACOBI

# JACOBI AUGUSTI THUANI
## HISTORIARUM SUI TEMPORIS
### LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS.

#### EPITOME.

*IN imperio Turcico hoc tempore periculoſi motus. Gaſſius Begus Tauriſium capit et Perſarum regi tradit. Satrapa Horologerus vulgo dictus, Perſarum conatus reprimit.* II. *Equitum Melitenſium in Graeciam felix ad Patras expeditio.* III. *Mahometis* III *obitus relicto impubere filio.* IV. *Venetorum cum Rhaetis vicinis foedus.* V. *Res in Pannonia a Ruſwormio contra Turcos geſtae.* VI. *In Dacia Moyſes Albam Juliam intercipit. Baſta commiſſo proelio inſignem de Moyſe victoriam reportat.* VII. *In Germania celebrata Ratiſponae comitia. In Saxonia inter Chriſtianum Saxonem ſeptemvirum et Anhaltinos principes grande diſſidium.* VIII. *Oſtendana obſidio continua ſerie ad exitum perducta. Ambroſius et Fridericus Spinolae fratres opibus pollentes nec minores animis ad majora ſe hoc anno parant. Silvae-ducenſes praeſidium urbe ſua ejiciunt.* IX. *Frid. Spinola navali certamine contra Batavos fortiter pugnans ingenti ſui relicto deſiderio occubuit. Ejus praefecturae et dignitates in Ambroſium fratrem a Philippo collatae. Frid. Bergenſis comes Italos et Hiſpanos, qui ſuperiore anno rebellaverant, ad obſequium ſine conditione, Alberti juſſu vi cogendos ſuſcepit. Seditioſi cum Ordinibus conveniunt. Silva-ducis a Mauritio irrito conatu obſeſſa. Tandem aſtu ab Alberto in oppidum immiſſi praeſidiarii.* X. *Interim in Oſtendana obſidione multae machinae a Pompeio Targone Romano excogitatae nullo ſucceſſu.* XI. *Albertus de obſidionis exitu deſperans cum Ambroſio Spinola agere coepit, eique ultra delatum ſummum armorum imperium. Spinola ad Oſtendam venit.* XII. *Ordines de exitu veriti exercitum inſtruunt. Cum dubium eſſet quo tenderet Mauritius, praefecti vicini ſibi metuentes ad Albertum ſcribunt, et auxilia ſummitti petunt. Tandem Mauritius ad Vliſſingae canalem cum claſſe* IↃ *omnis formae navigiorum appulit. Mauritiana claſſis in Sluſenſis canalis oſtio haeret. Quae ad exſcenſionem hoſtium impediendam ab Albertinis facta. Cum nec Graviae ſeditioſi quieſcerent, Albertus neceſſitate adductus cum iis tranſegit.* XIII. *Mauritius Iſendika capta ad Sluſas caſtra ponit. Loci ſitus. Spinola Mauritium a Sluſarum obſidione prohibere fruſtra tentat. Obſeſſi extrema penuria preſſi deditionem faciunt. Sluſis Lud. Guntherus Naſſovius ex morbo decedit. Mauritius ex Ordinum conſilio loco luſtrato munitiones veteres dirutas inſtaurat, et novas ſtruit. Iſendikam itidem firmat.* XIV. *Albertus hunc caſum aegerrime tulit. Ordines Sluſis captis minus de Oſtenda ſoliciti. Contra Albertus loci capiendi majore deſiderio flagrat. Spinola ad obſidionem redit. Mauritius ſolvendae obſidionis conſilio omiſſo recedit. Obſeſſi ad magnas anguſtias redacti cum Spinola honorificis conditionibus tranſigunt.* XV. *Urbis captae rudera ab Alberto et Infante luſtrata. Spinola in Hiſpaniam exeunte anno diſceſſit, magnis a Philippo honoribus ob rem bene geſtam cumulatus. Cum eo belli in poſterum gerendi rationes init.* XVI. *Ordines aerarii adminiſtrandi tributorumque cogendorum ad belli ſumptus ſuſtinendos rationes ineunt, novaſque copias conſcribunt.*

*conſcribunt.* XVII. *Nuperi imperii magnitudo et felicitas. Ad Indias Orientaleis ſocietates inſtitutae, cautumque ut ſub una ſocietate omnes coirent.* XIII *naves ad id inſtructae.* XVIII. *Georgii Spelbergii et Jacobi Cornelii Nekii, poſt triennalem navigationem in Indias Orientaleis ſuſceptam, felix in patriam reditus. Hominum barbarorum conditio, victus, habitus, ingenium, mores, religio, copia aromaticarum arborum, civitatum et oppidorum frequentia, fuſiſſime exponuntur.*

EX AUCTORIBUS,

*Relationibus Turcicis M.SS. Gaſpare Ens, Imm. Meterano, Relatione Saxonica MS. Oſtendanae obſidionis diario, Pompeio Juſtiniano, Spelbergii et Nekii navigationibus.*

## LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS.

MAGNI hoc tempore motus et caſus imperium Turcicum quaſſaverunt; non eo tamen quo ſperandum fuit ſucceſſu. CIϽIϽCIII. HENRICUS IV. [a] Gaſſius Begus natione Parthus in Perſiae finibus nobilitate et opibus praepotens, rebus Perſarum cum in occulto faveret, ex occaſione privatarum injuriarum [b] Tauriſium obſederat, quod ad extremum haud admodum contra repugnantibus oppidanis deditione in fidem accepit. Perſicum nomen initio minime obtendebatur, quanquam prudentiores non dubitabant tantae molis negotium a dynaſta peculiari contra Turcicam potentiam non fuiſſe ſuſceptum, ſine certa et tamen latente majoris principis ope; quod poſt deditionem ſtatim patuit, Perſarum rege cum magno exercitu ſuperveniente; qui urbem valido praeſidio et arcibus, quod ab initio non fecerat, ex belli ducum conſilio firmavit. [c] Naſivani, quod haud longe a Tauriſio abeſt, purpuratus loco diffiſus ad [d] Reivanum alteram ſatrapiae urbem munitiorem ſe recepit. Turbatis hoc caſu Turcorum rebus cum jam ſinguli praefecti non de nomine Turcico tuendo, ſed de privata ſalute cogitarent, ſatrapa homo ambitioſus, ſive ex neceſſitate, ſive ex amplificandae fortunae deſiderio audax et generoſum conſilium ſumpſit, et quod ex eventu ſummopere in Porta poſtea laudatum fuit. Is eſt, qui [e] Horologerus vulgo vocabatur, et vitae periculum ſuperiore anno adierat, cum princeps Eunuchorum, ut furori [f] praetorianorum litaretur, a Sultano poenae deditus eſt. Igitur ſimulato quod a Porta acceperat mandato, quo ſummus exercituum dux ad arcendos Perſarum conatus creabatur, ſingulos vicinos praefectos ad ſe vocat; et ne a tergo contra hoſtem occupatus, a tumultuantibus per Aſiam circumveniretur, ad eos mittit, et venia praeteritorum facta, ſic enim ſibi a Sultano mandatum jactabat, largeque promiſſis oneratos, et diſtributis provinciis ornatos in belli ſocietatem aſcivit, ac brevi grandem exercitum ac Perſico parem ſub ſignis habuit. Amano, qui primarius tumultuantium dux ad VIII CIϽ equitum ſecum trahebat, Tauriſii ſatrapiam attribuit: quam Horologerus tam opportune ſibi privata auctoritate potentiam uſurpaverat, mandatis ampliſſimis confirmatam mox a Porta accepit.

II. DIVERSA parte, cum valetudine inclinante ubique Sultani fortuna, [g] Aloſius Vignacurius Hieroſolymitanae militiae princeps ſuos otio torpeſcere ne ſineret, in

INTERPR. [a] *Gaſſi Beg.* [b] *Tauris.* [c] *Naſſivan.* [d] *Reivan.* [e] *l'Horloger.* [f] *Janiſſaires.* [g] *Alof de Vignacour grand maiſtre de Malte.*

CIƆIƆCIII.
HENRICUS IV.

in Graeciam hoc anno expeditionem ſuſcepit, et arces duas in Corinthiaci [a] ſinus faucibus hinc inde poſitas, ex quibus crebrae contra Chriſtianos excurſiones fiebant, a peritis exploratas aggredi ſtatuit. Sinus ille duobus promontoriis veluti clauditur, olim Rhio et Antirrhio cognominatis, in quibus utrinque ſpeculae, nunc Dardanelli dicuntur, ſicuti in [b] Helleſponto, qui olim Seſtus et Abydus erant. Supra Antirrhium [c] Naupactus eſt in Locris Ozolis, cui nunc Lepanto nomen, unde et totus ſinus hodie etiam nomen accepit: infra Rhium, quod in [d] Peloponneſo eſt, [e] Patrae ſitae ſunt, maritimum oppidum ad occidentem cum arce expoſitum, quod ſuam et nunc appellationem ſervat. Ad id inſtructi III [f] myoparones. In primum majorem, qui militiae eſt, CC equites; in II alios, quos peculiareis habebat IↃ bellatores impoſiti: praeterea II egregie armatae naves ſtipendio militiae, IV item triremes, IV liburnicae, et curſoria una: luſtravit ipſe claſſem, hortatus ſocios, ut in expeditione, quae ad Dei gloriam et nominis ſui contra communem hoſtem, ſeu defenſionem ſeu amplificationem ſpectabat, ſtrenuam operam navarent. Tum duces primarios ſingillatim prenſat, et officii admonet: ii erant [g] Vivarius militiae tribunus, qui copiis terreſtribus praefuturus erat; [h] Aſcanius Cambianus maris praefectus, Ludovicus [i] Bellofortius vexillifer, centuriones primarii [k] Signorinus Gatinara, [l] Potonvilla, Ludovicus [m] Salazarius. [n] Ognonius et Cremeus tormentorum portatilium directoribus attributi, qui iis cum delecta manu praeſto eſſent; ii autem erant [o] Camremigius, et [p] Bellaqua equites. Cum VII Eid. April. Melita ſolviſſet claſſis, XVI Kal. Maias [q] triremes et liburnicae, vento ſecundo uſae ad [r] Echinadas appulerunt, ad quas convenire univerſi debebant; eae XL circiter milliarium ab iis arcibus, ad quas tendebat, ſpatio diſtant. Poſtridie myoparones, et naves cum curſoria eodem comparuerunt; inde Vivarius [s] Claretum equitem, nocte obſcura, mittit qui arces inſpiceret, et certiora ad eum afferret; quod ille ſedulo fecit, adducto ſecum homine indigena, qui valido admodum praeſidio firmata loca affirmabat, quo noſtros, ut veroſimile fiebat, ab conatu deterreret. Capta et aliquot Graecorum navigia, quae uſui noſtris fuerunt. Conſultantibus,poſt Claretum et hominem, quem dixi, auditum, multa occurrebant, quae de ſucceſſu diffidere jubebant; verum poſt proſperum curſum, longius progreſſis turpe viſum re infecta domum redire. Itaque ſumma alacritate rem tentandam decernit, et XIII Kal. Maias Vivarius partitus copias, et expoſito paulo ante auroram ad Patras milite, quanquam a ſpeculatore detectus, per medios ſcloppetorum et petrarum hoſtilium ictus ultra pergit. Bellaqua, qui crepitacula portabat, ad portam ea interim admovet, eaque refracta Ognonius eques et [t] Porta accurrunt cum LX delectis, quos pone ſequebatur Vivarius, qui hoſtem in armis in oppido reperit ad certamen obſtinatum, qui ad extremum impar in arcem interiorem ſe recepit; ad quam admoto crepitaculo altero fit impetus, quamvis per foramen factum tantum ſinguli penetrare poſſent. Obvii quique trucidati, et in ſummo pinnaculo Melitenſe vexillum erectum. Eodem tempore a Gatinara ad Naupactum vis facta, admoto feliciter a Camremigio crepitaculo; et Cremeo primum cum ſua manu, dein ipſo Gatinara cum copiarum reſiduo ſuccedente, repulſus hoſtis, qui ad ſtrepitum in foro conglobatus ſtabat, et ducto vallo in eo ſe muniverat; quod tandem appoſitis ſcalis poſt aliquod certamen, noſtri ſuperarunt. Hoſte in arcem interiorem ſe recipiente Melitenſes immiſti, loco potiuntur, praefecto et praetorianis, qui in ea remanſerant, occiſis. Fama ſparſa tanquam ad commune incendium undique per tumultum concurſum, et cum viderent Melitenſes, ſi

diutius

INTERPR. [a] *golfo di Lepanto.* [b] *Stretto di Gallipoli.* [c] *Lepanto.* [d] *la Morée.* [e] *Patras.* [f] *galions.* [g] *du Vivier mareſchal de l'Ordre general de terre.* [h] *Aſcanio Cambiano amiral de l'Ordre.* [i] *le commandeur de Beaufort François.* [k] *Signorino Gatinara Italien.* [l] *de Potonville.* [m] *de Salazar.* [n] *d'Ognon, & de Cremeaux.* [o] *le chevalier de Canremy.* [p] *le capitaine Beaulaigue.* [q] *galeres, & fregates.* [r] *iſles de Curzolari.* [s] *le chevalier de Claire.* [t] *le Sr. de la Porte.*

diutius iis in locis haererent, fore ut undique concluſi exitu negato tenerentur, de diſceſſu mature cogitare coeperunt; impoſitiſque in naveis LX tormentis omnis generis, et CCC circiter captivis, in quibus Patrarum praefectus erat; et pulvere nitrato ſuppoſito, turribus ac munitionibus quantum per temporis anguſtias licuit, deſtructis; quinto poſt die claſſem conſcenderunt, et IV Non. Maias incolumes in inſulam re bene geſta reverſi ſunt. In itinere, cum muros [a] Methonae praetervehererentur, capta aliquot navigia Turcica, quae bis mille frumenti modios, et XX minora tormenta portabant, quae plus reliqua praeda pro tempore aeſtimata ſunt, quod eo anno ſumma ejus in proxima Sicilia, unde [b] Melita alitur, penuria et caritas eſſet.

III. Eas cladeis tandem Mahometis extremo anno mors ſecuta. Is tertius hujus nominis ab Othomano familiae principe, XV rex, et VII Orientis imperator, patre et avo ventricoſis prognatus, et per voluptates amplius ſoluto abdomine vix ſe loco movere poterat, ut nomine ſic ſegnitie Mahometem II ex eadem familia referens; qui priore vita ſtrenuus creditus, atque adeo capta Conſtantinopoli, et abolito Chriſtianorum in Oriente imperio famoſus, poſtea inter voluptates emarcuit, immani crurum tumore recurrente vexatus, qui nunquam ulla medicorum ope curari potuit, ſicuti Philippus Comineus noſter memoriae prodidit. Mahometes febre peſtilenti correptus inter concubinarum et exoletorum greges, vix anno aetatis XXXIX completo, Conſtantinopoli deceſſit XII Kal. Jan. cum VIII annos regnaſſet. Antequam moreretur, crebris oratoris noſtri et Veneti querimoniis ob continuas Anglorum excurſiones et depraedationes, vix tandem excitatus ad regem literas dederat, quibus id ſibi dolere, et praeter voluntatem ſuam fieri teſtabatur; eapropter Muſtapham [c] Tunetis, et Solimannum Algeriae proſultanos, quod cum Anglis vireis ſociare dicerentur, praefecturis ſuis privaſſe, et ut facti rationem redderent ad Portam citaſſe, et [d] Mutium Epirotam purpuratum imperiis audientem futurum in Solimanni locum ſuffeciſſe, ipſum [e] Cerdam purpuratum, de quo rex ſaepius conqueſtus fuerat, ad Portam itidem citatum. Tum mandaſſe Aſſani principi purpuratorum, ut ad novum Angliae regem ſcriberet, quandoquidem minus celſitudini ſuae decorum eſſet, antequam prior ille ad ſe ſcriberet, et oratores ad Portam mitteret, ut ipſe ad eum ſcriberet. Literis autem purpurati Jacobo ſignificabatur, Sultanum et ejus majores hac lege cum principibus foederationem ſemper iniiſſe, ut ab omni maleficio per maria ſuis ditionibus circumpoſita navigantes temperarent, permiſſo tantum libero mercatoribus commercio. Anglos cum ſub vexillo Francico in iis olim inſtitoriam facerent, ad extremum a Sultano impetraſſe, ut a Francis ſeparatas rationes haberent, et ſub proprio vexillo navigarent. Id illis ab Amurathe parente conceſſum eadem lege, ut cum tanto principe vicino ſecum a tot annis foederato amicitiam comiter colerent. Tamen Francos et Venetos ac Turcos ipſos quotidie conqueri de ipſorum excurſionibus: eapropter ad Eliſabetham antea ſcripſiſſe, ut ſuorum excurſiones prohiberet, alioqui fore, ut clarigatione contra Anglicanos inſtitores uteretur: Nunc Sultanum intelligere, ut ipſe idem ſibi ſignificatum putet, et quid ſuae voluntatis ſit quamprimum ad eum perſcribat, nam ipſum ex ejus reſponſo conſilium capturum. Inſuper cognito, Algeriae et Tunetis Turcos, qui cum Anglis piraticam faciebant, quia ſciebant id Sultanum nolle, ne captivos et praedam reſtituere cogerentur, cum Feſſanis captivos commutare, ad Hametem Feſſae et Marochi regem dat literas, quibus hoc mercimonium inter ejuſdem ſectae cultores ſemper vetitum ſummopere improbabat, rogabatque ut captivos in

INTERPR. [a] *Modon.* [b] *Malte.* [c] *les Deys de Tunis & d'Alger.* [d] *Mutio Albanois.* [e] *la Cerda Baſſa.*

CIƆIƆCIII. HENRICUS IV. in ſuis ditionibus Francos libertati quamprimum reſtitueret. Mahometes moriens, in prima adoleſcentia filium heredem tanti imperii fere impuberem reliquit, quod huc uſque in illa familia nunquam evenerat; qui poſt donativum pro more large diſtributum, et Alim Aegypti purpuratum ſummae rerum praepoſitum, nequicquam contra tendente et merita ſua [a] Cicada extollente, et aviam, cujus invidioſum ſub patre fuerat imperium, in hortos ſuos longe ab aula ſua relegatam, praeter omnium exſpectationem, eandem quam majores in regni auſpiciis pacem invenit. Heic ut in graviſſimo publicae calamitatis ſenſu, paulum a propoſito evagari liceat, et quod ſentio, libere enunciare.: Immenſum et formidabile iſtud imperium, quod tam diu Chriſtianorum vireis et conſilia exercet, non tam virtute principum, qui in eo fuerunt, quam vitiis noſtris crevit; et niſi inſtaurato divino cultu, qui multifariam multiſque modis in hac mundi ſenecta collapſus eſt, et caſtigata in ſacro ordine diſciplina, atque adeo charitate, quae ceterarum virtutum ſupplementum eſt, reſtituta, quicquid fremant populi, quicquid inaniter meditentur, quicquid contra virium opponatur, nunquam creſcere deſinet. Ira quippe divina ſtat, quae ‘revelatur ‘ſuper omnem impietatem et injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in in‘juſtitia detinent,’ ut verba Apoſtoli uſurpentur; ob idque peſtiferam ſectam tamdiu et tantopere per totum Orientem pervagari paſſa eſt. Iram autem illam a neglecto Dei cultu, a vitiis eorum qui praeſunt, a peccatis populi, et refrigeſcente ubique inter nos charitate proficiſci, qui negaverit, is fontem mali et originem, aut ignorat penitus, aut maligne diſſimulat. Sane quiſquis ab humanis conſiliis et terrena prudentia, cui nimium hodie tribuitur, cogitationes ſuas et affectus, ad Numinis metum, qui ſapientiae principium eſt, et divinam providentiam, quae cuncta temperat, ſerio referet, non aliter de hac horribili ſciſſura pronunciabit. Nam ſi rationis ad humanae modum res perpendatur, quis non putaſſet, tantum imperium, quod mole ſua jam laborare incipit, ſub puero principe, recenti tot rebellionum exemplo, et ſoluta ubique inter milites diſciplina, ſubitis ad hunc caſum motibus quaſſatum iri, et purpuratos occaſionem inde capturos in ſua quemque provincia illud lacerandi, ſicuti in Alexandri morte factum accepimus? Quod tamen minime accidit, ut iram Dei contra nos merito inflammatam inde perſeverare, et ad eam expiandam, aliunde quam a prudentia humana, quaerendum remedium, atque adeo ab iis, quae dixi, ſubſidiis petendum, vel in ſole miſere caecutientibus, et ad vitia propria conniventibus, manifeſte appareat.

IV. Dum Veneti pro commercii per mare libertate apud Portam laborant, domi de procuranda rebus ſuis per terram ſecuritate ſerio deliberabant, et meditatum jampridem foedus cum [b] Rhaetis vicinis urgebant. Id ſe inſcio fieri, cum antiqua foederatione Rhaeti nobiſcum conjuncti eſſent, rex initio non aequo tulit animo; ſed re penſitata, et cognito, quicquid ex illo foedere Venetis accederet, id amicis accedere, nihilque inde hoc rerum ſtatu noſtris rebus detrahi; non aegre tandem a Venetis exoratus aſſenſit. Leges autem hac inter illos dictae. Amicitia inter civitates conſtans et fida eſto. Cum Veneti militari manu egebunt, tres populi VI CIƆ militum dare tenentor. Veneti non minus CIƆ IƆ aut ſaltem CIƆ legunto. Lecti in agro aut in praeſidiis manento. In obſidionibus ad oppugnationes, item ad expeditiones maritimas ire non tenentor. Si rex Chriſtianiſſimus integra XVI CIƆ, quae dare ex foedere Helvetii et Rhaeti tenentur, legat, eo caſu Rhaeti Venetis non VI CIƆ, ſed tantum IV CIƆ danto. Lecti milites intra X dies ad Venetum limitem comparento: ſingulis exeuntibus menſibus ſtipendium conventum accipiunto. Non niſi poſt tertium a luſtrationis die menſem copiae dimittuntor. Et quanquam nulla pugnandi

INTERPR. [a] *Cigala.* [b] *les Griſons.*

pugnandi occaſio ſe obtulerit, integrum ſtipendium accipiunto. Si pugnaverint, et Deus victoriam annuerit, menſtruum ſtipendium additor. Si dividi copias oporteat, ita dividuntor, ut non minus bis CIƆ ſub ſignis maneant. Tribuni et ordinum ductores Veneto imperatori, exercitus curatori, aut illi qui poſt eos ſummum imperium obtinebit, parento. Si quo tempore [a] tres populi Venetis militabunt, ab hoſte eos peti contigerit, copias datas ſi velint revocanto, reſtituto ſtipendio illius temporis quod non compleverint. Aegroti milites, quanquam morbo quo minus militent prohibeantur, unius menſis perinde ac ſi valerent, ac praeterea x dierum ſtipendium accipiunto. Tribunorum et cohortium ducum nominatio penes Venetos eſto, aliae inferiores dignitates penes tribunos et cohortium ductores manento, qui non ex alia gente quam Rhaetica ſunto. Liberum et immune commercium omni tempore inter civitates eſto, tantum antiqua portoria et vectigalia exigi ſolita pendunto. Tempus de contagione ſuſpectum excipitor, quo durante commercium intermittitor. Alteri alterius per ditionem ſuam liberum tranſitum militi extero, aut principi auxiliari dare tenentor; ita tamen ut juxta praeſcriptum ordinem, de quo inter partes conveniet, ſecuritati limitis in tranſitu proſpiciatur. Alterutra civitas alterutrius hoſteis quantum poterit, tranſitu per ditionem propriam prohibento, et mutua ſubſidia dare tenentor. Veneti Rhaetos bello appetitos omni ope et auxilio juvare tenentor. [b] Curiae Rhaetorum pecunia ad trium populorum ſolvendas penſiones deſtinata ſingulis annis exeuntibus deponitor. Proteſtantes in terra Veneta religionis ergo nulla moleſtia afficiuntor. Rhaeti viciſſim non loquantur, diſputent, aut libros vetitos importent, aut quidquam in religione publice faciant, quod receptae Catholicae religioni pugnet. Alterutra alterutrius nullos perduelleis aut noxios, aut enormis criminis reos, ut publicos graſſatores, ſodomitas, latrociniis infameis, incendiarios, virginum ſtupratores, adulteratae monetae poſtulatos, recipito: ſed repetenti alteri parti altera pars dedito. Niſi caritatis extremae tempore, altera civitas ab alterius civitatis territorio bis mille ſagmaria frumenti, et totidem milii exportare ſine novo alio tractoriae onere, quam quod indigenae ipſi pendunt, facultatem habeto. Si tres populi ſale egeant, eadem ratione qua in Brixiano agro ac Bergomenſi diſtribuitur, et ipſi accipiunto. Ad x annos proximos foederatio porrigitor, et ad ulterius ſpatium prorogare ex utriuſque partis conſenſu, jus eſto. Altera pars, quae ab ea diſcedere volet, ante annum quo expiratura eſt, alteri parti denunciato; ſi non denunciaverit, continuata in x alteros annos foederatio intelligatur. In cauſa publica, ſi controverſia intervenerit, ab utraque parte arbitri deliguntor; ſi non convenient arbitri, tertius utrique parti minime ſuſpectus aut foederatus ſuperadditor: in cauſis privatis ad judices et loca, in quibus contractum fuit, eatur, et ſine mora nullo ob religionem diſcrimine inter parteis jus dicatur. Nullo foedere praecedenti praejudicatum huic foederationi intelligatur, nullumque deinceps fiat, quod iſti praejudicet: Ita tamen ut tres populi a praecedentibus foederibus, cum aliis principibus ac civitatibus, nulla in re recedere aut praejudicium facere pariter intelligantur. Haec acta Curiae Rhaetorum ineunte hoc anno. Reipublicae nomine intervenerunt Jo. Baptiſta [c] Patavinus, et Antonius Maria [d] Vicentinus a ſenatus epiſtolis: quae poſtea Venetiis rata habita ſunt, Rhaetorum nomine interveniente Antonio [e] Sali.

V. IN Pannonia nihil admodum memorabile geſtum, ob motus, quos dixi, in Oriente, et quia [f] Scriba cum Sultano tandem reconciliatus, relicta Aſia, ſerius in Illyrium deſcendit. Hermannus Chriſtophorus [g] Ruſwormius ſummus caſtrorum tribunus

INTERPR. [a] *les Griſons.* [b] *Coire.* [c] *Patavino.* [d] *Vicentino.* [e] *Salis.* [f] *l'Eſcrivain.* [g] *Ruſworm.*

CIƆ IƆCIII. HENRICUS IV. tribunus in [a] inſula, quae infra Vicegradum incipiens ad Budam interpoſito leucae et ſemi ſpatio pertingit, vallo artificioſe ducto ſe muniverat, hoc conſilio, ut Peſtam a noſtris occupatam tueretur, et hoſtium conatus ab illa parte impediret, qui [b] Ovaram aut [c] Strigonium obſeſſuri credebantur, et data occaſione ad pugnae aleam venturi. In ea [d] Marcomannam et Noricam legiones, et Germanicam Ferdinandi [e] Colonitzii diſpoſuerat, cum peditatu et equitatu Pannoniae ſuperioris: inſuper et copias [f] Turſii, cui Danubiani tractus ſumma praefectura attributa erat, et utramque ripam totidem pontibus junxerat; altero, qui propugnaculo S. Andreae ab aede proxima cognominato egregie munitus, Budam ſpectabat, quod a tribuno [g] Pezzeno Bohemo tenebatur; altero Peſtam verſus, quem inſidebat tribunus [h] Ophquiricus, cum tribus legionibus Germanicis, quas ducebant [i] Merſpergius et Ergotus tribuni, et comes [k] Sulſius rei tormentariae praefectus. Italis praeerat Germanicus Straſſoldus virtutis expertae dux. Ita munitis caſtris intra vallum ſuos Ruſwormius tenebat, hoſtium conſilia obſervans, ut ſi ſe loco moverent, eos in tranſitu diviſis copiis interciperet. Quod et accidit: nam IV Kal. Oct. cum navigiis in ulteriorem ripam Turci tranſmitterent, jamque ad VI millia peditum et ter mille equites, Peſtam verſus tenderent, Ruſwormius CIƆ IƆ Hungaris equitibus ad caſtrorum cuſtodiam relictis, cum IV legionibus Merſpergia Pezzena in ſiniſtro cornu, in dextro cum Ophquirica et Sulſia, fariſſophoris et majoribus ſcloppetariis latera cingentibus, et ut major numerus bellatorum eminus appareret, lixis carrucariis in edito procul incedentibus, aſſumptis praeterea ſcloppetariis equitibus bis mille, quos Hohenlous comes, [l] Puchemus junior, et [m] Rama ducebant; CIƆ item equitibus duce Sufrido Colonitzio, ad laevam cum totidem, quibus Nadaſtius praeerat; duabus item in ultimo agmine peditum legionibus collocatis, et Straſſoldo ad S. Andreae propugnaculum juſſo ſubſiſtere; recta ad inſulam Budae praetenſam ducit, et in equitatum hoſtilem loco aperto ſtantem eo ordine impetum facit, locoque pellit, multis occiſis et in fugam verſis. Tum ex inſula, qui in vallo erant, ſubito erumpunt, et in cornu ſiniſtrum magna vi incumbunt; ſed cedentibus paulum et ad vineas deflectentibus noſtris in vanum cecidit ferocientium conatus, Pezzeno inter ſuos conſiſtente, et ordinibus ſervatis ad certamen fortiter capeſſendum cohortante: tandem poſt duarum horarum certamen, Ophquirico ex cornu dextro laborantibus in ſiniſtro ſuperveniente, Turci pulſi intra vallum amiſſis XL ſignis, multi caeſi. A Ruſwormio quippe ſevere interdictum ſuis erat, ne quem vivum caperent, ſed quicunque in manus ipſorum inciderent, ſine gratiae ſpe interficerentur. Quo ſucceſſu attoniti Turci, cum ſe quietos tenerent, Ruſwormius impetum inhibuit, tranſmiſſis in ripam oppoſitam copiis ſupra hoſtium caſtra leucae ſpatio; velitaribus pugnis interdum certatum, et ſemel cum noſtrorum damno. Inde hoſtes audaciores promoto vallo aſſidua tormentorum diſploſione noſtros infeſtabant, majore ſtrepitu quam damno. Cum nihil aliud tentarent Turci, ex transfugis cognitum poſt S. Demetrii feſtum, hoc eſt, Nonis Novembribus, quo tempore ſtipendium numeratur, cunctos dilapſuros, et ad praedas ac direptiones diſcurſaturos. Itaque Ruſwormius, qui ne Peſtam ipſi obſiderent, tantum ſervabat, expectandum ratus, tempus extrahebat, ac tandem pridie Kalendas Novembreis ſupra Budam copias traduxit, et per Nadaſtium ad proelio decertandum purpuratum provocat; nec purpuratus illud detrectare videri voluit, promoto et adverſus noſtros exercitu. Secundum haec inſtructae acies, et [n] Tillio centurioni majori datum negotium, ut cum delectis de rebus hoſtium cognoſceret, quos ſubſequi juſſi

INTERPR. [a] *iſle de Vizze.* [b] *Neuheuſel.* [c] *Gran.* [d] *les regiments de Moravie & de Baviere.* [e] *Colonitz.* [f] *Turſi capitan general delle fortezze Danubiane.* [g] *le colonel Pezzen.* [h] *le colonel Ofquirſque.* [i] *Merſperg, & Ergot.* [k] *de Sultz.* [l] *Puchem.* [m] *le Sr. de la Rame.* [n] *le Sr. de Tilley ſergent major.*

CIↃ IↃCIII.
HENRICUS IV.

juſſi Sigefridus Colonitzius, et Rama, et Baltazar [a] Marrada, cum ſuis quiſque equitum turmis. Levi conſerta pugna Turci impetum ſuſtinuere. Ruſwormius, ne nihil ageret, de Hatwana capienda conſilium iniit, quinque leucis inde diſſita in Hungaria ſuperiore; nam [b]Albam-regalem, de qua initio cogitaverat, Turci valido praeſidio firmaverant. Eo miſſus Sulſius comes cum III machinis muralibus, legione ſua, Merſpergia, Ergotina, et Straſſoldiana: attributus et ei ſuperioris Hungariae equitatus, [c] Norica Peſtae praeſidio impoſita; et, ne Turci interea navigiorum, quae ſubduxerant, ope, diviſis noſtris, et alio occupatis copiis, ſuas ad Peſtam tranſportarent, et urbem oppugnarent, Hermeſtenium, Pezzenum, Ophquiricum cum ſuis legionibus, adjuncta et Ruſwormiana et [d] Marcomannis delectibus, mittit, qui ad navigia illa vim facerent, et, ſi poſſent, ea incenderent: quod et illi non ſegniter fecere, parte incenſa, et inde ad Hatwanam deflexerunt, ubi jam Sulſius vallum duxerat: ſed dum ipſe una et Straſſoldus locum luſtrat, ictu majoris ſcloppeti Straſſoldus ſternitur, vir ſpectatae virtutis, relicto ingenti ſui deſiderio, et deſperata per ejus mortem obſidione; nam moriens eam ut periculoſi exitus enixe diſſuaſerat. Accedebat ad haec inclinata jam tempeſtas, et exiguus conatus, et tormentorum ad locum tam munitum pulſandum paucitas. Ruſwormius nihilominus ab aliis monitus, praeſidiarios admotis ſemel tormentis mox deditionem facturos, et alioqui minus decorum ſibi ratus rebus paratis ſine aliquo operae pretio diſcedere, obſidioni inſiſtere decrevit; et felici audacia rem aggreſſus eſt, quam praeſidiariorum ignavia adjuvit. Igitur, qua parte caſtellum verſus foſſa anguſtior, Pezzenus cum ſuos promoto vallo immiſiſſet, et ponte ſtrato paulum ab interiore labro abeſſet, petitum ab obſeſſis colloquium; et vita ſalva conceſſa permiſſum ipſis, ut gladiis accincti cum ſupellectile, quam ſecum aſportare poſſent, exirent, et in tutum a noſtris deducerentur. Hatwana non ſolum ſitu et arte firma, ſed etiam amplioris munitionis capax, ad multas res valde opportuna eſt, ſervandis metallorum fodinis, et [e] Fileco, ad defendendam Peſtam, et ad expeditionem contra Agriam ac Zalnocum ſuſcipiendam. Ad Agriam eodem victoriae curſu tendere minus firmam pleriſque e re videbatur, et [f] Jac. Barbianus Bellijoci comes ſuperioris Hungariae praefectus, ad id noſtros incitabat: nec tribuni egregie animati imperium detrectabant; ſed recuſante milite, et, deficiente ſtipendio, prope ad ſeditionem inclinante, nihil ulterius peragi potuit. Dum domum redeunt, ad [g] Vaciam [h] Serram exercitus curatorem a pontifice miſſum obvium habuerunt cum L CIↃ florenis, et amplius X CIↃ peculiari Italorum, quos Straſſoldus ducebat, ſtipendio deſtinatis. Pecunia in militem a Ruſwormio ſtatim diſtributa, et dimiſſi per praeſidia milites, donec alia mandata a Caeſare venirent.

VI. In [i] Dacia proxima Moyſes ex ſtrage ſuperioris anni collectis viribus et aliquot auxiliaribus Polonis, cum circa [k]Albam Juliam caſtra metatus eſſet, praeſidiarii et nobilitas, quae in urbe erat, ignavia potius quam perfidia, ſe intercipi paſſi ſunt; et cum ſtatim poſt Georgius Baſta conjunctis cum Radulfo Walachiae vaivoda copiis in armis urbem recepturus conſtitiſſet, commiſſo proelio inſignem de Moyſe victoriam reportavit. Capta CXXVIII ſigna, et Pragam ad Caeſarem tranſmiſſa. In iis erant duo cum candidis aquilis, quae Polonici regni ſunt inſignia, quae, ne injuria tanto regi fieret, caute fuerunt ſuppreſſa. Victi hoſtes ad Temeſvaram locum inexpugnabilem creditum, quem Turci jam totos L annos tenent, perfugium habuerunt. Id actum Septembri menſe, quo et copioſus Budam a Turcis illatus commeatus. Cum initio Baſta ſucceſſu arridente inſiſtere, et territum hoſtem intra Temeſvarae

INTERPR. [a]*de Marrade.* [b] *Stul Weiſſenburg.* [c] *le regiment de Baviere.* [d] *les troupes de Moravie.* [e] *Filec.* [f] *Barbiani comte de Belgioioſo.* [g] *Vacia.* [h] *Serra commiſſaire & nonce du Pape.* [i] *Tranſilvanie.* [k] *Weiſſenburg* al. *Carlsburg.*

CIƆ IƆCIII. Temeſvarae moenia oppugnare decreviſſet, inclinata jam tempeſtate obſidionem
HENRICUS IV. longiorem veritus impetum inhibuit.

VII. In Germania interim parata in ſequentem annum ſubſidia, et ob id celebrata Ratiſponae comitia, quibus frequentes principes interfuerunt, et certatim a ſacro ordine, quaſi alios exemplo ſuo provocante, promiſſa auxilia. Nec tamen propenſa ea liberalitas caruit invidia, cum alii principes et civitates fere Proteſtantium ſectae addictae dicerent, praeſules eo proniores et in promittendo largiores eſſe, quod ex ea occaſione ſuos populos gravare conſueverint, et magnum inde emolumentum capere, quippe tantum ſingulares ſucceſſores et de poſteritate parum ſoliciti; quod alii, quia univerſales ſunt, parcius faciunt; quippe ne hereditariis populis oneroſi exiſtant, et nimiis exactionibus praejudicium heredibus ſuis faciant. Quod magnis querelis in Imperio ſaepius materiam ſuppeditat. Tunc vero, quod huc uſque factum non fuerat, promiſſa LXXX menſium ſtipendia; et [a] Brunſvicus copias peculiareis, et Saxo ſeptemvir tormenta inſtructa cum omni apparatu Caeſari de ſuo polliciti ſunt. In Saxonia ex dubia valde eoque leviore cauſa inter Chriſtianum Saxonem ſeptemvirum et Anhaltinos principes, grande diſſidium exarſit, quod eos per triennium nullo ſucceſſu exercuit. Saxo venatum profectus menſe Aprili ad pagum ſuae juriſdictionis, nomine [b] Gravenam, in finibus Anhaltinae ditionis, cum ſaltum ingrederetur, ſcloppetum a tergo diſploſum ſenſit, miſſiſque qui veſtigarent, cum neminem eo die reperiſſent, poſtridie ex conjecturis et indiciis [c] Bobae, quod municipium ad Anhaltinos principes pertinet, ab ſeptemviri ſatellitio, quidam nomine Michael Henricus Magdeburgenſis latrociniis homo infamis ſiſtitur, et mandatu Laurentii [d] Bidermani Anhaltinorum cancellarii a Davide [e] Bergenſi Deſſaviae juridico praefecto repoſcenti ſeptemviro deditur; qui ſtatim interrogatus ſcloppetum a ſe diſploſum confeſſus eſt, ut focariae in proximo ſignum adventus ſui daret. Poſtea cum conſcios quoſdam maleficos nominaſſet, res totos V menſeis protelata, et ſparſa interim fama, percuſſores ab Henrico [f] Donavio legionum vicario, et memorato Bidermano cancellario, primariis Anhaltinorum miniſtris ad caedem ſeptemviri pecunia data ſubornatos, ut injuriam a ſeptemviro principibus ſuis illatam, de qua nunquam queſti ſunt, et quam ipſe ſeptemvir neſcire fatebatur, capta occaſione ulciſcerentur. Id cum ad exiſtimationem ſummopere pertinere putaret Joannes [g] Georgius illuſtriſſimae familiae princeps, accuſatos continuo ſiſtit, et datis ad ſeptemvirum literis petit, ut acta confeſſionum ad ſe mittat. Miſſi a ſeptemviro oratores, qui quid rei confeſſi eſſent, exponerent, et confeſſionum breviculum apud ipſum deponerent, viciſſimque peterent, ut ille a reis nominatos ad ſe mitteret; ut cum reis committerentur, cautione interpoſita, ut libere inde domum redire poſſent. Id cum illi facere negarent, et ſe fori praeſcriptione tuerentur, et legibus Romanis et Imperii actores rei forum ſequi teneri dicerent, idque ad juriſdictionem ſuam, atque adeo merum imperium, quod in ſua ditione habent, ſpectaret, etiam Anhaltini contenderent; ad Caeſarem ipſum res a Saxone delata, qui in gratiam Saxonis Anhaltinis de jure ſuo aliquid remittere auctor fuerat. Dein et Georgius Fridericus Brandeburgicus ſeptemvir partes ſuas interpoſuit, et mediam viam inſtitit, ut Saxo confeſſionum acta extra territorium mitteret, et gratificandi cauſa Anhaltini paterentur, ut accuſati in Saxonica ditione cum reis committerentur, accepta cautione de remittendis accuſatis. Sed neque id locum habere potuit, eoque res uſque protelata, ut cum vitae reorum ob intemperantiam aegrotantium Saxo diffideret, ſententiam in eos latam exequendam decerneret. Quod ubi ſignificatum, die etiam dicta

INTERPR. [a] *le duc de Brunſwick.* [b] *Graven Heinighen.* [c] *Boba village.* [d] *le docteur L. Biderman.* [e] *de Bergen bailliff de Deſſau.* [f] *de Dhona lieutenant colonel.* [g] *le prince George d'Anhalt.*

diɂa, accuſati, qui viderent innocentiae ſuae aſſerendae praereptam, per mortem CIↃIↃCIII.
reorum praecipitatam, commoditatem, per publicum aɂuarium [a] Dreſenam miſſum HENRICUS IV.
proteſtantur: nihilominus executio ſecuta, et Michael Henricus in quatuor partes ſeɂus, et Joannes [b] Mazelus, alter ex complicibus forcipibus ardentibus concerptus, et rotae impoſitus fuit; qui publici graſſatores, abſque hoc novo crimine eſſet, dignum vita facinoroſa exitum ſortiti ſunt. Et ſane quotquot aequiſſimi erant, ſic exiſtimabant, Anhaltinos probitatis perſpeɂae principes omni ſuſpicione vacare, praeſertim cum nulla Saxoni cum illis ſimultatum vel ipſo fatente Saxone cauſa intercederet. In Donavium autem et Bidermannum vita anteaɂa inculpatos et dignitate praeditos, quae illis apud homines flagitiis infameis odium conciliare, aut invidos ſuſcitare poterat; tam foedi criminis, nulla intercedente cauſa, ſuſpicionem vix cadere potuiſſe. Sed facinoroſos homines, ſive ab aliis incitatos, ſive nominatis illis, quos dixi, judicium difficile futurum ac diu protelatum iri ſperantes, quod miſeri faciunt, dum vitae propriae, vel per alienam calumniam producendae ſtudent, pertinaciam in ſuis confeſſionibus ad ultimum ſervaſſent. Itaque ſupplicio illorum expleta Saxonis ira, et fama ex confeſſionibus eorundem diſſeminata eodem momento conquievit; cum ab iis nominati, in cuſtodia interim detenti, qui executionem ſuſpendi petierant, etiam poſt executionem apud ſuos judices juxta Imperii leges ſe copiam ſui facere paratos oſtenderent.

VIII. JAMQUE ad Oſtendanam obſidionem ventum, quam nunc ad exitum continua ſerie exſequemur. Poſt feſtas tormentorum et grandiorum ſcloppetorum utrinque quaſi ſtrenarum vice Kalendis Januariis ſalutationes, menſe ſequenti ingens oborta tempeſtas, naveis ante portum ad intercludendum exitum et ingreſſum poſitas violenter vento a ſeptentrione et oriente flante quaſſavit. De reliquo res geſta tormentorum adſidua diſploſione, et numerati a curioſis a principio obſidionis ad Kalendas Martias hujus anni CL mille tormentorum muralium iɂus, quae pilas ferreas XXX et L librarum ejaculabantur; nec ſegniter ad ea reſpondebant obſeſſi, qui non minus C mille exploſiſſe memorantur; in Zelandiam ſaepius miſſis tormentis crebra pulſatione corruptis, ut denuo conflarentur. Morbo interim aut vulneribus perierunt in caſtris ad XVIII millia; in oppido VII; inter quos plerique utriuſque partis belli duces. IV Eid. Mart. [c] Grunefeldius belli dux, ad munitionem [d] Occidentalem iɂu tormenti in crure accepto, in veſtigio occubuit. Septimo poſt die III naves portum ingreſſae ſunt, infeſta pulſatione tranſverberatae; ſequentibus diebus XXXIX naves intra portum acceptae, quarum una equos militareis portabat, non ſine damno diſploſis in eas LX tormentorum iɂibus, IX egreſſae, IV ex iis captae. Aprili, cognito Albertinos in nova [e] munitione ad [f] Gulam laborare, ut ingreſſum et exitum obſeſſis impedirent; pridie Nonas IV naveis emittunt, quarum una tormentis quaſſata in oppidum reverſa eſt, et III Eid. III naves egreſſae. Biduo poſt vento a meridie et occaſu violenter incumbente, dolia viminea ab Albertinis ad ortum exſtruɂa fere everſa ſunt, munitione etiam ad Gulam non parum labefaɂata. In oppido etiam damnum acceptum, muris antiquis collapſis, et templi turre dejeɂa. Noɂe inſequenti oppugnatio diverſis partibus magna vi tentata, IV horas acriter pugnatum: ad ortum C circiter pali e ſemiluna avulſi: ad [g] Erinaceam munitionem occaſum verſus irritus fuit impetus, ad quam dolia bina picis et reſinae plena fuerant comportata. In eo [h] Hanekroti vicarius interfeɂus, et Borkius ordinum duɂor ſcloppeto tranſverberatus, quo ex vulnere aliquot poſt diebus obiit. Eodem tempore ad

INTERPR. [a] *Dreſden.* [b] *Manzel.* [c] *le capitaine Grunefeld.* [d] *Weſt-ravelin.* [e] *nouvelle plateforme.* [f] *la Gueule.* [g] *Porc-eſpic.* [h] *les capitaines Hanekrot, & Berk.*

ad [a] Poldrenſem munitionem vis facta. Primo repulſi Albertini; redintegrato dein certamine loco integro potiti ſunt; occiſis ad unum defenſoribus fere Anglis et Helvetiis. Poſtridie obſeſſi eruptionem tentant, et gravi damno accepto, et CCCC ex ſuis deſideratis in oppidum compelluntur. Nec incruentum fuit Albertinorum certamen, pluribus ex iis occiſis. Triduo poſt Helvetiorum vicarii corpus redemptum ad ſepulturam C taleris. Quo eodem die et ſequenti intra oppidum VI ſigna accepta, II Helvetiorum, totidem Danorum et Suecorum. XV Kal. Maias IV tormenta in oppidum allata, [b] Cartavas vulgo vocant, ad [c] Pekelam munitionem, Poldrenſem et Septentrionalem diſpoſita, et rurſus unum ad portam occidentalem. X dein Kal. Maias Cartava in Poldrenſem directa, ad nidum [d] hirundinis pulſandum. Poſtridie, monitis a transfuga obſeſſis, proſpectum, ut ſi ad ſemilunam terra marique impetus fieret, ne imparati opprimerentur; navigio ad ſpeculandum diſpoſito, cui praeerat [e] Seknitus. Biduo poſt XXXII naves per novum portum acceptae, contra quas Albertini CXXX ictus diſploſerunt, ſine gravi damno, et naviculario tantum uno occiſo; et rurſus triduo poſt XI ſigna ad urbem appulerunt, Zelandorum III, reliqua partim Scotorum, partim Anglorum, ſine gravi itidem damno, III tantum amiſſis. Poſtridie clara luce navis portum intravit, et nocte inſequenti egreſſae ſex. VI Non. Maias e Zelandia II tormenta allata; poſtridie III ſigna intra urbem accepta: Nonis VII triremes armatae comparuerunt, a totidem navibus armatis, poſt aliquod certamen in fugam verſae. VI Eid. XXXIV naves appulerunt, contra quas CXXVIII diſploſi ictus, et V ex iis depreſſae; una pilis ferreis onuſta, in alteram Cartava impoſita erat; reliquae IV commeatu plenae, II ex iis ſervatae, quae pilas et Cartavam portabant; ſed Cartava in mare abjecta. V et IV Eid. XXX cohortes auxiliares, quae ante portam ſtabant, intro acceptae, et tunc recenſita XXC in oppido ſigna. Poſtridie CXX pulveris nitrati amphorae allatae. VII naves egreſſae, duaeque ex iis depreſſae ſalvis vectoribus. XVII Kal. Junias LX naves in altum evectae ſunt, et una tantum ex iis depreſſa: poſtridie [f] Friſicum ſignum appulit cum magna zythi copia, quae multum pretium ejus imminuit. XIII et XI Kal. Jun. XXIII naves per Gulam appulerunt, ex quibus quinque depreſſae, et ſequentibus diebus XXXVII per novum portum; IV depreſſae, Cartava, quae uni impoſita erat, ſalva. Proſpectum et caritati ab obſeſſis, juſſis in foro per XXIV horas proſtare mercibus, antequam quiſquam inſtitorum privatim quidquam venderet aut emeret. Vetitus et aleae luſus inter milites; et interdictum ductoribus ordinum ne vino indulgerent, cum in ſtatione eſſent. Pretium et C aureorum conſtitutum iis qui transfugam aut ſiſterent aut occiderent. [g] Fortius cum Gallis V Kal. Junias egreſſus. Hoc menſe longe graviſſimum damnum ab Albertinis acceptum. Ambroſius et Fridericus Spinolae fratres opibus pollentes, nec minores animis, ad majora ſe hoc anno parabant, tum ut naufragium ſuperioris anni ſarcirent, tum ut expectationi de ſe excitatae ſe pares exhiberent. Perſuaſus ab iis Philippus XX peditum CIƆ vere proximo ſcribenda mandaverat; et quanquam contradiceret Albertus, in propoſito remanebat; ſed eo factum, ut ſerius mandata accepta ſint, deſinente Martio; cum Ambroſius in Germaniam profectus eſſet, ut VI CIƆ peditum legeret, in duas diſtributa legiones, quibus Robertus Barbanſoni regulus, et [h] Egloſus a Lucemburgo duces deſtinati: inde in Inſubres tranſit, ut duas legiones in Italia ſcriberet. Fridericus in Flandria Gallo-belgarum legioni Jacobum [i] Franciſcium veteranum ducem impoſuit. Henricum Bergenſem comitem equitatui praepoſuit. Rei tormentariae et vicarium arbitrio ſuo conſtituit, XX tormentis inſtructis, quae ſecum

INTERPR. [a] *ravelin du Poldre.* [b] *Cartawes.* [c] *boulevart de Pekel.* [d] *le nid de l'hirondelle.* [e] *le capitaine Schnitt.* [f] *compagnie des Friſons.* [g] *le Sr. du Fort.* [h] *Egloff de Luxembourg.* [i] *Franceſchi.*

ſecum ex Hiſpania advecta [a] Sluſis depoſuerat. Dum haec fiunt, egreſſi praeſidiarii [b] Neomago et Gravia, et in iis equitum Mauritii ala: dum incederent, in inſidias a [c] Grobbendonko Silvae-ducis praefecto ab indice monito ſtructas praecipitarunt, et ad [d] Gemerum pagum caeſi ſunt. C capti, et LX circiter militares equi. Qui ſucceſſus ſeu Grobbendonko animos, ſive Silvae-ducenſibus ſuſpicionem fecit, quaſi [e]Aſſincurii legio, quae in oppido erat, ad ſeditioſos [f]Hocſtrati collectos defectionem meditaretur. Is quaeſitus certe color, ut praeſidium urbe ejicerent, et praefecto ſuo contenti nullum in poſterum admittere vellent.

IX. DUM Ambroſius in Italia ſatagit, Fridericus adoleſcens impiger et magni animi, aliquid tentandum ratus, fraternas copias ab Alberto mutuatus, et Germanis acceptis, pridie Nonas Maias famam ſpargi curat, ne majorem ſui metum Batavis incuteret, quaſi ad naveis per litus depraedandas excurſio pararetur, et Oſtendam retroactus, Sluſas redierat; demum VI Kal. Jun. delectis CIↃ IↃ in VIII triremeis impoſitis ſolvit, et, albeſcente die, duas triremeis et III navigia armata obvia habuit, quae mari tranquillo in ancoris ſtabant, ad quae continuo curſum dirigit; nec Batavi ſibi deſunt, nam contractis circa triremeis ſuas navigiis ad certamen ſtrenue ſe parant. In conflictu, poſt diſploſa utrinque tormenta, res majoribus ſcloppetis geſta, et vicinis adeo triremibus et navigiis quaſi ad manus ventum. Per duas horas pugnatum inter ſtrepitum et fumum, ut nec exaudirent ſe aut cernerent. Et primo ad Spinolam inclinare viſa victoria, trireme Batava, paulum aberat, amiſſa, et vectoribus intra navigia ſua ſe recipientibus; cum ſubito ventus vehemens incubuit, cujus occaſione Batavi, levatis ancoris, vela intendunt, et ſecundis auris in Spinolianos invehuntur: jamque ipſe Fridericus puppem navigii ſupra ſtantem habebat, cum inter eluctandum grave vulnus in latus accepit, brachio truncato, et enſe, quem ſtrictum tenebat, confracto: ex quo in veſtigio exſpiravit, cum Philippi res ac ſuas abſenti fratri commendaſſet. Aberat tunc Aurelius Spinola triremium vicarius, in Hiſpaniam profectus. Itaque cum praefectura caſu hoc vacaret, praefecti ſingulares huc illuc ex ſtrage dilapſi ſunt, et ad Sluſas proximas receptum habuerunt. In ea deſiderati circiter CCCC, et in iis Auguſtinus [g]Arconatus centurio primarius, Polydorus [h] Cataneus, et Vincentius [i] Balneus belli duces. Ex Batavis major numerus, ſicuti Hiſpani ſcripſerunt. Re cognita, Albertus magnum ex ea dolorem ſenſit, et claſſi per Aurelii abſentiam Chriſtophorum Valenzolam praetoriae praefectum praepoſuit; inde ad Ambroſium fratrem et Philippum Friderici mortis nuncius perlatus, qui dignitates omneis, et praefecturas, quas Fridericus habebat, in fratrem tanquam dignum ac benemeritum liberaliter tranſcripſit. Ea re factum, ut copiae ad bellum hoc anno gerendum deſtinatae in parte dimiſſae ſint, cum Ambroſius autumno citius in Belgium reverti non potuiſſet. Interim Fridericus Bergenſis comes Hiſpanos et Italos milites, qui per ſeditionem a caſtris ſuperiore anno diſceſſerant, et ad bis mille pedites et CIↃ IↃ equites excreviſſe dicebantur, ad obſequium ſine conditione Alberti juſſu vi cogendos ſuſceperat. Ei VII CIↃ peditum et III CIↃ equitum in id attributa: et Carolo Lotaringo [k]Aumalio, qui cum ſummo imperio praeeſſe debebat, negotium datum, ut CIↃ equites; et [l]Vezelerio tribuno, ut IV Germanorum ſcriberet, ſuppletis ceteris legionibus, et Gallo-belgarum inprimis legione. Quo cognito Hocſtratani, ſic eos vocabimus, relicto in oppido peditatu, cum equitatu in campos patenteis exeunt; et cum Ordinibus conveniunt, ut auxilio ab iis adjuti, ſi poſtea cum Alberto paciſcerentur, legem adderent, ne intra IV menſeis contra Ordines militare tenerentur. His conventis Mauritius cum ſuis copiis Hocſtratum verſus tendit, quod Bergenſis jam cinctum tenebat; ſed

INTERPR. [a] *l'Eſcluſe.* [b] *Nimegue, & Grave.* [c] *de Grobbendonck gouverneur de Boiſleduc.* [d] *Gemert.* [e] *de Hachicour.* [f] *Hooghſtrate.* [g] *Arconato.* [h] *Cataneo.* [i] *Bagno.* [k] *le duc d'Aumale.* [l] *le colonel Wiſzlier.*

ſed tardius ſuperveniente Innocentio Borgia, et Laelio [a] Brancacio cum ſuis legionibus, nuper in Italia conſcriptis, et ad illud obſidium deſtinatis, et Mauritio commeatum adventu ſuo intercludente, ab obſidione diſcedere coactus eſt, et Herentalium concedere. Dum recedit, eruptio acris ab obſeſſis in ultimum agmen facta, non ſine Albertinorum damno, deſiderato Carolo [b] Savinio Ronaeo, Chriſtiani ſupremi caſtrorum praefecti, qui in [c] Hulſti obſidione periit, filio, ſummae ſpei adoleſcente. Inde Mauritius cum Hocſtratanis [d] Silvam-ducis verſus contendit, quo et [e] Fridericus Bergenſis cum Borgiae et Brancacii, qui interim venerant, legionibus firmatus eum ſecutus eſt, et ex adverſa parte ſe munivit, adventuque ſuo Mauritii jam ad obſidionem omnia parantis conatum diſturbavit; qui tamen ab eo non ſtatim diſceſſit, ſpe concepta, ut oppidani, qui praeſidium nuper ejecerant, ſi ad accipiendum periculo urgente cogerentur, id obſtinate recuſarent; et, ſi ut ſecum convenire adduci non poſſent, ſaltem neutros ſe potius gererent, quam praeſidium admitterent. Ita hinc inde Silva-ducis obſeſſa a Mauritio et Bergenſi, qui obſeſſis animos praeſentia ſua faciebat, et brevi Mauritium neceſſitate impoſita diſceſſurum oſtendebat. Velitationibus ibi utrinque certatum, [f] Bellae marchione, qui Italo peditatui praeerat, omnem operam dante, ut locum deſignatum caſtris Mauritii vicum occuparet, et feſtinatis operibus muniret; quod ſi ſuccederet, commeatum in hoſtilia caſtra venientem intercludebat, et quo minus pulſatio commode dirigeretur, impediebat. Bis mille delecti in id a Friderico attributi, quos totidem ſubſequi debebant. Non latuit Mauritium conatus, qui vix inchoato opere cum IV CIƆ, media jam nocte ad oppugnationem comparuit, et poſt acre certamen loco nondum firmato potitus eſt. CC in eo Albertini deſiderati, et ipſe Bellae marchio magno ſuorum deſiderio; CCC capti. Firmatus dein locus a Mauritio, et X tormenta impoſita. Tandem infeſta in tecta domorum inſtituta pulſatio, qua tamen obfirmati ad durandum oppidani parum commoti ſunt, neque ut praeſidium ſponte acciperent, neque ut cum hoſte convenirent, adduci potuerunt. Olivarius [g] Templeus veteranus miles, caſtrorum Mauritianorum ſummus praefectus, dum ultro citroque commeat, diſploſo ex oppido tormento occiſus; et Alexander Malaſpina captivus, qui cum eo erat, crure eodem ictu truncatus. Albertus qui interim venerat, fruſtra eos perſuadere conatus, ut praeſidium acciperent, ad extremum tamen aſtu intromiſſis in oppidum, quaſi tranſituris, ut ad alteram partem munimentum Mauritianum expugnarent, III CIƆ Belgis ſive Germanis, cum illi in eo commoditatem, ut aiebant, opperientes pernoctaſſent, foro occupato in eo remanſerunt, cum Albertus nolle oppidum eorum arbitrio relinquere diceret, et pro ipſis conſilium capere expeditius duceret, ſpe facta, ut hoſtili metu amoto oppidanos praeſidio levaret. Interim ſtipendio proſpectum, ne praeſidiarii graves oppidanis eſſent. Cum Mauritius oppidum praeſidio firmatum videret, qui plus in tumultuoſis oppidanorum animis, quam in propriis viribus fiduciae haberet, difficilem conatum mature abrupit. Octobri jam deſinente, et imbribus ſupervenientibus, caſtra regali paratu ſtructa demolitus, et copias per praeſidia diſtribuit. Hocſtratani, qui Mauritium ſecuti ad Silvam-ducis, cum locum, in quo erant, anguſtum et debilem viderent, novo pacto Graviam a Mauritio ad receptum accipiunt, tradito Hocſtrato, lege addita, ut ſi cum Alberto paciſcerentur, Graviam reſtituere tenerentur: qua reſtituta, viciſſim Hocſtratum ab Ordinibus redderetur. Inde excurrentes nullo non maleficio uſi ſunt, [h] Carpena oppido haud longe a Colonia capto; unde imperata neutralibus locis pecunia, et [i] Herclemio in Sicambris loco admodum ad vectigal a popularibus exigendum opportuno.

X. ALBERTUS

INTERPR. [a] *Brancaccio.* [b] *Savigny de Roſné.* [c] *Hulſt,* [d] *Boiſleduc.* [e] *le comte Frederick de Berghe.* [f] *la Bella.* [g] *de Tempel.* [h] *Carpen.* [i] *Erkelens en Gueldre.*

X. Albertus Silvae-ducis ſoluta obſidione Bruxellas redierat, de Oſtendae obſidione continuanda certus, in qua Jo. Rivas ad Alberti munitionem diſponendis tormentis molem ſtruebat, et [a] Poldris captis, tormenta impoſuerat; et per interpoſita viminea dolia, utrinque commeabatur. Nec [b] Bucoii comes ceſſabat aggere inſtituto per IↃ paſſus producto, et impoſitis in eum tormentis, quae canalem navigantibus infeſtum reddebant; nec tamen ingreſſum venientibus claudebant. Multa a Pomp. Targone Romano, homine a pontifice miſſo, qui plus ingenio quam experientia valebat, et cui multum Albertus tribuebat, excogitata ad obſtruendum portum: rates ex faſcibus, et cocto latere compactae; et caſtellum ligneum navibus impoſitum, ita ſtructum ex ceſpitibus ac lignorum faſcibus, ut ictus tormentorum illaeſum exciperet ac frangeret. Sed haec omnia riſu a Bucoio excepta, cum hominem belli rudem ingenio ſuo abuti, et pecuniam ac tempus inutiliter conſumere diceret. Quod et mox experientia patuit, ratibus illis, nam caſtelli nullus uſus fuit, initio recedente mari profectu aliquo canalem obſtruere viſis; ſed per aeſtum elevatae et tormentorum diſploſione quaſſatae, ad extremum ſolutae ſunt, et recedente rurſus mari ad nihilum redactae: nam pridie Nonas Junias XX naves noctu appulſae, quarum tres depreſſae; et cum eadem nocte obſeſſi eruptionem contra Bucoium tentaſſent, et molem capiendis tormentis ſtructam, et vallum primo occupaſſent, tormentis, quae in vallo ceperant, etiam contra Albertinos verſis, et duobus clavis confixis; tamen ſuperveniente a Riva ſummiſſa delectorum manu cum damno repulſi ſunt. In conflictu deſideratus Erneſti Naſſovii comitis vicarius, Hauſmani tribuni alter vicarius, et [c] Harlaeus Sancius Nicolai filius, adoleſcens ſummae ſpei; viſcera Sancii ſeptimo poſt die in oppido honorifice ſepulta, et corpus ad patrem relatum. Groveſtenius item Friſicorum tribunus, grave vulnus in crure accepit. Ex Albertinis Didacus [d] Durangus tribunus, cujus legio Joanni [e] Davalo attributa, qui paulo poſt in eruptione ſimili occubuit. Interim CC dolia pulveris nitrati allata, et XLIV naves acceptae, et V egreſſae cum V Gallorum ſignis; et paulo poſt duo auxiliaria accepta. Inde ad ſemilunulas oppido praetenſas vis facta. Interea egreſſae LX naves, quarum VI tantum depreſſae, una graviter quaſſata; ingreſſae ſunt ſine damno media luce XVII. Etiam IV cohortes admiſſae cum VI navibus, quarum III depreſſae ſunt. Julio ſequenti Adamus [f] Leeſtus, [g] Bortus [h] Genieli vicarius, [i] Bruchius [k] Kieſſti itidem vicarius, [l] Calvartius ordinum ductores occubuerunt; Leeſti et Borti viſcera Oſtendae ſepulta, et corpora hujus [m] Schonoviam, illius [n] Dordracum tranſlata. XXXV naves egreſſae, et poſtea XXVIII item ingreſſae V Eid. et aliquot poſt diebus XL, et mox XXIV, ſine magno damno; et ignibus artificioſis, qui paulo ante Junio deſinente allati fuerant, res geſta, et III cohortes Friſicorum, Zelandorum et Batavorum, incolumes acceptae. Sextilibus Kalendis, XXIX naves quae X ſigna portabant, emiſſae, et ſequentibus diebus XL, viciſſim V piſcatoria navigia, IX ſigna, novem item naves; et mox V cum ſigno, pulvere et funibus; et rates propius advectae, Targonis illius inventum, ab obſeſſis disjectae. Septembri reliquae rates disjectae; et mox XIV naves appulerunt, et XLV exierunt, ex quibus VI depreſſae, II captae, quarum una rebus pretioſis onuſta erat. Inde in novo portu purgando, et toto ſequenti laboratum. LXV naves ingreſſae cum XVIII ſignis, et X tormentis et apparatu bellico: egreſſae LXIII: et rates ter denuo admotae, et omnino diſſipatae. Graſſabatur per totum trimeſtre contagioſa lues, ut fere accidit in diuturnis obſidionibus, quae Octobri proximo multum remiſit, accedente ad mitigatam

coeli

INTERPR. [a] *les Poldres.* [b] *Bucquoy.* [c] *de Harlay de Sancy.* [d] *Durango.* [e] *de Zavallos,* [f] *de Leeſt.* [g] *Bort.* [h] *Geniel.* [i] *Bruck.* [k] *Kieſſt.* [l] *le capitaine Calwart.* [m] *Schoonhoven.* [n] *Dort,*

CIƆIƆCIII. coeli temperiem, medicorum peritia, novi praefecti cura, e Zelandia proxima et

HENRICUS IV. Batavia advocatorum. Quintili et Septembri menſe Ludovicus [a] Contuerus, et Joannes [b] Bellemakerus ſtrenui ordinum ductores ex ea obierunt, honorifice et militari pompa ſepulti.

XI. Joannes Medices, qui magnum nomen bellis Hungaricis meruerat, rei tormentariae praefectus, et poſt Caroli Mansfeldii comitis obitum, rei ſummae aliquot menſes praepoſitus, tunc in caſtris erat; vir ingenio praeſtans, et manu ſtrenuus: et cum [c] Riva de rationibus oppidi obſidendi, in quo variabant belli duces, crebro conſultabat. Jamque ad deſperationem redactae res erant, cum Albertus, qui turpe ducebat, poſt tot conatus ac belli ſumptus, poſt tot hominum jacturam, ab ea diſcedere, cum marchione Spinola agere coepit, ultro delato ſummo imperio; et conditione propoſita, ut pecuniam qua ille abundabat, per amicos in belli impenſas in tempore ſubminiſtraret, quaeque poſtea ex Philippica, quae tardius in Hiſpania repraeſentabatur, illi cum omni emolumento et morae damno reſarciretur. Ille qui id ſibi ut ſummopere honorificum peroptaret; tamen rem difficultatum et periculoſi eventus plenam cernens, antequam conditionem acciperet, cum fidis de ea mature conſultavit, et a [d] Catriccio legionis Gallo-belgicae tribuno veterano, qui rem confici poſſe ſemper ab initio cenſuerat, confirmatus, Jacobo [e] Franciſcio et Pompeio Juſtiniano, quibus multum tribuebat, dat negotium, ut locorum ſitum et vireis et rationes propoſitas diligenter inſpicerent, et ad ſe referrent: tandem ſive gloriae cupiditate, ſive affectu erga Philippum et Albertum propenſo perſuaderi ſibi paſſus eſt, non temere ſuſcipi, quod et ſummum ſibi decus conciliaturum, et ad utilitatem eorum longe maximam, quorum auſpiciis gerebatur, eſſet redundaturum. Itaque VIII Eid. Oct. ad Oſtendam venit, et ante omnia novas, cum iis qui commeatum, et cetera ad belli uſus ſubminiſtrant inſtrumenta, rationes init; et multo minore pretio cum iis convenit; quippe praeſenti pecunia adnumerata, et jam comparatis farciminibus, quae dixi, et inſtrumentis aliunde ad eam rem neceſſariis. Targoni ratem, ſicuti jam fecerat, L paſſuum longam fabricandam committit; quam ad aggerem comitis Bucoii perduxit, et cum ea quae in fundo canalis haeſerat, conjunxit, et recedente mari Juſtiniano dat negotium, ut eam a tergo ad aggeris altitudinem erigeret. Quod vix tandem effectum, detonantibus crebra tormentorum diſploſione obſeſſis, et artificioſis ignibus operas infeſtantibus; qui a Juſtiniano haud citra periculum reſtincti ſunt. Idem ad Albertinam munitionem a Catriccio factum, et Hiſpanis imperatum ut aggerem erigerent, et ad maritimam munitionem perducerent. Inde Aurelium Spinolam ex Hiſpania reverſum ad Albertum mittit, qui Bruxellis erat; qui eum de omni re certiorem faceret, et bene de ſucceſſu ſperare in poſterum juberet; a quo et pro ſumma gratia impetravit, ut legio peculiaris ſua Juſtiniano, qui ſub Parmenſi olim, et poſtea rebus pleriſque praeclare geſtis magnam et fidei et induſtriae bellicae laudem meruerat, attribueretur; quod et illi conceſſum. Nonis Novembribus naves XI egreſſae, et totidem ingreſſae, ac deinde VIII ſine damno. Semel atque iterum tertio rates artificioſae, partim vi ventorum, partim tormentorum ictibus disjectae; et cum claſſis Zelandia veniens, diu reflante vento, eminus ſe oſtendiſſet, tandem aſpirantibus auris intra oppidum accepta eſt, cum aliquot Friſicorum ſignis, apparatu bellico et commeatu. Pridie Nonas Decembreis VI naves piſcatoriae portum ingreſſae, ex quibus una depreſſa, et CC pulveris nitrati dolia allata. Biduo poſt vehementia ventorum rates disjectae, et XII ſigna paulo poſt appulerunt. Rates rurſus immiſſae ſemel atque iterum. XVI Kal. Jan. violentia ventorum magna utrinque damna accepta. Poſtridie XLI naves ingreſſae ictibus quaſſatae, ſalvis vectoribus tantum una depreſſa. Quo eodem die

Giſtellus

INTERPR. [a] *le Contuere.* [b] *Bellemaker.* [c] *de Rivas.* [d] *de Catriz colonel des Wallons.* [e] *Franceſchi.*

[a] Giſtellus gubernator urbis appulit. Poſtea et XXVII naves ſine damno ingreſſae, quarum princeps [b] Amſterodamenſis fuit, cui ſorte obtigit, ut prima portum ſubiret. Venit et triremis nigra, quae una eſt ex iis quae cum Friderico Spinola conflixerat. Gubernator et eodem die [c] Nootus, ante Giſtellum oppido praepoſitus, diſceſſit; dein natali die rates invectae, quae nunquam vi tormentorum ſolvi aut disjici potuerunt, et ad [d] Erinaceam munitionem promotae, qua parte anguſtior canalis, quam in Gula. Poſtridie V cohortes Anglorum venerunt, et XXIV naves ſine damno egreſſae, quo die interfectus fuit [e] Calfus Ultrajectenſis, ſtrenuus ordinum ductor. Poſt farcimina quae dixi, et artificioſas rateis, candelabris et tignis arrectariis firmatas, toties erectas et diſturbatas, a Targone pons verſatilis fabricatus fuerat, ita volente Alberto, nec Spinola abnuente, longus CC paſſuum ſpatio, et ea latitudine, ut V homines incedentes caperet, quem noctu immiſſurus erat mari recedente ad canalis marginem, et ad propugnaculum proximum applicaturus tanta facilitate, ut citius res fieret, quam obſeſſi de ea poſſent cognoſcere. Structus primum currus XXV palmos altus, et IV latus, cum quatuor rotis, quibus malus triremis impactus erat, funibus multifariam conſtrictus; tum VIII pontes e funibus contexti, ſinguli XXV paſſuum longitudine, qui parvis antennis tranſverſis fulciebantur, funibus retis modo additis, quo minus graves eſſent, et unus ex iis ad temonem alligatus et ſuſpenſus, ac funibus malo intortis firmatus. Fabricata machina, prima cura fuit videre, an commode incederet; et cum vix multorum hominum ope moveri inciperet, et prae gravitate ligna pleraque et ferrei clavi impacti rumperentur, ad haec alternante pondere ita titubaret, ut ad ſingula momenta everti periclitaretur; experientia cognitum, machinas, quae intra domeſticos parietes ex arte deſignantur, cum ad opus ventum eſt, praeſertim in magnae molis fabricis raro reſpondere. Itaque omiſſis illis ingenioſis magis quam utilibus machinis, per hyemem, ne tempus incaſſo ſumptu conſumeretur, in ratibus et molibus in canali ſtruendis immorari placuit; in quibus non citra periculum et grave damnum laboratum eſt, operariis grandi pretio conductis, ex quibus innumeri dietim abſumebantur, aut membris truncabantur. Germani et Gallo-belgae milites lucro invitati ſe interdum periculo objiciebant; rarius Hiſpani et Itali, et ii ſine pretio, quod id ad decus pertinere exiſtimarent. Spinola, quod ſuum peculiare negotium agi putaret, aſſiduus aderat, et militi ad durandum, operariis ad laborem, hortatu, pecunia, praeſentia ſua in periculi partem veniens animos faciebat. Coeptus ab Hiſpanis agger, quod exiguo profectu in eo laboraretur, juſſu Spinolae tandem intermiſſus, altero ſupra inſtituto, qui ad Erinaceum propugnaculum reſpiciebat, in quo minus a diſploſione et maris aeſtu periculi. Ad [f] Cangrecum et inſtitutus alter ab Italis agger. Ita promotis ſenſim improbo et juxta periculoſo et adſiduo labore operibus, et in canali molibus ſtructis, quae tormentis imponendis, et militibus capiendis inſerviebant, ad munitiones propius acceſſum. Inter haec dum defenſores ad extrema ſe parant, Januario ſequenti, poſt feſtas ſtrenarum vice utrinque ſalutationes foeda tempeſtate ſuborta, orientalis munitio magna ex parte quaſſata fuit; in qua materia e Zelandia advecta toto menſe et Februario ſedulo laboratum fuit. Quo tempore CL naves appulſae cum milite, tormentis, et commeatu. Ad munitionem [g] occidentalem jam propiores Albertinos cum vim facturos appareret, defenſores labrum valli exterius diverſis locis aperiunt, et cuſtodia ad illam partem firmant, ita ut XV ſigna in eo excubarent. Duae et machinae in ſemilunula Poldrenſi, et totidem in occidentali propugnaculo directae ad diſturbanda opera. Nec granata, pilae, et ſaxa ignita ceſſabant,

CIↃ IↃCIII. HENRICUS IV.

CIↃ IↃCIV. HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Ghiſtel.* [b] *un navire d'Amſterdam.* [c] *Sr. de la Noot.* [d] *Porc-Eſpic.* [e] *le capitaine Calf d'Utrecht.* [f] *Cangrejo ravelin.* [g] *Weſt-ravelin.*

CIↃ IↃCIV. HENRICUS IV. ceſſabant, continuo ejaculatu operarios infeſtantia. Jamque Gulae imminebant Albertini, ſemilunula ab Hiſpanis ad eam ſtructa. Kalendis Martiis major quam antea tempeſtas ab occaſu ſeptentrionem verſus orta, quae totis v diebus ſaeviens orientalem portam cum munitione proxima dejecit; primam labri exterioris in vallo partem demolita eſt; nec ſemilunula Hiſpanorum a damno immunis fuit, et [a] Bucoianus agger apertus ſtationarios quaſi in inſula clauſos deſtituit, ut jam non inter ſe, ſed cum coelo, ventis et hyeme obſeſſi et oppugnatores certare viderentur. Sarciendis ruinis reliquus menſis utrinque impenditur, detonantibus hinc inde ſine intermiſſione tormentis. Eo menſe Giſtellus XII Kal. April. ictu majoris ſcloppeti tranſverberatus fuit; viſcera Oſtendae ſepulta, et corpus Ultrajectum in patriam miſſum. Tribus partibus oppugnatio urgebatur; [b] Catriceius, qui unam ſuſceperat in munitione viridi dicta occupanda, grave vulnus accepit, ex eoque periit, relicto ingenti ſui deſiderio. Legio ipſius Renero [c] Cabilono attributa. Itali, qui ſub Ludovico Melzio militabant, ad Cangreeum locum ſibi deſignatum proxime poſt Catriceium pervenerunt: ſerius Hiſpani ad ſuum, quod aggere firmiore opus haberent, ad maris impetum frangendum, et canalis in ea parte latius ſe effunderet. Gallo-belgae et Itali, quamvis apertas munitiones nacti, et intra receſſus utrinque munitos, ligonis beneficio ſubito ſe texerunt, et oppugnatione locum ceperunt, cum toto interiore, quod interjacet, labro. Iis locis potitus Spinola tormenta per ea diſponit, ad latera propugnaculorum disjicienda, et frontem propugnaculi contundendam. Graſſabatur et in Albertinos lues, et ſeu ſtrage, ſeu morbis imminutus erat admodum bellatorum numerus, cum Spinola novas copias ab Alberto flagitat, et novam ratem ad [d] Bredenam a Targone conſtructam in canalem immittit, a Juſtiniano, ſicuti antea factum, operibus firmatam. Inde [e] Torrenſi datum negotium, ut cum IↃ ad Albertinam munitionem tranſiret, ut [f] Gallo-belgis praeſto eſſet. Lucio [g] Denticio et Juſtiniano, ut IV cohortes, ex ſingulis ſuis legionibus duas, ad firmandos Italos mitterent. Copiae, quibus praeerat Joannes Meneſes, paucos ante dies [h] Sluſis evocatae, et Hiſpanis attributae. Interim plus C naves per Martium aeſtum ſine damno acceptae; et quaedam egreſſae.

XII. Eo ſtatu cum res Oſtendae eſſent, Ordines de exitu veriti, exercitum omni apparatu inſtruunt, ut aut Albertum ab obſtinata tot menſium obſidione averterent; aut ſi non poſſent, aliquo operae pretio facto damnum amiſſione Oſtendae acceptum reſarcirent. Inſtructo exercitu, cum dubium eſſet, quo tenderet Mauritius, praefecti vicini, quiſque ſibi metuens, ad Albertum ſcribebant, et auxilia ſummitti petebant: Hermannus Bergenſis comes in proxima Geldria, Grobbendoncanus ad [i] Silvam-ducis, Antuerpiae, Hulſti, et Saxi itidem praefecti. Spinola, qui de Sluſis ut Oſtendae magis vicinis cogitaret, nihil non agebat, per exploratores, ut de hoſtium conſiliis cognoſceret, et ad Sluſarum praefectum ſcripſerat, ut Sangeorgianam munitionem, et Blankenbergam diligenter muniret, et per turreis et ſpeculas paſſim diſpoſitas diſpiceret, ſi forte naves magno numero in alto apparerent. Juſtiniano item, qui Bredenae erat, negotium dederat, ut delectos CIↃ pedites paratos haberet, et CCCC equites, quibus Botberghus praeerat, ad primum rumorem Blankenbergam mittendos, quos cum militum robore ipſe mox ſecuturus eſſet. Tentari in itinere [k] Trajectum ad Moſam placuerat, quod intercipi poſſe Mauritio ſpes facta fuerat. Verum Antonius [l] Grenetus Verpa monitis vicinorum locorum praeſidiariis, ut ad primum conſpectum diſploſione edita, ſe in armis eſſe oſtenderent, conatum irritum reddidit.

INTERPR. [a] *de Bucquoy.* [b] *Catriz.* [c] *de Chalons.* [d] *Bredene.* [e] *de Torres.* [f] *Wallons.* [g] *Dentici.* [h] *l'Eſcluſe.* [i] *Boiſleduc, Anvers, Hulſt, & Sas de Gand.* [k] *Maeſtricht.* [l] *de Grenet Sr. de Werpe.*

reddidit. Tandem Mauritius VII Kal. Maias ad [a] Vliſſingae canalem cum claſſe IↃ omnis formae navigiorum appulit, quibus XII CIↃ peditum, bis CIↃ equites portabantur, cum tormentis et omni apparatu bellico. In claſſe erant Gulielmus Ludovicus, Erneſtus Caſimirus, Ludovicus Guntherus Naſſovii fratres, Henricus Fridericus Mauritii frater equitatus ſummus praefectus; eo et mox appulit Mauritius ipſe cum Chriſtiano Anhaltino principe, Adolfo Naſſovio gentili, et Ordinum delegatis ac ſtatus conſiliariis. A Sangeorgianae munitionis ſpecula monitus Juſtinianus ſubito cum inſtructis copiis, commeatu in carros impoſito, Blankenbergam tendit, cognitoque in itinere Mauritianam claſſem in Sluſenſis canalis oſtio haerere, ad Georgii-fanum pergit, ubi Aurelium Spinolam cum triremibus nactus ex eo et loci praefecto fit certior, Mauritium ad [b] Caſſandi inſulam copias expoſuiſſe, et duo loca in ea firmata poſt pulſationem dedita. Conjectabat Aurelius Mauritium Oſtendam petiturum; itaque cum triremibus ad Sluſas contrahere ſe decreverat. Secundum haec ad fanum-Annae et munitionem in canalis ripa ſubjectam miſſi a Juſtiniano CC pedites duce [c] Troſio Gallo-belga, qui mox ad Spinolam ſcribit, et CIↃ alteros ſummitti petit, cum II tormentis. [d] Olmedus cum CIↃ delectis miſſus, et duo tormenta a Lucio Pallavicino juſſu Spinolae eo deducta, ad exſcenſionem hoſtium prohibendam, qui ad Juſtinianum V Kal. Maias venerunt: pontones quinque ſimul ſtrati, per quos CIↃ IↃ una vice tranſire poterant; et XX ſtratis una vice VI CIↃ exſcendere item poterant. A Mauritianis VI tormenta contra [e] fani-Annae munitionem directa, quae mediam tranſverberabant, ita ut defenſores in ea non poſſent conſiſtere. Cum de loco ſervando Troſius deſperaret, manendi in eo a Juſtiniano vel cum certa pernicie neceſſitas impoſita, et miſſi ſubſidio Angelus Melgara et [f] Octavius Marius cum CC majoribus ſcloppetis armatis. Inſtructum et tormentum, quo non mediocriter infeſtati Mauritiani, per quinque horas quibus exſcenſio tentata. Deſiderati C ex Albertinis, et ipſe Troſius ictu tormenti occiſus. Major ex Mauritianis numerus. Sluſae in canali ſitae ſunt, qui infra ipſas in duos ramos dividitur; alter ad [g] Coxiani inſulam, in quo et S. Catharinae munitio et [h] Iſendika ad [i] Damam pertinet; prior CCCC ab hinc paſſibus ad dextram in plures ramuſculos ſcinditur, et per CIↃ deinceps incedendo ad [k] Ardenburgum uſque extenditur, et totam regionem ab ea parte inundat. Alter, qui Damam alluit, CCCC ab hinc paſſibus plures ramuſculos ad laevam efficit, qui cum aliis ad extremum conjunguntur, regione adeo depreſſa, ut in Martio aeſtu ad impediendam inundationem populares aggerem ducere a Dama ad Ardenburgum coacti ſint; in quo, ſemileuca a Dama, cataracta fabricata ad aquas retinendas, et in mare ſalva regione exonerandas: pons etiam in eo ſtratus haud longe a Dama, per quem hinc inde commeatur. Spinola eo venerat, ut Coxiam iret, CCC delectis locum firmare certus: nam in aliis ſuperioribus ad S. Catharinam, et S. Philippum Auguſtinus Errera arcis Gandenſis praefectus, et Theodorus [l] Trivultius cum CIↃ equitibus, et [m] Brancatius cum ſua legione ab Alberto miſſi praeſidia impoſuerant. Verum ſub id ab Alberto venit Ludovicus Velaſcus, cum mandatis, ut exſcenſionem impediret, et copias ad eam rem idoneas a Spinola acciperet. Habito colloquio non ſine occulto livoris ſenſu inter eos altercatum, cum Velaſcus majorem numerum, quam qui Juſtiniano attributus fuerat, peteret, Spinola ab obſidione Oſtendana, tam vicino cum recentibus viribus Mauritio, plures deducere tutum negaret. Cum diffiderent, Velaſcus inde Damam, Spinola Brugas, petit, et uterque

CIↃ IↃCIV.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Fleſſingue.* [b] *Cadſant.* [c] *le Sr. de Troſy, Wallon.* [d] *de Olmedo.* [e] *redoute de Ste. Anne.* [f] *Ottavio de Mari.* [g] *Coxie.* [h] *fort d'Iſendick.* [i] *Damme.* [k] *Ardenburg.* [l] *Trivultio.* [m] *Brancaccio.*

uterque ad Albertum ſcribit. Monitus interim Juſtinianus, ut locum commiſſum diligenter ſervaret, et de Coxia etiam ſedulo cogitaret; et cum Matthaeo Serrano Sluſarum praefecto ageret, ut idoneo numero ab eo juvaretur. Inde ad Oſtendam revertitur. Acceptis novis ab Alberto mandatis, Velaſcus ad impediendam exſcenſionem ſe comparat, Juſtiniano ad omnia ei parere juſſo. Nec interim Graviae ſeditioſi quieſcebant, qui cum tribus tormentis praeſidio egreſſi Tilemonem, ubi Fridericus Bergenſis comes erat, corona cingunt; unde cum damno pulſi monaſterium virginum vicinum prius crudeliter expilatum incendunt; et inde uſque ſub [a] Montium in Hannonia muros excurrunt, a nullo maleficio temperantes: quo factum, ut Albertus, qui nullis cum rebellibus agendum conditionibus decorum exiſtimabat, neceſſitate adductus mutaverit, ut, Ruremunda ad receptum conceſſa, datis praeterea Oſſunae duce, [b] Fontanoio duce, et Alfonſo [c] Davalo obſidibus, cum iis tranſegerit. Mauritius prohibita in canali exſcenſione ad Iſendikam, et S. Philippi munitionem iter convertit, et Trivultium cum equitatu obviam venientem conſpicatus, ad Coxiam ſubito deflexit; quo nulli a Serrano auxiliares, ſicuti Juſtiniano receperat, miſſi fuerant. Igitur VI Non. Maias vix albeſcente die CCCC expoſiti, qui XL tantum defenſores nacti eos ſine certamine loco dejiciunt, quos IV CIƆ mox ſecuti ſunt, eoque loco ſe munivit Mauritius; et inde poſt obſtinatum certamen Catharinae et Philippi munimenta ab Albertinis deſerta occupat, et inde ad Iſendikam tranſit. Cum a tubicine a ſe miſſo deditionem facere juberentur obſeſſi, pro reſponſo diſploditur ſcloppetus, et deſignato ictu tubicen ſternitur; qua de re cum ante omnia ſibi ſatisfieri Mauritius peteret, nec ullam conditionem admitteret, poſt frivolas excuſationes, Italus quidam deditus; quo facto perſcriptae conditiones. Eae erant, ut [d] Griſo praefectus cum ſuis, ii erant numero IƆ, cum armis exirent ſine ſignis, et funibus extinctis, ac ſine pulſu tympani; tormenta et apparatum integrum in oppido relinquerent; intra IV menſeis contra Ordines non militarent, naves commodatae, de quibus reſtituendis itidem ab iis idonee cautum. Velaſcus interim ab Alberto redierat, accepta Lucemburgenſi legione, qui veritus, ne victor hoſtis [e] Sluſarum canalem ſuperare aggrederetur, aut per Ardenburgum facto itinere Damam ſui juris faceret, vallum a Juſtiniano inchoatum firmat, dato negotio [f] Eglofo tribuno, et ligonibus ac palis ſubminiſtratis, ut per ſuum militem in via qua Sluſis Damam itur, munitionem ſtrueret, cui et Jobo nomen fecit.

XIII. MAURITIUS capta Iſendika Ardenburgum ab Eglofo ſine certamine deſertum occupat. Eglofus ad Damam receptum habuit, quo ſub id venit Velaſcus, et eodem die Trivultius cum equitatu, et legionibus [g] Aſſincurii, Brancatii, et comitis Barlemontii, et CIƆ IƆ peditibus ex Oſtendanis caſtris a Spinola miſſis, qui omnes ſimul V CIƆ pedites, bis mille equites efficiebant. Rebus in oppido ordinatis, pontem aggeri, quem dixi, impoſitum munire ſtatuit Velaſcus, dato negotio [h] Bleileveno Aſſincurianae legionis majori centurioni, ut cum IƆ CCC operi inſtaret. Quo cognito Mauritius cum exercitu poſtridie eo tendit, quo jam Velaſcus cum Oſtendanis, et ſcloppetariorum Nic. [i] Blivii ſtipatorum ductoris turma, Trivultio cum equitatu ſubſequi juſſo. Heic acriter certatum, munitione nondum ad eam altitudinem perducta, ut defendi poſſet; quippe vix quatuor palmas excedente, et equitatu nondum appulſo: et cum Velaſcus nullo non ſtrenui non ſolum ducis, ſed militis officio egregie defunctus eſſet, cum damno ad extremum inde depulſus eſt, amiſſis IƆ ex ſuis, et CCC captis, et in iis Olmedo centurione majore; qui reliqui ex clade fuerunt, huc illuc per paludes ſubjectas dilapſi ſunt. Ipſe cum reliquiis Blivianae turmae ad Damam ſe recepit, inter Damam et Sluſas ſumpto hoſpitio.

INTERPR. [a] *Mons en Hainaut.* [b] *el Conde de Fontenoy.* [c] *Davalos.* [d] *le gouverneur Griſon.* [e] *l'Eſcluſe.* [f] *le colonel Egloff de Luxembourg.* [g] *d'Hachicour.* [h] *Bleileven.* [i] *Blivi.*

hoſpitio. In canali Sluſenſi vadum erat ad [a] Cortaduram, quod impediturus [1] Velaſcus, acceptis a Spinola IϽCCC juxta ſe muniverat, miſſo Juſtiniano, qui Cortadurae vadum ſervaret; et Spinola [b] Oldenburgum municipium frequens inter [c] Brugas et Oſtendam praeſidio et operibus firmabat, ducto vallo, tanta amplitudine, ut exercitum totum caperet, in eoque Mauritium, ſi ad Oſtendam pergeret, opperiturus conſederat. Sed jam alio Mauritius anteverterat, et Sluſas omiſſa Oſtenda tendebat. Itaque cum fruſtra fuiſſet Juſtinianus, Cortadura ſuperata, Velaſcus Oldenburgum, ubi Spinola erat, continuo cum primo agmine tendit, ultimo agmine paulum ſubſiſtere juſſo ad retardandum hoſtem venientem: in quo jactatum poſtea, ubi certius de Mauritii conſiliis cognitum eſt, graviter peccatum fuiſſe, erepta per receſſum illum ſubitum pulcherrima rei bene gerendae occaſione: nam in vadi tranſitu multae difficultates occurrerunt, et per moram ſtruendi pontis, et, poſtquam ruptus eſt, reficiendi, carpi hoſtem et diſſipari copias ſolutas potuiſſe a peritis judicatum eſt. [d]Annaca munitione poſt tranſitum a Mauritio occupata, Albertus qui [e] Gandavi erat, certe id graviter tulit, preſſo ſenſu, Velaſcum revocare contentus, et Spinola ſummae rei loco ejus praepoſito. Inde ad S. Georgii munitionem vis verſa, quam cum CXXX [f] Corduanus tenebat; quae ad Mauritii primum conſpectum dedita eſt, ex eaque re poſtea Corduano periculum creatum. In ea IX tormenta capta, et XIX nitrati pulveris amphorae, Georgius [g] Brukſaulius loco impoſitus. Conſultatum deinde inter belli duces a Spinola, quid facto opus eſſet, et variabant ſententiae, cum alii Oldenburgi in veſtigio manendum cenſerent, et ex hoſtium rebus conſilium capiendum: alii Blankenburgam inſidendam ſuadebant; alii Annacam verſus munitionem ducendum, a tergo Dama et Brugis relictis, et hoſtem ſuſpenſum fatigare operae pretium ducebant; copiis quae Bredenae erant, inde deductis. Nam cum Mauritius Oſtendae auxiliareis per mare poſſet immittere, fruſtra Bredenae copias inutileis tempus terere, praeſertim cum Bucoium aggerem longius non produci placuiſſet. Heic Spinola, qui videret Mauritium amplius prohiberi non poſſe, quo minus Sluſas obſidione cingeret, et commodam a tergo commeatus ſubvectionem haberet: in certamine ſolam ſpem eſſe, ad quod totis copiis opus eſſet, quibus adductis, debileis ad Oſtendam copias relictas periculo exponi: ſi vero Oldenburgi ſubſiſteret, verendum eſſe, ne per Blankenbergam facto itinere ipſum anteverteret Mauritius; tandem cenſuit a Bredena minime copias deducendas, Trivultium cum parte equitatus, et delecta CIϽ peditum manu Blankenbergam mittendum, qui locum muniret, et propius de hoſtium rebus cognoſceret. Sub id a Sluſarum praefecto certior factus Mauritium Sluſas obſidere decreviſſe, et jam ad Sangeorgium vallum ducere, et juxta Damam et Jobi munitionem ſe munire, rogatus eo CCC delectos mittit, qui per paludes itinere facto, incolumes ad oppidum pervenerunt. Ipſe Brugas tendit, quo Albertum Gandavo veniſſe intellexerat, cujus mandatu CIϽ delectos Sluſas denuo mittit duce Pompeio Juſtiniano; cui et totidem cum IϽ equitibus, qui illum deducerent, quod haud ſegniter ille fecit. Inde Spinola ad Oſtendam redit, quam interim urgere certus, e [h] Sicambris et Silva-ducis dum copias exſpectat, et equeſtreis provinciae delectus et tumultuanteis nuper reconciliatos, qui Ruremondae erant, CIϽ item et IϽ, quos in [i] Eburonibus legerat Jacobus [k] Franciſcius, ad ultimum impetum faciendum ſe comparabat. Jamque Hiſpani [l] Erinaceum propugnaculum occupaverant, depulſis inde defenſoribus; idem et foſſa ſuperata Itali conabantur. Gallo-belgae

INTERPR. [a] *c'eſt un mot Eſpagnol qui ſignifie retranchement.* [b] *Oldenburg.* [c] *Bruges.* [d] *fort de Ste. Anne.* [e] *Gand.* [f] *le capitaine Cordova de Bruges.* [g] *Brukſauls.* [h] *Gueldre, & Boiſleduc.* [i] *le pays de Liege.* [k] *Franceſchi.* [l] *Porc-eſpic.*

NOT. [1] Les autres Hiſt. mettent: " Don Luis de Velaſco s'eſtoit retranché prés de la petite Eſcluſe du " canal de Mourbeque & Lapſeure. *Put.*

Gallo-belgae vero ignem et in cuneum injiciunt, et aperto propugnaculo oppugnationem tentant. Nec ſegniter rem gerebant obſeſſi, qui interim munitionem intus ſtructam ad defenſionem evexerant, pomoerio antiquo deſerto, ex qua diſpoſitis tormentis Albertinos graviter infeſtabant, ita ut illa deducere ſubito ſint coacti, quae tamen mox eodem in loco repoſita ſunt. Haec toto Junio acta, quo menſe Daniel [a] Hartanius Marquetus ad oppidum venit, ut ſummae rerum praeeſſet; ante eum [b] Huctenbroekus, et mox [c] Giſtellus menſe Martio interfecti; et poſt eos Joannes [d] Lohonus, qui paulo poſt in obſidione occubuit: dein delectus a belli ductoribus Jacobus [e] Berendrechtus, et poſt eum [f] Utenhovius tribunus, qui pariter ictibus perierunt: et crebra illa praefectorum mutatione effectum, ut conſilia cum iis mutarent, et quod ab aliis prudenter inſtitutum fuerat, ab aliis minus conſtanter teneretur. Quae vero ad minuendum commeatus pretium et ſecuritatem publicam recte decreta fuerant, partim negligerentur, partim novitatis ſtudio in pejorem uſum verterentur. Interim Sluſani novo milite a Juſtiniano per paludes deducto cum pulvere nitrato firmati, ita ut non jam a numero hoſtium, ſed a penuria domeſtica ſibi metuere inciperent. Monitus a praefecto Albertus ad [g] Ternaverdam locum condicit, quo farinam et pulverem nitratum intra biduum decreſcente mari mitteret. Id negotii datum Juſtiniano, qui cum bis mille peditibus et CIↃ IↃ equitibus loco condicto venit, quo ab oppido obſeſſo bis mille pedites, et claſſiarii eodem tempore juſſi erant venire. Re cognita Mauritius ſe medium interpoſuit: et Gulielmo Verdugo, quem praemiſerat cum Antonio [h] Rella Juſtinianus, fuſo et cum L ex ſuis capto, copias accelerare jubet, quae per noctem incedentes ab indicibus viarum deceptae, Juſtinianum non niſi ad pontem, ad quem ante Velaſcus cladem acceperat, jam ab ipſo occupatum nanciſci potuerunt, cum ille jam majorem partem in ulteriorem ripam tranſmiſiſſet: acriter utrinque certatum, Angelo Melgara, Franciſco Roderico, et Pantaleonte Spinola legionis Juſtinianeae duce, rem ſtrenue gerentibus; et ſcloppetariis, quos [i] Lucius Pallavicinus centurio major ducebat, poſt carrecta et lignorum ſtrues in Batavos ejaculantibus et tormentis Dama detonantibus: commeatus in aquam merſus a Juſtiniano: victores Batavi a Pallavicino infeſtati non tranſmiſerunt, auxiliareis ingreſſu Sluſarum, et commeatum excluſiſſe contenti. Id extremo Maio actum. Juſtinianus ad Damam receptum habuit, qui inde Brugas ad Albertum tendit; ut caſum excuſaret, et mandata ab eo acciperet. Initio placebat, ut pons infra Damam muniretur; ſed auctore Juſtiniano, et Bucoio comite, et Gaſtone Spinola adprobantibus, Ternaverdam inſideri placuit, per quam ad auxilia intromittenda via aperiebatur. Sed recenſitis per Baltazarem Lopezium copiis, cum numerum earum valde imminutum comperiretur, et ad expeditionem illam VI CIↃ opus eſſet, Spinola ad Albertum venit, et ut copiae brevi venturae exſpectarentur, ei auctor fuit; quippe plus periculi in Oſtenda non capta, quam in Sluſarum amiſſione duceret; et ad propriam laudem pertinere exiſtimaret, ut Oſtenda virtute ſua capta, Sluſae aliena culpa amiſſae crederentur. Ad Gallo-belgarum ratem et aggerem ex farciminibus ſuper ea impoſitum, ex quo jam objecto propugnaculo imminebant, incendium a defenſoribus accenſum, quod materia arida ita exarſit, ut opus totum paene conſumpſerit; Spinola ipſo ad reſtinguendum ſuccurrente, et inter media pericula verſante. Idem et ad Italorum vallum accidit, ſed diligentia Juſtiniani damnum non citra diſcrimen ſartum fuit, ipſo in pede majoris ſcloppeti ictu ſauciato. Jamque inſtaurato aggere Gallo-belgarum et Italorum, Hiſpani ſuperata foſſa ad propugnaculum interius propinquabant, et cunei ſubtus agebantur,

INTERPR. [a] *de Hartain Sr. de Marquette.* [b] *Huchtenbroeck.* [c] *Ghiſtel.* [d] *le Lohn.* [e] *Berendrecht.* [f] *Utenhove.* [g] *Terwelde.* [h] *Rella.* [i] *il marcheſe Lucio Pallavicini.*

agebantur, primi Itali proprio cuneo accenſo impetum fecerunt, et in propugnaculo dejectis defenſoribus ſe muniverunt. Idem mox ab Hiſpanis factum. Diviſerant intus propugnacula obſeſſi, et ad latera receſſus muniverant, quibus tecti Albertinos remorabantur et graviter infeſtabant; inſuper et ipſi cuneos contrarios agebant: magnum damnum inde plerumque Albertini accipiebant, ſed diverſo exitu, cum alii quantum loci cuneos agendo occupabant, tantundem alii amitterent. Captis tandem propugnaculis, et muro interjecto, intus ſtructa munitio patuit; in quam Spinolae juſſu L tormenta directa a Thoma [a] Wingarte rei tormentariae vicario. Eo ſtatu cum res Oſtendae eſſent, Mauritius poſt diſturbatos eos, qui commeatum allaturi erant, Sluſas arctius obſidere coepit. Oppidum eſt ad mare in Flandria Flandrina, ſic enim ad differentiam Flandriae Gallicanae cognominatur, ſitum, tribus infra [b] Brugas leucis, et V a [c] Mildeburgo celeberrima in Zelandia urbe, olim opulentum; ſed ob viciniam Brugarum, quibus et poſt diutina bella tandem ſubjectum fuit, non parum temporis lapſu a priſtina opulentia excidit: portus in ea capax IↃ navium; oppidum arte et poſitu firmum, undique mari, et paludibus, et agro per cataractas aquam accipiente inacceſſum. Initio Ordinum Belgii partes amplexum fuerat, et anno CIↃ IↃ LXXXVII, cum Parmenſis cum triginta muralibus machinis et VIII colubrinis urbem verberaſſet, edita CCL paſſuum ruina, obſeſſi pro libertate pugnantes, ad ſeptimam uſque oppugnationem ſtrenue ſe defenderant: tandem poſt trium menſium obſidionem honorificis admodum conditionibus cum Parmenſi tranſegere, ab eoque tempore Hiſpani illud tenuerunt. Portu occupato, et caſtris magno ambitu munitis et pontibus ſtratis, ut hinc inde tuto commearetur, hoſpitium ad ſeptentrionem ſibi ſumpſerat Mauritius, ducta foſſa ad auxiliareis ingreſſu prohibendos. Gulielmus comes juxta ſtationem habebat, remotior Erneſtus comes ad occaſum ſe firmaverat, et pontem [d] Krekae impoſuerat, ut inde Ardenburgum commeare poſſet. In agro aquis ſubjecto XIV naves excubabant, cum aliquot navigiis vectoriis, quibus praeerat [e] Nootus. Principium a religione factum, et XII Kal. Junii jejunium in Mauritianis caſtris imperatum, et preces publicae factae; capitis poena dicta, ſi quis quidquam edulii eo die venderet. Commeatu primum intercluſo, res ad arctam obſidionem parabantur, et ad oppugnationem pons ſtructus fuerat, ingentis artificii, per quem tectus miles ſubiret: qui tamen nullo uſui fuit, poſtquam ex captivis ſive transfugis Mauritius cognovit, oppidum milite abundare, ſed in eo commeatum deficere; et, niſi intra menſem ſubveniretur, fore, ut penuria ad deditionem compelleretur. Itaque ſatis habuit caſtra firmare, quae magno ambitu a Sangeorgiana munitione ad canalem, quo Damam itur, ubi hoſpitium habebat, et inde ad [f] Ternaverdam ducta foſſa uſque produxerat, ubi Nootus excubabat, Ardenburgum etiam amplexus. [g] Coxiam item muniverat, lunulis inde uſque ſub Sluſarum foſſam ſtructis, ac poſtremo [h] Oſtburgum [i] Caſſandi inſulae praetenſum pariter muniverat; ita omni ex parte cincta urbe, ut ad eam commeatum inferendum citra periculoſum certamen perveniri non poſſet. Albertus qui aegre ferret, dum Oſtendae tamdiu obſtinate haeret, Sluſas amitti; et videret, niſi intra menſem ſubveniretur obſeſſis, deditionem neceſſario ſecuturam; Spinolam adigit, precibus imperia miſcens, ut omni ratione poſthabita in id incumberet, et quod exigua manu fieri non potuerat, totis viribus perficere eniteretur. Cum ſe aliquandiu excuſaſſet Spinola, poſtremo onus ſuſcepit, ne propriae laudi, quae in Oſtenda capta vertebatur, urbis tam opportunae periculum, et qua capta Oſtendae amiſſio ac jactura Batavis abunde reſarciretur, poſthabuiſſe videretur. Sic autem rem inſtruit, relictis ad obſidionem,

INTERPR. [a] *Wingarte.* [b] *Bruges.* [c] *Middelbourg.* [d] *le Creeke.* [e] *Vander Noot.* [f] *Terwelde.* [g] *Coxie.* [h] *Ooſtburg.* [i] *Cadſant.*

CIƆ IƆCIV. HENRICUS IV.

obſidionem, qui propugnacula intra oppidum capta et murum interjectum tuerentur; et ut in re, de qua deſperabat, teſtes et vades navatae in ea diligentiae haberet, Bucoii comitem, Rivam, Texedam, et Ferdinandum Gironem tribunos ſecum duxit, inſpectores et conſiliarios futuros. Ad Brugas luſtratis copiis numerati VI CIƆ pedites, et bis CIƆ IƆ equites: in eo numero comprehenſis iis, qui nuper in caſtra venerant. Inde eadem, qua venerat Juſtinianus, via, incedit Ternaverdam verſus, capto in itinere [1] Mildeburgo, quo improviſus acceſſit. Primum agmen ducebat Alvarus Suares, Hiſpanae legionis tribunus, qui ubi in conſpectum Ternaverdae venit, ſubſtitit, ultimum agmen, in quo erat Spinola, opperiens. Locum ad defenſionem firmatum, praeſidio et tormentis muniverat Mauritius. Heic continuo vallum aperiri jubet Spinola, idque negotii dat Ferdinando Gironi, eique bis mille delectos attribuit. Id ſibi non imperatum indignatus Suares, murmurare, rem tribuno minus dignam centurioni committi debuiſſe, quo uſque opera ad idoneam altitudinem perducta eſſet. Cum non audiretur, non petita venia, Brugas ad Albertum tendit, et legionem a ſe abdicat; qua re non leviter offenſus Albertus legionem Gironi attribuit, et ipſum Suarem Antuerpiana arce captum incluſit. Spinola, qui Ternaverdam primo impetu capi poſſe deſperaret, et interea obſeſſos, dum nuper reconciliatum militem Ruremunda venientem exſpectat, penuriam diutius non laturos, ad S. Philippi munitionem deflexit, Caſſandi inſulam per vadum ingreſſurus, et inde urbem commeatu firmaturus. Dein ex transfugis cognito, ad S. Annae munitionem vallum minus altum, et raras ſtationes eſſe, Trivultius cum equitatu miſſus, qui ab ea parte in qua Gulielmus comes ſtationem habebat, vim faceret, qui tamen fruſtra fuit. Sub id Ruremunda reconciliati advenere, quorum ope Spinola Caſſandi inſulam ingredi ſtatuit. Igitur XVII Kal. Sept. noctu promotis copiis cum ad vadum ſerius veniſſet, jam aeſtu creſcente et albeſcente die, tamen celeritate morae periculum diſcutiendum ratus, militem militari allocutione firmat, et primus vadum intrat; quo ſuperato S. Catharinae munitionem impetu capit; et inde Oſtoburgum intrat, et primum vallum objectum occupat; ſed in altero plus negotii fuit, ſuperveniente Mauritio cum Gulielmo gentili, et Gallicis et Friſicis copiis. Heic acriter obſtinatis utrinque animis certatum, Spinola ipſo militi animos exemplo proprio faciente: ſed cum ad frontem tantum acceſſus oppugnanti pateret, et a tergo obſeſſi recenti milite juvarentur, ad extremum oppugnatio intermiſſa; et ne nihil ageretur, ad S. Philippi munitionem verſa vis; qua capta, neque alio operae pretio facto Spinola copias deduxit. Perierunt in ea expeditione circiter CCCC, et in iis [a] Rantiaci marchio, et Inicus Borgia ictu grandioris ſcloppeti ſauciatus fuit. Rem ſtrenue geſſerunt Dorthus tribunus, qui Gulielmum periclitantem tutatus eſt, et [b] Termenſis cum L e Gallica nobilitate; Julius item [c] Eltzinga Friſicae legionis tribunus. Obſeſſi cum viderent Spinolae conatum fruſtra fuiſſe, extrema penuria preſſi, cum panis tantum ſex unciae, et valde corrupti, militi diſtribuerentur; et claſſiarii, non jam pane ſed herba victitarent, deditionem fecere honorificis admodum conditionibus, Ut eccleſiaſtici eo quo ſolent amictu cum omni ſupellectile libere abire poſſent; praefectus urbis cum omnibus officialibus belli paciſque, duces item triremium, qui volent Damam incolumes deducentur, cum impedimentis, armis, ſignis, pilis in ore, funibus accenſis, ac tympanis ſonantibus; in eamque rem commodentur navigia, de quibus reſtituendis idonee caveatur. Praefectus necnon Aurelius Spinola tormenta, apparatum bellicum, triremeis, navigia, liburnicas integras, ſine fraude tradere teneantur; remo mancipati libertati reſtituti, qui volent, duces ſequantur. Captivi hinc inde dimittantur; inter eos [d] Saius cum navicularii

INTERPR. [a] *Renty.* [b] *le baron de Thermes.* [c] *d'Eytſinga.* [d] *le capitaine Say.*
NOT. [1] *potius* Ardenburgo.

naviculariis qui ad [a] Silvam-ducis, Joannes [b] [1] Raedus qui [c] Vilvordae, item Bredani naviculari qui [d] Gandavi, detinentur, exoluto menſis ſtipendio; quod ni fiat, Aurelius ſe coram Mauritio ſiſtere teneatur. Aeris a praefecto et milite in oppido contracti ratione nemo ſiſtatur, modo de illo [e] Brugis luendo caveatur. Officiales libere libros rationum et chartas peculiareis, modo nihil rerum ad jura et vectigalia oppidi pertinentium in iis ſit, aſportare poſſint; arx praeterea ſine mora tradatur. Id actum XIV Kal. Sept. Poſtridie praeſidium deductum, in quo ad ter mille bellatores numerati, claſſiarii captivi CIↃ CC fame attenuati, et qui inter incedendum ſemineces cadebant; quippe qui tantum ocrearum, calceorum coriis, chartis pergamenis bullitis, et quibuſdam herbis totum menſem victitarant. Cum infantes plerique deficerent, plerique non reperirentur, creditum eſt, eſu mortuorum vivos vitam miſeram aliquandiu toleraſſe. Milites Damam deducti Spinolae horrorem prae macie fecerunt; multi in via defecerunt, plures poſtquam Damam appulere. Reperta omnis generis in oppido LXX tormenta ſeu machinae bellicae, aereae et ferreae; captae X triremes fere depreſſae, cum omni apparatu. [f] Henricus Fridericus Mauritii frater, Flandriae praeſes ordinatus, et [g] Nootus ei vicaria poteſtate ſuffectus, qui [h] Sluſis moram faceret. Sub id et Mauritius aegrotare coepit, vigiliis et labore fractus; et Sluſis Ludovicus Guntherus Naſſovius, Gulielmi et Erneſti frater, ex morbo deceſſit, adoleſcens multae ſpei, eoque majore ſui relicto deſiderio. Spinola cum diſcederet, S. Catharinae et S. Philippi munitiones incendio conſumpſerat, quas Mauritius denuo ex Ordinum conſilio inſtauravit, VII praeterea aliis ſtructis ad [i] Coxiam, Oſtburgum, et Ternaverdam, et ante Sluſas ſemilunula tribus propugnaculis firmata, canalis inſuper novus excavatus, ad purgandam regionem, qui in mare exoneraretur. Ad Iſendikam etiam V magna propugnacula erecta, et tumulus, Poldrem vulgo vocant, late patens excitatus foſſa ampla egregie munitus.

CIↃ IↃCIV.
HENRICUS IV.

XIV. ALBERTUS qui Brugas venerat, ut obſeſſis animos praeſentia ſua faceret, et auxilio venienti Spinolae gratiam propior aſpiraret, caſum aegerrime tulit, amiſſis Sluſis majorem ſe jacturam, quam in Oſtenda lucrum feciſſe exiſtimans, ſi capi eam contingeret: quod capiendae mox Oſtendae non parvum adjumentum attulit, reſtincto Ordinum antea accenſo ardore, cum Oſtenda nullo operae pretio facto periclitabatur, qui plus Sluſis captis ſe lucrifeciſſe, quam in Oſtenda amittere poſſe judicabant; nam eo rem vallo toties retro intus ducto, et portu penitus obſtructo deductam, ut de cumulis arenarum potius quam de urbe ſervanda certetur. Contra Albertus et Spinola, qui in obſidione tamdiu manſiſſe, et inde re infecta diſcedere non ſolum damnoſum, ſed ad famam probroſum ducebant, eo majore loci capiendi deſiderio flagrabant. Dum abeſſet Spinola, Gallo-belgae ſemilunulam ante ſe poſitam expugnaverant; idem et Itali fecerant, quae culpa centurionis, qui praeerat, ab obſeſſis recepta eſt: quo caſu [k] Melzius indignatus cum centurio ſe excuſaret, ei cum C ex ſuis neceſſitatem impoſuit, loci rurſus occupandi, quod ille fruſtra tentavit, gravi vulnere in conatu accepto. Nocte inſequenti, quae in Eidus Quintileis incidebat, juſſu Marqueti eruptionem fecere obſeſſi, uſque ad tormenta progreſſi; inde ab Italis repulſi, qui cuneo acto amiſſam ſemilunulam recuperarunt. In qua dum munienda laborant, Melzius grave vulnus majoris ſcloppeti ictu in crure accepit, cujus in locum de ſufficiendo aut Laelio Brancacio, aut Lucio [l] Denticio, dum Spinola deliberat, P. Juſtinianus ex vulnere convaluit, et Italorum praefecturam uſque ad deditionem exercuit. Secundum haec Spinola ad obſidionem rediit, de cujus

INTERPR. [a] *Boiſleduc.* [b] *Raed.* [c] *Vilvorde.* [d] *Gand.* [e] *Bruges.* [f] *le comte Henry Frederic de Naſſau.* [g] *Vander Noot.* [h] *l'Eſcluſe.* [i] *Coxie, Ooſtburg, & Terwelde.* [k] *il cavalier Melzi.* [l] *Dentici.*

NOT. [1] Meteren *p.* 543. dit que Raed etoit priſonnier au chateau de Woude *Put.*

CIↃIↃCIV.
HENRICUS IV.

cujus ſucceſſu plerique veterani deſperabant, qui Mauritium cum victore exercitu venturum arbitrabantur, et ad Sluſas captas hoc decus additurum, ut ſociae urbis tam diuturnam obſidionem ſolveret. Sed ſive ob eas, quas memoravi cauſas, ſive ob morbum nihil conatus eſt. Interea Spinola, qui idem de Mauritii conſiliis animo ſibi fingeret, et domi omnia ſuſpecta haberet, tumultuante milite, qui nuper reconciliatus fuerat, et Ruremundam, unde venerat, repetiturum ſe interminante; ad haec ſparſa fama haud dubia, etiam equitatum tumultuare, non mediocriter animi diſcruciabatur, ut praeſenti pecunia ſeditionem praeſentem ſedaret, et meliore de ſucceſſu ſpe ſuos impleret. Itaque in opere adſiduus, et hilari vultu, cum ceteri triſtes eſſent, cunctis occurrens, et de ſuo adnumerata militi pecunia, et de ea, quae non repraeſentabatur, cautione idonee interpoſita obſidionem inſtat; ſi Mauritius veniret, obſidione minime ſoluta, ſed idoneo numero ad eam relicto, ei cum toto exercitu occurrere et confligere certus; interim Damam miſſo Bucoii comite, et Trivultio Blankenbergam cum parte equitatus, qui loca commiſſa munirent, et illac venientis primos impetus frangerent: itaque nunc Damae, nunc Oſtendae, nunc Blankenbergae continuo excurrens conſpiciebatur, ut tres homines in uno corpore habitare crederentur. Toto Sextili ad [a] Santhilium propugnaculum cunei acti, contrariis intus actis, et ducto intus vallo, ad vetus oppidum Gulam verſus, cui novae [b] Trojae nomen obſeſſi fecere. Novo vallo ſtruendo, etiam cadavera cum terra ſolida aggeſta ex Anglorum architectorum conſilio, ut qui vivi virtute ſua oppidum tutati eſſent, etiam mortui ſuperſtitum virtutem adjuvarent. Sed terra recenter aggeſta et fere arenoſa adverſus tormentorum ictus firmitatem non ſervabat, ſed fluebat, et in pulverem diſſiliebat. Itaque cum obſeſſi plus in virtute ſua, quam in vallo praeſidii ſibi relictum viderent, crebris eruptionibus certabant. Inter haec Santhilium tandem cuneis everſum, et a Germanis, quos [c] Billiae comes et [d] Egloſus a Lucemburgo ducebant, occupatum fuit. Antunes et Meneſes, qui Hiſpanis praeerant, jam ſemilunulam oppoſitam perruperant, et parum negotii ſupererat in reliqua expugnanda. Juſtinianus cum Italis, [e] Torrenſis, Toricurius, et Cabilonus cum Gallo-belgis eadem moliebantur. Accidit autem ſub id, ut intumeſcente plus ſolito maris aeſtu XI Kal. Sept. vento ab occaſu inter boream flante, ingens damnum utrinque ſit acceptum: ſed obſeſſi quo ad majores anguſtias redacti, eo magis infeſtati ſunt; vetere oppido, quod ſolum reſtabat adverſus mare et hoſtileis impetus munimentum, ab inundatione et cuneis periclitante. Utrumque veritus Marquetus ex conſilio belli ducum et Ordinum permiſſu, antequam violenta maris impreſſione iniquioribus conditionibus paciſci cogeretur, de deditione agere decrevit, et tormentis in naveis impoſitis, et iis, qui actioni interceſſuri putabantur, paſtoribus, architectis, transfugis, et tormentariis dimiſſis, ad Spinolam acceptis obſidibus [f] Achthovium et Gueldrium fidos duces mittit, et XII Kal. Oct. cum eo tranſegit, iiſdem fere, quibus Sluſae deditae, conditionibus. Cum biduum poſt in nova Troja manſiſſent, diſceſſus die Spinola, qui jam oppidum ingreſſus fuerat, [g] Marquetum cum ceteris belli ducibus lauto convivio excepit; qui acceptis IV tormentis ſine pulvere nitrato, ſic enim convenerat, per terram iter fecit, commodatis carris ad impedimenta portanda. Ter mille adhuc erant egregie inſtructi, et fere ſani. Primam aciem ducebant Galli, mediam Batavi et Angli, ultimum agmen claudebant Scoti, qui per tumulos arenoſos incedentes in caſtra Mauritii venerunt, magna gratulatione accepti, actis pro re bene geſta comiter gratiis. In numero, caede, cuneis qui LXX a curioſis numerantur, aut morbis, abſumptorum, non tam variant, quam inter ſe diſſident partes. Hiſpani ex ſuis toto XXXIX menſium tempore

INTERPR. [a] *Sandthil.* [b] *la nouvelle Troye.* [c] *il conte Biglia.* [d] *Egloff de Luxembourg.* [e] *de Torres, de Toricourt, & de Chalons.* [f] *les capitaines Achtove, & Gueldre.* [g] *le Sr. de Marquette.*

tempore L CIƆ abſumpta memorant: majorem numerum edunt Batavi; quippe Junio proximo repertum [a] breviculum ab Italo ſcriptum, qui ex cujuſdam Germani relatione numerum ad LXXVI millia IƆ CCCCLX extendebat: magnus et numerus in oppido morbis et caedibus abſumptus; ſed major extra oppidum, quippe cum ſauciati, qui poterant, et aegroti mox oppido exportarentur. Cum Albertini C XL mille capita morbo aut ictibus periiſſe ſcribunt, majorem ex ſuis partem periiſſe fateantur neceſſe eſt; quippe cum et ipſi morbis ſumme adflictarentur, et majoribus incommoditatibus ſub dio per tot hyemes infeſtati fuerint, et majore numero eſſent oppugnatores quam obſeſſi. Hujus obſidionis tot certaminibus, tot nuperae inventionis munitionibus et machinis inſignis occaſione, ſubit lectorem militaris ſcientiae ſtudioſum monere, ut non a me, licet non omnino ignaro, neque in ea neque in ſuperioribus harum rerum exactam deſcriptionem exſpectet; quippe cum univerſam hiſtoriam ſcribam, et ſingula in ea perſequi legem ſuſcepti operis excedat; deinde et Latine cum ſcribo, vocabulis in re nova, et coelo Latino fere incognita exprimenda plerumque deficiar: quae omnia melius ab iis, qui res ſuas ſingillatim vernacula lingua ſcripſere, et figuris etiam diligenter appoſitis, rem ſub oculos poſuerunt, petere poterunt.

CIƆ IƆCIV.
HENRICUS IV.

XV. ALBERTUS et Infans, qui Gandavi erant, urbis captae rudera et ruinas in rem praeſentem venientes luſtrare voluerunt, a Spinola militari magnificentia excepti; et Infans ad ſpectaculum lachrimas non tenuiſſe dicitur, animo reputans, quanto cruore triennalis haec obſidio conſtitiſſet. Copioſus in eo repertus commeatus, et diverſarum rerum ad ſuſtinendam obſidionem neceſſariarum; ut faſcium, doliorum vimineorum, tabulatuum, ignium artificialium, ingens numerus, qui ad duo paria oppida defendenda abunde ſufficeret. Actae pro tempore tribunis et belli ducibus comiter gratiae, et donativum diſtributum; Euſtachius [b] Oignius Griſonius loco inſtaurando praepoſitus, legione, quam obtinebat, in Maximilianum [c] Boſſuvii comitem tranſcripta; [d] Bucoii comes Flandriae praeſes dictus, qui Damae et Blankenbergae muniendis diligenter attenderet. [e] Billiae, [f] Eglofi et Viſlieri legiones Germanicae, quae egregiam operam navaverant, ſuppletae. Ferdinandi Gironis legio, cum ſe ea abdicaſſet, Alfonſo Lunae praefecto [g] Lirae attributa. Spinola III legiones, quibus ſeorſim ab aliis ſtipendia procedebant, inter Albertinas recenſuit. Inde exercitus ingruentibus pluviis utrinque dimiſſi. Spinola ab Alberto vix tandem impetrata venia in Hiſpaniam exeunte anno diſceſſit, ubi generalis per Belgium praefecti dignitate ornatus eſt, inſuper et ſumma caſtrorum praefectura, quae Auguſtino Mexiae deſtinabatur; praeterea et velleris aurei inſigni donatus eſt, quod ab Alberto accepturus eſſet, cum praerogativa, ut inter Grandeis in aula Philippica cenſeretur. Suaſit et Philippo, ut bellum, quo premebatur, in hoſticum transferret, in Friſia et [h] Sicambris deinceps rem gereret, et de ſtipendio in tempore repraeſentando decerneret; nam ejus defectu ſeditiones valde damnoſas in exercitu plerumque excitari, ſicut nuper acciderit, et iis fieri, ut occaſiones pulcherrimae, dum in promptu ſunt, omittantur, et hoſtes ex iis audaciores redditi majora quoque audeant. Impetratum et ab eo, ut III legiones in Italia ſcriberentur, II in regno Neapolitano, tertia in [i] Inſubribus, ad bellum in Belgio gerendum, ad quod ſe parare juſſus eſt. Venere ſub id in Belgium Alberto militaturi Andreas Matthaeus Aquaviva [k] Arragonius Caſertae princeps, et Franciſcus [l] Columna princeps Paleſtrinae, et Ludovicus [m] Moneſterius Comburſerius Terralius Allobrox, vir ſtrenuus et impiger, qui injuſſu regis eo profectus eſt.

XVI. ORDINES

INTERPR. [a] *un Memoire.* [b] *d'Oignies Sr. de Griſon.* [c] *Boſſu.* [d] *Bucquoy.* [e] *il conte Biglia.* [f] *Egloff, & Witzlier.* [g] *Liere.* [h] *Gueldre.* [i] *le Milanois.* [k] *d'Arragona prince de Caſſerta.* [l] *Colonna.* [m] *de Moneſtier de Combourſy Sr. du Terrail Daufinois.*

CIↃ IↃCIV.

HENRICUS IV.

XVI. Ordines captis Sluſis acceptum Oſtenda amiſſa damnum cum foenore penſatum putabant. Itaque cuſus aureus nummus cum inſcriptione, JEHOVA. PLUS. DEDERAT. QUAM. PERDIDIMUS. Nec ipſi interim ceſſabant CCC aureorum CIↃ in equitatum caſtrenſem; totidem ad inſtaurandas munitiones, et par ſumma ad ſolvendas uſuras, ad quas aerarii quaeſtor obligatus erat, deſtinata. Ad Sluſas novem propugnaculis firmandas, et [a]Ardenbergum item muniendum CCC aureorum millia, totidem ad publica horrea inſtruenda; praeterea ad exſolvendum, quod Anglis debetur, aes alienum, quaterni ſtuferi ſingulis cauponariae cerviſiae cadis impoſiti; decretumque ut vectigalia, quae licentiae vulgo dicuntur, deinceps ſolvantur. Ad rem navalem, qua Batavorum vires conſtant, juvandam CCCC aureorum CIↃ ab univerſis provinciis conferantur. Ut [b] Drentanus ager VIII aureorum CIↃ, [c]Lingenſe territorium III CIↃ, et tercentenos in ſingulos menſeis communi inferant aerario. Ut ſalarium vectigal continuetur: [1] ut eadem in omnibus provinciis quae in Hollandia et Zelandia uſurpatur, aerarii adminiſtrandi et tributorum cogendorum, ratio ſervetur. Tum Kalendis Octobribus ad ſingulas provincias tributorum in annum ſequentem rationes miſſae, quae 598361 in ſingulos menſeis conficiebant; in iis comprehenſae Geldria cum Zutfanienſi comitatu, Hollandia, Zelandia, [d] Ultrajectina ditio, Friſia, Tranſiſelana, Groeninga, et vicinus ager, Drenta; Lingenſe territorium, [e] Wedda. Et haec praeter extraordinaria in ſumptus extraordinarios tributa: nam C ſignis copiae Ordinum auctae quamdiu obſidio Oſtendana duravit, et amplius XXXVI equitum alis ſtipendia extra ordinem procedebant; dato inſuper negotio [f] Ansbachio marchioni, ut mille equites Germanos ſcriberet. Gallicae item novae lectae, quibus et ſua procedebant ſtipendia.

XVII. Inter hos tantos taleiſque belli apparatus, jacta pacis et induciarum fundamenta; ſparſis hinc inde per Belgium libellis, quibus belli paciſque rationes, prout varie affecti erant animi, varie quoque explicabantur, quae nos in annum ſequentem reſervamus. Verum nulla re magis ſe prodit imperii Ordinum Bataviae noſtris diebus Deo ita volente conſtituti magnitudo et felicitas, quam navigationum in Indias Orientaleis ſuſceptarum conſtantia et ſucceſſu, ad quas, ut aerario parceretur, ſocietates inſtitutae; cautumque tandem ut ſub unam ſocietatem omnes coirent: quod alioqui experimento conſtitiſſet, aromatum pretia ab inſulanis ob emptorum frequentiam augeri; et cum alii alio praevertere, et lucrum ad ſe aliorum damno derivare ſatagerent, ubi concordia maxime eſt opus, aemulationum et diſſidii ſemina ſpargi.

XVIII. Itaque cum Jacobus Cornelius [g] Nekius, et rurſus ante eum Georgius [h]Spelbergius cum tribus mediocri magnitudine navibus, ante treis et quatuor annos ad Indias negotiandi cauſa profecti eſſent, et juſſu Ordinum VI naves egregie inſtructae, et XVIII menſium annona impoſita ſolviſſent, Paulo [i] Cardano et Joanne Hadrianio Cantio navarchis, nova ac generalis ſocietas coiit anno CIↃIↃCIII, pecunia collata, cujus ſors ſexagies centena CIↃ aureorum excedebat. XIII naves in id inſtructae, quarum nomina, [k] Confoederata IↃCC doliorum capax, Amſterodamum totidem, Geldria IↃ, [l] Delphi CCC, [m] Aula Hollandica CC, [n] Columbula LX, [o] Dordracum IↃCCCC, Zelandia IↃ, Horna IↃCC, Medenblicum CCL, Weſtfriſia IↃCC, Enchuſa CCC, Gouda C. Igitur ex his, duodecim exeunte anno ſolverant: una Junio menſe alias antevertit. Cum circa veris initium, [p]Vigil nomine, ex India reverſa, quinque aliarum

INTERPR. [a] *Ardenbourg en Flandre.* [b] *pays de Drenthe.* [c] *de Linghen.* [d] *Utrecht, Friſe, Over Yſſel, & Groeningen.* [e] *Wedde.* [f] *de Anſpach.* [g] *Neck.* [h] *Spilberg.* [i] *de Caerden, & Adrianſſen Cant.* [k] *l'amiral nommé les Provinces Unies.* [l] *Delft.* [m] *la cour d'Hollande.* [n] *le Pigeon.* [o] *Dort.* [p] *un brigantin nommé la Garde.*

NOT. [1] Hoc ab Hollandis et Zelandis, et a conſilio ſtatus ſive ſenatu ſemper ut ſalutare propoſitum, ſed obnitentibus aliis nationibus obtineri nunquam potuit. *Put.*

CIϽ IϽ CIV.

Henricus IV.

aliarum felicem adventum nunciaſſet, quae paulo poſt precioſis mercibus onuſtae in Zelandiam appulerunt. Hi narrabant [a]Wolfardum Hermanni filium, a Chinenſibus quibuſdam in [b]Sudenſi freto de Luſitana claſſe, quae VIII quinqueremium majorum, et XXII navigiorum omnis generis erat, Andrea Hurtado Mendoza duce, [c]Bentamum non ita pridem appulſa, certiorem factum poſt novem dierum oppugnationem captis duabus quinqueremibus, et tormentorum ictibus ita laceratis, ut eas ipſi Luſitani cremare coacti ſint, Bentamo tandem Luſitanos ejeciſſe; id vero conſilii iis fuiſſe, niſi quamprimum prohibiti fuiſſent, urbem occupare, in eaque, arce exſtructa, omne cum Batavis commercium interdicere. Mendozam vero ſpe ſua fruſtratum Amboinam unam e Moluccis e veſtigio petiiſſe, et exſcenſione facta inſulam vaſtaſſe, ſucciſis caryophyllorum arboribus; et incolas, quod cum Batavis negotiarentur, male mulctaſſe. Wolfardum autem ob pulſos Bentamo Luſitanos magna laetitia exceptum, e V navibus ſuis, II Bandam, III Ternatem miſiſſe, ipſum ad ſuos Bandam profectum magna vi macidis et nucum myriſticarum navibus impoſita anno ſequenti ad reditum ſe comparaſſe. Ante eos Hadrianius [d]Venius re bene geſta [e]Bandae, Ternatae Franciſcus [f]Verduſſius, domum reverterant. Quo tempore et Jacobus [g]Hemskerkius cum III navibus, et Luſitana ingenti nave CIϽ CCCC doliorum capaci, quam varii generis mercibus onuſtam, ſerico facto atque infecto, muſco, plumbo, pipere, unionibus, pannis goſſipinis, cum ad manus veniſſet, vi expugnaverat, et captam ad commodiorem vectationem depreſſiorem fecerat, in Bataviam incolumis appulit. Sed praecipua fuit laetitia ob felicem reditum poſt triennalem navigationem, Georgii Spelbergii et Jacobi Cornelii Nekii, de quibus nunc ordine dicemus. Georgius e portu [h]Campoverenſi in Walacria III Non. Maii anno CIϽ IϽ CI ſolvit, et Palmam e [i]Fortunatis unam praetervectus, ad Viride promontorium IV Eid. Jun. appulit. Ibi juxta [k]Refriſcum portum a barbaris indigenis ſpoliatur; ſed humanitate Gallorum in eo forte repertorum damnum acceptum ſarcivit. Luſitani factum excuſarunt, et amice cum iis tranſactum. Inde [l]Annabonam inſulam, cum curſum inſtitutum tenere non potuiſſet, itum. Unde rejectus, ad [m]Santhomenſem deflexit, a qua hoſtiliter rurſus repulſus [n]Coriſcum petit, et [o]Conſalvi Lupi promontorium, quo paulo ante Amſterodamenſis oneraria e nova Guinea, praeter alia CCC auri libras portans, appulerat. Heic deliberatione habita decretum, ut quamprimum ventus ſecundus afflaret, ad Monopotapae, hinc ad promontorium S. Mariae, ac denique ad [p]Vaccarum inſulam curſus dirigeretur: atque inde confectis negotiis [q]Majotta inſula peteretur. Igitur iter ingreſſi ad Bonae Spei promontorium tendentes ad inſulam deſertam, haud hinc procul ancoras jaciunt, cui S. Eliſabethae nomen fecere. Sinus is ſub XXXV gradu et V ſcrupulis ſitus XV circiter milliaribus a promontorio diſtat. Rugitus ferarum tota nocte exauditi. Ad [r]Corneliam deinde inſulam deflexit claſſis, et aegrotos ſub tentoriis in terram expoſuit; cum inſulani commeatum polliciti non comparerent, ad alteram reditum, ubi cuniculi in viaticum conquiſiti. Soffalae huic praetenditur litus, regio in Africa interamnis, quae [s]Manice et Quama alluitur, humilis et depreſſa, arbutis raris conſita, et fragrantiſſimum odorem eminus exhalans. Indigenae bene compacto et robuſto ſunt corpore, nigro colore, Mahumetanae ſuperſtitioni addicti. Arma illis arcus et ſagittae. Merces ſuas, aurum videlicet et ebur, veſtibus lineis et ſericis permutant. Luſitanis parent. Linſcotanus Quamam ſcribit e [t]Zagire lacu, e quo Nilus ſcaturire creditur, originem trahere. Heic et Monopotapa ſita,

unde

INTERPR. [a] *Wolfard Hermanſen.* [b] *Deſtroit de la Sonde.* [c] *Bantam.* [d] *Ween.* [e] *Banda, & Ternate.* [f] *Werdoes.* [g] *Heemskercke.* [h] *Camp veer en l'iſle de Walcheren.* [i] *les Canaries.* [k] *puerto Refriſco.* [l] *Annabon.* [m] *iſle de S. Thomé.* [n] *iſle de Coriſco.* [o] *cap de Lopo Gonçalez.* [p] *iſle aux Vaches.* [q] *Magotte e Mayotte.* [r] *Cornelia.* [s] *Manice.* [t] *Zagire.*

CIↃIↃCIV. HENRICUS IV.

unde creditum eſt copioſum ad Solomonem advectum aurum. Heic foeda tempeſtate jactatus Spelbergius, vix tandem ad [a] Mulalim inſulam appulit, ubi a Mahumetano toparcha non inhumane omnino primum habitus eſt; qui et muſica, cujus periti erant in claſſe, delectabatur. Heic [b] Comorae regnum eſt, IV inſulis conſtans, Mulali modo memorata, Angaſiza, Angovana, et Majotta, ubi regina, penes quam ſuum eſt earum imperium, habitat. Ibi detenti, qui negotiandi cauſa in terram exſcenderunt, et tranſitum, XXVIII e ſociis in inſula relictis, ad [c] Matecalonem Zeilae inſulae oppidum, cujus rex majore in ſpeciem erga Batavos humanitate uſus eſt, miſſis obviam honorifice elephantis: cum nihil cum eo agi potuiſſet, ad regem [d] Candiae Spelbergius ſe confert. [e] Zeilam alias Ceilon, in ſinu [f] Bengalico ſive Agarico maximam inſulam, Arabibus Tenariſſim, quaſi terram delitioſam, Andreas [g] Corſalius, et Joannes [h] Barroſius [i] Taprobanam Ptolemaei faciunt. Gerardus Mercator, melius Nanigerim ſive Panegirim, de qua Ptolemaeus idem libro VII, haud procul ab aurea Cherſoneſo, ſub aequatore aut decimo tantum ab eo gradu ſitam, et tamen temperatiſſimo et ſaluberrimo aëre, adeo ut paradiſum terreſtrem primorum patrum memoria ibi fuiſſe quidam ariolentur. CCL milliaribus in longitudinem patet, qua latiſſima CXX. Solum uberrimum, et perpetuo vireſcentes arbores, fructuſque ad alimentum optimi divinationi locum dederunt. Aromata praeterea, cinnamomum, cardamomum, caryophylla, piper, et hujuſmodi naturae rariora copioſe apud eos naſcentia. Vinum inſuper generoſum heic provenit, nec aliunde importatur; et ut Hiſpano colore par, ſic nec virtute cedit. Elephanti tum maximi, et magno numero armenta, et gemmae precioſae in ea eruuntur: Topazii, chryſolithi, hyacinthi, pyropi, ſapphiri, balaſci, aliique lapilli eruuntur. Indigenae partim ſuperſtitioni gentilium, partim Mahumetanae ſectae, addicti ſunt: nudi ſuperiori corporis parte ob aeſtum incedunt, inferiores ſericeis ac goſſipinis tegunt pannis; nonnulli paulo habitiores laxis thoracibus utuntur. Aures inauribus ex auro et gemmis ornant, et pugionibus a latere dependentibus armati incedunt. Mulieres decenti et compoſito corporis modo ſunt; caput non aſcititio comptu, ſed nativis crinibus ita inter ſe admirabili artificio connexis, ut quarumvis vittarum elegantiam ſuperent. Viri levi et ſubtili panno velati; iis uxores quot volunt, et quot alere poſſunt, habere licet. Feſtinatur inter eos Venus, et rara in puellis poſt X annum virginitas. Quietem et otium natura ſectantur, fere imbelles, niſi ſi qui ob animoſa cum Luſitanis bella militiae inſueverunt. Corpora mortuorum cremant. Ad Gymnoſophiſtarum exempla ſuos [k] Bramos habent magna ſanctitatis opinione, qui, et ut olim Pythagorei, ab omnibus animatis abſtinent; herbis tantum et fructibus arborum veſcuntur. De ſucceſſione et odio contra Luſitanos, quae in illa relatione memorantur, inſeri pretium viſum eſt, repetita altius origine. [l] Mara Pegu Zeilae rex, tres filios habuit, et naturalem e fidicina ſuſceptum, nomine Darmam, qui deteſtanda ambitione, conciliatis militum animis, patrem et fratres oppreſſit, et poſt parricidium Setavaccam venit, et, nobilitate averſa, a plebe rex proclamatus eſt. Inde in nobilitatem ſaevire coepit, et Candiae regi, qui tyranni imperium averſabatur, bello indicto, cum ſuis jam gravis eſſe inciperet, veneno ſecreto eum illi peremerunt. [m] Singalae, hi ſunt regni primores, Luſitanos adverſus tyrannum ſuperſtitem auxilio advocaverant, qui, Darma ſublato, in inſula remanſere, et circa Candiam ſtructis munitionibus imperium ſibi vindicarunt; non invitis initio Singalis. Mortuo rege, ut regnum inter barbaros facilius tenerent, Fimalam Darmam [n] Suriadam Modeliar creant, quae proxima eſt poſt regiam dignitas, et quam

INTERPR. [a] *Mulali.* [b] *Comoria.* [c] *Maticalo.* [d] *Candy.* [e] *Ceylon.* [f] *golfe de Bengale ou d'Agarie.* [g] *de Corſal.* [h] *de Barrows.* [i] *Malaca.* [k] *Bramanes.* [l] *la Relation met Mara Ragu roy de Zeilan.* [m] *Singales.* [n] *Suri-Ada Modeliar.*

quam parens ejus tenuerat, et inter Singalas egregiam ſui memoriam reliquerat; eum [a] Columbi, quae Luſitanorum praecipua arx eſt, educatum et ſacris Chriſtianis imbutum, ac Joannis nomine donatum; poſteaque Goam a Matthaeo [b] Albuquerquio Indiarum prorege traductum Jeſuitae in fide Chriſtiana confirmaverant: magno ergo indigenarum conſenſu ad eam dignitatem evectus. Poſtquam militum et Singalarum ſtudia in ſe vidit inclinare, ratus ſuos domeſticum quam peregrinum imperium aequiore laturos animo, regia inſignia capit, et Luſitanos contradicenteis bello petit. Candiae rex cum filiis a Darma occiſus, filiam reliquerat unicam heredem, quam Luſitani [c] Manuarem abduxerant, et ſacro lavacro ablutam Catharinam indigitaverant; et jam tum [d] Lupo Soſae Malacae praefecto, ut eo colore jus in inſula retinerent, unanimi conſenſu deſponderunt, conditione adjecta, ut ipſe pro conjuge, poſtquam rerum potiretur, regnum adminiſtraret. Secundum haec inſtructis copiis Soſa ad capeſſendum uxorium regnum proficiſcitur. Fimala cedendum tempori ratus cum Singalis ſecum ſentientibus ac fidis in loca ſylveſtria et inacceſſa conceſſit, ex quibus omnia circum infeſta reddebat. Inde cum ſumma annonae penuria in oppido laboraretur, novus rex in planiciem, unico milliari a Candia diſſitam, inſtructa acie, et XL elephantorum robore fretus progreditur; et Fimalam ad proelium provocat, qui aſtu rem geſſit, ex occaſione hoſtem aſſiliens, et ita brevi Hiſpanos in eas anguſtias redegit, ut magno numero interempto reliqui commeatus penuria ſe in fugam conjecerint, magnam partem fugiendo caeſi. Soſa ipſe interfectus; Catharina ſponſa capta, cum elephantis et opima praeda. Id actum anno CIↃ IↃXC: quo Fimala rerum per victoriam tantam potens Catharinam captivam jam decennem in uxorem duxit, et Candiae rex magno Singalarum conſenſu ob ſingularem prudentiam et animi magnitudinem, arteſque tanto principe dignas, renunciatus eſt; tantoque haec victoria admirabilior fuit, quanto exercitus Fimalae non numero, ſed bellatorum virtute erat inferior: quippe Singalae ſpecie, quam virtute meliores, ac fere molles, et militarium laborum impatientes, inter delicias, quibus ſupra modum ſunt dediti, marceſcunt; ambitioſo faſtidio in cibis utentes, quos ſemel contrectatos protinus abjiciunt; et fiſtula vaſi, quod contingere prae mollitie renuunt, inſerta, bibentes. Ex clade reliqui Hiſpani ad Columbum ſe recepere. Fimala ad pacis ſtudia converſus, regiam Candiae, et pleraque delubra ſuperſtitione gentis exaedificavit; ſed quo minus pacate fortuna uteretur, Hier. [e] Oviedus in cauſa fuit; qui, inſtructo exercitu, confeſtim Soſae ultor advolavit, ſed irrito ſucceſſu ab victore eluſus. Ab eo tempore Luſitani aſtu magis quam aperta vi [f] Candianum oppugnarunt, cum damno ſaepius repulſi, et vix caſtellis, quae in circuitu ſtruxerant, defenſis. Crebrae contra eum conjurationes, idque inter populos illos gentilium erroribus addictos frequentiſſimum, quibus ipſi nonnunquam petuntur, peregrinos certe ſemper petunt. Ad eum Spelbergius [g] Matecalone venit, qui a Mauritio in mandatis habebat, ut non tantum regem conveniret, ſed foedus cum eo percuteret. Per [h] Vintanam iter factum, urbem amplam in [i] Trinquamali amnis ripa ſitam, ubi Candiani ſunt navalia. Ibi magno paratu exceptus, majore ſemper progrediens excipiebatur, miſſis obviam primariis miniſtris, et lectica panno aureo intexta, qua rex ipſe vehebatur. Ubi Candiae propinquavit, obvium habuit Emmanuelem [k] Diam gente Luſitanum, qui transfugio et conjuratione detecta, in gratiam regis tantam venerat, ut ſummi magiſtratus dignitatem ab eo meruerit. Ad regem introductus Spelbergius, a Mauritio literas Arabica lingua et charactere a Joſepho Scaligero, ut perhibetur, viro incomparabili exaratas porrexit, et munera ejuſdem

INTERPR. [a] *Columbo.* [b] *le duc d'Albuquerque.* [c] *Manuar.* [d] *Lopez de Souſa.* [e] *Oviedo.* [f] *le Roy de Candy.* [g] *Matecalo.* [h] *Vintane.* [i] *Trinquamale.* [k] *Diaz.*

ejuſdem nomine obtulit, quae ille coram aſtantibus ſummopere laudavit. Juſſi et canere ſymphoniaci, quibus non minus quam muneribus capi et delectari viſus eſt. Ita primum dimiſſus Spelbergius; poſtridie vocatus, injecto de negotiatione ſermone; quum pretium non placeret, non tam mercandi, quam legationis obeundae a principe ſuo ſe miſſum dixit, qui regi in re omni gratificari cupiat, ejuſque amicitiam magnopere exoptet. Ipſius juſſu fauſta omnia regi precari, fide data, ſi qua ſe offerat occaſio, auxilia ei minime defutura. Quae grata adeo regi fuit oratio, ut protinus quicquid penes ſe aromatum erat, ultro Spelbergio donaverit. Viciſſim ſequenti die lautiſſimo convivio exceptus, Mauritii imaginem equo inſidentis eleganter expreſſam, juxta appicta [a] Neoportuenſis proelii hiſtoria, obtulit; quam rex in conclavis loco maxime conſpicuo locavit, et hoſpitem per omnem regiam, etiam intra gynaeceum, quem honorem propter zelotypiam paucis habent Indi, circunduxit; tanta cum voluptate colloqui cum eo viſus, ut vix, multa de noſtris rebus percunctando, expleri poſſet. Tandem peractis, quarum cauſa venerat, rebus, aegre a rege Spelbergius dimittitur, et pro gratiſſimo dono diſcedens Kempelium et [b] Matiſbergerum, hunc muſica, illum etiam literis non mediocriter tinctum, ob eamque cauſam regi a ſecretis appoſitum cum duobus pueris apud eum remanere juſſit. Additum in relatione, Fimalam adhuc principia religionis Chriſtianae tenere, nec aegre ferre, ſi de gentilium ſuperſtitione liberius ſermo inſtituatur, ut nec ceteri Zeilenſes; in ſuo errore non ita, ut alii Indi, pertinaces: Catharinam vero uxorem omnino ab impio ſimulacrorum cultu abhorrere. Spelbergius inde ante biennium XVII Kal. Sept. ſolvens ad veram Taprobanam [1] appulit, quae nunc Sumatra dicitur, toto Oriente maxima; de qua et in ſuperioribus multa dicta, ideoque heic tantum quae ad navigationem, de qua agimus, pertinent, referentur. Contra quam Zeila, heic inclemens coelum, ob ſtagnantium aquarum copiam, et denſa nemora, nec ſolum adeo foecundum, tantum oryza, et milium in ea provenit: ſed aliis rebus pretioſis abundat, cera, melle, gingibere, camphora, agarico, caſſia copioſa, piperis vulgaris et oblongi largo proventu, quod per mare Cathaiam portatur. Goſſipio quoque et ſericeis velleribus dives eſt; et auri, ſtanni, ferri, ſulfuris uberes habet venas; fontem praeterea, ex quo naphtha olei inſtar manat: gemmas denique et elephantos ceteris bellicoſiores et majores, quod alibi nati veneratione et cultu fatentur. Plura in inſula regna. Potentior omnibus rex [c] Achini habetur, qui totam paene ſeptentrionalem plagam minus inſalubrem tenet. Cum Turcis et Arabibus foederatus eſt, et continua contra Luſitanos, qui Malacae ſunt, bella gerit, a quibus tantum canalibus duobus ſive euripis disjungitur: heic Batavi navium minimam, cui [d] Agni nomen, circa [e] Comorinum promontorium, tempeſtate a claſſe disjectam et quaſſatam repererunt, et eodem in portu praeterea Anglos, qui praedae potius quam negotiandi cauſa, illuc venerant. Heic ſocietate inita ad oppugnandam onerariam Luſitanam, quae propediem [f] Santoma Malacam ventura dicebatur. XI Kal. Oct. ambo inſtructi ſolvunt, dato interim aliquot ſociis coëmendi piperis negotio. Cum aliquamdiu circa Malacam oberraſſent, nunciato a ſpeculatoria onerariae adventu [g] Lancaſtrius Anglorum navarchus [h] Spelbergium et Middeltonium ad perſequendos Luſitanos mittit, ipſe cum reliquis ad fretum inſidendum proficiſcitur. Periculum noctis beneficio evaſiſſe potuiſſe Luſitanos conſtat, niſi magnitudine navis et viribus confiſi hoſtem profligatu facilem ſibi perſuaſiſſent. Commiſſo proelio, et crebra tormentorum diſploſione a tribus Anglorum navibus perforata oneraria; duae reliquae advolant, et omnem ſalutis ſpem periclitantibus Luſitanis praeripuere: qui aquis perrumpentibus, tandem fecere deditionem, pacti vectoribus et nautis vitam ſalvam. Magna praeda capta,

quae

INTERPR. [a] *de Nieuport.* [b] *Matiſperg.* [c] *Achen.* [d] *l'Agneau.* [e] *cap Comorin.* [f] *S. Thomé.* [g] *Lancaſter.* [h] *Spelberg & Middleton.*

NOT. [1] Taprobanam inſulam.

quae, multis rebus vilioris pretii ſpretis, vix toto octiduo exportari potuit. Luſitani vacuae navi impoſiti Malacam portati ſunt. Angli et Batavi, re bene, ut ſibi videbantur, geſta, Achinum redeunt. Ibi quae a Mauritio habebat mandata Spelbergius, amplius regi exponit, et lectiſſimi piperis XX baris, id menſurae genus Flandricarum librarum IↃCXX circiter, ab eo donatus; et ut CC praeterea permutatione exportare poſſet, impetrato, ad reditum ſe comparat. Dum adhuc Achini eſſet, ineunte Januario duae aliae Batavorum naves [a] Vliſſinga et Tergoeſa e [b] Zeila Achinum venerunt, et paulo poſt [c] Zierieſaea; cujus navarchus [d] Sebaldus Waertius a Candiae rege ſe pari humanitate acceptum narrabat. Tum Martio ſequenti Hollandia, [e] Stella, et Virgo Enchuſana itidem appulerunt; quae de ſocietate unica inter Hollandos et Zelandos, de qua diximus, inita fidem fecere. Sebaldus ad Zeilam rediit. Spelbergius III Non. April. Achino ſolvit, Bantamam petiturus. Sed tempeſtate jactatus, vix XXIV poſt die Sundae fretum ingreſſus eſt, in quo [f] Wibrandus Warvicus, cum IX onerariarum claſſe, ſtationem habebat; quem et panno, qui e praeda Luſitana ſuperabat, juvit. Ex hac claſſe Eraſmus et Naſſovia [g] Sinas verſus vela fecere; poſt quarum diſceſſum Jacobus Hemskerkius cum Leone albo et [h] Alcmaria eodem appulit, ingentem myoparonem [i] Luſitanum, de quo diximus, bello captum trahens, cujus praeda quinquagies centenis aureorum CIↃ aeſtimabatur. Inde Spelbergius, cum ulterius ad Sinas uſque et Japonium vellet penetrare, diſſuadentibus Warvico et Hemskerkio, ex inſula [k] Pinione, quae a Java haud longe abeſt exeunte Sextili profecti, exeunte Novembri ad S. Helenae inſulam appulerunt, ubi refectis per otium navibus exeunte Martio ſequenti ſolventes, hoc anno Vliſſingam incolumes appulerunt. [l] Neckius IV Kal. Quintil. ſolvit, et ineunte Octobri, Annabonam Luſitani juris, a Januario menſe ineunte dictam inſulam appulit, a qua inhumaniter rejectus fuerat Spelbergius. III milliarium ambitu patet, pro ſpatio incolarum multitudine abundans, ob inſignem foecunditatem, ſimul et amoenitatem ac ſalubritatem, quae imbrium aeſtum temperantium frequentia loco conciliatur. Inde refocillatis ſuis Neckius, Javam verſus curſum intendit, monitis [m] Amſterodami, Delphtae, et Goudae navarchis, qui naveis habebant pernicitate ſuperiores, ut ſe eo conferrent, quo illos ſecuturus eſſet. XVI Kal. Nov. foeda tempeſtate jactatus ad Africae latus, in quo [n] Congi regnum jacet, defertur, haud longe a [o] Zagiris, de quo ſupra dictum, oſtio. Ab eo tempore ſemper adverſis ventis conflictatus vix tandem Bantamum VIII Eid. Mart. ſequentis anni pervenit. Delphta, cujus malus fractus fuerat, Bantami relicta, cum ceteris duabus Bandam et Moluccas petit, per [p] Celebenſe fretum itinere facto, et vento reflante ad [q] Naſſaſiras inſulas ancoras jacit. Inſulae ſunt quinque numero, quinto ſub aequatore gradu, arbutis et ſylvis impeditae, ob idque deſertae, Indicarum gallinarum gregibus abundantes, de cetero aquationi opportunae. Venti in eo tractu admodum variant, ob inſularum hinc inde circumpoſitarum frequentiam. Sexto poſt die [r] Ternatem appellunt, e Moluccis unam. Regi non ingratus fuit Batavorum adventus, quanquam Luſitanis eum dehortantibus, et homines nefarios, impudicos, perfidos et exploratores intutum eſſe admittere quamlibet clamitantibus; nihilominus rex qui averſo eſſet a Luſitanis animo, quamvis huc illuc in diverſa raperetur, ad extremum in Batavorum naveis aſcendit; qui ut fidem ſuam hoſpiti regi approbarent, expeditionem contra Luſitanos ſuſcipiunt, recenti injuria inflammati; ſiquidem illi paulo ante Batavam navem oppreſſerant, evocato ſpecie amicitiae et colloquii navarcho, et ſumma perfidia occiſo, et in mare abjecto. Ad Tidorem re infeliciter tentata, vulneratus ipſe Neckius, et novem ex ſuis amiſſis, ſe Ternatem recepit, fruſtra reclamante rege, qui

CIↃ IↃCIV.

HENRICUS IV.

e

INTERPR. [a] *Fleſſingue, & Tergoes.* [b] *Ceylon* ou *Ceilan.* [c] *Ziriczee.* [d] *Sebald de Weert.* [e] *l'Eſtoille.* [f] *Wibrant Warwic.* [g] *la Chine.* [h] *Alckmaer.* [i] *galion de Portugal.* [k] *Pinion.* [l] *Neek.* [m] *Amſterdam, Delft, & Ter-Goude.* [n] *Congo.* [o] *Zagire.* [p] *Deſtroit de Celebes.* [q] *iſles de Naſſaſires.* [r] *Ternate.*

CIↃIↃCIV. e ſpecula eminus eventum opperiens, ad inſtaurandum bellum Batavos incitabat.
HENRICUS IV. Cum diſceſſum mox urgeret, rex contra queri iratis Luſitanis ſe ludibrio et periculo cum uxore et liberis exponi, regnum quod poſſideat jam Mauritio reſignaſſe, vicarias ſe ipſius partes tantum ſuſtinere; quapropter maneat, neque praecipitato diſceſſu res non ſolum ſuas, ſed ejus, a quo ſe miſſum dicit, in manifeſtum exitium devocet. Inſtante nihilominus Neckio, et rerum ſuarum ſtatum non ferre dictitante, ut diuturniorem moram apud eum faciat; non mancipia eſſe, quorum opera utatur, nautas et claſſiarios, quos invitos proinde minime retinere poſſit. Itaque volente nolente rege omnia ad abitum comparata. Verum prius lautiſſimo convivio accepti hoſpites ad menſam accubuere: nam ita mos apud Indos, et rex editiore lecto multa ſtragula veſte holoſerica rubri ac viridis coloris, et pulvillis auro intertextis inſtrato reclinatus aderat; Neckius infra eum cum primariis, mappa ſubtiliſſima cum mantilibus inter nos uſurpari ſolitis appoſita: inferiorem menſae partem nautarum vulgus occupabat, quibus pro linteo viridia erant appoſita folia admodum lata, quibus Indi, non pro mappis tantum, ſed etiam pro lancibus, utuntur. Diſcumbentibus regii pueri miniſtrabant, vino ex Arecca, qui ſuccus eſt ex palmitibus expreſſus, propinato. Neque deerant convivio ſua ſpectacula, domeſticis regis ad oblectandos Batavos ludicris certaminibus, et mirificis ſaltibus, comoedorum ac ludionum vices implentibus. Moluccae ſunt v numero, fere ſub Aequatore, Ternate, Tidor, [a]Motir, Bachiama, et Machiama, quarum nulla ſex leucarum ambitum excedit: his minores innumerae circumfunduntur, et inde incerta ac periculoſa plerunque navigatio ventis a terra ſpirantibus, et in horas alternantibus; univerſae autem intra xxv leucarum ſpatium clauduntur. Borealior ceteris Tidor, quae a Ternate exiguo freto dividitur. Longiſſime ad auſtrum vergit Bachiama: in montes altiſſimos aſſurgunt, quorum nonnulli flammas, ut in Siculo tractu, evomunt, praecipue in Ternate inſula; ager aridus et ſpongiae ſimilis, cadenteis e coelo imbres, et de montibus lapſos ſorbet, antequam ad mare perveniant. Nihil frumenti in iis naſcitur; incolarum, ut creditur, ignavia, qui fructibus ſponte naſcentibus contenti, et inde magnum quaeſtum facientes ad cetera ſegneſcunt. Nullibi major caryophyllorum proventus. Arbor eſt eximia proceritate in montibus a litore remotioribus, inter ceteras arbores creſcens; folia ei lauro haud abſimilia, ſed anguſtiora, et paulo magis acuminata, quae admorſa eandem quam fructus referunt acrimoniam. Corolla primum, deinde in ea flos quaſi mali punici prodit; quo tempore flat ab auſtro ventus, Junio videlicet, Quintili, Sextili, et Septembri. Fructus ſemel tantum, ſed nullo ſtato tempore colliguntur, adeo ut velut in punicis malis flos et fructus ſimul proveniens, admirationem cum jucunditate conjunctam inſpectantibus praebeat: et quanquam flos caloris vi productus, frigido humore corrumpatur, et decidat; nunquam tamen arbor ſine flore aut fructu conſpicitur, novo terrae calore novos ſtatim flores ſubſtituente. Quarto poſtquam florere coepit menſe fructus, quaſi vindemia colligitur in hunc modum: ad arborum radices ſolum evulſo gramine purgatur, ramique exteriores funiculis vinciuntur, quo commodius fructus avelli poſſit, qui humi ſparſus deinceps legitur. Vindemiam autem intra xiv diem abſolvi neceſſe eſt, alioqui caryophylla matura, niſi quamprimum decerpantur, omnem acrimoniam craſſeſcentia deperdunt, et fatua et inſipida remanent, vulgoque Aethiopum apud nos caryophylla et matrices appellari ſolent. Mira id inſulanorum diligentia peragitur; ac fere tertio quoque anno tanta eſt ubertas, ut una arbor binas [b]baras, hoc eſt, Belgicarum librarum CIↃCCL, ſufficiat. Rubet primo fructus, eumque colorem, ſi ad ſolem ſiccetur, ſervat: verum ſuperveniente imbre nonnunquam fumo torretur, ex eoque nigreſcit. Proinde falli eos dicunt, qui hunc illi praeferunt. Mediocri ſunt ſtatura homines, ſed decenter compacta;

INTERPR. [a] *Motier, Bakiam, & Makiam.* [b] *bares, meſure de Flandre.*

compacta; colore nec nigro nec livido, ut plerique Aethiopes, ſed fuſco; a quibus in hoc quoque diſſimiles ſunt, quod ſenes prolixas barbas alunt. Tunicas geſtant ad genua, vel paulo infra, demiſſas, e panno ſerico vel lineo, qui e Bengalenſi regione comportatur: capiti circulum coronae inſtar e goſſipio textum circundant; cui juvenes, feſtis diebus, varios florum nexus pro ornamento addunt. Exterior veſtis tota pellucet circa pectus aperta, laxis manicis, quibus ad humeros rejectis brachia nuda apparent. Odoribus apprime delectantur, quibus et veſteis crebro perfundunt, et inde fragrantiam toto corpore aſpirant. Arma illis gladius, ſcutum, et galea, quae ſcite tractant. In proelio etiam contra plureis nihil fuga turpius, nihil morte honeſtius ducunt: alioqui otio dediti et deſidiae; arteis manuarias nullas exercent, tantum mancipia apud eos laborant. Caſas e ligno et arundinibus, tanta craſſitie ut vice doliorum ſint, ſine ullo ferramento ſtruunt. Vulgus prae pigritia miſeram vitam degit, ab advenis quippe ad vitam neceſſaria pignore dato accipiunt, et ab iiſdem exhauriuntur, debitum caryophyllorum vindemia luentes, atque ita ſemper proventus ſuos anticipantes. Zelotypi ſunt, foeminis parum apud eos pudicis. Mahumetanae ſectae ſunt addicti, et uxores quot alere poſſunt, ducunt; etiam non viſas a parentibus cum dote per abſentiam pactas. Moluccae olim ſingulos dynaſtas habuere. Hodie Machiama et Motir Ternatae regi parent, cui [a] Scipidino nomen, iſque praeterea Amboinae et [b] Gilolae regis titulos ſibi ſumit, et caryophyllorum decimas ab iis accipit, nullis legibus circumſcriptum imperium in ſuos exercens; et cum vult, ſine ſtipendiis illi militant, et proficiſcentem ſequi juſſi, aut alio migrare, aut quodcunque aliud facere, contra mutire non audent. Quod adeo merum imperium immunitate penſatur, merces quippe quae importantur, nullum vectigal pendunt. Rara heic animalia, nec ipſum mare piſculentum. Pauci bubali, et pauciores caprae. Apri frequentiores, quod iis ſuperſtitione parcant. Gallinae apud eos admodum foecundae, palumbes, et varii coloris pſittaci. Heic et genus avium, quae vulgo manucodiatae dicuntur, non in Moluccis naſcens, ſed Papova ſupra ad orientem ſita advectarum, quas vulgo creditum eſt pedibus carere, et propterea continuos in aere gyros ducere; magno errore, quippe a Batavis deprehenſa pedum in iis veſtigia; ſed mangones captis non pedes tantum, ſed magnam corporis partem praecidunt; ita ut praeter caput, collum et pennas, nihil ſit reliqui. Cutem deinde et pennas ſingulari artificio agglutinant, toto corpore ad ſolem expoſito, cujus calore exſiccatae partes ita coëunt, ut a natura factae videantur. Sic uſu venit, ut miracula ab ignaris fingantur, et vel oculatiſſimis plerumque imponant. Ternate digreſſi Batavi ad [c] Celeben inſulam ſecundo vento curſum tenuerunt, quo remittente, et contrario aeſtu abrepti, ſeptentrionale [d] Borneonis inſulae latus, per [e] Tagimae fretum circumnavigantes, ad [f] Forcadam inſulam ancoras jecerunt. Inde conſultatione inter nautas habita, ad [g] Sinarum terras ire placuit, a quibus cc circiter milliaribus aberant. Igitur innumeras inſulas fere ignotas praetervecti, VIII Kal. Oct. ad terram incognitam appulerunt, quam poſtea [h] Macaonem eſſe compererunt; ubi foediſſima tempeſtate jactati, cum tandem portum ſubiiſſent, majorem a terra quam a mari cladem acceperunt, celoce cum XX vectoribus a Macaonenſibus intercepta. Cum hoſtem a tergo venire certo nunciaretur, inde ſociorum amiſſione triſtes Batavi ſolvunt, et eandem tempeſtatem experti, vix tandem ad [i] Avarellae litus, a quo ſe longiſſime abeſſe autumabant, praeter ſpem et opinionem appulerunt. Nulla heic hominum, multa bubalorum, elephantum et hujuſmodi ferarum veſtigia: ad ſinum deinde V milliaribus diſſitum provecti ſunt, poſitu amoeniſſimum, undique praecelſis montibus cinctum; inter quos valles amnibus et rivis limpidiſſimis rigantur, ad quos ferae, bubali praecipue, magno numero potum veniunt. Abundat et varii generis avibus. Heic res mira intervenit: cum Batavi quidam

INTERPR. [a] *Scipiden.* [b] *Gilola.* [c] *Celebes.* [d] *Borneo.* [e] *Tagima.* [f] *iſla de los Forcados.* [g] *la Chine.* [h] *Macao.* [i] *Coſte d'Avarelle.*

quidam ex arborum quarundam fructu prunis ſylveſtribus haud abſimili copioſius guſtaſſent, ita ſtatim ſenſu et animo emoti ſunt, ut miſerabile ſimul et ridiculum ſpectaculum ſanis praeberent. Alii Andabatarum more cum umbra propria pugnabant; alii contra lamias et lemures auxilia poſtulabant: erant qui in prora Plutonem ſe conſpicere hamo piſces captantem dicerent. Deam alius coelo cum angelis deſcendentem, alius malignum ſpiritum Tartaro emergentem ſe videre aiebat: alii ſe a ſerpentibus morderi, aut alia peſte infeſtari, cum horrendis ululatibus clamabant. Fructus a noſtris prunis differt, quod pro lapillo acinos habeat, quos qui glutiverat, magis ceteris hujuſmodi deliriis et imaginario furore vexatos fuiſſe obſervatum fuit. Per triduum morbo ignoto defuncti, cum poſt ſomnum ad ſe rediiſſent, Neckius mature loco movet, et Sangaram defertur, ab indigenis humaniter exceptus; ac tandem VII Eid. Nov. [a] Patanam veniunt, ampliſſimam urbem in pelago [b] Siamenſi, ſub latitudinis ſeptentrionalis VII gradu, et longitudinis CXLIX, inter Malacam et potentiſſimum Siamenſe regnum, quod ad boream, ſicuti Malaca ad auſtrum vergit. Urbs milliari a portu abeſt, ipſa dimidium milliare continet; aedificiis ſicuti Ternatae e ligno et arundinibus ſtructis, ac proinde perviis, quod iis locis leniendi aeſtus unicum repertum remedium. Templi major elegantia, quod Sinarum artificio e cocto latere conſtructum eſt. Habitus et ſtatura hominum, qualis item Ternatenſium; in inceſſu et converſatione graves, ac multum ſibi tribuentes, praeſertim qui partem aliquam in republica habent. Otium ut ceteri Indi ſectantur, totos dies in gynaeceis deſidentes. Mercaturam vulgo exercent, nec ab agricultura abhorrent, terra ad cultum facili. Artes manuarias penitus neſciunt, in quibus Sinae excellunt, qui magno numero et frequenter cum iis verſantur, ex iiſque plerique a rege ſummis muneribus praeficiuntur, quanquam religione differant, cum Patanenſes Mahumetani, Sinae ut et Siamenſes ſint gentilium ſuperſtitioni addicti; quae horribilis inter eos eſt, et ad magicas uſque artes, generis humani hoſte miſeris hominibus illudente, migravit: vaticinandi ars et apud eos viget: in templo ante ſimulachrum magna convenit multitudo, quae cantu incondito et inſtrumentis ſtridorem potius quam concentum edit: tum juvenis longa caeſarie faciem velante in conſpectu omnium pronus concidit, et aliquandiu manibus pedibuſque diſpeſſis jacet; mox ſurgens per templum diſcurrit, ſtrictum gladium manu tenens ſpumanti ore, et in aſtanteis ſaevituro propior, a quibus ſuppliciter rogatur, ut deorum voluntatem ipſis aperiat: iſque ubi paulum furor remiſit, confidens et quietior vaticinari occipit; et quaſi e deorum concilio recenter veniens futura pandit, vero interdum, incerto ſaepius exitu: et haec ita inter gentilium errori addictos geruntur. Patanenſes Mahumetani, quanquam plures uxores habere poſſint, tamen caſtitati uxorum fraenum impoſuerunt, poena mortis adulterio indicta, quam non lictor aut carnifex, ſed ipſi parentes in filias criminis convictas exſequuntur: terra omni re ad vitam neceſſaria abundat; et quanquam haud multum ab aequinoctiali abſint linea, aëre ſalubri fruuntur. Aeſtas a Februario incipiens in Novembrem deſinit, quo tempore ventus interdiu a mari, noctu a terra ſpirat. Hyems a Novembri incipit, pluviis continuis, et ventis vehementioribus, non gelu nota. Terram bubalis arant, ſicuti in regno Neapolitano, aliquibus locis, et oryza conſerunt, quae magna ubertate, ut et cetera terra naſcentia provenit: nam ſingulis menſibus novi fructus producuntur, grato omnes ſapore. Cicurum item animalium, boum, bubalorum, caprarum; gallinarum item et anatum, et anſerum, quae bis in die ova edunt, mira copia. Sylvae ferarum plenae, urorum, aprorum, cervorum, leporum. Apud Siamenſeis et gallinae ſylveſtres, ardeae, et turtures, quae pennarum variegata elegantia nihil pſittacis concedunt. Maxime ſunt noxiae tigrides, ſimiae et cercopitheci, quarum illae hominibus et pecori, hae frugibus magna damna important: elephantes vix ſylvas egrediuntur, et nihil damni incolis adferunt.

INTERPR. [a] *Patane.* [b] *mer de Siam.*

adferunt. Eos hac ratione capiunt. Cicurem elephantum aliquis inſidens ad ſylvam agit: occurrit ſubito fera, et infeſto certamine cum cicure concurrit, in quo conſertis ſemel dentibus et proboſcide perſiſtunt; nec nexum ſolvunt, dentium ictum metuentes. Interim a tergo venatores accedunt, et funibus poſteriores ferae belluae pedes, quam arctiſſime poſſunt, ligant; alioqui cicure ita conſtrictam tenente, ut niſi cum certo lapſus periculo ſe loco movere poſſit. Ita captus elephantus vel fame domatur, dum paulatim feritate depoſita manſueſcat, ſeque tractari patiatur; vel ſi indocilis obduret, occiditur; et occiſo dentes detrahuntur, magni apud Sinas pretii: ex quibus illi opera multa ad ornatum concinnant. Piſcatio et hic copioſa, et piſces longe a noſtris ſapore differunt, praecipue teſtudines et oſtrea; quibus vulgus fere victitat. Patanae emporium eſt omnis generis mercium, Javanenſes ſandalum, [a] Borneonenſes camphoram, mancipia, ceram et Bezoarem lapidem afferunt: ipſum [b] Siamenſe regnum aurum, plumbum, ſalem, oryzam, affatim ſuppeditat. Malacenſes et Bengalenſes eo veſteis convehunt, et pannum e lino: itidem mancipia, goſſipium; et pretioſum aloes lignum Cambaia advehitur. Tum [c] Sinarum merces innumerae, tam rudes quam laboratae; ſericae veſtes verſicolores, ſed fere lutei coloris; pannus holoſericus, Attalicus, Damaſcenus, vaſa porcellana fictilia, et hujuſmodi res, potius ad ornatum quam ad victum neceſſariae: arma etiam, et optima acie gladii, et quae ad odorem et ſuffumigationem pertinent, quibus Sinae admodum delectantur, e [d] Japonia aſportantur; vixque toto oriente opportunior navigationi locus a Batavis reperiri, aut animo fingi poteſt, neque ſi ad Sinas, ad quos nemo peregrinus admittitur, aditus pateat: nam quidquid eſt apud eos mercium, parvo inde ſumptu, neque enim longe abeſt, [e] Patanam tranſportari poteſt; et vectigalia, quae Sinae ab exteris moroſius eſſent exacturi, non ita magna Patanae ſolvuntur. Apud Siamenſeis uberrimus eſt Indigi, genus id coerulei coloris praeſtantiſſimi, quo panni tinguntur, proventus, cujus autem ſiccandi rationem nondum invenere, eoque minoris aeſtimant. Ex Borneone inſuper et Pegu variae ingentis pretii gemmae afferuntur, quas cum Batavicis mercibus permutare non recuſaturi videntur. Foemina nunc, mortuo rege, imperium Patanae tenet, a qua Neckius, monſtratis commeatus literis Arabica lingua ſcriptis, perhumane exceptus eſt; ſtatimque ei ac ſociis domus aſſignata, in qua merces venum exponerent, et negotiarentur. Raro prodit in publicum, nec niſi valetudinis aut urgentis negotii cauſa alio profectura, quod bis accidit per novem menſeis, quibus in urbe moram Batavi fecere, qui eam comitati ſunt terreſtri primum, dein et maritimo itinere; de cetero erga ipſos ſummo pudore uſa, cum ſe excuſaſſet, quod eos ad convivium non vocaret. Id quippe foeminae parum decorum fore, ceteris tamen in rebus quantum poſſet gratificaturam, quod et facto comprobavit: nam cum ſub adventum primum vili pretio piper diſtraheretur, et bara tantum XV taleris imperialibus veniret; ſupervenientibus aliis atque aliis negotiatoribus, et pluris licitantibus, Indi auxere pretium, et a priore contractu diſcedere voluerunt; regina pro aequitate ſua pretium moderata eſt. Dum Patanae haererent, de ſuorum ad [f] Macaonem triſti ſucceſſu cognoverunt; duos ſcilicet captivos Goam abductos, reliquis gulam a Luſitanis fuiſſe fractam. Tandem Neckius feliciter re geſta, et petito a regina commeatu IX Kal. Septembreis anno ſuperiore ſolvit, quibuſdam e ſuis Patanae relictis, qui merces allatas diſtraherent; ac deinde cum aliis, qui ibi ex [g] Hemskerkii claſſe ſubſtiterant, domum redirent. Inde [h] Bantamum profectus XX dies reficiendis navibus impendit, longumque iter ac periculoſum ingreſſus, poſt quadrimeſtrem navigationem, morbis inter ſuos graſſantibus, multiſque mortuis in mare abjectis, ad S. Helenae inſulam appulit; atque inde fruſtra quaeſitis mali remediis Eidibus Juliis in Zelandiam pervenit.

CIƆ IƆ CIV.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *ceux de Borneo.* [b] *Siam.* [c] *Chinois.* [d] *Japon.* [e] *Patane.* [f] *Macao.* [h] *Heemſkercke.* [h] *Bantam.*

JACOBI

# JACOBI AUGUSTI THUANI
# HISTORIARUM SUI TEMPORIS
## LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS PRIMUS.

### EPITOME.

IN Anglia celebrata regni comitia. II. Magnae Britanniae nomen in iis recipitur, et unio regnorum unius nominis appellatione ſancitur. III. Synodus nationalis Londini. IV. Poſt pacis conditiones a delegatis a Philippo et Alberto miſſis conventas, Ferdinandus Velaſcus Londinum magno comitatu venit. V. Tactis ſacroſanctis Evangeliis rex in foedus juravit. Foederis praecipua capita. Velaſcus per terram Francicam redit. VI. Triceſimae a Philippo et Alberto impoſitae occaſione rex commercium Hiſpanis et Belgis nobiſcum et ſuis cum illis interdixit, tandemque abolito vectigali commercii libertas reſtituitur. VII. Brunſvicae in Saxonia detecta conjuratio. Emdae et tumultuatum in Friſia orientali. Joannes Ennonis comitis frater Paterbornam epiſcopi nomine occupat. Motus Argentinenſis inter Lotaringum et Brandeburgicum ſedatur. Hanſeaticae urbes pro ſocietatis privilegiis ſolemnem ad principes legationem adornant. VIII. Memorabilis in Sueciae regno mutatio. Ordinum decreto regia dignitas Sigiſmundo abrogata, et in Carolum patruum tranſlata. IX. In Pannonia ob religionis cauſam res turbant. Nimia Baſtae ſeveritas. Peſta pudendo caſu a noſtris amiſſa. Serinienſis comes juxta Sigethum Turcos profligat. Serdares purpuratus ad Strigonium caſtra ponit. Praeſidiariorum virtus. X. In Dacia Bethleem Gabor a Dampetrae comite fuſus. Dampetra victor Juliam uſque progreditur, et praedas agit. XI. Induciarum negotium ad Strigonium urget purpuratus nullo ſucceſſu. Strigonii obſidio a Turcis ſoluta. XII. Belli-jocenſis comes, Baſtae inſtigatu, Caſſoviae in Proteſtanteis ſumma ſeveritate graſſatur. Stephanus Boſtkaius ob injurias a Bellijocenſi acceptas exaſperatus in eum ducit, commiſſoque proelio fudit. Baſta Bellijocenſis periculum minime negligit. Boſtkaius publico programmate a Caeſare proſcriptus, ad eum legatos mittit, qui factum extrema neceſſitate excuſarent. XIII. In Stiria et ob religionem magni motus excitati. XIV. Horrenda fames in Tranſilvania. In Sicilia et Gallia Narbonenſi magna annonae penuria. Novum hoc anno in coelo phaenomenon v Non. Octobreis primo viſum. De hoc varia paſſim agitata judicia. XV. Magnus Etruriae dux ad incendendas Turcorum naves, quae ad Caeſaream Juliam in oppoſita Africae ora hyemabant, triremeis inſtruit. Re a Judaeis detecta conatus irritus fuit. XVI. Novi Romae cardinales creati. Quaeſtiones a Jeſuitis propoſitae, aulam Romanam exercent. Actum de Ignatio Loiola in beatorum numerum cooptando, nullo ſucceſſu. Tumultuatum periculoſe in urbe occaſione malefici, qui in Farneſii cardinalis aedeis tanquam in aſylum ſe receperat. XVII. Virorum principum mortes: Joannis Baioari ſenioris Wolfangi filii, Othonis Henrici fratris, Lud. Heſſi, Erneſti Friderici marchionis Badenſis, Petri Erneſti Mansfeldii; apud nos Claudii Tremollii Thoartii ducis. XVIII. Literis illuſtrium obitus, Jani Douzae Nordowici, Chriſtophori Coleri, Jacobi Typotii, Oberti Giſanii, Hieronymi Mercurialis, Arnaldi Oſſati cardinalis: Gualteri Franciſcani Pictavorum epiſcopi, viri ſanctitate praecipui, ex occaſione memoria renovata. XIX. Carolo Borbonio Sueſſioni filius hoc anno naſcitur.

Ex

Ex auctoribus,

*Oratione regis Angliae publicata, Synodo Londinenſi, Relatione edita legationis Ferd. Velaſci, Gaſpare Ens, Imm. Meterano, Jacobo Typotio, Exegeſi Hiſtorica regni Sueciae, Jo. Keplero, Relationibus Italicis.*

# LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS PRIMUS.

HAEC in Belgio dum geruntur, peſtis, quae ſuperiore anno in proxima Britannia admodum ſaevierat, remittere incipiebat; et novus rex, qui propterea Londino abeſſe coactus fuerat, ad urbem redierat. Celebrata regni prima comitia, quae vulgo Parlamentum vocant, XIV Kal. Aprilis, veteri calculo, quem adhuc in Anglia ſervant, magna frequentia: in quibus rex lingua populari longam orationem habuit, qua tribus de cauſis regnorum ſuorum ordines congregari voluiſſe dicebat, ut pro tam propenſo erga ſe ac benevolo animo, pro tam concordi et hilari omnium voluntatum concurſu, quem feſtis ubique vocibus et acclamationibus teſtati ſunt, bene meritis gratias redderet, ejuſque rei dulciſſimam memoriam nunquam ex animo ſuo elabi paſſurus eſſet; tum viciſſim, quantam praeſentia ſua felicitatem Angliae importaverit, pluribus perſequebatur: ante ſuum adventum bellis et armis toto regno paſſim perſonuiſſe omnia; nunc publicam pacem et ſecuritatem cunctis arridere, libertatem commercii, qua civitates florent, reſtitutam, vicinoſque reges ac principes certatim amicitiam ſecum expetere; neque tamen ita pacem et otium conſectari, quin ſi neceſſitas ingruat, et citra vim belli, regiam dignitatem et ſecuram pacem aliter tueri nequeat, ad arma expedienda non ſtatim paratus ſit, et juſtum bellum turpi et ignavae paci antepoſiturus. Verum ſic de Dei bonitate, qui pacis ſtudium in ſe praecipuum eſſe voluerit, confidere, ut nunquam benignitatis ſuae ipſum poeniteat, et ob conſtantem ac diuturnam adeo pacem ſibi poſſe arrogare, quod David propter partas victorias de ſe praedicat, fore, ut Deus, qui ſe a leone et urſo huc uſque defenderit, deinceps quoque a Palaeſtino praeputiato ſit defenſurus: nec ſolum laetari quod pacem externam auſpiciis regni nactus ſit, ſed multo magis quod domeſticam adventu ſuo firmaverit; unitis quae divulſae erant ditionibus ampliſſimis. Non parum ab Henrico VII, a quo genus ducat, olim profectum; cum poſt luctuoſas et miſerabiles diſcordias, quae, binis familiis crudeliter diſſidentibus, Angliam paulum abfuit everterunt, in ſe unitis, tandem tragicis tot annorum calamitatibus finem impoſuit. Plus adventu ſuo factum, ſopitis antiquis odiis, quae bellorum exitialium plerumque cauſae exſtiterunt; et acceſſionem magnam ad priſtinam potentiam, Scotorum regno nunc legitima ſucceſſione conjuncto, factam: nam ſi [a] Cambria ſeu Wallia, ſi ſeptem aliae provinciae, quae in totidem ditiones quondam a reliquo corpore ſejunctae erant, cum unitae ſunt, corpus ad eam quam cernimus magnitudinem extulerunt, quid cenſendum de recenti maximi regni generoſae juventutis ac tot nobilium familiarum freti, ad Angliam quaſi ad reliquum corpus, acceſſione? Quapropter quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet; ſe maritum, totam inſulam ſuam eſſe uxorem; ſe illius caput, illam corpus; ſe paſtorem, illam ovile ſuum eſſe; qui contra mutire auſi fuerint, qui coelo praedeſtinatae regnorum olim divulſorum conjunctioni ſe

INTERPR. [a] *pays de Galles.*

ſe oppoſuerint, aut ignorantia turpiter labi, aut maligne ac ſcelerate peccare: nam dignitates, privilegia, immunitates ac praerogativas, illa in ſuam perſonam quaſi confuſione, non labefactari et evaneſcere, ſed coaleſcere potius et magis ac magis confirmari. Idem in proximo Franciae regno eveniſſe. Primos infantiae vagitus ſe regem Scotiae dediſſe, maturum virum in Angliam, atque adeo utriuſque regni per ſe conjuncti adminiſtrationem, afferre. Ad deſideratam autem fruſtra a tot ſaeculis unionem, et nunc raro Dei beneficio conceſſam, ejus conſervandae certam ſpem affulgere per eximiae ſpei prolem Dei pariter benignitate conceſſam, qui valetudine proſpera ſunt, et pares animos ad rempublicam ſunt allaturi. Verum in aedificanda domo fruſtra laborari, niſi idem Deus, qui pacem foris domique dedit, qui tempore ſuo regna tamdiu divulſa conjunxit, qui regi legitima ſucceſſione ad utrumque regnum vocato ſummae ſpei ſobolem elargitus eſt, fundamentum jecerit, eique verum cultum ſuperſtruxerit; abſque hoc fuerit, ceteras mundi delicias, tanquam flores deciduos, umbras et vapores terra elatos, paleas et purgamenta ad primum ventorum flatum ſubito evaneſcere. Laetari ſe, quod in ingreſſu regni ſecum ſentienteis cunctos in religione ordines repererit; tamen inter eos alium Dei cultum in intimis hujus regni viſceribus latere; ac praeterea tertiam quorundam privatam ſectam furtim et in angulis perreptare. Cultum illum falſum, et erroribus ſcatentem, fruſtra Catholicum dici, totum pontificium eſſe: tertiam ſectam religionis nomen non mereri, Puritanorum eſſe et Novatorum, qui adfectatis puritatis in politica gubernatione argutiolis, non tam in religionis capitibus diſcrepant, quam praeſenti moderationi adverſantes, et ſuperiorem poteſtatem omnem non ferentes, impatientia ſua bene poſita in domo Dei movent, et tumultuoſius ſe, quam par eſt, gerunt; homines inquieti ac turbidi, quos proinde ex omni republica recte inſtituta ejiciendos cenſeat. De pontificiis ſic exiſtimare, diſtinctionem adhibendam eſſe inter privatam ſuam ſalutis cauſa religionis profeſſionem, et publicam reipublicae adminiſtrationem ob communem omnium utilitatem et tranquillitatem conſtitutam. Se religionis inter eos receptae caput, ipſos illius membra: ſic autem affectum in religionis negotio eſſe, ut non ad oſtentationem et vanam conſtantiae laudem aucupandam, aut ad ullam aliam praejudicatam opinionem retinendam, in illa perſeveret; ſed quia eam compererit cum rationi, tum regulae fidei ac conſcientiae ſuae magis congruere; neque tamen in ea aut nimium vehementem, aut praeter modum pertinacem fuiſſe, libenter fateri et agnoſcere. Romanam eccleſiam matrem communem eſſe, quanquam maculis nonnullis et corruptelis inquinatam, ſicuti Judaeis accidit cum CHRISTUM crucifixerunt. Sed ut in aegro curando is inimicus haberi non debet, qui medicinam adhibendam ſuadet; ſimiliter nullo ſe modo Romanenſium eccleſiae inimicum cenſendum, ſi ſtudio omni enitatur, ut illorum errores aut tollantur aut emendentur; caſum certe ac ruinam ejus nequaquam exoptare, ſordes ſolummodo elui, et corruptelas removeri avide percupere: nam qui jure poſſe a nobis petere Romanenſeis, ut intremus, niſi domum prius ſuam nitidiſſime everri, et a ſordibus emundari procuraverint? Interim propter ullam praejudicatam opinionem aegre adduci, ut in ſubditorum ſuorum ſive corpora ſive animas, paulo durius imperium exerceat, imo ſemper a conſcientiis ſuorum acerbius vel affligendis, vel praeter fas et aequum arctioribus vinculis conſtringendis abhorruiſſe; et ex quo novum regnum crevit, in eo laboraſſe, et nuper ſtatuta, ac conſtitutiones contra pontificios latas diligenter perpendiſſe et examinaſſe, ut citra acerbitatem et acrimoniam omnem, quibuſcunque poſſet modis, ſive per edicta, ſive data opportunitate, eos allevaret; neque nova gravamina, quod Roboamum olim feciſſe memorant, ad antiquas angarias adderet; videretque, ne quid in iis relinqueretur, quod viros bonos et honeſtos

potius

potius laedere, quam ſonteis et graviter delinquenteis punire videretur. Ceterum eorum, qui pontificiae religioni addicti ſunt, duo eſſe genera, eoſque aut clericos eſſe ac literatos, aut literarum rudes, et ex populi faece; et hos quidem minus reprehenſione dignos; et inter eos, qui ſobrium et quietum vitae genus ſequuntur, quoſque ſenes dediſcere, quod juvenes didicerunt, pudet, omni prorſus culpa vacare; quippe quorum ſanatio a Deo et Sancto ejus Spiritu ſit expectanda: ſed et eſſe inter eoſdem, qui fanatico errore agitati, turbarum occaſionem captant; quorum conatibus, ne furoris contagia longius ſerpant, mature obviam ire debent, quos penes ſummum imperium et legitima poteſtas eſt. Clericos autem, quoniam inveterato errore ſcientes videnteſque peccant, et inſolens et odioſum principatus deſiderium, quod pontifex in terrenas poteſtates ambitioſe affectat, tuentur, et quantum poſſunt adjuvant, nullo modo ferendos, et a Chriſtianorum coetibus omni ratione explodendos: eos quippe eſſe, qui furenteis inconſiderato religionis impetu prava ſua doctrina animos incendunt, et reges trucidandos docent: dignum prorſus laude, atque adeo meritorium facinus ducentes, ſi quis, poſtquam Romanenſis monarcha, vel potius, his verbis utebatur, monſtroſum eccleſiae ſuae caput, aliquem regem diris devoverit, aut ſubditos ejus fidei et obſequii vinculo ſolverit, aut regnum ejus a praedatoribus diripiendum proſcripſerit; in eum vel gladium ſtringat, et contra principes ac magiſtratus bella, motus, ac ſeditiones excitet. Nihil ſibi in votis potius aut antiquius eſſe, quam ut tempus illud videat, quo, ſepoſitis omnibus factionum ſtudiis et affectibus, in id cuncti conſpirent, ut laudabilia aureae mediocritatis conſilia utrinque concorditer ineantur; quod ſi Pontificii admitterent, ſe minime recuſaturum, quin ultro occurrens illis in amplexum rueret, ea lege, ut quae tempore prave irrepſerunt, communi conſenſu penitus amputarentur. Suam fidem pro vere antiqua, Catholica, et apoſtolica tenere, ac proinde antiquitati, et quicquid ab ea citra fraudem derivatum eſt, omnem cultum et reverentiam tribuere, eamque per mediam eundo ſemper viam ſervaſſe, ut neque in fide Sectarius haberi, neque in civili adminiſtratione ſciſſuram amplecti videri velit: quod ita ſibi dictum accipere Pontificii debeant, ut non propterea ſua lenitate ac patientia intemperanter abutantur, aut ſibi licere putent conventicula impune celebrare, et partes in regno fovere. Quod ſi faciant, quam clementem ipſum hactenus experti ſunt, tam infeſtum hoſtem ſint deinceps habituri; quanquam alioqui a perſecutoris nomine maximopere abhorreat. Potius illi, qui pietatis ſpiritu ducuntur, veritatis indagandae ſtudium amplectantur, et cum peritis harum rerum colloquia expetant, a quibus idonee inſtruantur; ſiquidem a [a] Dunelmenſi epiſcopo, is comitiis intererat, pereruditе pronunciatum eſſe, Correctionem, ſi abſit inſtructio, violentam eſſe tyrannidem: quapropter praeſules ſanctitate vitae, bonis exemplis, puritate doctrinae, hoc indeſinenter agant, ut plurimas quam poſſint animas Chriſto lucrentur, et cum Paulo inſtent opportune, importune peragant, arguant, increpent, cohortentur, ſumma cum manſuetudine et ſcientia. Inde ad tertium et ultimum caput tranſit, de bonis legibus ſuo tempore condendis, et conſtanti earum executione; et ſibi praecipuam ſuorum ſalutem in iis condendis fore, atque adeo ſupremam legem, ſpondet: ſed videndum monet, ne multitudine legum nimia reſpublica obruatur, vix eſſe, ut in his comitiis mature de iis deliberetur, itaque de his amplius cogitandum antequam ferantur. Tum ad judices, quos aures oculoſque ſuos adpellat, orationem convertit, et verbis Joſaphati regis eos officii admonet, rationem villicationis ſuae Deo primum, dein et ſibi reddituros; ſcientiam veri proinde habeant, fortitudinem animi et vitae integritatem ſervent; ut ſcienter quod verum eſt perſpicere, audenter agere quod juſtum eſt, et utrumque integerrime exſequi poſſint. Sibi curae fore, ut et ipſe partibus ſuis fungatur; quod cum fecerit, ſe

INTERPR. [a] *de Durham.*

ſe ad extremum inutilem ſervum futurum, quippe qui muneris a Deo impoſiti ratione, quod fecerit, facere debuerit. Non exiſtimare, quod vulgo tyranni putant, populos ſibi atque adeo tot regna a Deo data, ut ad inhoneſtas animi libidines ac voluptates explendas iis abutatur, ſed potius ut de eorum ſalute et incolumitate ſolicitus, cunctas opes ſuas et felicitatem in eorum abundantia et proſperitate ſitas exiſtimet. Bono regi, ſi divites ſubditos habeat, ſi fortunatos, nihil ad opes et felicitatem deeſſe. Servum quidem ſe agnoſcere; ſed ſi ſingulorum hominum, quos Deus dominationi ſuae et imperio ſubjecit, ratio habeatur, ſe regem et rectorem eſſe et caput; caput autem propter corpus, quod illi ſimul juncti conſtituunt, non corpus propter caput creatum eſſe; et regem propter multitudinem, non multitudinem propter regem ordinatam. Proinde non pudere ſe, neque non honorificum putare, quod ſupremus ſit ac primarius totius reipublicae ſervus a Deo conſtitutus, eoque fieri, ut publicam ſuorum populorum felicitatem, maximam ſuam felicitatem, ac praecipuum ſolatium atque ornamentum in hac vita reputet. Reliqua oratio in eo laborabat, ut benevolentiam erga univerſos ſuam teſtaretur; quoniam non ſingularibus et uni ſoli eſſet debitor, et de beneficiis in pleroſque largius collatis ſe excuſaret; id naturae ſuae beneficae, et interdum importunis petitorum flagitationibus condonandum; nam non ignorare, aerario ſemel exhauſto, id neceſſario ſecuturum, ut populis ſuis moleſtus ſit ac gravis, dum aliis detrahit, ut aliis largiatur; qua in re ſe cautiorem futurum ſpondet, et alios, ut petendo ſint moderatiores, viciſſim admonet. Poſtremo de oratione ſua minus ornata ob brevitatem temporis, et inſolitum tantum conſeſſum ſe excuſat; regemque decere ait, ut perſpicue et aperte, tum ſincere et ex animo loquatur, et ut facta dictis reſpondeant, potius quam facta dictis fidem derogent.

II. Unione potentiſſimorum regnorum tantopere depraedicata hoc agebat Jacobus, ut, abolitis Anglorum et Scotorum nominibus, vetus Britanniae magnae nomen in uſum revocaretur. Contradicebant initio Angli, his fere rationibus; hujuſmodi mutationes non temere fieri debere, niſi aut urgente neceſſitate, aut manifeſta utilitate ſuadente: atqui nihil urgere, nullum ex eo emolumentum oſtendi: uniones regnorum aut matrimoniis aut per victorias, aut ſanguinis confuſione fieri: novi regni inſtitutione, alterius antiquioris memoriam diſſolvi et extingui; ea re magnas incommoditates ac confuſiones in negotiis, in comitiis convocandis, in ſigillis, munerum publicorum diſtinctione, legibus ac conſtitutionibus ſanciendis, libertatibus, privilegiis, curiis, quae in regio comitatu ſunt, actis publicis, privatorum contractibus conſecuturas: et ſiquidem contingat, ut rex, quod abſit, ſine liberis decedat, aut liberi ejus ſine prole deficiant, illa unione et regnorum confuſione futurum, ut paterni nominis heredes in Angliae regno ſibi jus arrogent, excluſis legitimis Anglici nominis heredibus, quod eſſet iniquiſſimum. Praeterea praerogativam cum aliis regibus hac unione extingui, et de jure illo contendentibus, inde materiam diſceptandi praeberi. Nomen Anglicanum a tot ſaeculis, et nunc maxime percelebre, Britannico etſi olim illuſtri, ſed jam obſoleto, mutari periculoſum videri. Anglicanum nomen Scoto ſemper olim ſine controverſia praeiviſſe, nunc confuſione facta et Britannico aſſumpto antiquari. Id populis ſumme diſpliciturum, qui antiquo nomine gaudent, et ominoſum ducunt, abolita priſci temporis memoria, per novas agnominationes praepoſtera ambitione majorum gloriam obſcurari. Haec non citra altercationem tunc agitata. Ad extremum regis auctoritas tenuit, ut Magnae Britanniae nomen reciperetur, et unio regnorum unius nominis appellatione ſanciretur; neque deinceps neceſſe eſſet, in finibus praeſidia alere, aut novis munitionibus ad hoſtium incurſiones arcendas limitem firmare. Cuſi in eam rem nummi aurei et argentei cum inſcriptionibus: QUAE DEUS CONJUNXIT, NEMO SEPARET. TUEATUR UNITA DEUS. Angeloti et cuſi cum hac inſcriptione, FACIAM

EOS

EOS IN GENTEM UNAM. Et aliud nummi aurei genus, quod haec verba coelata habebat, HENRICUS ROSAS. REGNA JACOBUS. Dein decretum factum de eccleſiaſticis tota Britannia expellendis: quorum alii per regnum ſparſi, quibus ad XIV Kal. Aprileis dies, qua exirent, poena capitis addita, praeſtituta eſt: alii qui carcere attinebantur, navibus impoſiti, et alio migrare juſſi. Id ſevere admodum peractum: neque prius rex reginaque Londinum ingredi ſolemni pompa voluerunt, quod actum VIII Kal. quam edicto plene executioni demandato. In his comitiis magnus theſaurarius [a] Dorſeti, Henricus [b] Howardus Northamptoniae comites creati: periſcelidis inſigne ad Coſmum magnum Etruriae ducem miſſum, quod ille ſumma dignatione accepit.

III. SECUNDUM haec celebrata et peracta Londini ſynodus nationalis, veram eccleſiam Anglicanam repraeſentans, ſicuti ejus ultimo decreto perſcriptum eſt. In qua fides inter eos recepta ſancitur; et inter alia, in eccleſiam Anglicanam ſuprema regiae majeſtatis auctoritas aſſeritur; regii in eccleſia Anglicana primatus impugnatores coërcentur, ſicuti et conventiculorum in eccleſia Anglicana propugnatores, et in conventiculis illis ordinationes citra regis auctoritatem fieri prohibentur. Liturgiae publicae modus et Litaniae apud eos receptae uſus praeſcribitur; Coenae trina perceptio ad minus quotannis indicitur, addita in perceptione genuum flexione. Superpelliceorum et epomidum uſus in miniſtris confirmatur: parentes in liberorum ſuorum ſacro lavacro, et pueri Coenae Dominicae incapaces ſuſceptores eſſe prohibentur. Crucis ceremonia in Baptiſmate retinetur et explicatur, ſed ita et tot adhibitis cautionibus, ut ſacroſancti ſigni reverentia omnino aboleri potius quam confirmari videatur. Jejunia IV temporum decernuntur. Tum ordinandi miniſtros, Catechiſmi in parvulis, confirmationis in triennali viſitatione, de bannorum in matrimoniis celebri publicatione, leges praeſcribuntur.

IV. INTER haec [c] Velaſcus Caſtellae comes-ſtabuli, qui ſuperiore anno ex Hiſpania in Belgium venerat, cum novo Angliae rege de pace acturus, poſt altercationes de loco conventus ſaepius repetitas; poſtquam rex miſſurum ſe in Hiſpaniam recepit, et ratione loci nihil de praerogativa gradus cum Philippo certare velle declaravit; V Eid. April. eodem et ampliore quam venerat comitatu in viam ſe dedit, et per [d] Gandavum, Curtracum, Hipras facto itinere, Bergas [e] fani-Vinoci in terra Flandria acceſſit, eaque in urbe Paſchaleis ferias celebravit, praemiſſo Alexandro [f] Rouida Mediolanenſi aſſeſſore, qui cum Joanne Taxi, qui in Anglia remanſerat, omnia ad conventum futurum neceſſaria inſtrueret. Ab Alberto in eam rem delegati Joannes [g] Ligneus Barbanſonus Arembergii comes, Belgici maris praefectus, Joannes Richardotus praeſes, Ludovicus [h] Verrheikenus primarius ſecretarius, qui ineunte Maio ad Velaſcum acceſſere, et Gravelinga ſolverunt XVII Kal. Jun. ac triduo poſt Londinum appulerunt. XI Kal. Rouida, deducentibus eum Northamptoniae comite et Taxi, ad regem ſalutandum acceſſit, cui trium regnorum titulos tribuit, ipſumque a juſtitia, aequitate, admirabilique humanitate, ceterarumque virtutum ornamentis prolixe laudavit, et ſe a potentiſſimo Hiſpaniarum rege miſſum dixit, ut benevolentiam ſuam erga principem ſibi neceſſitudine ac antiquo amicitiae vinculo conjunctiſſimum declararet; tum ſuam operam ei officioſe detulit. Adventu legati cum laetari ſe, idque ad pacem univerſae rei Chriſtianae ſpectare rex dixiſſet, dimiſſus Rouida. Poſtridie admiſſus Arembergius cum iis, quos adduxerat, qui eadem comitate a rege reginaque, quam et ſalutaverunt, accepti ſunt; et delegati ſubito Thomas Buckhurſtus

Dorſeti

INTERPR. [a] *Sackville baron de Buckhurſt comte de Dorſet.* [b] *Howard comte de Northampton.* [c] *de Velaſco conneſtable de Caſtille.* [d] *Gand, Courtray, & Ypres.* [e] *S. Winoxberghe.* [f] *Rouida conſeiller au ſenat de Milan.* [g] *de Ligne prince de Barbançon.* [h] *l'Audiencier Verreicken.*

CIƆ IƆCIV. Dorſeti comes magnus regni theſaurarius, Carolus [a] Howardus maris praefectus, Carolus [b] Montjoius Devoniae comes Hiberniae prorex, Henricus [c] Howardus Northamptoniae comes, Robertus [d] Cecilius magnus ſecretarius, qui in [e] Somerſetenſibus aedibus palatio contiguis, in quibus Velaſco paratum hoſpitium erat, et interim Taxis cum Rouida diverſabatur, cum Philippi et Alberti oratoribus convenirent. Et hi quidem ad dextram, Angli ad laevam ſedere, Anglis domi ſuo loco hoſpitibus Hiſpanis cedere rem comitatis atque humanitatis eſſe reputantibus. Ibi orditur Rouida, et quod felix, fauſtum, fortunatumque ſit, laetum Sereniſſimo Scotiae, Angliae, et Hiberniae regi, in novum regnum legitima ſucceſſione delatum Hiſpaniarum regis nomine adventum denuo gratatur; nam eodem jam officio Taxim defunctum eſſe; omneiſque totius imperii ſui terra marique vireis ex animo ad ipſius commoditatem et utilitatem, et nunc et in poſterum peramanter defert. Legationem Taxis jam perbenigne a Sereniſſimo rege acceptam indicio eſſe, non haec ſine divino Numine fieri; Deum, cujus in manu cor regis eſt, qui montes inclinat, et gladium in oleum vertit, hanc ipſi mentem et ejus prudentiſſimis conſiliariis dediſſe, ut de ſedandis inter reges diſcordiis ſerio cogitaretur; nec Philippum, reſtincto morte reginae Eliſabethae bellorum fomite, et regnis nobiliſſimis ad principem, ſibi ac parenti ſuo antiquo amicitiae vinculo conjunctiſſimum, et conſiliorum reginae nec auctorem nec participem devolutis, nullaque ſibi cum regnis ipſis, quibus cum ſuis Hiſpaniarum regnis diuturna ſemper fuit ac fida ſocietas, controverſia remanente, hanc pacis occaſionem aſpernari noluiſſe. His acceſſiſſe arctiſſimam, quae Sereniſſimo Scotiae, Angliae, et Hiberniae regi, cum domo Auſtriaca intercedit, neceſſitudinem; aegre feciſſe, nec niſi laceſſitum, parentem ſuum alieni abſtinentem, ut arma, contra communem hoſtem in dies per Chriſtianorum diſcordias nova incrementa capientem deſtinata, ad injurias ulciſcendas converteret: ſatis caedium, ſatis vaſtitatis utrinque datum, cruori deinceps Chriſtiano parcendum eſſe. Poſt Taxim ad eum miſſum Caſtellae ſtabuli-comitem Ferd. Velaſcum, ſingularis prudentiae et pietatis principem, qui in opere, quo nullum Deo poteſt acceptius eſſe, laboraret. Eum poſt longiſſimum iter, et hyemis aſperrimae difficultates ſuperatas, pietate omnia vincente, ad extremum Flandriae limitem veniſſe, ſed valetudinis incommodo praepeditum nondum tranſmittere in Angliam potuiſſe: dum vires colligit, expeditum viſum, ut interim per Taxim et ſe ex Italia evocatum, de ratione foederis inter potentiſſimos orbis Chriſtiani principes, ratio ineatur. Cum acceſſione tot regnorum, et virtutes adminiſtrandis iis pares acceſſiſſe cunctos laetari, et juſtitiam, humanitatem, temperantiam, ceteraſque virtutes eximias in eo admirari, et ſperare, ut per pacem conjunctis clariſſimorum principum viribus domi ſecuritas, foris contra Chriſti hoſteis victoria quaeratur. Proinde in id incumbendum, Deo duce, qui pacis auctor eſt, ut rejectis ambagibus, et amputata omni ex animis, vel ex doctrinae fiducia, vel ex ingenii acumine quaeſitae laudis ambitione, citra fucum et fraudem res Deo gratiſſima pondere ſuo et merito aeſtimetur, et ad optatum exitum perducatur. Pacem Dei opus ſe proponere, qua perturbata nihil tutum ſive ab hoſte ſive ab amico milite: etiam ſub bono principe cuncta dura et difficilia; pravorum violentiam, et dominatum ſubditis oneroſum eſſe. Pacem omneis utrinque populos exoptare: ſub ejus aura ſuaviſſima ſecuritatem publicam conquieſcere, leges vigere, libertatem commercii, quo civitates aluntur, valere. Vota viduarum, pupillorum, et omnium ubique bonorum aſpirare, et lachrimas precibus ſuis adjungere. Se a potentiſſimo rege miſſos eundem animum ad deſideria publica afferre; candorem et fidem, ita Deus cordium ſcrutator, et doloſae linguae acerrimus vindex eos adjuvet, ad ea ſuam religioſe

HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Howard amiral.* [b] *Blount baron de Montjoy comte de Devonſhire.* [c] *Howard comte de Northampton.* [d] *Cecil ſecretaire d'Eſtat.* [e] *palais* ou *hôtel de Somerſet.*

religioſe obſtringenteis. Eandem ſereniſſimo regi et conſiliariis ſuis ſententiam ſtare cum videant, quicquid contra male erga pacem publicam clam palamque mali moliantur, non dubitare, quin res tantopere exoptata confici poſſit, illo praeſertim adjutore, qui naſcens et in coelum migrans pacem uti ſummum bonum ſuis reliquit; qui in auxilium noſtrum ſurget, et apprehenſo fortitudinis ſuae ſcuto ſerpentis caput conteret, improbos zizaniorum ſatus evellet, et hoſteis pacis virtute ſua diſturbabit. Quibus dictis cum a Northamptoniae comite quaedam modeſte, quae ad Eliſabethae invidiam adjecta fuerant, et eorum qui pacis opus inchoatum clam perturbatum ibant, elevanda ſubjunxiſſet, eo die diſceſſum eſt. Poſtea uſque ad xv vices eodem ordine convenere, et de ſingulis, quae controvertebantur, ſubito [a]Velaſcum et Albertum certiores faciebant; ab iiſque viciſſim, quid in iis agere deberent, certiores fiebant, ita ut cum ad novum conventum redirent, ſuper omnibus controverſiis certum reſponſum afferrent. Initio ab Hiſpanis foedus offenſionis et defenſionis propoſitum; a quo ſe excuſarunt Angli, foedus nobiſcum prius ictum cauſati; et rex ad bellum contra ejuſdem confeſſionis ſocios gerendum nolle cogi declaravit, quod poſſet contingere, ſi ſe ad offenſionis foedus obligaret; id autem ſalva conſcientia facere non poſſe. Itaque poſt aliquot dierum altercationes conventum, ut de pace inter eos ageretur, omiſſa offenſionis et defenſionis mentione, conditionibus de cetero appoſitis, quibus utrique parti, ut pax fida eſſet, idonee caveretur: rogatus interim rex Angliae ab Hiſpanis, ut ſe medium inter Archiduces et Bataviae Ordines interponeret, quo illi conditiones pacis acciperent. Qua in petitione non ſe nimis moroſum rex praebuit, et aequitate ſumma officium detulit. In commercii libertate utrinque propoſita, et ab Anglis ſine exceptione conceſſa, plus difficultatis fuit; cum Hiſpani ab ea navigationes in Indias exciperent, diviſione ante c annos facta, pacis parario et arbitro inter partes Alexandro vi, ſolis Luſitanis et Caſtellenſibus eas attributas dicerent: regni poſtea Luſitani acceſſione etiam Indias Orientaleis et Occidentaleis acceſſiſſe. Itaque ſoli Hiſpaniarum regi hodie tanquam in ſuo, nec aliis praeterea ullis principibus aut civitatibus licere ad eas navigare. Ad haec rex aequiſſimus qui pacem vellet, nec conditiones minus honeſtas admitteret, cum animo provideret nulla ratione populis ſuis perſuaderi poſſe, ut libertatem ad Indias navigandi, Batavis eam ſibi arrogantibus, et magno cum emolumento ſuo impune quotidie exercentibus, intermitterent; ab ea ſuos diſerte excludi noluit, fide in arcano Hiſpanis data, Anglos ſine juſſu quidem ſuo ac mandato navigaturos; ceterum hac lege, ut eodem, quo ceterae nationes, jure trans aequinoctialem lineam utantur. Utrique proinde ſibi conſulant: nam jure potiores iis locis haberi, qui viribus praepollent. Ita ſine conditione commercii libertas conſtituta. In aliis partes facile convenere. Toto illo tempore, quod ab xi Kal. Jun. effluxit, Velaſcus invaletudinem cauſatus, loco minime ſe movit; neque ad Albertum, periclitantibus interim [b] Sluſis, ivit, ut capita cum eo conferret, ſed ſemel atque iterum Alfonſum Velaſcum gentilem ſuum, et [c] Blaſium Arragonium ad eum qui [d] Gandavi erat, legavit. Tandem aliquanto poſt adfectatas Hiſpanienſi gravitate exquiſiti faſtus moras, vi Kal. Sextil. Dunkerkam venit, miſſis qui ad eum regali pompa excipiendum cuncta inſtruerent, et iv Eid. Sextil. Gulielmo [e] Monſono equite, freti illius praefecto, cum Anglicanis majoribus navibus appulſo, poſtridie Gravelingam petit, quo ad eum Antonius Ribera, a Joanne [f] Taxi cognato ſuo miſſus, venit, per otium toto triduo Velaſci juſſu impoſiti equi, impedimenta et reliquum famulitium, cautumque, ne quid ſuarum rerum in naveis Batavas, quas ſecum Angli adduxerant, imponeretur. Tandem Dominica die poſt ſacrum celebratum, ſummo mane navem minorem conſcendit, ut inde ad majores

INTERPR. [a] *Velaſco.* [b] *l'Eſcluſe.* [c] *el Commandador Don Blaſco d'Arragon.* [d] *Gand.* [e] *Monſon.* [f] *de Taxis conde de Villamediana.*

majores, quae brevia veritae in alto expectabant, perveniret; ad quas poſtquam intravit, poſt octo horarum navigationem, ad Dunas exſcenſionem fecit; nam ad [a] Doveram vento vehementiore adpellere eodem die non potuit; ubi ex jactatione maris nauſeantes paulum recreati. Poſtridie Doveram, et XVI Kal. Sept. [b] Cantuariam, [c] Cantianae provinciae metropolim, venit, ubi Taxim, Rouidam, alioſque qui cum iis erant, obvios habuit; inde alios atque alios, et [d] Arembergium reliquoſque Alberti delegatos; a rege miſſos [e] Wottoni regulum [1] IV portuum praefectum, cum ꟾↄ equitibus, et magno numero carrucarum, et [f] [2] Northamptoniae comitem; et triduo poſt ſecundo [g] Tameſi Londinum ſub veſperam acceſſit, conſcenſis XXV phaſelis ad id egregie inſtructis.

V. Rex aberat venationibus intentus, qui per Carolum [h] Howardum maris praefectum abſentiam ſuam excuſavit. Per comitem [i] Suffolcium regina adventum Velaſco gratulata eſt. Magna pompa res acta, quod ea rerum externa facie maxime Velaſci animum paſci intellexerant Angli. Ubi rex venit magno paratu, tandem VIII Kal. Sept. admiſſus Velaſcus cum Alberti delegatis, [k] Southamptoniae comite praemiſſo, qui venientem exciperet. Ipſe Velaſcus ſcripſit, regem, qui ad primum conſpectum ſurrexerat, diu ſtetiſſe, antequam ad ſalutandum eum ipſe propius accederet, ea re ſignificans, quantum de dignitate propria rex detraxerit, tantum ad ſuam acceſſiſſe. Lingua Gallica eum adlocutus rex, ſicuti ante fecerat Robertus Cecilius, cum ad eum ante regis adventum ſalutandum venerat. Semel atque iterum poſtea convenere ab utraque parte delegati. Et iterum a rege et principe Velaſcus admiſſus eſt, et poſtridie a regina, majore quam antea paratu et pompa. Demum IV Kal. Sept. poſt ſacrum peractum mane in palatium cum delegatis, et inde in ſacellum venit Velaſcus; et praeeuntibus fecialibus, et maſſas praeferentibus, rex ad ſacellum itidem cum principe venit. Aderat et regina cum toto gynaeceo. Ibi in laudem pacis hymni aliquot a ſymphoniacis decantati, prolatiſque a Cecilio pacis conventae capitibus in charta pergamena deſcriptis, rex ea Velaſco, et Velaſcus Rouidae tradidit, et allatis bibliis ex S. Hieronymi tralatione a Plantino cuſis, ſic enim convenerat, rex tactis ſacroſanctis Evangeliis in capita juravit, et manum Velaſci in ſignum concordiae prehendit. Secutae dein acclamationes feſtae de pace laetantium, et regis vitae bene precantium. Inde ad convivium itum, quod pari hilaritate et magnificentia celebratum; et quaedam interim in Eliſabethae invidiam jactata; quae omnia particulatim, aut a Velaſco, aut ipſo dictante, ad faſtidium uſque ſunt literis conſignata, in relatione quam de pacis cum Anglis negotio Antuerpiae publicandam curavit. Rex poſtridie Velaſcum ex levi offenſione pedis decumbentem inviſit, cui in amplexus ruenti a Velaſco ad ingreſſum adulatoriae voces [3] Cornelii centurionis redditae, *Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum.* Tum miſſis magni pretii donativis, et petito commeatu, pridie Nonas Septembreis [l] Graveſendam Velaſcus cum toto comitatu venit, et Dovera ſexto poſt die ſolvens, [m] Caletum appulit, a Dominico Vico urbis praefecto exceptus. Caleto Gravelingam deflexit, et inde [n] Audomari-fanum in Atrebatibus petiit: et [o] Gandavum XIII Kal. Oct. quo tempore Oſtenda dedita eſt; profectuſque ubi Albertus erat, cum quo collocutus, [p] Rigiacum Atrebatum venit; et inde per terram Francicam iter fecit, ſicuti in itu fecerat, ab rege rurſus ad [q] Blaudifontem perhonorifice exceptus. Cum ad Sebaſtiani Zameti aedeis coenaturus divertiſſet, rex ſolita comitate intervenit, et menſae adſedit, Velaſcum, qui de geniculis

toral

INTERPR. [a] *Douvre.* [b] *Cantorbery.* [c] *Kent.* [d] *le comte d'Aremberg.* [e] *Edouard Lord Wotton baron de Marley, Gouverneur de la province de Kent.* [f] *Henry Howard baron de Marnhill & comte de Northampton, guardien des Cinq Ports.* [g] *la Thamiſe.* [h] *Howard comte de Nottingham, Grand Amiral.* [i] *de Suffolk.* [k] *Southampton.* [l] *Graveſend.* [m] *Calais.* [n] *S. Omer en Artois.* [o] *Gand.* [p] *Arras.* [q] *Fontainebleau.*

NOT. [1] *dele* IV portuum praefectum.

NOT. [2] *lege* Northamptoniae comitem V portuum praefectum.

NOT. [3] Ce n'eſt pas le Centenier nommé dans les Actes des Apôtres Chap. x. mais un autre, qui n'eſt point nommé, dont il eſt parlé dans l'Evangile de S. Matthieu Chap. viii. *Put.*

[a] toral ei, cum lavaret manus, praebere voluerat, non paſſus eſt; eum tam familiariter exceptum dicens, non ut honorem cuiquam faceret, ſed ut acciperet. Injectaque a rege de cognatione Velaſcorum cum Navarrae regibus mentione, repoſuit Velaſcus, regum, quaſi Deorum, nullos eſſe propinquos aut affineis. Ea regis comitas non mediocriter hominem honoris ad vanitatem cupidum recreavit; idque ſummi pretii, atque adeo donativi ampliſſimi loco, ac prae iis quae in Anglia acceperat, ille in Hiſpaniam diſcedens reportavit. Conditiones pacis, quae in relatione Velaſci non leguntur, has praecipuas accepimus: Ut pax fida et perpetua, tam in terra quam in mari, inter reges ſanciretur; a bellis ceſſatio eſſet, et qui a XVIII Kal. Maias utrinque capti eſſent, libertati reſtituerentur. Nihil in alterutrius praejudicium ullo foedere cum aliis principibus fieret: nullo milite, commeatu, inſtrumento, apparatu bellico, aut denique conſilio hoſtes juventur. A foedere, ſi quod in alterutrius damnum ictum ſit, diſcedatur. Reges et Archiduces ab omni maleficio vicinis inferendo ſuos utrinque populos abſtineant. Quia vero de [b] Vliſſinga, Briela, Ramechena arce aliquandiu altercatum fuerat, quod illa oppida ut ditionis Auſtriacae reſtitui Archiduces peterent; rex, qui propter foedus ab Eliſabetha, cui in regno Angliae ſucceſſerat, cum Ordinibus Hollandiae ictum, liberum ſibi non eſſe ſentiret, ut alii quam ipſis quandocunque ea traditurus eſſet, reſtitueret, a petitione ſe excuſavit; et ſalva fide, quam religioſe erga omnes obſervandam decrevit, id facere ſe non poſſe oſtendit: ſed verbo regio promiſit, ſe omnia cum Ordinibus facturum, et ad id tempus competens illis aſſignabit, quo cum ſuis principibus fratribus chariſſimis pacificationis juſtas et aequas rationes ineant: ni faciant, ſua majeſtas a foedere cum Eliſabetha facto libera, quod juſtum et aequum exiſtimaverit, de illis oppidis ſtatuet; efficietque, ut Rex et Archiduces ſibi amicitiam illorum loco praecipuo eſſe intelligant: interim Scotis et Anglis praeſidiariis mandabit, ne quas Batavis ſuppetias ferant, aut pulvere, tormentis, globis, commeatu juvent; quidquam et contra fratres chariſſimos hoſtile moliantur. Item conventum, ut liberum in regnis utriuſque regis et Archiducum eſſet commercium, nulloque novo onere Angli et alii ſubditi gravarentur; naves alterutrius in alterutra ditione minime ſiſtantur; ſed ut in itu, ita in reditu, libere abire ſinantur. De navigiis armatis item cautum, ſi ad ea reficienda, et res ad navigationem neceſſarias comparandas portus amicos intrare cogantur, modo ſex vel octo navium numerum non excedant, neque diutius, quam illis ad refectionem, et alia neceſſaria paranda fuerit neceſſe, ne quoquomodo liberum nationum commercium impediatur. Si major numerus armatarum navium fuerit, non niſi conſulto principe, et cum ejus venia accedant. Subditi principum in territorio alteri alterorum aequabili jure cenſeantur. Angli, Scoti, Hiberni non accommodent nomina ſua Batavis aut Zelandis in Hiſpaniam navigantibus et negotiantibus. Angli, Hiberni, Scoti in Hiſpania negotiantes a vectigali [c] triceſimae ſint immunes; et tantum ad ſolutionem portoriorum, teloniorum, et vectigalium ante triceſimam impoſitorum teneantur. Merces in Hiſpania emptas, non alio quam ad ſua regna et Flandriae portus exportari rex Angliae patiatur, idque edicto caveat; cui ſi fraus fiat, merces fiſco addicantur, et triceſimae immunitate, qui fraudem fecerunt, in poſterum priventur: antiqui inter Burgundiae duces ac Belgii principes, et Angliae, Hiberniae, et Scotiae reges, toties repetiti tractatus, et bellorum ratione intermiſſi, privilegia item, conceſſiones, et gratiae, quae belli tempore ceſſabant, priſtinam vim ſuumque in poſterum ſortiantur effectum. Angli, Hiberni, Scoti, in Hiſpania negotiantes, modo nullam offenſionis occaſionem dederint, ex conſcientiae cauſa ne vexentur.

INTERPR. [a] *la ſerviette.* [b] *Fleſſingue, la Brille, & Rammekens.* [c] *l'impoſition de* 30 *pour cent.*

CIↃ IↃCIV. vexentur. Si quid inter principes diſſidii intervenerit, quod libertati commercii ſit
HENRICUS IV. impedimento, moneantur utrinque negotiatores, ut intra VI menſeis ſuas merces exportent; neque prius ſiſti, intercipi, aut damno perſonae vel res ipſae affici poſſint. Neutri naveis negotiatorum in portubus ſuis haerentes, belli praetextu detineant aut remorentur, niſi prius monito ipſorum principe et ipſo conſentiente. Si quid ab alterutra parte contra haec pacta fiat, non propterea ſolutum foedus intelligatur; ſtatim damnum datum juris via ſarciatur. Captivi in bello et remo mancipati, utrinque liberi dimittantur, exolutis expenſis, et pretio ab iis qui de eo convenerint, ſoluto. Actiones civiles, quae belli coepti tempore vigebant, lapſu temporis non obſtante repeti poſſint, excepto ſi quid interim in fiſcum ſit redactum. Controverſiae de rebus bello captis et manubiis in territorio ejus principis agitentur, contra cujus ſubditos actio dirigetur. Si Batavi et alii Ordines foederati de conditionibus cum Archiducibus agere voluerint, eorumve ſucceſſoribus, interventu regis Angliae et opera ut uti poſſint, Archiducibus erit gratiſſimum. Pacis capitibus utrinque comprehenſi principes amici ac foederati populi. Id actum Londini IX Kal. Sextil. calculo veteri, aut novo pridie Eidus Quintileis.

VI. TRICESIMAE anno ſuperiore, a Philippo et Alberto, Februario et Aprili impoſitae occaſione, rex, cum prius eandem mercibus ex Hiſpania et Belgio impoſitis Novembri inſequenti impoſuiſſet, cum videret aemulationum ſtudiis commercium ubique ceſſare, ut neceſſitatem utriſque tricesimae revocandae imponeret; poſtremo commercium Hiſpanis et archiducalibus in Belgio populis nobiſcum, et ſuis cum illis omne interdixerat, et Julio proximo multis additis enixe ſanxerat, quod negotiis magnam perturbationem afferebat: inde excitatae ubique [a] inſtitorum graves querimoniae: ſed Rex, qui tantam injuriam ferre probroſum arbitrabatur, et ſuis ac vicinis ſumme id detrimentoſum fore providebat, maluit ad tempus ſpretis rumoribus ſevera prohibitione uti, quam committere, ut ignava patientia infirmitatem fateri, et dum ſe ad praeſentia accommodat, homines audenteis ad novam olim inferendam injuriam praepoſtera diſſimulatione provocare videretur. Pontificius orator, qui metueret, ne hoc diſſidio pacificatio Vervinienſis turbaretur, omnia ſumma faciebat, ut Rex, dum de tricesima abolenda cum Philippicis ageretur, quod ſedulo ſe facturum promittebat, tantiſper de jure ſuo remitteret, et libertatem commercii interea reſtitueret. Nec deerant in aula, qui eadem veriti, regi auctores erant, ut prohibitionem temperaret. Verum ille a Ronio aliter perſuaſus, nullis rationibus adduci potuit, ut a propoſito diſcederet, aut quidquam dignitate et nomine Gallicano indignum faceret. Tandem re cum Velaſco, cum per Galliam ex Anglia rediens iter faceret, ad [b] Blaudi-fontem agitata, et inſtante pontificio legato, convenit, ut tricesima aboleretur, eodemque tempore, neque prius, publica commercii libertas reſtituta eſt. Perſcriptae poſt longam diſceptationem conditiones IV Eid. Oct. [c] Ronio, et Nicolao [d] Brularto Sillerio pro Rege, Baltazare [e] Zunica, et, qui Velaſcum in Angliam comitatus fuerat, Alexandro Rouida, pro Philippo et Alberto intervenientibus.

VII. OSTENDAE et [f] Sluſarum obſidionibus peractis, nihil fere bello geſtum in ceteris orbis partibus memoratur. Brunſvicae in Saxonia detecta conjuratio, quae apertae [g] principum cognominum invaſioni ſequenti anno praeluſit. Erat in urbe populoſa et opulenta Hennenius Brabantus, vir et doctrina non mediocri, et probitatis opinione, ac rerum uſu praefecturam urbis promeritus, qui contra ſenatum concitato populo proditionem meditabatur: et cum jam cunctas urbis claveis penes ſe haberet, etiam Sanmichaëliae portae habere voluit: cum conſules recuſarent, tumultu

INTERPR. [a] *des Marchands.* [b] *Fontainebleau.* [c] *le marquis de Roſny.* [d] *Brulart Sr. de Sillery.* [e] *de Zuniga.* [f] *l'Eſcluſe.* [g] *les ducs de Brunſwick.*

tumultu ob id excitato, et concurſu ad eam facto, deprehenſi IↃ equites, totidem pedites, qui in inſidiis latebant. Qua re verſus ſubito populi furor in odium, et ipſe ex ſuſpicione comprehenſus, et crimen faſſus perduellionis poenam ſubiit, digitis abſciſſis, et candente forcipe ſemel atque iterum concerptus, et poſtremo vivus in quatuor partes ſectus eſt: inteſtinis igne crematis, partes reliquae ad compita urbis affixa. Conſcii itidem capite luerunt. Henningus, qui in tumultu occiſus fuerat, et ſtatim terrae mandatus, conjuratione detecta, erutus, ac rotae ad ceterorum terrorem impoſitus fuit. Embdae et tumultuatum in Friſia Orientali, et Proteſtantibus perſuaſum fuit, quamvis, diſſidio ſuperioris anni compoſito, [a] Ennonem comitem non bona fide cum Embdenſibus in gratiam rediiſſe. Auxit ſuſpicionem, quod ſub id Joannes Ennonis fratris filiam, quanquam invito in ſpeciem fratre, in uxorem duxit, et [b] Ritbergenſem comitatum aliaſque ditiones penes ſe non ita contradicente fratre retinuit. Nuptiis legitime contrahendis acceſſit ſive auctoritas ſive diſpenſatio pontificis, Leonardi [c] Rubeni Abdingovihenſis Archimandritae opera, qui legem gratiae adjecit, ut majorum religionem et ejus cultores patrocinio ſuo Joannes adjuvaret. Id, graſſante quaſi per contagionem malo, Paterbornenſibus animos ad majora juſto audenda contra Theodoricum Furſtembergium epiſcopum fecit. Ii cum Hanſeaticis civitatibus ſocietate conjuncti ſunt; quarum favore ſubnixi non ſolum civilem, ſed etiam eccleſiaſticam juriſdictionem praeſuli controverſam reddiderunt, multaque intemperantius in dies faciebant; quae minime a ſuae religionis hominibus probabantur. Joannes, in hoc diſſidio conductis, Hungaricae militiae colore, copiis praeſuli praeſto fuit; vis ad urbem aſtu intercipiendam, conſciis in ea, qui praeſulis partibus addicti erant, facta, et admoto crepitaculo duae portae effractae; in tertia, quam conſcii ſe aperturos receperant, conatus haeſit, reliquis civibus contra tendentibus; tandemque res tranſactione finita, et dictae leges, ut praeſul admitteretur; de cetero nemini vis fieret, et, praeteritorum ſepulta memoria, privilegia antiqua ſervarentur inviolata. Sed dum aliae leges in gratiam praeſulis adduntur, in publicis aedibus recitatione facta, [d] Liborius Wichardus conſul ſchedulam quaſi laceraturus arripit. Non tulit id [e] Bertholdus Clevius, qui praeſulis partes tuebatur, ſed inflicta Conſuli alapa, eundem ſella conſulari deturbat, et catenis vinctum ibidem relinquit; quippe qui pacem impedire, et populum contra principem ſuum inflammare diceretur. Inde concurſu facto portae reſerantur, et Joannes acceptus magno conſciorum plauſu, forum, plateas, moenia praeſidio firmat, et arma civium comportari jubet, ac militem per hoſpitia diſtribuit. Majorum religioni addicti initio laetabantur, injurias, magiſtratu Sectariis favente, illatas dum ultum eunt; quos laſcivia militari creſcente ſtatim poenituit, amiſſam libertatem et odiis laxatum fraenum moerenteis. Continuo Wichardus conſul, ut erat catenis oneratus, producitur per aliquot horas plebis ludibrio expoſitus, et ſputis foedatus. Poſtremo quaeſtioni ſubjectus, combuſti vini faecibus per nareis infuſis, pro ſeminece humi relinquitur. Tandem perduellionis in patriam et principem peractus reus, negato ad reſpondendum triduo, juſſu praeſulis ad ſupplicium trahitur. Cum inde praeſulem in horto ad ſpectaculum ſtantem aſpiceret; Adeſdum, inquit,Theodorice epiſcope, et ſanguinem meum quem tantopere ſitiiſti, epota. Quibus dictis ſumma conſtantia in ſcamnum ſe reclinavit,et vivus in quatuor partes ſectus; caput et lacerati corporis partes ad ludibrium ante uxoris et liberorum aedeis traductae, et poſtea publicis locis affixae. Id ſumma celeritate actum, ut Mauritius Heſſorum princeps, ad quem Paterbornae patrocinium ſpectat, quique cum XXXII peditum ſignis, et CC equitibus, ad rei famam in viam ſe dederat, in tempore advenire non potuerit. Miles [f] Warburgi et in finibus collocatus. Cives a praeſule alieni

INTERPR. [a] *Enno.* [b] *de Ritberg.* [c] *Rubens Abbé d'Abdinchoff.* [d] *Liborius Wichart.* [e] *Bertholdus Cleves.* [f] *Warbourg.*

CIↃ IↃ CIV. HENRICUS IV. alieni ſevere, ut in victoria, habiti, ac plerique bonis mulctati. Urbis privilegia et juriſdictio ſuprema adempta. De [a]Argentinenſi epiſcopatu lis huc uſque fuerat inter Joannem Georgium Brandeburgicum ſeptemviri filium, et Carolum cardinalem Lotaringum, et ſacri collegii ſodaleis hinc majorum religioni hinc Auguſtanae confeſſioni addictos; quae pactionibus interventu noſtro ſuſpenſa potius, quam terminata erat; quae demum partes interponente ſuas Friderico Wirtembergico, qui et rem ſuam in eo negotio agebat, accepit finem, his fere conditionibus, ut Brandeburgicus toto epiſcopatu Lotaringo cardinali cederet, et ab eo viciſſim CXXX aureorum CIↃ acciperet: Wirtembergicus concordiae ſequeſter oppidum et praefecturam [b]Obernagenſem per XXX annos poſſideret, quo tempore pro Brandeburgico XXX aureorum CIↃ aeris alieni, ac ſingulis praeterea annis IX aureorum CIↃ dependeret. Poſt XXX annorum ſpatium, jus eſſet Lotaringo aut ejus ſucceſſoribus praefecturam illam, depenſis CCCC aureorum CIↃ, redimere. Id actum [c]Hagenoae pridie Eidus Novembreis. Nec multo poſt Hanſeaticae ſocietatis privilegiis apud principes renovandis adornata ſolemnis legatio [d]Lubecae, Gedani, Coloniae, Hamburgi, et Bremae civitatum nomine. Delegati cum ad Jacobum Magnae Britanniae regem primo veniſſent, ſubortis altercationibus, quia nullas a Caeſare literas attulerant, re infecta dimiſſi ſunt. Inde ad nos tranſierunt, benigne a rege ad [e]Blaudi-fontem auditi et perhonorifice accepti, unde ulterius pergentes in Hiſpaniam diſceſſerunt.

VIII. Hoc anno maxime memorabilis et rari exempli in Sueciae regno mutatio ſecuta, et edicto perpetuo a cunctis ordinibus ſancita eſt. Superioribus annis, atque adeo ab anno CIↃ IↃ XCIX graves inter Sigiſmundum Polonum hereditarium Sueciae regem, et Carolum patruum ob reipublicae adminiſtrationem, et potiſſimum ob religionis cauſam, altercationes interceſſerant; et ſemel atque iterum e Polonia, Polonorum viribus adjutus in Sueciam venerat Sigiſmundus, et inde cum damno et dedecore diſceſſerat. Inde exacerbatis odiis poſt ejus ultimum diſceſſum praecipui miniſtri capti, et ſevere admodum Ordinum tunc in regno pollentium decreto ad mortem damnati, quam non ſine Caroli invidia conſtantiſſime pertulerunt. Secundum haec poſt ultro citroque regis, Caroli, Ordinum, literas exprobratorias hinc inde miſſas, eorumdem Ordinum decreto regia dignitas Sigiſmundo abrogata; quod contra avi voluntatem, et in regni comitiis promulgatas leges, religionem in Suecia mutare, et libertates ac regni privilegia labefactare, munitiones novas exſtruere, conatus eſſet. A regiis inſignibus ſumendis, ſeu modeſtia ſeu diſſimulatione initio ſe excuſabat Carolus, qui tamen decreti de abrogatione auctor ferebatur, et Joannem Joannis filium et Sigiſmundi fratrem, et alterum nepotem pernicioſorum Sigiſmundi conſiliorum minime participem ad regiam dignitatem provehebat. Sane Jacobus Typotius, qui per motus illos in Suecia degebat, et poſtea in Caeſaris comitatu deceſſit, homo a Proteſtantium religione alienus, ſic de Carolo, quicum familiariſſime vixerat, in relatione ſcribit, ut eum ab omni invadendi alieni cupiditate maxime abhorruiſſe affirmet: verum dum efferveſcentis in ſe religionis immodico aeſtu rapitur, ambitionem, quae in eo tepebat, ſenſim accenſam, ac proprio periculo et neceſſitate coactum, tandem ad regium faſtigium praeter voluntatem ab Ordinibus regni evectum. Joannes honorem a Carolo delatum, et impar humeris onus, hoc rerum ſtatu a ſe deprecatus, ultroque ſe illud, ſeu decus ſive onus Carolo deferre, oratione coram Ordinibus publice habita teſtatus; de cetero ſe in ejus et regni Ordinum poteſtate fore declaravit, nec Sigiſmundi unquam conſiliis ſe participaturum jurejurando interpoſito religioſe promiſit. Quo facto ſenatores et Ordines regni Sueciae, comites ac reliqui proceres, epiſcopi, nobiles, eccleſiaſtici, copiarum

INTERPR. [a] *de Strasbourg.* [b] *bailliage d'Obernach.* [c] *Haguenau.* [d] *Lubeck, Dantzick, Cologne, Hamburg, & Breme.* [e] *Fontainebleau.*

copiarum militarium tribuni, civitates et univerſitates [a] Norcopiae, indictis comitiis XII Kal. April. regnum Carolo adjudicarunt, et unionem hereditariam jam a Guſtavo avo inſtitutam certis legibus ſanxerunt. Dies initio ad B. Bartholomaei feſtum dicta fuerat, quo Carolus regno inauguraretur: ſed Carolo ipſo annitente res amplius dilata: leges tunc in hereditaria unione dictae, ut ſi Carolum, antequam Guſtavus Adolfus filius aetatem adminiſtrationis regiae capacem, hoc eſt, XVIII annum attigerit, obire contingat, adminiſtratio penes Joannem et defuncti uxorem maneat, adjunctis ex ſenatorum numero, quos Carolus teſtamento nominaverit, tutoribus ac conſiliariis. Et quia probationibus conſtat, multos eſſe praeter eos, qui [b] Lincopiae ob perniciosas contra regem machinationes capite plexi ſunt; et eos, qui carcere adhuc attinentur, qui in hoc ſatagunt, ut regnum excluſa Guſtavi progenie ad electionem adducant, quo nihil calamitoſius excogitari poteſt; eos perduellionis reos declarant, decernuntque, ne filii in ſenatorium ordinem adoptentur. Tum citati exules, ut in regnum ſecuritate promiſſa redeant intra ſemeſtre: ni paruerint, contra eos tanquam perduelleis lege agatur. A decreto excepti, ni gratia ſpeciali a Carolo deſignato rege aliter ſtatuatur, uterque Georgius [c] Poſſe, qui ex regno profugerunt cum ſuis complicibus, Ericus, Axelius, Guſtavus comites, Joannes, Ericus, et [d] Axelius [e] Gyllenſternii. In bellum inſuper contra Sigiſmundum et Polonos qua alienigenarum, qua indigenarum, IX bellatorum CIƆ ſtipendio publico in continuos treis annos proximos, quod ab ineunte Maio procedet, alenda decernuntur. Item alia ad publicum regimen conſtituta, ut juxta Stockholmiae decretum, regni jura et ſtatuta recognoſcerentur; et quae emendatione indigerent, corrigerentur. Vecturae et a parochis hoſpitiorum onera praeberi ſolita, juxta recens Caroli mandatum, ad modum et aequitatem redigantur, ita ut nemo apud ruſticum aut ſacerdotem ſine legitima perſolutione diverſetur. Item cautum de moneta, ne pretium ejus arbitrio privatorum augeatur, neque imperialis talerus plus XXXVI Suecicis groſſis aeſtimetur. Item de argento non ſignato cudendae monetae ex mercibus tranſportandis apud telonium deponendo, antiqua conſtitutio renovata. Nullus praefectorum aut officialium inſciis dominis nova tributa regni ſubditis imperandi jus habeat; qui ſecus fecerit, pro perduelli habeatur. Praeter regni gubernatorem nemo jus habeat cauſas capitaleis, aliaque graviora crimina condonandi, ſupprimendi, componendi, aut ad ea connivendi; ſed ea ad judices ordinarios remittantur. Menſurae item, ſtaterae et bilances, ulnae denique ad modum legitimum redactae. Cum Guſtavi teſtamento ab Ordinibus regni confirmato conſtitutum ſit, ut in regiarum filiarum dotem C talerorum CIƆ a provincialibus pendantur, Carolus rogatur, ut habito ſenatorum concilio, pro qua parte quiſque teneatur, per conſtitutionem decidat. Opifices per regnum locis idoneis conſtituantur, qui talerum quotannis aerario inferant: nemo qui beneficiaria praedia a rege habet, ratione beneficii decimas, aut alias exactiones a provincialibus privata auctoritate extorqueat; qui ſecus fecerit, beneficio privetur. Eodem decreto decimarum ſevere exigendarum ratio praeſcripta; item ferri exportandi, quod ad vitandas fraudes, ne cuprum ac globi aliudve, ut lapides, admiſceatur, in perticas opere fabrili diduci jubetur. Beneficiorum a regibus acceptorum confirmatio a ſucceſſoribus petatur, neque ea interim a poſſeſſoribus oppignerare aut alienare liceat. Et ſi ſine maſculis heredibus decedant, ad aerarium aut ſuperiorem dominum redeant, ita tamen ut de dote idonea filiabus proſpiciatur; de mulctarum dimidia, quae aerario inferri debet, quoniam in ea re plerumque fraus fit, exhibitis judiciorum codicibus et rationum archivis, citra fraudem regi deinceps plene ſatisfiat. Rex extra regnum,

INTERPR. [a] *Norkoping.* [b] *Linkoping.* [c] *Poſſe.* [d] *Axel.* [e] *Gyllenſtiern.*

CIƆIƆCIV. HENRICUS IV.

regnum, ſi peregrinari neceſſitate urgente contingat, diutius quam ad Bartholomaei feſtum juxta Stockholmienſe ſtatutum abeſſe non queat. Decreto ſubſcripſere cum delegatis Carolus et Joannes. Eodem die revocatur in memoriam decretum anno CIƆ IƆ XLIV ab univerſis regni ordinibus [a] Aroſiae de ſublata regni electione, et regno hereditario in Guſtavi familia, quandiu ex ea maſculi haeredes ſupereſſent, deinceps conſtituendo, factum. Quod religioſe ab iis ſervatum eſt, niſi quatenus aut perverſa Erici adminiſtratione, et mala Joannis fratris in ejus locum ſuffecti, et Sigiſmundi filii de religione in regno mutanda ſuggeſtione, ab eo nonnihil diſceſſum fuit. Huic nunc inſiſtentes decernunt, ut regnum, quo ſe Sigiſmundus violata [b] Sudercopenſi conſtitutione indignum praebuerat, ad Carolum patruum et ejus legitimos heredes, hoc eſt, filios maſculos, ab iiſque prognatos, ordine ſucceſſionis devolutum intelligatur; quibus deficientibus, ad Joannis, qui in praeſens juri ſuo in Ordinum manus conſignata declaratione renunciavit, haeredes maſculos eodem ordine deferatur, ſemper excluſa Sigiſmundi Poloniae regis progenie; qui ſi rurſus deficiant, ſuperſtite aliqua filia ex Guſtavi progenie, ei regnum per hanc ſanctionem deferatur, quae ex Ordinum conſenſu et voluntate uni ex Sueciae proceribus, qui eandem confeſſionem in religione profiteatur, aut alicui ex Germaniae principibus, qui per foeminas genus a Guſtavo ducunt, nubat; ſi contra faciat, jure in regni ſucceſſione excidat: a qua rurſus Sigiſmundi filiae ſive neptes excluduntur. Cauſa abdicationis denuo repetita, quod a confeſſione Auguſtana ab avo Guſtavo in regno recepta, et ab Ordinibus probata tanquam orthodoxa, et Dei verbo ac propheticis ſcriptis conſentanea, deſciverit: proinde additum, ut omnes in regno ſucceſſores ad eam amplectendam ſacramento adigantur; et cum matrimonium contrahent, uxorem ab ea alienam in domum regiam non introducant. Inſuper cautum, ne quis ex hereditariis principibus, qui per hanc unionem ad regnum vocantur, aliud regnum aut ditiones longe poſitas acceptare poſſit; quod experimento compertum ſit, magnas inde ſive per principis abſentiam, ſive per alienigenarum praeſentiam, incommoditates, et rerum perturbationem in regnum importari. Poſtremo de fide et conſtanti obedientia hereditariis principibus praeſtanda adjectae ſanctiones, Joanni et ejus heredibus legitimis eodem decreto conſervata principatus a rege Guſtavo Magno duci olim aſſignati poſſeſſio, multis ditionibus poſtea ab Ordinibus aucta, et donationis titulo ab iiſdem attributa. In exegeſi hiſtorica ea de re, Stockholmiae undecim poſt annis publicata, inſerta eſt Joannis oratio, in comitiis tunc habita, qua Carolo patruo gratias pro innumeris ab eo acceptis beneficiis agit; inter quae numeratur, quod ejus cura, ſtudio et diligentia effectum ſit, ne in manus Jeſuitarum et Pontificiorum inciderit; ut inde appareat, religionis a Sigiſmundo et ejus conſiliariis mutandae metu, hanc tantam in regnum Sueciae incubuiſſe tempeſtatem. Demum Joannes porrecta in ſignum adprobationis manu Carolo patruo, et ordine patruelibus Guſtavo Adolfo, et Carolo Philippo ejus filiis, fidem et obſequium prolixe defert. Adſcriptum et tranſactione nova [c] Oſtrogothiae principatum ipſi a patruo attributum fuiſſe anno ſequenti; et quanquam ad Bartholomaei feſtum dies inaugurationi dicta eſſet, Carolus non niſi biennio poſt regnum inire voluit, cum Joannes tum XIX annum attigerat, et renunciationi a ſe factae ſtare ſe amplius per aetatem declarare poterat.

IX. NEC interim in Pannonia et Dacia ceſſabatur, ubi non minore animorum itidem ob religionis cauſam aeſtu res turbabant. Georgius Baſta, quaſi omni cura alia ſolutus, ab externo bello ad domeſtica mala curanda, ita juſſus, animum appulerat, et ſumma ſeveritate, atque, ut prudentiores judicabant, tunc intempeſtive contra Proteſtanteis utebatur, interdicto omni alterius quam Catholicae religionis exercitio. Et jam Tranſilvaniae fere totius potens nobilitatem ob id bonorum amiſſione

INTERPR. [a] *Aroſen.* [b] *de Suderkoping.* [c] *Oſtrogothie.*

amiſſione mulctaverat, cui tamen in comitiis proximis vitae gratia facta, additumque ut praeſenti pecunia quadrantem bonorum poſſent redimere, ut haberent unde decimas in poſterum perſolverent. [a] Stephanopolitis xxc, [b] Claudiopolitis xx aureorum CIƆ imperata. [c] Peſta ſub id amiſſa pudendo et miſerabili caſu. Agitabantur induciae, dum ad Portam incertum eſſet, Turci cum Perſis pacem an bellum haberent; nam Perſae novi principis atque adeo pueri adventu late ultra fineis ſuos excurrerant, et poſt Tauriſium receptum uſque ad Euphratem progreſſi [d] Bagdatum ipſum occupaverant. Nihilominus expectabatur in dies primarius purpuratus, qui cum Praetorianorum x CIƆ, et cum ingenti exercitu in Pannoniam deſcendere dicebatur; et [e] Byzantio allatum fuerat, ei in mandatis datum, ut ante omnia Peſtam caperet, et Budam ab ea parte liberaret. Itaque quanquam praeſidiarii Budenſes nihil hoſtile contra Peſtenſeis per inducias ſe molituros ſaepius recepiſſent, [f] Jagenreterus ex nobilitate provinciali, qui loco praeerat, Tatarorum jam illac ſuo more excurrentium adventu territus, quos ſequentis majoris exercitus praecurſores rebatur, conſilium ex ſubito pavore capit; et antequam indagine cingeretur, de loco mature deſerendo cogitat, monitiſque ſingulis ducibus, et periculo propoſito, cum v militum ſignis, et vi equitum turmis, praeterea ccc impletis farina vaſis, Peſta egreditur III Non. Sept. relictis in oppido tormentis cum apparatu bellico; tantum aedificiis aliquot incendio vaſtatis. Vix milliare progreſſus, IƆ Heiducos obvios habuit, quos [g] Althemius Strigonii praefectus cum navigiis avena et neceſſario commeatu onuſtis, ſubſidio mittebat; qui cognito Peſtam deſertam, ne ſe manifeſto periculo exponerent, mature de reditu cogitantes, ſe cum Peſtenſibus praeſidiariis conjunxerunt, navigiis, quae dixi, relictis, quae Turci poſtea cum optimae avenae cc ſaccis poteſtatis ſuae fecere. Diſceſſu noſtrorum animadverſo, Budenſes ad incendium reſtinguendum confeſtim accurrere. Jagenreterus, qui interim Strigonium venerat, ſevere ab Althemio, quod Peſtam deſeruiſſet, increpitus, inditis vinculis in carcerem conjicitur. Budenſis purpuratus, durante de induciis colloquio, ne quid contra fidem datam feciſſe videretur, factum apud Althemium excuſavit, quod loco deſerto tam vicino, metu ne ab aliis occuparetur, aut omnino neglectum conflagraret, non potuiſſe praeſidium non imponere, quo et loci ſecuritati proſpiceretur, et incendium eadem opera arceretur. Nihil obſtare interea, quin de captivorum utrinque permutatione conveniri poſſit, et pendente induciarum tempore cuncta pacate inter vicinos tranſigantur. Inde infeſtae ut in hoſtico crebrae excurſiones. [h] Pallantius [i] Wariae praefectus cum c delectis equitibus, veniente primario purpurato ut de hoſtibus cognoſceret, profectus, in itinere caeſis ſuis, ipſe in miſeram captivitatem abductus eſt. Felicior [k] Scrinenſis comitis conatus fuit, qui juxta [l] Sigethum cum in Turcos numero ſuperiores incidiſſet, poſt obſtinatum certamen eos ad internecionem profligavit. Purpuratus interea ad Strigonium caſtra poſuit XIII Kal. Oct. urbem expugnare certus. A velitatione cum Huſſaris factum initium. Dein munitiones ex adverſo montis S. Thomae in tumulo a Turcis excitatae, contra quas Georgius Baſta propugnaculum capiendis tormentis idoneum juxta Strigonium erexit, claſſe inter inſulam et [m] Ratziorum oppidum ad prohibendos hoſtium impetus inſtructa. Tum luſtratione a [n] Sulſenſi comite facta, numerato inſuper ad aliquot menſeis ſtipendio militi alacritas addita. Dein VIII Kal. Oct. vis ad caſtellum facta, unde cum damno repulſi Turci, et cruentum admodum exortum certamen, Caſimiro Hohenloenſi comite ſtrenue rem gerente, et in eo cum c ex noſtris deſiderato. Ex hoſtibus ad IƆ ceciderunt. Corpus cum in poteſtate Turcorum remanſiſſet, mire mutilatum, et

auribus

INTERPR. [a] *Cronſtadt.* [b] *Clauſenburg.* [c] *Peſt.* [d] *Bagdad.* [e] *Conſtantinople.* [f] *Jaghenruyter.* [g] *Altheim, gouverneur de Gran.* [h] *Pallant.* [i] *Wari.* [k] *le comte de Zrin* ou *Serin.* [l] *Zighet.* [m] *Ratzenſtadt.* [n] *de Sultz.*

auribus capite abſciſſo truncatis, quod inter eos ſolemne, miſere foedatum fuit. Tandem pro Turco praecipuae dignitatis capto cum capite redditum fuit, et miſſo ad Fridericum fratrem, qui factum excuſaret; etiam petitum, ut propterea induciarum negotium non omnino abruptum intelligeretur. Poſtridie qui Hatvanam tenebant, anno ſuperiore potius caſu quam vi captam, vicino tam potenti hoſte praeſidiarii deſeruere, tormentis ſecum abductis, et commeatu igne conſumpto.

X. SUB id in proxima Dacia Bethlehem Gabor, cui ſpes a Turcis facta fuerat de Tranſilvaniae principatu in ipſum transferendo, cum IV bellatorum CIↃ ad [a]Temeſum fluvium conſederat, ſecurus, et nihil hoſtile metuens: quem [b]Dampetrae comes, ope Heiducorum ſumma vi ex improviſo aggreſſus, cum auxiliaribus ſuis in proximum fluvium, cum aliter non poſſet, ſe mittere coëgit, natatu vitam ſervaturum: multi deſiderati. Quod ubi Temeſwarienſis purpuratus reſcivit, pejora veritus vicarium cum recenti milite Bethlehemo ſummittit, qui in itinere ab Heiducis circumventus, dum ſe recipit, in [c]Temeſwariae conſpectu trucidatus fuit. Inde Dampetra victor [d]Juliam uſque progreditur; et dum praedas agit, fugientibus immiſtus, paulum abfuit, oppidum ingreſſus eſt. Re bene geſta tandem exeunte Septembri Lippam reverſus eſt, miſſis ad Baſtam X vexillis.

XI. INDUCIARUM negotium interea ad Strigonium urgebat purpuratus, et ad Ratziorum oppidum ab eo invitati delegati convenerant, Althemius ipſe urbis praefectus, Ferdinandus [e]Colonitius, Fridericus [f]Hohenloenſis, [g]Rheni comes, nullo ſucceſſu, quippe Turcis ante omnia [h]Strigonium dedi petentibus. Sub id Coſaci, qui Turcis militabant, transfugere ad nos certi, re detecta male mulctati ſunt. Pedites fere crudeliter trucidati, equites vi facta excubias Turcicas perruperunt, et pars Comaram, pars Totim incolumes pervenerunt; quidam et natatu in tutum evaſerunt, perhumane a Colonitio excepti, quos et CC equites triduo poſt ſecuti ſunt. Ab his cognitum praetorianos in caſtris tumultuari, quod de ſucceſſu deſperarent, et facta coitione Serdarem purpuratum conveniſſe, poſt unam et alteram oppugnationem ab obſidione ſe diſceſſuros interminantes. Terrebat ſuperſtitioni addictos iris ſanguinea in coelo viſa, quae primum ſupra Strigonium, deinde ad S. Thomae montem cum apparuiſſet, paulatim evanuerat; et Baſta inſtructis copiis quaſi proelio certaturus hoſtem laceſſebat. Parte alia Heiduci, qui magno numero Althemio militabant, ſeu laboribus fracti, ſive perfidia in excubiis obeundis ſegniter ſe gerebant, ad paucos ſenſim redacta multitudine: ſemel atque iterum vis a Turcis ad caſtellum facta, et toties a noſtris fortiter repulſi: induciarum negotio interea ſemper vigente, et in inſula ſubjecta delegati utrinque convenere. Pro Strigonio, quod in poteſtate habere Turci volebant, Agriam offerebant; aut ſi permutatio non placeret, Pallancam, [i]Villekam, et Setſchium tradi petebant. Cum neque hoc noſtris placeret, re infecta diſceſſum eſt. Dein VI Eid. Oct. redintegrata verberatio, et vis acriter facta, ſed irrito conatu. Itaque deductis tormentis triduo poſt ſoluta obſidio, praetorianis purpuratum ad id adigentibus. Baſta recedenteis inſecutus quoſdam in extremo agmine carpſit. Inde adveniente in caſtra Tatarici Chami filio, excurſiones crebrae circa Pallankam, Villekam, et Setſchium, a Turcis factae; in quos invectus Sigefridus Colonitius cum Pannonico equitatu, eos retrocedere coëgit. CCC amplius in miſeram captivitatem ab iis abducti: nec negotium induciarum non repetitum, Serdaris purpurati literis ad Althemium ſub id allatis; quibus fidem faciebat voluntatis Sultani pacata omnia per Pannoniam cupientis. Haec ita inter depraedationes nuſquam intermiſſas, et excurſiones agebantur.

XII. Jo.

INTERPR. [a] *Temes r.* [b] *le comte de Dampierre, appellé Du Val, François.* [c] *Temeſwar.* [d] *Weiſſenburg.* [e] *Colonich.* [f] *le comte de Hohenlo.* [g] *le Rhingrave.* [h] *Gran.* [i] *Fillek & Zetski.*

XII. Jo. Jacobus [a] Barbianus Belli-joci comes, Baſtae inſtigatu, inter haec Caſſoviae ſumma ſeveritate graſſabatur, Proteſtantibus itidem interdicto concionum publicarum uſu, et concionatoribus noviſſima interminatus, niſi ab iis abſtinerent; etiam machinis bellicis ad templa, ubi conveniebant, admotis: et cum Georgius Saba civis in urbe locuples non pareret, x talerorum CIↃ ſeveriſſime exactis mulctatus eſt, et tres e nobilitate ſeditionis excitatae poſtulati intra ſemidiruti coenobii rudera incluſi, fame enecti dicuntur. Ea re cum magnum in ſe odium concitaſſet Belli-jocenſis; poſtremo et Stephano Boſtkaio viro inter Hungaros primario, et arcta cum Sigiſmundo Bathorio cognatione conjuncto, grandem pecuniam imperaverat; quam cum ille exſolvere detrectaret, alia atque alia excuſationis loco cauſatus, vim imperio adjicit, et recuſantis tria in proximo caſtella ad praedam militi concedit: quod hominem generoſum, et tamen moderatione potius quam diſſimulatione huc uſque uſum ad arma defenſioni capienda incitavit; qui injuriam tantam minime ferendam ratus, ſalva fide eam ulciſci ſibi licere arbitrabatur: ſic enim dicere ſolebat, Andrea II Hungariae rege, in comitiis anno Sal. CIↃ CCXXII cautum et ſancitum eſſe, Si quis regibus contra jura regia et privilegia ac libertates aliquid tentantibus reſiſteret, id ipſi fraudi et infamiae non eſſet. Itaque Heiducorum, qui ad omnes motus ſemper praeſto ſunt, VI CIↃ manu coacta, in Caeſarianorum bona invadit, eaque in praedam, Belli-jocenſis exemplo, militi ſuo concedit. At ille Caſſoviae rebus ex voto conſtitutis, et urbis, ut ſibi perſuadebat, potens, relictis in ea uxore ac liberis, contra Boſtkaium copias educit, qui jam juſtum exercitum ſub ſignis habebat, et [b] Waradinum Majus venit, aſſumptis ſecum [c] Rotkovitſio, et Petro [d] Laſla; et [e] Petſio monito ut ſe, cum ſuis, ſequeretur. Inde [f] Adoriam venit caſtrametatus. Ex [g] Romoſa evocata VI peditum ſigna. Aderat et ex [h] Quadis ſelectus equitatus, et [i] Dampetrae comes cum ſuis Heiducis, qui in occulto ob religionis cauſam Boſtkaio favebant, qui, ubi ad manus ventum, ad eum transfugere. Pugna haec admodum cruenta fuiſſe memoratur, animoſe concurrente utrinque milite. Tandem victoria penes Boſtkaium fuit: [k] Pallas Lippaius et Petſius graviter vulnerati, in manus ejus venerunt, perhumane ab eo accepti; Belli-jocenſis comes ad Waradinum receptum habuit. Boſtkaius literis ad Serdarem purpuratum datis VI CIↃ hoſtium caeſa hoc proelio ſcripſit, et capta vexilla aliquot miſit. Minorem numerum atque adeo exiguum Caeſariani edunt, tormenta amiſſa: Boſtkaius tanquam victor loco non ſe movit, ſed in eo pernoctavit; Lippaium etiam ex vulneribus curatum militiae ſuae ſummum vicarium conſtituit, quem mox ſuſpectum habuit, et eadem levitate qua eum in intimos aſciverat, de medio ſuſtulit: ſed Lippaius pro tempore res Boſtkaii, ut in novo principatu confuſas, ordinare viſus eſt, religionis cauſam ut ſpecioſiorem apud Heiducos, et nobilitatem fere obnoxiam urgens, et edicti proponendi Boſtkaio auctor fuit, ut qui religionem ſalvam vellent, nomen ſuum apud ſe profiterentur, et militi in menſtruum ſtipendium V Joachimicos aſſignavit. Cum ad eum nobilitas ſacramentum dictura conflueret, ad invidiam leniendam temperamentum adjecit, ut nec contra Caeſarem arma ſumi, nec ad Turcorum libidinem, nimis ſe morigeros praebere [α] oſtenderent. Interea Caſſoviae cives cognito Boſtkaii ſucceſſu occaſionem captantes arma ſubito capiunt, et, ejectis qui ad ſuas partes tranſire nollent, urbem in poteſtatem redigunt. Nec Baſta Belli-jocenſis periculum neglexit, ſed ſubito copias, quas penes ſe habebat, Caſſoviae quaſi eam obſeſſurus admovet, prius ſolicitata per Rotviſium

VAR. LECT. [α] oſtenderent: nam illi ad prohibendam violentiam reſiſti, cum eo ad firmandas res ſuas foedus iniri, quod permiſſa ſemel conſcientiis libertate protinus evaneſcet, niſi quatenus ad pacem in Dacia habendam neceſſarium judicabitur. Interea Caſſoviae *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Barbiani comte de Belgioioſo.* [b] *le grand Waradin.* [c] *Rotkovitz.* [d] *Laſla.* [e] *Pezzen.* [f] *Ador.* [g] *Romos.* [h] *Sileſie.* [i] *Dampierre.* [k] *Pallas Lippay.*

CIƆ IƆ CIV.
Henricus IV.

[a]Rotviſium tribunum ad deditionem [b]Zatwaria arce, quam haud procul a Sendrâ Heiduci tenebant, qui ludibrio reſponderunt, deditionem ſe facere paratos, ſi ante Caſſoviam, unde Belli-jocenſis dejectus fuerat, vi cepiſſet. Itaque propius caſtra ad Caſſoviam metatus eſt. Quo cognito Boſtkaius, cum in eo eſſet ut Belli-jocenſem expugnaret, [1]omiſſa obſidione, urbi metuens exercitum eo traduxit; quod ut periculo Belli-jocenſem exemit, ita Baſtam a recipiendae urbis ſpe deturbavit, qui defectu ſtipendii militem parum dictis audientem cum haberet, advenientibus Heiducis, Nonis Decembribus vaſa conclamari jubet. Baſtae diſceſſu ſubito ſe Heiduci longe lateque effundunt, et [c]Dragelam, Palancam, Nagibanam, [d]Copenum, Sacmariam, Dubinium, aliaque loca occupant; et cum Caeſarianis confligunt, nunc accepta aliquando et repenſa clade; nec ulla re memorabili praeterea geſta. [e]Boſtkaius, qui ſe tanquam rebellem Pragae publico programmate a Caeſare proſcriptum ſciret, eo continuo legatos mittit, qui factum neceſſitate extrema excuſarent, Nihil in rebus humanis religione et libertate pretioſius eſſe, utrumque indignis modis labefactatum, ſacra violata, nobileis ignobilium loco habitos, bonis omnibus exutos, et crudeliſſime locis pleriſque occiſos: conjuges ac virgines in maritorum et parentum conſpectu ſtupratas, nullumque immanitatis genus praetermiſſum; ſed ea perpetrata, quae ſalvo pudore enarrari non queunt. Id tamen cum belli ducum potius culpa, quam Caeſaris voluntate fieri, perſuaſum haberet, miſiſſe antea Pragam, et ad Imperii comitia legatos, qui per viſcera miſericordiae levamen malis peterent: pro quo exacerbationem potius quam remedium malis adhiberi cernentes, quod reliquum erat ſanguinis, patriae impendendum, et vim vi repellendam dignum et aequum judicaſſe; ac proinde enixe ſuam majeſtatem et illuſtriſſimos ſenatores rogare, ut vicem ſuam doleant, propter ſummam antiquiſſimamque regni Bohemici cum Hungaria nunc afflictiſſima neceſſitudinem, et ſanctiſſima utriuſque regni foedera, quae minime violata, ſed innovata cupiant; deſideratiſſimae hujuſce innovationis cauſas, quandocunque ſuae majeſtati eas audire vacaverit, reddere parati. Se minime a pace alienos, ſed rationes aequas illius quaerere, et in hoc conſilium auxiliumque ſuae majeſtatis et hujus regni unice implorare. Orationi ſubjunctae erant rationes, cur arma ſumpſiſſent, brevi commentario comprehenſae: verum ad annum ſequentem pertinent. Ab eo tempore Boſtkaius comitis [f]Kiſmarienſis, et ſuperioris Hungariae dynaſtae, et Ciculorum comitis, titulos ſibi ſumpſit, et monetam auream et argenteam cum his nominibus percuſſit; meruitque ſeu gratia ſeu virtutis opinione, ut aurea corona, quae Vladiſlai regis olim fuerat, et hactenus poſt Budam captam in Turcorum poteſtate manſerat, a Sultano donaretur.

XIII. In Stiria et ob eandem cauſam magni motus excitati, cum Ferdinandus archidux Proteſtantium doctrinae addictos, per ſuas ditiones, gravibus poenis additis, profligaret; iique motus contagioſa vicinia [g]Marcomannos et Quados invaſerunt. Biduo poſt ſolutam Caſſoviae obſidionem Baſta, cognito Heiducos, qui ad [h]Sepuſienſis arcis obſidionem haerebant, adverſa tempeſtate fractos advenire, munitionibus circa Zatwarium firmatis caſtra munit, proelio, ſi ſe occaſio offerret, cum hoſte certaturus. Ex adverſo hinc Boſtkaius, hinc Lippaius juxta Caſſoviam ſtativa habebant, in omnem eventum parati; inde Hohenloenſis comes et [i]Covitzius tribunus [k]Epperiam miſſi, qui oppidum ad Caeſaris obſequium adducerent; jam receptis praeter exſpectationem [l]Leutza, Zobena, et Neoutorfia, quae vaſtationum pertaeſae cum Baſta libertatem conſcientiis pactae tranſegerant; de qua Hohenloenſis et Covitzius fidem interpoſuerant, et ita Epperienſeis in fidem accepere. Sub id et Sigefridus [m]Colonitius periculoſo admodum itinere ad Baſtam venit, et exemplo ſuo ceteros confirmaturus,

INTERPR. [a] *le colonel Rotwitz.* [b] *Zatwar.* [c] *Dregel.* [d] *Copen, Sacmar, & Dubin.* [e] *Boſtkay.* [f] *le comte de Kiſmarie & Zekel,* Meteren met *le comte de Zickeren.* [g] *Moravie & Sileſie.* [h] *Sepſy.* [i] *le colonel Cowitz.* [k] *Eperies.* [l] *Leutſch, Zobena, & Neudorff.* [m] *Colonich.*

NOT. [1] omiſſa obſidione Waradini, urbi Caſſoviae metuens

confirmaturus, ad Boſtkaium ſcripſerat, et ad fidem Caeſari ſervandam hortatus fuerat. Cum interim in caſtris Caeſarianorum, accedente ad hyemis aſperitatem omnium rerum penuria, ſummis anguſtiis conflictaretur, XXX carri panno onuſti cum pecunia Vienna tranſmiſſi ſunt, ducibus Solmenſi comite, Starembergico praefecto, aliis; quibus a [a] Tanhuſano adjuncti CIƆ IƆ Huſſari, qui Heiducis excurrentibus ſe opponerent; cumque in ſilvam altero a [b] Villeka milliari diſſitam veniſſent, ne hoſtis deeſſet, ipſi hoſtili animo duces invadunt, et Solmenſem equo deturbant, ceteros in fugam conjiciunt, et in Boſtkaii caſtra concedunt, fruſtra inſequente eos Tanhuſano, et fidem datam repoſcente. Huſſari ſumma gratulatione a Boſtkaio accepti, et pecunia inter ipſos ac militem diſtributa ſummam alacritatem ubique excitavit. Id prudenter a Baſta celatum, ne ſui jam tumultuantes in apertam ſeditionem erumperent, et miſſi [c] Leutſam propere, qui pannum ad militem ſeminudum veſtiendum, et pecuniam collybo curarent, et idonee de ſolutione creditoribus caverent; inde Caeſariani vicina Epperiae loca recipiunt. Heiduci contra [d] Sendam arcem aliquoties rejecti ad extremum vi expugnant, et obvios praeſidiarios trucidant. Hinc progreſſi Villekam oppidum vi captum incendio vaſtant, Germanis in eo repertis ad unum occiſis. Tum caſtella circumpoſita [e] Bolwarienſe, Carcienſe, Setſchinenſe, Jarmetanum, Dregelenſe, Hollocenſe, Buracenſe, et Blawenſteinium, necnon et munitiſſimam arcem [f] Cabrageciam, in quam Hatvanae praeſidiarii cum locum deſererent, machinas bellicas comportaverant, vi ceperunt. [g] Kerpenſis arcis potior conditio fuit, cujus praeſidiarii nihil vicinorum caſu territi animos obfirmarunt, et hoſtem pulſum ab obſidione recedere ſubegerunt; qui arcem [h] Situenſem, ne nihil agerent, in poteſtatem redigunt. Inde diviſis copiis, Franciſcus [i] Radaius et Carolus [k] Iſtuanius, praecipui Heiducorum duces ad civitates fodinarias profecti [l] Newenſolae ante alias deditionem imperant, et ut certam pecuniae ſummam cum quatuor civibus obſidibus futuris Setſchinum mittant; ni facerent, extrema interminantur. Sigefridus Colonitius in itinere erat, ut Newenſolenſibus ſuccurreret, quem aditibus inſeſſis Heiduci occupant, et retro in arcem [m] Labentſiam patrimonialem cum uxore puerpera compellunt. Cum vix ille Pannoniis ſuis et Coſacis, quos penes ſe habebat, ſatis fideret, propere Viennam mittit, et Germanos auxiliareis ſibi ſummitti petiit. Extremus annus in clade Caeſarianorum deſiit. Heiduci in ſtationem Caroli Colonitii, in qua [n] Copelus et Pettingerus Auſtriaci erant, noctu facto impetu, magnam ſtragem ediderunt, Copelo cum ſuis interfecto, et Pettingero flammis injectis cum ſuis ibidem exanimato; Carolus vix ſe periculo virtute ſua expediit, qui, equo ad glandis plumbeae ictum ſuccumbente, alterum propere conſcendens, et ex ſuarum rerum deſperatione animos ſumens in obvios movet, et quatuordecim propria manu occiſis, tantum terrorem ceteris injecit, ut ſe protinus recipientes in proximam ſilvam conjecerint.

XIV. PER hos autem motus horrenda fames praecipue in Tranſilvania ſaeviit, ut omnibus conſumptis, quae vix edi natura patitur, poſtremo ad humana corpora deventum ſit; et omni pietate exuta matres filios, filii matres abſumpſiſſe dicuntur: etiam ſuſpendioſos e patibulis detrahere, et iis pro cibo uti, miſeris tolerabile videbatur. Sterilis hic pleriſque locis annus, cum famem in Sicilia ipſa minaretur, unde Roma ali, et Italiae multae urbes conſueverunt. Proceres regni apud proregem inſtabant, ut frumenti exportationi modum praefiniret, quod fore providerent, ut magna ejus eſſet propediem in inſula ſive caritas ſive penuria. Pro iis cum [o] Majorismontis comes verba faceret, et obliquo ſermone avaritiam praefectorum ſugillare videretur,

INTERPR. [a] *Tanhuſen.* [b] *Filleck.* [c] *Leutſch.* [d] *Sender.* [e] *Bolwar, Carcie, Setzchin, Jarmer, Dregel, Holloc, Burak, & Blobenſtein.* [f] *Cabrigiek.* [g] *Kerpen.* [h] *Sitwen.* [i] *Raday.* [k] *Iſthuan.* [l] *Newſol.* [m] *Labentz.* [n] *Koppel & Pettinger.* [o] *Monte maggiore.*

CIƆ IƆ CIV. HENRICUS IV.

videretur, incanduit prorex, et verbis contumelioſis acceptum comitem, quaſi arrogantius ſecum loquentem, per ſatellites in conſpectu confodiendum mandavit. Magna et penuria annonae in [a] Gallia Narbonenſi fuit. Itaque et Guiſio Provinciae praeſide et [b] Ventadurio in proxima Septimania regio vicario inſtantibus, frumentum ſecundo [c] Rhodano ex [d] Aeduis ac reliquis regni provinciis, permiſſu regis ſubvectum, quantumvis repugnantibus regni curiis; quae dum metuunt, ne vicinis ſubveniendi colore praefecti gratia regis abuterentur, et annonam ad exteros exportarent, intercesſerunt, prohibita in Septimaniam ſubvectione. Hos motus et calamitates portendiſſe novum in coelo phaenomenon multis perſuaſum fuit: v Non. Oct. primo viſum, pro veſperugine, atque adeo pro Veneris ſtella initio acceptum, quod licet magnitudine et fulgore ceteras ſtellas ſuperaret, nullam caudam, quod in cometis ſolet contingere, a tergo traheret. Sed poſtea obſervatione compertum, inuſitati fulgoris cometem eſſe, aliam a ſtella Veneris, his ferme rationibus; quod in conjunctione Jovis et Martis, quae vi Kal. Oct. contigit, hoc phaenomenon accenſum fuerit, ſed propter nebulas et coelum obſcurum citius v Non. non apparuerit: tunc vero ſtella Veneris non in Sagittario, ſed in Librae principio fuerit conſtituta, et matutino ſaltem tempore, non veſpertino, ſimul cum comete conſpici potuerit. Et vero circa x et xi Januarii proximi diem, hora circiter ſeptima matutina, cometes hic juxta Veneris ſtellam, intermedia inter ortum et meridiem plaga, clare a multis videri et diſcerni potuit. Cum autem apparere coepit ineunte Octobri, ſub veſperam paulo poſt horam vi, in xvii Arcitenentis gradu conſtitutus erat, uno gradu et xxx ſcrupulis ab ecliptica remotus, cum Jupiter decimum nonum, Saturnus undecimum, Mars ſecundum et viceſimum ejuſdem ſigni gradum teneret. Nec immotus eodem loco ſtetit, ſed in dies progrediens Kalendis Novembribus ſeptimum et viceſimum aſſecutus eſt, ubi cum ad iv Eid. uſque conſtitiſſet, a peritis exiſtimatum eſt, eum non ultro progreſſurum, ſed retro curſum ſuum per eclipticam verſus dextram Ophiuchi ſive Serpentarii, et inde per medium Cycnum ad Caſſiopeiae ſidus directurum eſſe, quo loci anno praeteriti ſaeculi CIƆ IƆ LXXII huic non diſſimilem ſplendore et magnitudine viſum cometem multi etiamnum hodie meminerunt. De hoc varia paſſim agitata judicia, accedentibus ad phaenomenon, quod toto quadrimeſtri fulſit, hinc a xxviii Novembris, Saturni, a xxix Solis, a xiii Decembris Mercurii conjunctionibus; inde Mercurii, Martis, Solis Maio proximo oppoſitionibus, quae magnas deliberationes, magnatum foederationes, varias mutationes, illuſtrium mortes per Franciam, Belgium, Hiſpaniam, et Angliam, portendere credebantur. Oppoſitionem autem Veneris vi Eid. Junias futuram, ut ominoſam accipiebant, bellaque et calamitates diverſas multis populis hunc cometem allaturum rebantur, quarum non minima pars Germaniae ob religionis negotium eſſet incubitura; ſicut in illo anno CIƆ IƆ LXXII accidit. Inſignem ea de re ac doctiſſimum fecit commentarium Joannes Keplerus, qui minimum ſuperſtitioni aſtrologicae tribuit; in quo et de Trigono igneo, et periodis octingentorum annorum, quae ſeptem a conditu mundi praeterierunt, et nunc octava ab anno ſuperiore exeunte inire coepit, concurrente jam tum Jove cum Saturno in octavo gradu Serpentarii, et ſerius Septembri proxime ſequenti, ſive Octobri ineunte cum Marte, diſſerit: tum de nova ſtella, quae pridem in Cycni pectore apparuit, et ex occaſione de vero natalis Chriſti anno diſputationem inſtituit, ac tandem concludit epochae ſive aerae, quâ hodie per Europam Chriſtiani utuntur, deeſſe quatuor annos aut fortaſſe quinque, ut qui hoc anno numeratur CIƆ IƆ CIV, juxta ipſius putandi rationem CIƆ IƆ CVIII, aut CIƆ IƆ CIX numerari debeat. Quae indicare

INTERPR. [a] *Provence & Languedoc.* [b] *le duc de Ventadour lieutenant de roy en Languedoc.* [c] *le Rhoſne.* [d] *Bourgogne.*

dicare nunc contenti, quoniam ad alia properamus; plura ſcire cupienti amplius examinanda relinquimus. CIↃ IↃCIV.



XV. SOLEMNI more infeſtandorum Turcorum, aut potius exercendorum equitum, qui Chriſtianae militiae nomen dederunt, Ferdinandus magnus Etruriae dux triremeis inſtruxerat, quae [a] Liburni ſtationem habent, ubi multus convenarum Judaeorum numerus; fama ſparſa quaſi [b] Euboea peteretur, re vera ut triremeis, quae ad [c] Caeſaream Juliam in oppoſita [d] Africae ora hyemaverant, fere neglectas, quod Angli inſtitoris indicio cognoverat, necopinato aggreſſus incendio deleret. Qua re terrorem hoſti injici, et robur ejus non mediocriter infringi, et mare a piraticis excurſionibus ſecurum praeſtari poſſe ſperabat. Sed re ab hoſpitibus Judaeis ſumma perfidia detecta, conatus majorem partem irritus, aliquot exuſtis navigiis, reliqua claſſe ſalva.

XVI. ROMAE in collegium cardinalium majore numero quam antea, una vice, cooptati XVIII dignitate praeſtantes viri, et in iis [e] Seraphinus Olivarius literis et morum candore cum paucis comparandus, Franciſci [f] Olivarii, qui ſummam togae dignitatem magna cum laude apud nos tenuit, naturalis filius, quod hactenus ignoratum fuit; tantum conſtabat eum [g] Lugduni in Gallia natum, et poſtea [h] Bononiae educatum, matre quippe domo Bononienſi; ita ut cum hybrida inter Italos cenſeretur, cooptationi ſuae gratiam tam Italiae quam Galliae deberet. Certe pontifex hoc regis Chriſtianiſſimi commendationi tributum credi voluit, quod ille alioqui longa vita honorifice in illa aula peracta, et propria virtute abunde meruerat. Eadem cooptatione lectus Jacobus [i] David Perronius eximia ſua doctrina nemini ignotus; et F. Anſelmus [k] Marzatus Monopolitanus in tenuitate Capucinorum educatus, cum ſe diu fruſtra excuſaſſet, et ſplendorem illum vitae latenti minime convenire diceret, eadem dignitate, quamquam invitus, eſt ornatus. Nec vacua a contentionibus graviſſimis, quaſi per otium laſcivientibus animis, aula fuit; nam fiducia ſeu doctrinae, ſeu, qua plurimum ubique pollent, auctoritatis, Jeſuitici ſodales alieno tempore aliquot quaeſtiones propoſuerunt, quae magnae animorum commotioni non ſolum Romae, ſed quacumque legitimae ſucceſſionis et doctrinae patet ditio, materiam praebuerunt; et inter eas, Clementem VIII, qui nunc Romae ſedet, credere legitimum beati Petri ſucceſſorem, non eſſe ex articulis fidei: quod niſi Philippicus orator interveniſſet, toti ſocietati periculum non mediocre importabat. Deinde etiam confeſſionem, quae inter eccleſiae ſacramenta habetur, et quae proinde praecipua cum reverentia exerceri debet, per epiſtolam et per curſores peragi poſſe. Quae quaeſtiones in ortu ſuo non ſolum magno conſenſu rejectae, verum prudentiſſime ſtatim extinctae ſunt. Tertia diutius multorum ingenia exercuit, a Ludovico Molina propoſita, de gratia Dei cum libero arbitrio in nobis ad ſalutem cooperante; in qua cum plus homini quam Deo tribuere videretur, ſummos adverſarios habuit Dominicanos aemulos, qui beati Auguſtini, qui cum Pelagianis ea de re tam profunde et tot ſcriptis diſputavit, ſententiam in eccleſia receptam tuebantur. Itaque ſubſidio evocatus ex Hiſpania Franciſcus Suares magni nominis inter eos theologus, et vix tandem poſt complura hinc inde publicata ſcripta, ex Concilii Tridentini verbis, in quo tamen quaeſtio minime agitata fuerat, interpretatione adjecta, a prudentiſſimo pontifice controverſia ita compoſita eſt, ut eam non motam ab initio optaſſe oſtenderet, et in ea decidenda nihil exiſtimationi illorum, qui eam moverant, detractum vellet. Actum et tunc de Ignatio Loiola in beatorum numerum ſacra ceremonia cooptando; ſed nullo ſucceſſu, quod eodem tempore de Carolo Borromaeo cardinali inſtantius eodem

INTERPR. [a] *Livourne.* [b] *Negrepont.* [c] *Alger.* [d] *Barbarie.* [e] *le cardinal Serafin.* [f] *le chancelier Olivier.* [g] *Lyon.* [h] *Bologne.* [i] *Davy du Perron.* [k] *Marzato de Monopoli.*

eodem honore adficiendo a ſacro ordine Mediolanenſi ageretur: et cum id raro fieri conſueverit, vix eſt, ut duobus ſimul eadem praerogativa, qua jam in coelo fruuntur, in terris tribuatur. Dati a pontifice judices, qui de cauſa Borromaei amplius probationibus collectis quaererent, omiſſa de Loiola ulteriore cognitione. Sub id et inopina res incidit, quae, paulum abfuit, altam urbis quietem omnino peſſum dedit. Quidam maleficus, quem quaeſitor urbanus perſequebatur, cum aliud non haberet effugium, in Odoardi Farneſii cardinalis aedeis tanquam in Aſylum per poſticum ingreditur, quem domeſtici nobiles, ut loci ſive religionem, ſive privilegium tuerentur, ſtatim receptum occultarunt, ingreſſu ſummotis [a] latrunculatoribus. Cum [b] praefectus urbis id ad injuriam pontificis pertinere ratus vim facere vellet, Farneſiani id pariter ad injuriam non ſolum ſuam, ſed totius collegii ſpectare exiſtimantes arma capiunt, et amicos ex nobilitate Romana auxilio advocant; inter quos dux Cajetanus ſubito adfuit, et Philippicus orator, qui ad heri ſui contumeliam pertinere arbitrabatur, ne tali dignitate viri, qui in Hiſpanorum patrocinio conquieſcunt, tam gravi injuria in conſpectu ſuo adficerentur. Ii in armis ad extrema parati in cardinalis aedibus pernoctarunt, qui pejora metuens, mane in Caprarolam arcem ſuam regali magnificentia ab Alexandro patruo exſtructam, XXXVI ab urbe milliaribus, magno ſtipatu cum armis conceſſit: quo facto injuriam geminatam interpretatus pontifex, confeſtim praefectum urbis mittit, qui [c] Latii praefecturam, quam a Pauli III temporibus ſemper majores ſui tenuerant, et qua ſe ipſe contumacia ſua indignum reddiderat, ab eo repoſceret. Cum ſe excuſaret, ad rei famam Parmenſis dux, qui pontificis neptem in matrimonio habebat, Romam ſubito advolat, et a pontifice, qui jam IↃC Corſos et CC ſcloppetarios equites extra ordinem urbis tutelae ſcripſerat, impetravit, ut cum bona ejus gratia cardinalis frater ad urbem redire poſſet, ſeque ſupplicem certa veniae ſpe ad pedes ejus proſterneret. Cum veniſſet, ſupplicis officio, ſicuti convenerat, defunctus, dum [d] Quirinali monte domum redit, feſtis populi Romani Farneſiis bene precantis vocibus ad occurſum exceptus, invidiam apud pontificis intimos, atque adeo cardinalem Aldobrandinum renovavit; qui propterea lectum militem, etiam poſt reconciliationem retinuit, et in Vaticano excubare juſſit, preſſo ad tempus injuriae ſenſu, cujus ulciſcendae mite pontificis ingenium, et paulo poſt ſecuta mors omnem occaſionem abſtulit.

XVII. Nunc virorum principum mortes dicentur; Joannis Baioari ſenioris Wolfangi filii, qui, Joanne Friderico Caſimiro, et Joanne Caſimiro filiis ſuperſtitibus, anno LIV aetatis diſceſſit pridie Eidus Sextileis: quem ſeptimo poſt die Otho Henricus frater ſecutus eſt ſexennio minor, qui nullo herede maſculo relicto obiit [e] Sulſtbaci. Et paulo poſt, VII Eid. Oct. Ludovicus Heſſus ſenior Marpurgi anno aetatis LXVII; et ante eum Durlaci Erneſtus Fridericus marchio Badenſis XVIII Kal. Maias, cum vix XLIV annum exegiſſet. VIII dein Kal. Jun. Petrus Erneſtus Mansfeldius tot palmarum dux, et vetus ac fidus Auſtriacae domus cliens, plenus annis, quos ad LXXXVII uſque produxit, in ſuburbanis ſuis aedibus principali magnificentia ſtructis prope Lucemburgum, quas et ultimo elogio Alberto archiduci legavit, placida morte ad alteram vitam commigravit. Apud nos menſe Octobri Claudius [f] Tremollius Thoartii dux, et ampliſſimarum in [g] Aquitania et Biturigibus ac Turonibus poſſeſſionum dominus fatis conceſſit, cum vix XXXIV annum exceſſiſſet, arthritidis doloribus jam in illa aetate emaciatus ac plane confectus; vir ingentis animi, nec minore ingenio et in conſiliis ſolertia ac conſtantia praeditus, qui [h] Carlotam Brabantinam Naſſoviam in matrimonio habebat, Eliſabethae Bullionii conjugis ſororem, eoque regi ſuſpectus,

INTERPR. [a] *Sbirres.* [b] *le gouverneur de Rome.* [c] *Campagna di Roma.* [d] *monte Cavallo.* [e] *Sultzbach.* [f] *de la Tremoille duc de Thouars.* [g] *Guienne & Poictou, Berry, & Touraine.* [h] *Charlote Brabantine de Naſſau.*

ſuſpectus, quod praeterquam quod jam arcta cognatione conjuncti eſſent, propter adfinitatem illam arctiore conſiliorum conſenſione cum Bullionio jungi crederetur; ad haec dicax, et in loquendo liberior. Nec deerant qui dicta ab eo ſequius interpretarentur, et ad regem maligne deferrent, qui magna ſe per ejus mortem anxietate liberatum gaviſus eſt; nam princeps alioqui a fundendo ſanguine alienus, et poſt Bironi ſupplicium omnem ſeveritatem exoſus; cum tamen contumelias ab homine inviſo illatas negligere non poſſet, aegre ſibi ultionis neceſſitatem impoſitam dolebat, creditumque eſt a multis, fato gentis illuſtriſſimae contigiſſe, ut ipſe praemature e vivis excederet, ne qui in tantam regis indignationem, ſeu veris ſeu falſis delationibus, inciderat, in manus ejus incideret, et indigno ſuorum gloria exitu decus avitum obſcuraret. Odium, quod adverſus Tremollium rex implacabile gerebat, in cauſa fuiſſe creditur, ut ſumma [a] Pictonum praefectura, quam Joannes [b] Chourſius Malicorneus diu tenuerat, vir priſci moris, et regi ſumme fidus, quod in ea Tremollius plurimum poſſe crederetur, quo ejus potentia in illis locis frangeretur, grandi pecunia redempta in Maximilianum [c] Bethunium Ronii marchionem tranſlata ſit, qui Tremollii in provincia ſuſpecta conatus impediret: quo et ſtatim profectus eſt, et [d] Rupellae perhonorifice exceptus; inde rediens regis animum de motibus novis anxium magna ſolicitudine liberavit.

XVIII. His literis illuſtres addentur, et ante omnes Janus [e] Douſa Nordowicus nobiliſſima Bataviae familia ortus, qui cum [f] Lirae primum, dein [g] Delphis, ac poſtea [h] Lovanii et Duaci prima literarum feciſſet [α] ſtipendia, in patriam reverſus, in [i] Lugduni Batavorum, cui ab Arauſionenſi praefectus fuerat, obſidione ſuſtinenda egregiam operam navavit, et Muſis cum Marte optime convenire ſuo exemplo docuit; etiam poſt pacem Bataviae redditam, et foris bellum emiſſum, Academiae in ſervata urbe condendae ab initio auctor; poſtea conditae totos XXIX annos curator; mox in curiae ſenatum cooptatus, tredecim annos in eo munere complevit, et anno LIX aetatis in vivis eſſe deſiit. Poëtica praecipue delectabatur, in qua ingenium varii generis carminibus editis exercuit; etiam patriae annaleis ſcripſit; multiplici lectione, et admirabili memoria promeritus, ut Bataviae Varro, et Academiae commune oraculum vulgo vocaretur. Mortuum laudavit carmine [β] inſigni Joſephus Scaliger, ſicuti et cognominem filium naturae ordine turbato ante elatum tanto parente digniſſimum laudaverat. Sub id et Chriſtophorus Colerus in Franconia natus, qui in literaturae politioris ſtudiis magnam de ſe ſpem excitaverat, ante annos in Auſtria obiit; quem Jacobus Typotius paulo poſt ſecutus eſt, homo Belga, qui in negotiis tractandis ſolertiam affectavit, et in aula Suecica diu fuit, Carolo Sudermaniae duci, ac tandem regi, cum Sigiſmundo Poloniae rege nepote tunc diſſidenti, percharus; de quo, et relationem ad Gulielmum a S. Clemente, qui regis Hiſpaniarum res apud Caeſarem procurabat, pari candore ac prudentia ſcripſit, et praeterea alia quae ejus ingenium ad majora natum produnt; ſed non diu ſupervixit, et hoc anno fatis Pragae, non ita provecta aetate, conceſſit. Eadem in urbe Obertus quoque [k] Gifanius Burae in Sicambris natus VI Kal. Quintil. ſeptuagenario major ultimum vitae diem clauſit. Is prima literarum rudimenta in Belgio ſuo, atque adeo Lovanii cum imbibiſſet, induſtriam ſuam primum in Tito Lucretio exercuit, quem poſt Michaëlem [l] Marullum Byzantinum, qui tantum auctorem miſere interpolaverat, et

ſecundum

VAR. LECT. [α] ſtipendia, comitemque in iis habuit et ſocium Lucam Fruterium Brugenſem, de quo ad annum 1566 diximus; cum quo et Lutetiam venit, et Hadriani Turnebi, Joannis Aurati, Dionyſii Lambini, frequenti tunc auditorio literas Graecas et Latinas profitentium amicitia familiariſſime uſus eſt: in patriam reverſus, cum in Lugduni Batavorum *MS. Reg.*

[β] inſigni ſummus ejus virtutum admirator Scaliger *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Poictou.* [b] *de Chourſes Sr. de Malicorne.* [c] *de Bethune marquis de Roſny.* [d] *la Rochelle.* [e] *Vander Does Sr. de Nortwick.* [f] *Liere.* [g] *Delft.* [h] *Louvain & Douay.* [i] *Leyde.* [k] *Gifanius de Buren en Gueldre.* [l] *Marullus natif de Conſtantinople.*

ſecundum Dionyſium Lambinum noſtratem, qui in eo laudabilem operam navavit, nobis meliorem dedit. Dein totum ſe juris ſcientiae ac philoſophiae ſtudiis mancipavit; denique [a]Argentinae jus civile profeſſus eſt, tanto cum plauſu, ut inde magnis ſtipendiis invitatus in aulam Caeſaream migraverit; et qui in adoleſcentiae aeſtu Proteſtantium doctrinae tunc per Belgium invaleſcenti nomen dederat, ſenex ad majorum ſacra rediit, et conſiliarii Caeſarei titulo ornatus, voce et ſcriptis rem literariam multum promovit. Nunc viri a tutelari patriae numine, hoc eſt, a Mercuriali quondam urbis epiſcopo, cujus feſtum celebratur x Kal. Jun. cognominati memoriam celebrabimus. Is fuit Hieronymus Mercurialis [b]Foro-Livii in Umbria natus anno CIƆ IƆ XXX, antiqua utrinque familia, nec modicis opibus: [c]Patavii cum tirocinium in philoſophiae et medicinae ſtudiis feliciter feciſſet, a civibus ſuis admodum juvenis ad Pium IV legatus miſſus eſt, et ex ea occaſione in familiam Alexandri Farneſii cardinalis literatorum fautoris eximii conceſſit, in qua totum ſeptennium manſit, in illoque otio primum ingenii ſui foetum dedit Gymnaſticam. Inde Patavium ad medicam profeſſionem vocatus, jam fama ejus inclareſcente, a Maximiliano Caeſare, cum graviſſimo morbo laboraret, in aulam evocatus eſt, a quo perſanato multa honorifica munera accepit, et Patavium ſub annum LXXIII [α]repetiit. Ibi XVIII annos medicinam fecit et docuit. [d]Bononiae poſtea aucto ſtipendio per quinquennium, et poſtremo Piſis XIV annis, ad CIƆ IƆCC uſque aureos honorario excurrente idem munus exercuit, et cum fruſtra a multis principibus evocatus eſſet, otium literarium vitae aulicae ſemper praetulit: tandem ingraveſcente aetate, patriam repetiit, ubi, qui ſemper valetudine proſpera uſus fuerat, calculi morbo per XXX dies acerbe vexatus, vitam de republica optime meritam cum morte commutavit V Eid. Nov. ad D. Mercurialis in odeo a ſe magnificentiſſime exſtructo ſepultus, quo et paulo ante V Kal. Nov. D. Mercurialis reliquias transferri curaverat. Fuit egregia corporis forma, et ſanctiſſimis ſuaviſſimiſque moribus; ad haec doctrina praeſtanti, quod multa ejus ſcripta teſtantur, a diſcipulis fere publicata; ut ſi quid in iis peccatum eſſet, ea citra famae et exiſtimationis jacturam emendandi ſumma prudentia ac modeſtia libertatem ſibi ſervaret. Quaedam et in Hippocratem non omnino edita, et in Ariſtotelis problemata reliquit. Ultimus memorabitur Arnaldus [e] Oſſatus nulli horum poſthabendus, jam multoties a nobis perhonorifice appellatus, ut minime emortualem diem expectari oportuerit, ut memoria ejus celebraretur, ſicut in pleriſque aliis evenit, qui nullam alioqui partem in hiſtoria faciunt; eoque licet pauciora de tanto viro dicenda occurrant, juſta tamen, vel amicitiae ergo, quae mihi arctiſſima cum eo interceſſit, cum aliqua grati animi teſtatione perſolvenda ſunt. Is in [f] Novempopulonia noſtra pago juxta [g]Auguſtam Auſciorum ignobili ortus, obſcuris adeo natalibus, ut cognatos et adfineis prorſus ignoraret, et pauperes ac domeſticos, nullos praeterea heredes, habuerit; ſed donis ingenii, doctrina, pietate, morum probitate, et inſita prudentia a Deo largiſſime cumulatus, facile natalium defectum tanta acceſſione ſupplevit, ut Romae in ampliſſimo orbis theatro ceteros omnes natalium ſplendore, et aliis fortunae praeſidiis illuſtreis aequaverit, pleroſque ſuperaverit, aequabili irreprehenſibilis vitae tenore omnium amorem et admirationem promeritus; ſicque in illa aula totis XXXI annis ſe geſſit, ut nemini bene ſentienti dubium reliquerit, quin ſi peccati originalis, quod vulgo vocant, fomes non obſtitiſſet, qua moderatione maximos honores in ea citra ambitionem decurrerat, eodem in ſtadio pergens ad ſummum eccleſiaſticae poteſtatis faſtigium inoffenſo pede vaderet. Vixit annos LXVII, menſeis VI, dies XX, ad beati Ludovici ſepultus. Et quoniam a continua

rerum

VAR. LECT. [α] repetiit, ubi eum vidimus mus: ibi XVIII annos medicinam fecit, et procum in comitatu illuſtriſſimi viri Pauli a Foxio eſſe- feſſus eſt *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Strasbourg.* [b] *Forli en la Romagne.* [c] *Padoue.* [d] *Bologne.* [e] *d'Oſſat.* [f] *Armagnac.* [g] *Auſch.*

rerum narratione ad ſingularia ſemel deſcendimus, conveniens videtur eſſe, ut viri ſanctitate praecipui, qui ante multos annos e vivis abiit, memoriam ex occaſione renovemus. Franciſcus [a] Soſa ordinis ſui Seraphici princeps, cum pro ratione muneris Franciam perluſtrans Lutetiam veniſſet, poſt regem ſalutatum, et explicata cum miniſtris aulicis negotia, in Hiſpaniam rediens, iter per [b] Pictavium habuit, ubi in Franciſcanorum monaſterio degens, cum de [c] Gualtero Franciſcano urbis epiſcopo, qui aſtricta morum diſciplina, ac vitae totius gravitate Sancti nomen inter ſuos meruerat, et de ejus cum Clemente VI diſſidio, quae jactantur, cognoviſſet, ſepulchrum ejus ante majus templi altare poſitum aperiri voluit. Quod vocatis monaſterii ſodalibus, et confecto de ea re inſtrumento coram ipſo, actum III Kal. Jun. et oſſa tantum reperta in tunica ex aureo filo contexta, quae Soſa aſtantibus oſculanda praebebat, hoc ſtyracem, illud balſamum redolere religioſe affirmans. Reperti et inter oſſa digitorum articuli chirothecis incluſi, cum annulo haud magni pretii, quem ipſe ſibi ſumpſit, et ad pontificem ſe perlaturum promiſit. Gualterus, de quo ſermo eſt, ante CCC annos Pictavorum epiſcopus fuerat, vir ingenio acer, et juris pontificii ſciens, qui quanquam archiepiſcopi Burdigalenſis ſuffraganeus, quod ſe ab eo exemptum contenderet, ad mandata citatus ſuperbe reſpondebat; quod ad animum archiepiſcopus revocaverat. Is erat tunc Bertrandus [d] Gothus, qui poſtea pontifex creatus eſt, et Clemens V dictus: clementiam adverſus contumacem, ut aiebat, ſuffraganeum minime ſervavit, eumque protinus epiſcopali functione privatum, in monaſterium ſuum detruſit; et dioeceſim ampliſſimam diviſit, partemque [e] Luſſonii, partem [f] Maleaci abbatibus, et epiſcopis in id creatis, attribuit: quod ille impatientiſſime tulit, et cum paulo poſt in lethalem morbum incidiſſet, a decreto pontificis ad Deum ſeu futurum concilium appellavit, et libellum appellatorium in manum, ubi expiraſſet, inſeri mandavit; quod et ſedulo a ſuis factum. Addunt, qui haec memorant, Clementem, qui id reſciverat, cum Pictavium veniſſet, monumentum ſumma magnificentia a ſodalibus exſtructum, reſerari, et archidiaconum urbis in illud deſcendere, et libellum in dextra ejus repertum, inde avulſum ad ſe adferre juſſiſſe; quod cum ille fruſtra conatus eſſet, compreſſiore manu, quam ut avelli poſſet, pontificem virtute obedientiae, ut manum laxaret, Gualtero mortuo imperaſſe; cum nec ſic quidem laxaretur manus, de reſtituendo libello, poſtquam legiſſet, fidem coram aſtantibus interpoſuiſſe; quo facto manum laxatam, et libellum traditum. Eo lecto, cum non reſtitueretur, archidiaconum in ima cavea ſe detineri inclamaſſe, et niſi fides data liberetur, inde ſe exire poſſe pernegaſſe; ac tandem libellum, ſicuti promiſſum fuerat, reſtitutum. Haec ex ſacerdotis Juliodunenſis S. Crucis collegii [g] ſodalis, qui a Clementis V ſcutifero id interpoſito jurejurando acceperat, teſtatione coram archipresbytero Juliodunenſi anno CIↃ CCCXXXIX, et XXXIII poſt Gualteri obitum anno facta, et aliis tunc diſſeminatis rumoribus, qui tempore fidem meruerunt, Joannes [h] Bochetus annalium Aquitaniae non indiligens ſcriptor, prodidit parte IV; et ante eum [i] Antonius Florentiae archiepiſcopus chronicorum parte III; quae eo non praetermittenda duxi, quod Godofredus [k] Sanbelinius urbis epiſcopus, quod ſe ſpreto nec vocato ſepulchrum Soſae juſſu non ſolum apertum, ſed oſſibus inde ablatis violatum eſſet, gravem apud pontificem querimoniam inſtituerat, quae vix tandem adventu Soſae, et devotionis ergo factum excuſantis ſopita eſt, ſuppreſſo de ea re tunc a Soſa facto inſtrumento, quod in eo quaedam de narratione illa inſerta dicerentur; quae quia pontificiam dignitatem nonnihil offendere poterant,

INTERPR. [a] *Souſa general des Cordeliers.* [b] *Poictiers.* [c] *Gualterus.* [d] *de Goth.* [e] *Luçon.* [f] *Maillezais.* [g] *Chanoine de Ste Croix de Loudun.* [h] *Bouchet.* [i] *Antonin.* [k] *de S. Belin.*

CIↃ IↃCIV. poterant, magnam ſe eo nomine gratiam a pontifice conſequi poſſe arbitratus eſt
HENRICUS IV. epiſcopus, ſi rem ludicram curioſe evulgatam prudenti ſilentio ſepeliret. Ne memoria Gualteri, qui tantam celebritatem Seraphico ordini conciliavit, periret, deſtructo per bella civilia antiquo monumento, cum alterum ſtruendi pari magnificentia facultas non eſſet, Franciſcani ſodales lapidem ejus loco poſuerunt cum inſcriptione, HEIC JACET S. GUALTERUS, quae nunc adhuc viſitur.

XIX. MAIO menſe, inter tot denatos natus eſt Lutetiae Pariſiorum [a] Sueſſioni filius, qui poſtea Ludovicus vocatus fuit; magna non ſolum patris, ſed publica omnium bonorum laetitia, qui regni ſucceſſionem ad paucos redactam, per ejus natalem amplificatam gaudebant.

INTERPR. [a] *le comte de Soiſſons.*

JACOBI

# JACOBI AUGUSTI THUANI
# HISTORIARUM SUI TEMPORIS
## LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS SECUNDUS.

### EPITOME.

*JESUITAE apud nos reſtituuntur. Schola Jeſuitica Flexiae in Andibus inſtituta, et a rege opimis reditibus fundata.* II. *Diplomati de Jeſuitarum reſtitutione ſenatus intercedit.* III. *Harlaei primarii praeſidis gravis et vehemens ad regem oratio.* IV. *Rex peramanter ad eam reſpondet.* V. *Meſſius a rege ad accelerandam promulgationem in ſenatum venit. Tandem diploma in acta curiae certis conditionibus refertur. Diplomatis ſumma.* VI. *Renovata querimonia de ſecreta quadam theologicae ſcholae cenſura in cauſa epiſcopi Andegavenſis ante biennium agitata. Senatus auctoritatem ſuam interponit.* VII. *Alexander regis naturalis filius inſigni pompa militiae Melitenſi inauguratur.* VIII. *Catharina Ambarenſis regis ſoror moritur.* IX. *Rex aedificiis ſtruendis, operibus publicis, artibus manuariis excolendis ſe oblectat. Novi Devotorum ordines in regno admiſſi.* X. *Nicolai Hoſtae ab Hiſpanis corrupti detecta proditio.* XI. *A Carolo Valeſio Arvernorum comite et Henrica Vernolii marchioniſſa uterina ſorore, nova, et in perniciem regis agitata conſilia. Res altius repetita. Arvernorum comes, qui Claromontium conceſſerat, regis juſſu captus, et Lutetiam deductus in Baſtilia includitur. Fr. Balſacus Entraguius et marchioniſſa filia, regis juſſu itidem ſiſtuntur.* XII. *Curia de repetundis, quae contra aerarii quaeſtores jus dixerat, grandi exſoluta pecunia revocatur. Extremo anno auctore Ronii marchione pernicioſiſſimi inſtituti res invaluit, qua officia tam judicialia quam quaeſtoria per omnia exaequata ſunt, et annua penſitatione, quae a Pauleto nomen ſumpſit, exſoluta, illa ad heredes tranſeunt qui de iis arbitrio ſuo ſtatuant. Decretum ea de re factum in cancellaria Palatina publicatum.* XIII. *Puella nomine Hadriana Fraxinea tanquam a ſpiritu maligno obſeſſa Lutetiam venit, ad eam undique fit concurſus. Petrus Cotonus hinc occaſionem ſumpſit ab Hadriana ſeu ſpiritu maligno multa curioſa et vetita ſciſcitandi. Ejus petitiones, et quomodo res in publicum emanaverit.* XIV. *Canadae ſeu Novae Franciae tractus luſtratus. Barbarorum ingenium, mores, ritus, habitus, ſoli fertilitas, animalia. Petri Guae Montii, Pongravii, Potrincurii et Camplanii in has terras navigationes haud multum fructuoſae.* XV. *Duarum navium ex India in Zelandiam appulſus: Sebaldi Waertii earum praefecti navigatio, ad Zeilam inſulam infelix caſus.* XVI. *Hiſpaniae rex omne circa maritimas Luſitaniae oras commercium vetat. Ab Ordinibus Belgii in Indias Orientaleis altera inſtituta ſocietas duce Cornelio Mattelivio.*

Ex auctoribus,

*Archivis curiae Pariſienſis, Actis tunc publicatis, Nic. Villaregii Apologia, Petri Cotoni petitionibus, Camplanii et Waertii navigationibus.*

LIBER

# LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS SECUNDUS.

CIƆ IƆ CIV.
HENRICUS IV.

ANNUS apud nos a Jeſuitarum, qui poſt Joannis [a]Caſtelli paricidae ſupplicium regno ejecti fuerant, reſtitutione inivit. Ab eo tempore, cum ubique exagitati eſſent, et excepta [b]Toloſa et Burdigala, ubi ſcholas ſuas retinuerant, undique exacti, ſuperiore anno cum rex [c]Virodunum, et inde [d]Diviodurum Mediomatricum venit, facta ejus ſpes fuerat; ſed, contradicentibus pleriſque, res huc uſque dilata. Urgebat Laurentius [e]Maius ſocietatis illius vir primarius, et de fide data regem appellabat, jocoſe ſubinde ejus tarditatem increpans, quae mulieribus per novem menſeis uterum geſtantibus ſegnior eſſet; ad quae verba rex non infacete retulit, reges diutius parturire quam foeminas. Nec deerant in aula inſtigatores. [f]Villaregius ut de re pontifici promiſſa liberandam fidem ſuadebat; et, qui plus Villaregio pollebat, Gul. [g]Foquetus Varanus, aulicis miniſteriis homo notus et regi gratus, impenſe iis favebat: is [h]Flexiae in Andibus, quae olim Alençoniorum principum praecipua ſedes ſucceſſione ad [i]Vindocinos Borbonios pervenerat, natus, ejus quoque arcis praefecturam beneficio regis meruerat, et patriae ornandae colore res ſuas mire amplificare ſatagebat; ſiquidem praeſidialem curiam, ſalinarium granarium, electorum tribunal novum in ea ordinandum curavit; per multiplicationem officialium imminuta aliarum juriſdictionum in vicinia dignitate, et novo onere provincialibus gravatis, grandi poſtremo pecunia inde corraſa, et in res ſuas verſa. Ut frequentiam majorem loco conciliaret, ſchola Jeſuitica in ea ut inſtitueretur etiam regi auctor fuit. Jamque tunc grande vectigal ei a rege attributum XI CIƆ aureorum annui reditus, lege addita, uti ex eo XXIV pauperes literis operam danteis alere et veſtire, XII virgines egenas probatae vitae, quotannis nuptui elocare teneantur, C aureorum dote unicuique conſtituta. Medicum, ſeplaſiarium, chirurgum peculiareis habere, ſingulis aſſignato ſtipendio; et ut nihil ſcholae tam illuſtri deſit, quod aliunde ſtudioſi adoleſcentes petere cogantur, IV juriſprudentiae, totidem medicinae doctores, item duo chirurgi anatomici in collegium grandi ſtipendio cooptati, qui praelecturi ſint, et nihil a diſcipulis exigant: corda regis reginaeque, et eorum ſucceſſorum poſt obitum in templo a rege conſtruendo recondantur; quae patres ex loco, in quo decedere eos continget, maximo quam poterunt numero, pedibus iter facientes et indeſinenter orantes eo deferre tenebuntur; ubi et effigies eorum ex marmore cum inſcriptionibus erigentur. In eam rem CIƆ aurei deſtinati annuatim toto vicennio expendendi. Poſtea et ſacer ordo cum ſolemnem Lutetiae conventum celebraret, rex C aureorum CIƆ in ſumptus aedificiorum impendenda ab eo impetravit, quae Varani arbitrio diſpenſata ſunt.

II. HIS ſubnixi patres, et inſtante pontificio oratore, menſe Septembri proximo diploma de reſtitutione a rege, dum [k]Rotomagi eſſet, impetraverunt; quod ſigillo magno firmatum in ſenatum allatum fuit, cum juſtitium inſtaret. Itaque in proximam ſeſſionem res dilata, quae ab exeunte Novembri incipiens totum fere Decembrem quieverat. Perlatum ad regem maligne fuerat, cum decretum erat, ut promulgationi intercederetur, et regi humillime pro interceſſione ſupplicaretur, infeſtos in

INTERPR. [a] *Chaſtel.* [b] *Toulouſe & Bourdeaux.* [c] *Verdun.* [d] *Mets.* [e] *Maius.* [f] *de Villeroy.* [g] *Fouquet de la Varenne.* [h] *la Fleche en Anjou.* [i] *de Bourbon Vendoſme.* [k] *Rouen.*

in ſenatu perviciſſe, ut non viva voce, ſicuti more majorum ſemper antea uſurpatum fuerat, ſed ſcripto interceſſio fieret; quod ita interpretabantur male erga ſenatum affecti, quaſi aperta et literis conſignata contradictione regis auctoritatem, et rectum de hoc negotio judicium, oppugnare vellet. Itaque miſſus ad ſenatum Andreas [a] Huraltus Meſſius exlegatus Venetus, qui jus dicendae in ſenatu ſententiae habebat, ut regis nomine ediceret, ne ſcripto ſed viva voce interceſſio fieret, alioqui fore, ſi ſenatus in ſententia permaneret, ut rex, cui id factione aut contemptu fieri perſuaſum erat, injuriam, quam ſibi eo facto fieri putabat, injuria revinceret. Haec ita palam: in aurem inſuſurratum, fore, ut rex, ſi ſcriptum ei porrigeretur, illud coram ipſis laceraret. Itaque Harlaeus ſumma moderatione reſpondit, nunquam cuiquam in mentem veniſſe, ut contra morem majorum quidquam in ea re faceret, quod ad regis offenſionem ſpectaret; ſed memorem ſenatum, cum nuper tantopere ſuper re monetaria agitatum edictum, hominum opinionibus ventilaretur, regem maluiſſe ſcripto quam viva voce interceſſionem fieri; idcirco decreviſſe, ne gravis regi eſſet, ut vel contra curiae dignitatem, et praeter majorum morem ab actione publica abſtineretur; nunc quando rex ad antiquum ritum res revocat, id loco ſummi beneficii accipere ampliſſimum ordinem, pro eoque gratias quam demiſſe poteſt maximas agere, et libentiſſime juxta ſuae majeſtatis voluntatem officio ſuo defuncturum. Quibus dictis reſtabat, ut quamprimum interceſſio fieret. CIƆIƆCIV. HENRICUS IV.

III. QUATRIDUO poſt, pridie Natalitii, re praeter modum feſtinata, ad [b] Luparam frequenti ſenatorum comitatu [c] Harlaeus hora pomeridiana ivit, et in ſuperius conclave admiſſus. Rex cum regina, quam manu ducebat, ut feriarum deinceps deliberationum, ſicuti aiebat, particeps fieret, et magna procerum et ſacri conſiſtorii aſſeſſorum corona, eodem venit. Tum Harlaeus ſolita gravitate infit, principio a gratiarum actione facto, quod non ſcripto ſed viva voce, juxta majorum morem aliquoties magno ſenatoriae dignitatis detrimento intermiſſum, in tantae molis negotio interceſſionem fieri juſſiſſet. Presbyteros et ſcholaſticos Claromontanae ſcholae, qui nomen Jeſuitarum ſibi ſumebant, cum primum in regnum irrepſerunt, a toto ſacro ordine oppugnatos, eaque de re inſigne extare Sorbonici collegii decretum, quo ſcitum eſt, hanc ſocietatem in deſtructionem, non in aedificationem eſſe inſtitutam. Dein in conventu ſacri ordinis, menſe Septembri anni CIƆ IƆ LXI celebrato, in quo plerique archiepiſcopi et epiſcopi erant, et cardinalis Turnonius, qui multum ſocietati illi tribuebat, praeſidis loco ſedens, approbatam fuiſſe; verum tot adhibitis clauſulis et exceptionibus, ut ſi ad eas ſervandas adacti fuiſſent, procul dubio ſit, quin jam tum potius de migrando, quam de mora apud nos facienda fuerint cogitaturi. Tantum ad tempus eos tunc admiſſos, et ſenatus-conſulto anni CIƆ IƆ LXIV interdictum illis fuiſſe, ne Jeſuitarum aut Societatis JESU titulos aſſumerent: neque tamen propterea ab eo tempore ſic indigitari deſiiſſe, et illicitum nomen ſibi tribuere, et ab omni poteſtate eccleſiaſtica ſe tanquam immuneis eximere. Si nunc ſine conditione reſtituantur, plus illis quam antea unquam tribui, et decreti tam prudenter facti auctoritatem enervari; jam tum cenſentibus patribus, laxanti ſe novorum hominum licentiae, et latius in dies magno cum publicae tranquillitatis periculo ſe effundenti, mature fraenum injiciendum eſſe. Tunc etiam a triumviris regiis, qui minime eorum cauſae favebant, memorabile augurium factum, cum dicerent, perniciofis initiis obviam eundum eſſe, pejora quam quae viderent, jam tunc ſecum trahentibus: ſicuti nomen et votum univerſale habent, ita et doctrinae capita ſecum conſentientia omneis eos habere, ut praeter pontificem nullum ſuperiorem agnoſcant, eique fidem et omnimodam obedientiam praeſtent; idque fixum et ratum credant,

INTERPR. [a] *Hurault de Meiſſe.* [b] *le Louvre.* [c] *le premier preſident de Harlay.*

CIƆ IƆ CIV. credant, pontificem poteſtatem habere reges extra eccleſiae communionem ponendi; regem autem excommunicatum, tyrannum eſſe, et ſubditos contra eum impune inſurgere. Ipſorum unumquemque, qui vel minoribus eccleſiae ordinibus ſit initiatus, quodcunque crimen admiſerit, in laeſae majeſtatis crimen non poſſe incurrere, quippe qui minime ſint amplius regis ſubditi, nec juriſdictioni ejus ſubjecti. Ita eccleſiaſticos per illorum doctrinam a ſaeculari poteſtate eximi, et manus cruentas licere impune ſacroſanctis regibus afferre. Hoc eos et libris editis aſſerere, et eorum qui contra ſentiunt rectam ſententiam damnare: duos in Hiſpania juris doctores, quod clericos regiae poteſtati ſubjectos eſſe ſcripſiſſent, ab uno ex illo ſodalitio primi nominis contrario ſcripto confutatos eſſe, his maxime rationibus, Quod quemadmodum veteris Teſtamenti lege, Levitae ab omni ſaeculari poteſtate immunes erant; ita clericos novi Teſtamenti item lege eadem poteſtate ſolvi, neque juris quidquam principibus adverſus eos competere. Has falſas et erroneas opiniones a regibus admitti non poſſe. Proinde oportere, ut qui eas tuentur, publice in ſcholis ſuis illas ipſas ante omnia ejurent; ni faciant, ferri nequaquam debere; quippe qui doctrinam ad evertenda regiae poteſtatis et auctoritatis fundamenta excogitatam tueantur: ſi faciant, haud paulo plus eis fidendum. Etenim Romae et in Hiſpania, ubi haec nova opinionum monſtra vigent, aliter ſentiunt, aliter in Francia loquuntur; et ut in hanc aut illam ditionem demigrant, has opiniones ſumunt aut deponunt. Si dicant id ſecreta diſpenſatione ſibi licere, ecquam in eorum doctrina certitudinem reponi poſſe, quae mutatione locorum mutat, et pro temporis ratione, aut bona aut ſequior cenſetur? Hanc illos in commune doctrinam amplecti et fovere, et paulatim ita gliſcere, ut verendum ſit, ne alios ordines adhuc ab illo fermento intactos tractu temporis inficiat. Ab initio nullos infeſtiores adverſarios quam ſcholae Sorbonicae theologos habuiſſe; nunc pleroſque eorum iis favere, illos videlicet qui in illorum ſcholis prima inſtitutionis ſuae ſtipendia fecerunt. Alios literis operam ſub iis danteis idem olim facturos, et in ſenatum olim primariis dignitatibus functuros; qui ſi idem in doctrina ſentiant, paulatim ſe ab obedientia regi debita ſubtrahent, jura regia parvi facient, et eccleſiae Gallicanae libertates obſoleſcere ſinent; nullum denique laeſae majeſtatis crimen reputabunt, quod ab eccleſiaſtico ſit admiſſum. In hanc nos ſaeculi infelicitatem incidiſſe, ut deteſtandae illius doctrinae funeſta ſpectacula his oculis viderimus. Ad [a] Barrerii infandum nomen contremiſcere, qui a ſocietate auctoratus, a [b] Varada inſtructus, in hoc a ſacerdote abſolutionem et pretioſum Euchariſtiae ſacramentum accepit, in hoc fidem obſtrinxit, ut cruentas regi manus afferret; cum auſis excidiſſet, exemplo ſuo peſtifero ſerpente praeiviſſe ad paricidium, paulum abfuit, perficiendum. [c] Guignardum ex illo ſodalitio libros ea de re propria manu ſcripſiſſe, et paricidium Henrici III, tanquam juſte patratum laudaſſe, et damnatam in Conſtantienſi concilio ſuper ea opinionem propugnaſſe. Quid non nobis metuendum eſſe, in memoriam haec impia et perfidiae deteſtandae facinora revocantibus, et animo reputantibus, tam facile eorum exempla renovari poſſe? Si nos trepidis in rebus vitam exigere oportet; ſi de periculo regis aſſidua angi ſolicitudine, quam in vita regis quietem reperturos? Nonne haec eſſet vera impietas, eminus periculum videre, et in illud cominus incurrere? Quem vero tam profundo miſeriarum gurgite mergi dignum fingi poſſe, qui patriae velit ſupereſſe, quae tantum ab exitiali fine abeſt, uti ſaepius praedictum fuit, quantum regis vita a ſuo? Bene ſit, et Deus laudetur, quod in amicitiam tam bene rex et pontifex coëant; diu rex ſceptrum ſuum, pontifex ſanctam ſedem teneat: ſed ſi Deus ejus dies contraxerit, ſi alius non ita bene erga regem affectus ei ſucceſſerit, quot putandum juratos hoſteis habituram in viſceribus Franciam, qui ut ſingulos Franciae et Navarrae olim reges, ſic

HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Barriere.* [b] *la Varade.* [c] *Guignard.*

ſic nunc eundem utriuſque regni legitimum heredem, ſed in parte ſpoliatum, denuo ad praedam expoſitum ridebunt, et periculum ejus ſumma ingratitudine negligent. An oblivioni tradunt beatae memoriae regis ultimi paricidium? Contra quem gens ingrata populos ad ſeditionem concitavit, nec omnino caedis illius innocens credita eſt? At ſicuti ceteris religioſorum ordinibus, qui per hos tumultus intemperanter inſanierunt, ſic ſocietati in pari delicto ignoſci oportuit: hoc illos paſſim dicere, ſed reſponderi poſſe, illos non univerſos peccaſſe, et multos ex iis ipſis in obſequio regis conſtanter perſeveraſſe; at ipſos conjunctim et concorditer in regium nomen cum antiquis regni hoſtibus conjuraſſe, neminemque unum in tota ſocietate repertum, qui regias partes ſit ſecutus. Ob id Odonem [a] Pichenatum ex illo ſodalitio a Sexdecimanis pro factionis duce aſſumptum, hominem ſolemnia inſanientem, qui in eodem furore quo vixerat, tandem exſpiravit. Et ſi ad externa fas reſpicere, lamentabile in regno Luſitaniae exemplum occurrit, quod rex Hiſpaniae non tam ſuis armis, quam illorum factione nuper ſub jugum miſit. In eo ſiquidem totum ſacrum ordinem charitatem erga patriam, fidem regibus ſuis ſervaſſe. Solos hos novitios theologos deſerta regni cauſa [b] Caſtellenſibus adhaeſiſſe, et tot ſacerdotum ac devotorum caedibus cauſam dediſſe: nam bis mille varia peſte ſub Hiſpanis periiſſe, et ſingulari indulgentia tot caedium confeſſarum factam a pontifice gratiam. Ex illa officina Caſtellum prodiiſſe, qui paricidium ad conatum, et os uſque regis perduxit, cujus occaſione ſenatus-conſultum contra ſocietatem factum, proprio regis ore damnatam. Senatus-conſultum inquam, illud ad omnem aeternitatem depraedicandum. Ejus ſiquidem auctoritate regis vitam in tuto collocatam fuiſſe, et per eam regni ſalutem ſancitam. Eo factum, ut tanti periculi ſenſu attoniti patres, non ſervato juris ordine, neque partibus auditis, ut in ſeditione et publica graſſatione, ſocietatem toto regno tam ſalutari illo ſenatus-conſulto exulare juſſerint, quod gravi et juſta de cauſa factum, non niſi mature et perpenſis momentis revocari debet. Non odio, non livore, non malevolentia privata caecos patres hoc decreviſſe, Deum ultorem proculdubio habituros, ſi iis affectibus, a quibus vacui judices eſſe debent, praeoccupati decreviſſent. Quanquam in tali occaſione condonanda erant omnia, quae ad regis ſalutem pertinere videbantur. Itaque ſenatus-conſultum tam ſalutare non ſolum qua ſenatus Pariſienſis patet juriſdictio, ſed in [c] Neuſtria et Burgundia, quae diſtinctas habent curias, executioni demandatum, et in reliquis curiis ſine contradictione locum habiturum fuiſſe, niſi obſtitiſſent ii, qui nondum bene in regis obſequio confirmati erant, et aegre ab inveterato contra regium nomen odio diſceſſerant. Vulgo queri exules, et paſſim ſcriptis jactare, non aequum eſſe, ut paucorum culpa ad univerſam ſodalitatem porrigatur: atqui Humiliatos veteris in Inſubribus originis collegas, et qui ampliſſimas in iis poſſeſſiones habebant, recenti hominum memoria ante xxx annos a Pio v exterminatos eſſe, quod unus ex iis non communicato conſilio paricidium contra Carolum cardinalem Borromaeum Mediolanenſem archiepiſcopum tentaſſet, et unius crimen totum collegium luiſſe, quanquam rex Hiſpaniae per oratores ſuos ſumma omnia feciſſet, ut pontificem et Borromaeum ab eo conſilio dimoveret. Mitius ſenatum in hac cauſa ſe geſſiſſe. Quod ſi dicant, nequaquam Humiliatos ſecum comparandos eſſe, facile reſponſum futurum; nam quantum Humiliati ab iis abſunt, tantum Borromaeum cardinalem a maximo regum abeſſe; regemque tantum ſupra quoſvis eminere cardinaleis, quantum illi inter minora collegia ſe putant excellere. Praeterea minus Humiliatos quam ipſos peccaſſe, quippe unius culpam ceteros in crimen traxiſſe, cum ipſi pernicioſae doctrinae auctores univerſi peccaverint. Quapropter ampliſſimum ordinem, quam demiſſe et prono affectu poteſt, ſuam majeſtatem obſecrare et obteſtari, ut

ſenatus-conſultum

INTERPR. [a] *Pigenat.* [b] *Caſtillans.* [c] *Normandie.*

CIↃ IↃCIV. ſenatus-conſultum juſte factum, et ad arcendos proditorum ac perduellium conatus
HENRICUS IV. neceſſarium, quod tantopere gratum pro tempore habuerit; eundem nunc etiam tueatur, et in memoriam revocet periculum, in quo tunc et ipſi et univerſi regni ordines verſati ſunt, cum communis parentis vita periclitabatur; vita, quae cunctis propria carior eſſe debet. Et vero propudioſae perfidiae et ingratitudinis crimen minime vitaturos olim, ſi cui vitam, fortunas, ſecuritatem publicam debent, de ejus vita ſoliciti non anxie et aſſidue laborent. In praeterita intuentibus ſeriam de futurorum exitu cogitandi neceſſitatem imponi, ne bis ad eoſdem ſcopulos naufragium facere cogamur. Ad has obteſtationes accedere et academiae Pariſienſis humilem deprecationem, quae privilegiis et praecipuis ornamentis a regibus deceſſoribus cumulata tantum inter exteras gentes nomen olim meruerat, nunc per iſtos novitios doctores paene ad ſolitudinem redacta eſt; ut ubi tantam hominum undique tanquam ad celeberrimum literarum emporium concurrentium frequentiam videre erat, nunc rudera, ruinae, ac ſola mapalia ex priſtina celebritate reſtent; horrorem in praeſens, metum luctuoſae deſolationis in poſterum ob oculos ponentia: per iſtos, inquam, novitios doctores, qui ceteros prae ſe deſpicientes ſeparatas ab aliis rationes habere volunt, et ſparſis huc illuc ſcholis, quaſi rivulis per incilia averſis, vaſtum et aequabile illud literarum flumen, quod quartam urbis partem alluebat, in ſicco deſtituunt. Non inficiari academiam ſuis vitiis laborare, quae bellorum licentia in eam irrepſerunt; ſed cenſura ad ea corrigenda, non ruina opus eſſe, quae proculdubio ſequetur, ſi novas ſubinde ſcholas ubique erigere iis liceat: nam ex eo futurum, ut qui pueros ad frequentem illum mercatum mittebant, nunc foro in proximo contenti deinceps illos penes ſe habere malint, et fructu uberioris doctrinae privent. Nec minore ſuam majeſtatem fructu privari, dum nobilium et locupletum pueri, qui cum Lutetiam veniebant, conſpectu regis gaudentes, a primis annis obedientiae ac venerationi inſueſcebant; nunc procul poſiti, non ſolum regem tota plerumque vita non vident, ſed prava doctrina imbuti legibus regni, et regibus ipſis parere dediſcunt. His de cauſis ampliſſimum ordinem ſui officii duxiſſe, ut promulgationi intercederet, ne illi olim vitio vertatur, ſi in tam gravi cauſa ſe nimis facilem praebuiſſet, aut porſus obmutuiſſet. Oratum interim regem velle, ut in bonam partem accipiat, ſi quando pro muneris neceſſitate, cum in deliberationibus ſalva conſcientia aliter ſe facere non poſſe putant, regiis juſſionibus intercedant; ſic enim exiſtimare ipſos, regem nihil niſi quod juſtum et rectum eſt, velle. Hunc honorem a deceſſoribus ſuis ſemper ſupremis regni curiis habitum, ut eas benigne in interceſſionibus ſuis audirent; et ſi quid ſequius decreviſſent, ab iis ſeu rogati ſeu moniti, edicta revocarent, aut in melius mutarent: bonos et prudenteis reges, quanquam legibus ſint ſoluti, ſic poteſtatem ſupremam temperare maluiſſe, dum legibus ſuam auctoritatem ſervant, ut ſubditos exemplo potius ad obſequium adducere, quam legibus vim inferendo eos ad parendum cogere viderentur. Hoc a ſua majeſtate expetere curias regni, et de benignitate ipſius ſibi polliceri, ut conceſſam iis auctoritatem ſalvam eſſe velit, quae nequaquam curiarum, ſed ipſius regis propria eſt, ut quae ab rege dependeat; et quae ſi amitti eam ullo caſu contingat, non ipſorum quibus credita eſt, ſed regis ipſius periculo ac damno pereat.

IV. AD ea peramanter, et moderate a rege reſponſum, gratiaeque ampliſſimo ordini pro tanta ſolicitudine, quam pro ſe regnique incolumitate prae ſe ferebat, regio affectu actae; tum periculi a reſtitutione imminentis, cujus alioqui ſe magnum contemptorem oſtendebat, allegatae rationes citra acerbitatem elevatae, rem apud ſe mature perpenſam, et non dies ac menſeis, ſed totos annos in eam cogitationem impendiſſe, ac tandem decreviſſe, ſocietatem exulare juſſam patriae reſtituere, ac ſperare, ut quam noxia pro tempore credita ſit, tam uberius ex ejus reſtitutione fructus porro ſit Francia perceptura. Ceterum periculum, quod tantopere perhorreſcat,

in

in ſe recipere, qui majora hactenus Dei beneficio evaſerit, ac de eo ſecuros omneis eſſe jubere. Se pro cunctis excubare, et pro cunctis conſilia capere: neminem toto ſuo regno exiſtere, qui ſe aut experientia, aut in rebus, quas innumeras vitae curis adſiduis exercitatae curriculo geſſerit, explicandis, vincat ſolertia. Proinde quieſcant, et anxiam de ſe ac republica ſolicitudinem in ſinu ſuo deponant, qui ſuam vitam ſalvam velit, ut alios ſervare poſſit. Interim, ſicuti orationis principio, gratiae denuo pro clauſula ampliſſimo ordini actae. Quae omnia ego, qui actioni cum multis aliis interfui, eo diligentius perſcribenda curavi, ut vanitas relationis Italica lingua ſcriptae et [a] Turnonii in Vivarienſi pago anno poſt publicatae pateat, in qua pleraque contumelioſa contra ampliſſimum ordinem addita, quae nunquam tunc regi optimo ex ore exciderunt; quaedam etiam ex rumuſculis collecta pro reſponſo inculcata, ad ea, quae ab Harlaeo minime dicta fuerant. Sed accidit aliquot poſt diebus, cum a Petro Cotono, qui tunc in gratia flagrabat, ad regem perlatum eſſet, triumviros in eo laborare, ut compilatis curiae archivis, et repetita clauſularum exoletarum memoria, beneficium regis irritum redderent; ut rex commotior eos ad ſe vocaverit, et coram Claudio [b] Grolarto Rotomagenſis curiae primario praeſide, ſtomachoſe increpuerit: et cum jam dies inclinaret, e veſtigio ad tribunal ſuum pergere, neque inde prius, quam confecto negotio, exire compulerit.

V. Postridie [c] Meſſius in ſenatum venit, et ſe a rege miſſum dixit, ad promulgationem accelerandam; ſatis interceſſione ſenatu digna actum; et reſponſo ad eam facto, reſtare, ut ſine mora et ſine conditione promulgatio quamprimum fiat. Ad id pertinere, ut quod eos rex velit ſcire, negotii ſeriem intelligant. Ante quinquennium pontificem cum rege egiſſe, ut Jeſuitae in regnum reſtituerentur, eodem quo ante ſenatus-conſultum erant ſtatu; regem, quantum potuerat, diem de die duxiſſe; et cum amplius tergiverſari non poſſet, capita quaedam propoſuiſſe, iis, quae edicto continentur, fere uniformia, et per oratorem a pontifice contendiſſe, ut reſtitutione his conditionibus facta contentus eſſet: nam pontifex reſtitutionem univerſim per totum regnum petebat; rex certis et certo numero deſignatis locis eam offerebat, et in ditione Pariſienſi curiae ſubjecta duo tantum illis loca aſſignabantur. Ab eo tempore biennium effluxiſſe, nulla rei mentione facta; quod regem, qui pontifici in ea re gratificari cupiebat, male habuit: tandem pontificem inſtante oratore regio reſpondiſſe, capita a rege propoſita ſibi talia videri, ut iis contenti eſſe debeant Jeſuitae; ceterum huc uſque diſtuliſſe reſponſum, quod Societatis Generalis his minime contentum ſe oſtenderet; nec ſubſcribere vellet, cum diceret ea ſtatutis ordinis ſui adverſari, eaque de re Aquavivam ad regem ſcripſiſſe, quibus ſe excuſabat, et ea probare ſe non poſſe oſtendebat. Sed pontificem, qui ea probavit, per nuncios ſuos et apud regium oratorem contendiſſe, ut ea rex promulganda curaret; articulo eo dempto, quo Jeſuitae in regnum admittendi coram rege fidei ſacramentum dicere jubebantur; cujus loco convenit, ut alius ſubſtitueretur, quo id coram ordinariis judicibus facere tenebantur. Rem proinde amplius non eſſe integram, ſed de ea inter regem et pontificem, quaſi pacto, tranſactum fuiſſe, cui rex ſtare velit: eo fieri, ut rex de dilatione affectata vehementer conqueratur, praeſertim poſt interceſſionem digniſſime factam, et in bonam partem a rege acceptam; poſt reſponſum item datum, quo promulgationem ſine conditione fieri velle declaravit. Igitur ad eorum pertinere officium ac prudentiam, ut voluntati regis plene ſatisfiat, ne ad remedia confugere neceſſe habeat, quorum ipſum et ſenatum aliquando poeniteat. Rebus in regno nondum bene pacatis protelationem illam variis rumoribus, et novis diſſidiis materiam praebere, jamque nimis libere de iis factioſos pronunciare: ac poſtremo rei invidiam in regem

INTERPR. [a] *Tournon en Vivarais.* [b] *de Groulart premier preſident de Rouen.* [c] *de Meiſſe.*

CIↃ IↃCIV. HENRICUS IV.

regem mora illa recidere, quam bonus quiſque potius in ſe recipere, et ea regem exonerare teneatur. Ad haec cum Harlaeus nullam a ſenatu moram affectari reſpondiſſet, et omneis regi obedire paratos oſtenderet, Meſſio digreſſo, et diplomate, et quae pro interceſſione facta fuerant, recitatis, cognitoris item regii poſtulatis, decretum fuit, ut diploma, audito cognitore regio, et poſt interceſſionem, in acta curiae referretur. Additum praeterea, ut regi ſupplicaretur, declaratione caveret, ut qui aliquandiu in ſocietate fuerant, ad partem in hereditatibus petendam non admitterentur; quod id familiarum quietem non mediocriter perturbare diceretur. Diplomatis autem ſive edicti pro Jeſuitarum reſtitutione facti haec ſumma erat: Ut [a] Toloſae, Auguſtae Auſciorum, Aginni Nitiobrigum, Segoduni Rutenorum, Burdigalae, Veſunae Petrocoriorum, Ratiaſti Lemovicum, Turnonii, Anicii in Velaunis, Albae Helviorum, Biterris in Volcis Aremoricis, ubi nunc ſunt, deinceps moram facere poſſint; ac praeterea ut pontifici gratificetur, iiſdem permittitur, ut [b] Lugduni et Divione, unde dejecti fuerant, et ſpeciatim [c] Flexiae in Andibus in arce hereditaria commorari, et ludum aperire illis liceat, his conditionibus; Ut nullam deinceps alibi ſcholam conſtituere ſine regis permiſſu iis liceat; ſi contra faciant, gratia conceſſa priventur. Sint omnes indigenae, rectores etiam et curatores, nec exteros ullos ſine regis item permiſſu in ſocietatem ſcholis ſuis admittant; ſi qui ſint, regno exire intra trimeſtre a die publicationis teneantur; exterorum nomine in Venaſcinenſi comitatu, qui Provinciae pars eſt, nati non comprehendantur. Habeant aliquem auctoritatis praecipuae inter ſuos, qui regi a ſacris praedicationibus inſerviat, et in aula ſua commoretur, qui de collegarum actionibus cum opus erit, regi rationem reddere teneatur. Omnes et ſinguli qui nunc in regno exiſtunt, et deinceps in ſocietatem admittentur, coram officialibus ſacramento ſe ſine exceptione aut arcano mentis receſſu obſtringant, nihil facturos aut conaturos contra regem, pacem publicam, et regni tranquillitatem; et acta ea de re confecta officiales ad cancellarium mittant; qui recuſabunt, regno exire teneantur. Qui deinceps ſocietatem ingredientur, tam ii qui ſimplici voto ſe obſtrinxerunt, quam alii, nulla bona ſoli venditione, donatione, aut alio quovis modo poſſint ſine permiſſu regis acquirere: Nihil item capere ex ſucceſſione, ſive directa ſive collaterali, perinde atque alii devoti; ita tamen, ut ſi miſſionem a ſocietate impetraverint, jura ſua integra recipiant. Ab iis, qui ſocietatem ingredientur, nihil bonorum ſoli accipiant; ſed ea ad heredes deveniant, aut eos, in quorum gratiam antequam admitterentur, de iis ſtatuerint. Societatis collegae ubique legibus regni ac magiſtratibus in omnibus, ſicuti alii eccleſiaſtici ac devoti, parere teneantur; nihil ipſi faciant, quod epiſcoporum, collegiorum, academiarum, aut aliorum devotorum ordinem ulla in re praejudicet, ſed in omnibus jus commune ſervent. Concionandi et ſacramenta adminiſtrandi, ac ne quidem confeſſiones audiendi munus niſi inter ſuos uſurpent, niſi epiſcopi aut dioeceſani permiſſu, in curiis, in quibus iis manere licet, id fiat, videlicet Toloſae, Burdigalae, et Divione; quod tamen ad Pariſienſis curiae territorium non extendatur; Lugduno et Flexia exceptis, in quibus functiones ſuas, ſicuti in aliis civitatibus iis conceſſis, libere exercere poterunt. Poſtremo, ut habeant, unde ſe alere poſſint, libera bonorum, quae ante ſenatus-conſultum poſſidebant, poſſeſſio iis conceditur, ſequeſtratione regis nomine facta per edictum ſublata. Quae conditiones deinceps aut ambitioſis reſcriptis abrogatae, aut ab ipſis minime ſunt ſervatae.

VI. NEC multo poſt, inſtigante, ſicuti jactatum eſt, P. Cotono, a pontificio oratore ad id auctorato, querimonia de ſecreta quadam theologicae ſcholae cenſura evulgata in cauſa appellationis ab abuſu a collegio Andegavenſi contra Car. Mironem epiſcopum

INTERPR. [a] *Toulouſe*, *Auſch*, *Agen*, *Rodez*, *Bourdeaux*, *Perigueux*, *Limoges*, *Tournon*, *le Puy en Velay*, *Aubenas*, & *Beziers*. [b] *Lyon*, & *Dijon*. [c] *la Fleche en Anjou*.

epiſcopum ante biennium interpoſita, quae hactenus quieverat, denuo magna contentione ab Henrico a [a] Petra-viva, arcta cum Petro Gondio cardinale et Henrico urbis epiſcopo cognatione conjuncto, academiae cancellario, renovata eſt. Cenſura illa, ut ſuperioribus demonſtratum, ob ſupercilium Romanum et curiae Romanae faſtum liberius notatum multos offenderat, et jam tum varii ſermones de ea diſſeminati fuere. Poſtea cum Lud. Servinus advocatus regius, qui in ea cauſa pro rege verba faciebat, inter actiones forenſeis ſuas denuo publicatas eam inſeruiſſet, re ad cardinalem et epiſcopum remiſſa, et in ipſius aedibus coram cognitore regio agitata, convenerat inter partes, ut controverſia amplius non refricaretur: tamen XIV Kal. Mart. a theologorum collegio ſolemniter a Petra-viva in Sorbonae aula coacto et rogato poſt ſacrum celebratum, decretum factum fuit, quo continebatur, in libro quarundam actionum forenſium ſcriptum typis mandatum fuiſſe, in quo multa erant, quae contra honorem ſedis apoſtolicae, auctoritatem et juriſdictionem ſupremam pugnare videbantur: ideoque collegium ob id convocatum, poſt maturam deliberationem omnium, non obſtante duorum [α] doctorum interceſſione, ita cenſuiſſe; Primo ſcriptum illud collegii nomine evulgatum, eſſe fictitium et ſuppoſititium, neque unquam a ſe profectum; deinde judicaſſe, ſcriptum idem illud eſſe temerarium, falſum, offenſionis plenum, erga ſedem apoſtolicam injurioſum, ſchiſmaticum, impium, et poſtremo haereſin ſapere ac redolere. Id cum a cognitore regio, qui rem interventu ſuo coram cardinali et epiſcopo compoſitam, intempeſtive, ſe inſcio, renovatam indignabatur, ad ſenatum perlatum eſſet, patres in principe [β] camera cenſuerunt, ut duo ex theologorum numero, qui conventui, in quo decretum factum erat, interfuerant, cum collegii Syndico, proximo die comparerent, et ſecum acta illius deliberationis afferrent. Interea auctoritate curiae inhibitum, ne actorum cuiquam copia fieret, aut ullus conventus celebraretur, quo uſque ipſi comparuiſſent. Decreto per cognitorem regium [b] Tornarochio collegii Syndico, [c] Parvo-Joanni, qui praeſidis loco in decreto faciendo ſederat, [γ] Henrico a Petra-viva, necnon apparitori, qui quidem tanquam amanuenſis acta deliberationum penes ſe habebat, ſignificato: illi biduo poſt comparuere, et inſtante cognitore regio antequam collegae admitterentur, Harlaeus a Petra-viva cum quaeſiviſſet, cujus juſſu et auctoritate conventus habitus eſſet, ut de re, quam ſilentio ſepeliri debere inter partes convenerat, denuo ageretur? id juſſu regis factum reſpondit, et apud cognitorem regium, ut partes ſuas denunciatione facta ſecum conjungeret, inſtitit. Dein admiſſis collegis, Harlaeus eos vocatos a ſenatu dixit, ut de decreto, quem libellum famoſum cognitor regius interpretabatur, nuper facto, rationem redderent. Syndicus juſſus dicere, cur die extraordinario conventum indixiſſet? non indixiſſe ſe illum reſpondit. Tum Petra-viva ſe inſtante indictum audacter dixit, et mandatum de eo indicendo Renato [d] Benedicto S. Euſtochii plebano et collegii decano allatum. Interrogatus a quo mandatum emanaſſet? ab eo reſpondit, qui et in ipſum et in ſenatum jus imperii haberet. Ob quae verba Harlaeus, graviter increpito Petra-viva, in crimen laeſae majeſtatis incurriſſe eum pronunciavit, qui jus imperii in ſenatum alii, quam regi competere, reſponſione ſua temeraria aſſeruiſſet: tum Petra-viva ſermonem proſecutus eſt, et mandatum decano datum dixit, qui ſe ob adverſam valetudinem cum excuſaſſet, partium ſuarum duxiſſe, cui liber, de quo querimonia inſtituta erat, a decano commiſſus fuerat, ut de eo ad collegium referret, et conventum urgeret. Poſtea interrogatus [e] apparitor, an acta deliberationis haberet? ea exhibuit, et conventui ſe interfuiſſe

VAR. LECT. [α] doctorum, Faietae et Antonii Fuſilii interceſſione *MS. Reg.*
[β] camera, convocatis criminali et edictali claſſibus, cenſuerunt *MS. Reg.* [γ] H. a Petra-viva intimato, necnon apparitori *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *de Pierrevive.* [b] *Tourneroche.* [c] *Petit Jean.* [d] *Benoiſt curé de S. Euſtache.* [e] *le Bedeau.*

CIↃIↃCIV. HENRICUS IV. interfuiſſe dixit, et exemplum ex iis deſcriptum Petra-vivae roganti heri dediſſe. Rogatus Petra-viva, an exemplum penes ſe haberet, aut alicui ejus copiam feciſſet? domi ſe habere reſpondit, neque cuiquam dediſſe aut communicaſſe. Rurſus rogatus a quo mandatum conventus indicendi emanaſſet? a rege emanaſſe reſpondit, ex ore cancellarii exceptum, et per cancellarium id cardinali Gondio, quem vix tandem aegre nominavit, ſignificatum, a quo illud ipſe acceperit. Rurſus interrogatus, cur tam infrequenti coetu id factum eſſet, et intercedentibus [α] quibuſdam ad ampliora comitia res remiſſa non fuiſſet, ſicuti in eodem coetu de alio negotio ad Devotos ſpectante, factum fuerat; nam ad LXXX ſolitos convenire, et tunc tantum XXXVII interfuiſſe? ille nihil aliud reſpondit, quam tantum XXXVII interfuiſſe, idoneum numerum ad decretum faciendum. Dimiſſis illis ſenatus cenſuit, ut Petra-viva exemplum, quod domi ſe habere dixerat, intra horam apud acta curiae deponeret; eoque viſo et actis ab apparitore eodem loco depoſitis, curia de re tota decerneret. Ita ſuppreſſis Sorbonicae cenſurae actis, amplius ſuſpenſa a ſenatu deliberatio.

VII. PRINCIPIUM anni a celebritate inivit; mox triſti nuncio [β] ſubſecuto. Cum jam multa rex in gratiam Caeſaris [a] Vindocini filii naturalis feciſſet, Alexandro etiam ex eadem matre ſuſcepto paterna indulgentia proſpicere voluit, eumque militiae [b] Melitenſi inaugurari voluit. Res inſigni pompa peracta in S. Joannis Hieroſolymitani aede, quae olim Templariorum fuit, coram pontificio legato et ceteris principum oratoribus, convocato etiam ſenatu. Ubi ad verba voto praeeuntia ventum, cum Alexander per aetatem reſpondere non poſſet, rex impotentia abreptus, ut adfectum paternum erga filium declararet, ſedem regiam protinus deſeruit, ut coram magno Franciae priore, cui ſucceſſor in ea dignitate deſtinabatur, pro filio ſponderet; et ſe regis ſolio deſcendere dixit, ut patris officio fungeretur; ac religioſe promiſit, ubi filius XVI aetatis annum attigiſſet, votum quod pro eo emitteret, ratum habiturum.

VIII. REGIS gaudia nonnihil conturbavit nuncius de Catharinae [c] Ambarenſis ſororis morte ſub id allatus. Ea cum Henrico Lotaringo Ambarenſi conjuncta vixerat, laudando ad omnem aeternitatem amoris conjugalis exemplo, et qua erat humanitate et benefica natura, cunctis bene volebat, cunctis bene precabatur. Solemne ejus votum erat, cum novas ſponſas videbat, ut quantum ipſa virum ſuum, tantum illae maritos ſuos diligerent: quod exiſtimaret omnem amorem magnum eſſe, ſed aperto in conjuge, ut ait [1] ille, longe majorem; nam Deum ipſum facem, qua ignis ille accenditur, ventilare. Tollendae prolis ardenti deſiderio cum teneretur, ad omnia momenta conceptiones probabat; et ſi qua ejus rei vel falſa indicia apparerent, ea ut certiſſima concepti foetus argumenta accipiebat. Itaque cum vel molae pondere, vel ventis uterum diſtendentibus, tumorem inſolitum ſentiret, facile a medicis, atque adeo a Ludovico [d] Metenſi, cui multum tribuebat, ſibi perſuaderi paſſa eſt, tumorem illum a conceptione provenire; ideoque omnia remedia ad tumorem diſſipandum, qui ad extremum in inflammationem deſiit, neceſſaria praefracte reſpuebat, ne foetui officeret. Tandem cum aegritudo ingraveſceret, et alia indicia, quam quae in uterum geſtante eſſe ſolent, in dies ſe manifeſtarent, miſſus a rege fratre Andreas [e] Laurentius ſummi judicii nec minoris doctrinae vir, qui ad mali incogniti curam induſtriam certiorem afferret. Is cum nulla conceptus, multa uteri male affecti ſigna animadverteret, indoluit, medicos, dum ſereniſſimae heroinae deſiderio praepoſtere blandiuntur,

VAR. LECT. [α] intercedentibus ſupra memoratis ad *MS. Reg.*
[β] ſubſecuto. Rex impenſe charitatibus addictus, naturales filios in ſpeciem prae legitimis diligere videbatur. Cum *MS. Reg. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Vendoſme.* [b] *l'Ordre de Malte.* [c] *la ducheſſe de Bar.* [d] *de Mets.* [e] *du Laurens.*

NOT. [1] Propertius Lib. IV. Eleg. 3. verſ. 49.

blandiuntur, remedia in tempore non adhibuiſſe ad corrigendam tumoris ad inflammationem jam vergentis intemperiem; quae licet tardius cum adhibenda ſine mora cenſeret, illa, quae ſpem ſemel animo conceptam nollet deponere, obfirmato contra animo recuſavit, eamque ad extremum pertinaciter ſervavit, foetum ſuum identidem ſocero, viroque commendans, eoque ſalvo ſe non aegre mori teſtata; ac tandem febre ſuperveniente inter graviſſimos cruciatus defecit. Serius contra praeceptum maternum a fratre elocatae, oſtentatis Alençonii primum Henrici III fratris, dein Jacobi VI Scotorum regis, ac mox Caroli Sabaudiae ducis nuptiis, diu illuſum eſt; poſtea coelibis vitae pertaeſa, cum Carolo Borbonio Sueſſionum comite, proximo gentili ſuo, dum adhuc in Benearni pago commoraretur, nuptias clandeſtinas, paulum abfuit, contraxit: deinde perhonorifice a fratre in aulam evocata eſt, et Hen. Borbonius Monpenſeriae dux, item gentilis ſuus, ſed remotior, nuptias ejus fratre ita jubente ambivit, irrito ſucceſſu; cum nec illa vellet, nec rex multum contra pugnaret, quippe qui factum ſatis putaret, quod Sueſſionem ab iis depuliſſet. Dolorem ex ejus morte graviſſimum frater ſenſit, qui vivam parum curaſſe putabatur, et ſolatia in ingenti luctu admiſit. Certatim principum legati officio defuncti ſunt. Pontificius orator diu haeſit ob religionis ſcrupulum. Tandem cum Romae ſibi probroſum fungi officio, apud regem deeſſe minus honeſtum putaret, rationem invenit, qua nec pontifici omnino diſpliceret, et officio in ſpeciem defungeretur: nam ad regem admiſſus praefatione uſus eſt, et ſe in hac publica aulae comploratione, diverſo ab aliis ſenſu, dixit, affici; quippe cum rex et amici ejus de vita ſorori erepta dolerent, ipſe animae ejus de ſalute periclitantis cauſa lugeret. Ad quae verba rex, qui ad luctum ingentem injurioſae exprobrationis intempeſtivam audaciam addi impatienter ferret, ſubito reſpondit, ſic exiſtimare, Dei gratiam vel in extremo vitae ſpiritu ſufficere potuiſſe, ut illa ad aeternae vitae gaudia et in beatorum numerum referretur. Ut vivae ſummus honos a ſocero et viro habitus, ita mortuae non minor delatus eſt, corpore perhonorifica pompa [a] Nancio, ubi obiit, ad limitem deducto, unde a regiis miniſtris exceptum, eadem pompa [b] Vindocinum delatum eſt, ut cum Joanna matre ſepeliretur.

IX. Inter haec rex, aedificiis aut veteribus inſtaurandis aut novis ſtruendis, operibus publicis, artibus manuariis excolendis ſe oblectabat. Propoſita et ratio, auctore Ronii marchione, qui aerarii curam gerebat, ut navigatio per [c] Ligerim cum [d] Sequana conjungeretur, excavato inter [e] Briaram et Genabum canali, qui ad [f] Caſtellionem ſupra [g] Montargirium XXXIII cataractis ad retinendam aquam intermediis extenderetur, et inde per [h] Lupam juxta [i] Moretum, haud longe a [k] Blaudi-fonte Sequana exciperetur; opus magno ſumptu inchoatum, expenſis in eam rem CCC aureorum et amplius CIϽ; poſtea livore quorundam poſt regis mortem intermiſſum in auctoris odium, cum dicerent, nullo in publicum profectu continuari aut perfici poſſe: verum opere jam prope confecto, et pecunia in eam rem ex publico procedente, nihil obſtabat quin illud omnino conſummaretur; et poſt conſummationem intempeſtivum fuiſſet de utilitate ejus diſputare. Sed vicit eorum factio, qui hanc ſive auctori gloriam, ſive publico utilitatem inviderunt, pecunia interim ad id deſtinata in uſum deteriorem interverſa: quod ingratitudinem ſaeculi, et ingeniorum noſtrorum levitatem ſimul arguit; qui nec alios publico inſervire ſinimus, et ipſi perſeverantiam in utilibus conſiliis minime ſervamus. Tunc etiam novi devotorum ordines plerique in regno admiſſi aut inſtituti. Recollecti, de quibus jam ſupra demonſtratum, plurimum invaluerunt, qui ante VIII annos primo ab urbe lapide, in via quae ad

INTERPR. [a] *Nancy.* [b] *Vendoſme.* [c] *la Loire.* [d] *la Seine.* [e] *Briare & Gien.* [f] *Chaſtillon.* [g] *Montargis.* [h] *le Loing.* [i] *Moret.* [k] *Fontainebleau.*

CIↃ IↃ CIV. HENRICUS IV.

ad [a] Vicenarum caſtrum ducit, ſedem primam fixere. In ſuburbio S. Germani Joannitae ſeu [b] fratres Ignorantes, qui aegrotos ſedulo curant, valetudinarium ſuum conſtituere. Fundatum et ut virorum, ſic foeminarum [c] Foliacenarum [d] Toloſae coenobium, ad quod virgines et viduae admittuntur; cui Antonia [e] Aureliana Bellae-inſulae marchioniſſa vidua, deſerto [f] Fontis Eberardi nobiliſſimo in Andibus et ampliſſimo toto regno Devotarum monaſterio, cui antiſtita deſtinabatur, praeeſſe maluit. Tereſianae et ex Hiſpania accerſitae, quae Carmelitarum regulam tuentur, in S. Michaëlis ſuburbio ad S. Mariae in campis, domicilium ſtruxerunt, et alterum mox ad [g] Pontem-Eſiae. Capucinae et ab Aloiſia regina Henrici III vidua ex voto inſtitutae, quae [h] Avarici Biturigum ſedem haberent, cum praevertente reginae morte commode in illa urbe habitare non poſſent, a Maria Lucemburgica Mercuriani ducis Aloiſiae fratris et heredis vidua Lutetiam tranſlatae ſunt, ſtructo regali ſumptu coenobio, ubi et Aloiſiae corpus, [i] Molinio Boiorum aſportatum, terrae mandatum fuit. Neque rex, de republica ſolicitus, qui foris ab aemulis domi a ſuis ſe peti ſentiebat, interea ceſſabat; inſidiis undique, quia vi aperta non poterant, oppugnatus. Nam Hiſpani, qui ex alienis calamitatibus lucrum privatum faciunt, nihil non faciebant, ut per emiſſarios ſuos, pecunia, vel aliarum rerum ſpe alienatos per bella civilia animos ad ſe colligerent, et ad publicam quietem perturbandam ſpecioſo religionis colore incitarent, ad omnes occaſiones intenti; et ut arcana noſtra rimarentur, et ex eorum notitia in rebus ſuis conſilium caperent, in corrumpendis hominibus qui primariis regni officialibus operam navabant, omne ſtudium ſuum ponebant. Nec corrupto ſaeculo multum illis laborandum fuit, ultro ſe offerentibus, qui pudorem decoxerant, et fidem ad proditionem addicebant.

X. In iis fuit Nicolaus [k] Hoſta patria [l] Aurelianenſis, qui patrem hominem minime malum [m] Villaregii domeſticum habuerat; in cujus familia cum filius adoleviſſet, eo domino charior, quod puerum de ſacro lavacro levaſſet, eique nomen ſuum dediſſet; ſive religionis praetextu, quo multi ſibi hodie imponi nimis facile ſinunt, dum Hiſpanorum cauſam, ſive potius ambitionem cum religionis ſimplicitate confundunt, ſive quod vero ſit ſimilius, opimioris et ſupra fortunam conditionis inde concepta ſpe, ad partes illas animum applicavit; et cum in Villaregii familia literas notis incognitis ſcriptas deſcribendi provinciam ex ejus indulgentia ſuſcepiſſet, cuncta ſecreta ad oratorem Philippicum aſſidue deferebat. A Villaregio, ut fit, Antonio [n] Sillio Rupipotio, cum orator in Hiſpaniam proficiſceretur, attributus fuerat, ut linguam addiſceret; ibique arctiorem cum Hiſpanis amicitiam contraxerat, penſionem CIↃ CC aureorum annuam pactus, ob quam fidem ſuam inſigni perfidia proſtituerat. Arctam et cum [o] Raffio quodam familiaritatem colebat, qui ob cauſam minime generali gratiae et oblivionis lege condonatam in Hiſpania exulabat, qui, cum Hoſta interea in patriam rediiſſet, et literas nonnunquam ad ipſum daret, occaſionem ſe idoneam nactum putans, ut gratiam, a qua lege publica excludebatur, privato aliquo officio demereretur, Emerico [p] Joberto Barallio, qui Rupipotio in eo munere ſucceſſerat, rem detegit: acciditque tunc, ut Barallius dum de re ſecreta cum pontificio legato in illa aula verſante ageret, ille de ea ſe a Philippicis miniſtris ante monitum diceret, et quae Barallius prudenter ſuppreſſerat, praeterea ſe ſcire oſtenderet; inde certa ductus conjectura, arcana regis perfidioſe ad hoſteis emanare, per quem initio incertus, ex delatione non vana Raffii, id Hoſtae ſcelere fieri poſtremo ſibi perſuaſit. Itaque Raffium, cujus alioqui fidem ſuſpectam habebat, adjuncto [q] Deſcarteo ab epiſtolis, in aulam ad regem quamprimum proficiſci, cum literis ad Villaregium,

INTERPR. [a] *Vincennes.* [b] *les freres Ignorants* ou *de Jeandieu.* [c] *les Feuillantines.* [d] *Toulouſe.* [e] *d'Orleans marquiſe de Belle-Iſle.* [f] *Fontevrault en Anjou.* [g] *Pontoiſe.* [h] *Bourges.* [i] *Moulins en Bourbonnois.* [k] *le Hoſte.* [l] *d'Orleans.* [m] *de Villeroy.* [n] *de Silly comte de la Rochepot.* [o] *Raffis.* [p] *Gobier de Barrault.* [q] *Des Cartes.*

Villaregium, et quas ab Hoſta habebat, ſecum ferre jubet. Repentino Raffii in Galliam diſceſſu proditionem Hoſtae detectam conjectantes Philippici, per curſorem, qui Raffium celeritate antevertit, ad Baltazarem [a] Sunicam tunc Philippi in aula noſtra oratorem ſcribunt, Hoſtam moneat, ut fuga mature ſibi conſulat; nam Raffium rei conſcium in aulam ea de cauſa a Barallio per diſpoſitos equos miſſum, indicio illo gratiam, quam a rege huc uſque non potuerat, impetraturum. Itaque cum Raffius ad [b] Blaudi-fontem, atque adeo ad Villaregium cum Deſcarteo venit, Hoſta a Sunica, qui Lutetiae remanſerat, monitus, jam eo venerat, ut rebus convaſatis, neceſſaria ad fugam pararet; qui conſpecto Raffio ſubito ſe praecipitato conſilio ſubduxit, et cum homine Belga a Sunica attributo per Campaniam iter facturus aufugit. Miſſi ad eum perſequendum, cum ad [c] Faium, ubi [d] Matrona [e] pontone tranſmittitur, eum adſecuti eſſent, ille per noctem obſcuram oberrans, dum vadum quaerit, in foveam praecipitavit, et ſubmerſus eſt. Id VIII Kal. Maias accidit. Captus viae comes, a quo ſuſpicio fuit ſubmerſum Hoſtam Sunicae juſſu, ne tortus conſcios revelare cogeretur; et poſtea cadaver aquis erutum, et Lutetiam delatum. Huic a ſenatu curator [α] datus; qui cum teſtibus compoſitus ad objecta crimina reſponderet, tandem laeſae majeſtatis reus peragitur, et ad ſupplicii ſpectaculum cadaver aſſervatum producitur, et XVIII Kal. Junii in platea [f] Portuenſi a quatuor equis in quatuor partes diſcerptum; quae totidem locis ad urbis ingreſſum patibulis affixae ſunt. Ea re non caruit invidia Villaregius, et morte Hoſtae veritatis indagandae ac certo cognoſcendae commoditatem ſibi ereptam doluit. Rex ſane, qui alienam culpam primario viro minime imputandam cenſeret, humaniſſime eum ſolatus eſt, et ſermones per aulam ex illa occaſione diſſeminatos auctoritate ſua compeſcuit. Villaregius ipſe apologiam pro ſe ſcripſit, qua non capti ſub Raffii adventum Hoſtae rationes reddit, et culpam a ſe amolitur; praeterea ad regni praefectos diligenter ſcripſiſſe dicit, ut fugitivum quem deſignabat, ubicunque nacti vivum ſiſterent, et ad regem ſub cuſtodia quamprimum mitterent. Vix hac moleſtia rex defunctus erat, cum nova ac majore, atque adeo huic connexa laborare coepit.

XI. Carolus [g] Valeſius Arvernorum comes, ſolerti vafritie [β] regi non ingratus; ad haec feſtivus, et ad quaevis audenda et facienda ingenio et manu promptus, ſororem uterinam Henricam [h] Vernolii marchioniſſam Franciſci [i] Balſaci Entraguii filiam habebat, quam rex impenſe et propalam diligebat, non ſine occulto reginae morſu. Reginae exacerbabat odium marchioniſſae ipſius dicacitas, qua nemini, ne quidem reginae parcens, plus quam forma ipſa, quanquam praeſtantiſſima, regi placebat. Eo per illa ludicra crevit odium et utrinque ſuſpiciones, ut marchioniſſa de vitae periclitantis aſſerenda ſecuritate, aut ſerio cogitare coeperit, injecto per jocum, ut ſolebat, ſermone, vel finxerit; arreptaque inde occaſione Arvernus frater, dum ſorori apud regem ancillatur, eo ipſum adduxerat, ut minime ſibi diſplicere declararet, ſi illa, et ſuae, et liberorum ex ſe ſuſceptorum ſaluti in tempore conſuleret, et ſecurum extra regnum receptum, ſi quid humanitus contingeret, ſibi ac liberis pararet. Id permiſſum, ſed lege addita, quo reginam placatiorem haberet, ut ſchedula manu regis ſcripta ac ſubſcripta, inſuper et aliorum procerum et officialium ſubſcriptionibus, ut rumor erat, firmata, qua ſpem de matrimonio rex aliquando Henricae fecerat, et quam ad excuſandam cum rege conſuetudinem Henrica imprudenter paſſim jactabat, reſtitueretur. Cum de receptu extra regnum rex ſibi non diſplicere declaraſſet,

ſic

VAR. LECT. [α] datus Philibertus Nodinus forenſis pragmaticus, qui cum *MS. Reg.*
[β] regi, qui plerumque per lubrica et abrupta deviis itineribus quam regia via in negotiis incedere malebat, non ingratus *Reg. Put. & Rig. MSS.*

INTERPR. [a] *de Zuniga.* [b] *Fontainebleau.* [c] *Faie.* [d] *la Marne.* [e] *Bac.* [f] *la Greve.* [g] *de Valois comte d'Auvergne.* [h] *la marquiſe de Verneuil.* [i] *de Balſac d'Entragues.*

ſic exiſtimabat, marchioniſſam potius de Anglia, a qua minus ſub rege pacifico, quam ab Hiſpanorum ambitione metuebat, quam de Hiſpania cogitaturam; quippe in qua [a] Leviniae ducem et [b] Albinium Stuartos fratres, ſororis filios, in Britannia praepotenteis, et regi proximos habebat. Reſtituta interim ſchedula, de qua tantopere ſe excruciabat regina, ſatis operae factum pro tempore putabat, per otium conſilia per Arvernum et Entraguium marchioniſſae parentem cum exteris agitata diſturbaturus. Itaque tunc reſtituta ſchedula, quae penes parentem erat, exſolutis xx aureorum CIↃ, et facta ſpe, ut equitum tribunus crearetur. Quo facto res aliquandiu in aula quieverunt, regina in ſpeciem placata; et rege privatis charitatibus intento, cum ſero ſenſit, conſilia cum Hiſpanis agitari, et Arvernum et Entraguium clandeſtina cum Joanne Taxi inchoata colloquia, cum Balthazare Sunica, Thomae Morgani cujuſdam Angli factioſi exulis interventu, ſe inſcio perſequi. Qua de re non minus, quam regina de ſchedula fuerat, ſolicitus, Arvernum, qui [c] Claromontium interim rege inconſulto conceſſerat, et cum in aulam revocabatur, alia atque alia cauſatus venire detrectabat, in poteſtate habere voluit. Miſſus ad eum Petrus [d] Fugeus Eſcurius aliquoties, cum literis, quibus praeteritorum gratia fiebat: inde triennalis per Graeciam et Aſiam peregrinatio illi indicitur; quam cum exilium ſibi probroſum interpretaretur, et dedecus auctum a ſe deprecaretur, juſſus eſt cum Hiſpanis per homines in Hiſpaniam miſſos agere, contrahere, conſilia communicare, et ad regem poſtea citra fraudem referre, eaque de re mandatum [e] privatum a rege obſignatum, et a Villaregio ſubſcriptum, ad ipſum ab Eſcurio affertur. Aliquandiu dein altercatum inter eos, per quos homines id fieret, cum Arvernus eos a rege nominari debere contenderet, rex rem arbitrii ejus faceret; ac poſtremo de [f] Roqueto convenit, cui data ſecreta mandata: quibus Arvernus male uſus, et contra regis voluntatem, cum diceretur, ob id in aulam tam inſtanter revocatus eſt. Cum tergiverſaretur, ad eum capiendum ſic res [α] inſtruitur: [g] Vernolii marchionis equitum ala, quam Philippus [h] Scalarius Bolaius ducebat, et altera [i] Vindocini, quam [k] Eurreus itidem ducebat, in Arvernis erant ex ipſius Arverni [β] voluntate, qui ad nobilis foeminae, quam perdite deperibat, privatas injurias ulciſcendas iis utebatur. Inde occaſione capta Eurreus cum ala Vindocina ſtipendio allato luſtranda eſſet, ab Arverno enixis precibus contendit, luſtrationi intereſſet, ut de numero equitum egregie inſtructorum in aulam profectus, nam profecturus dicebatur, et ita in dies credi volebat, ad regem referret. Doli ſive ignarus, ſive quod eum eludere poſſe confideret, fidem obſtringit, et diem quo adeſſet condicit v Eid. Nov. quo et a prandio temporius venit, equo Scoto admodum pernici vectus, jam quod erat certo ſuſpicatus, ut ſi nondum Eurreus cum ſuis ad locum veniſſet, inde alio progredi et ſe excuſandi occaſionem caperet. Sed jam Eurreus ordines inſtruxerat, et Philibertus [l] Nereſtanus rei conſcius quaſi [m] Rigomago veniens cum delectis advenerat, qui ad ejus conſpectum ex equo ſtatim deſiliit, et cum Arverno itidem ex equo deſcendente, aliquandiu collocutus eſt. Tum uterque equum aſcendit, et inde ad dextram Nereſtanus, inde ad laevam Eurreus incedunt, datoque ſtatim ſigno grandior pediſſequus a Nereſtano juſſus habenis equi apprehenſis Arvernum ſiſtit, eodemque tempore Eurreus ad enſem ipſius manu appoſita ipſum ſe quoque ſiſtere regis juſſu dixit; et mox pediſſequi alii duo, qui milites ſtrenui erant, habitu pediſſequorum, quo res magis tegeretur, eum de equo

violenter

VAR. LECT. [α] inſtruitur: Vindocini equitum ala quam Carolus Scalarius Bolaius ducebat, et altera Vernolii marchionis quem Eurreus *MS. Reg.*
[β] voluntate, qui ad privatas injurias ulciſcendas, non ſuas, ſed nobilis et illuſtris notae foeminae quam perdite deperibat, haud minus ab ipſa redamatus, iis utebatur *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Lenox.* [b] *d'Aubigny.* [c] *Clermont.* [d] *Fougeu Sr. d'Eſcures.* [e] *brevet.* [f] *la Rochette.* [g] *la compagnie de chevaux legers du marquis de Verneuil.* [h] *Eſchalar Sr. de la Boulaie.* [i] *Caeſar duc de Vendoſme.* [k] *le Sr. d'Eure.* [l] *de Nereſtang.* [m] *Riom.*

violenter deturbant, et in ſtrigoſum jumentum, quo tubicen vehebatur, ſubjiciunt; eodemque die [a]Aquas ſparſas, id oppido nomen, nuſquam interjungentes, deducunt. Heic nequaquam foeminae, de qua diximus, oblitus [b]Arvernus, gratiae loco ab Eurreo impetravit, ut ad eam literas dare liceret; quibus quod ad eam nocte illa non itaſſet, ſicuti convenerat, ſe excuſabat. Quod impotenti adoleſcentis amori comiter permiſſum. Illa vero tam impatienter Arverni captivitatem tulit, ut arreptis ſtatim ſcloppetis, quos equo inſidens virilis animi mulier geſtare conſueverat, non alia manu Eurreum, non alia [c] Muratum quaeſtorem, qui rei conſcius putabatur, quam ſua caſuros, horrenda dejeratione aſſeveraret. Inde continuato itinere Arvernus Briaram perductus, ubi eum Eſcurius cum carruca exſpectabat, qua conſcenſa [d] Montargirium petit, et inde per amnem in Sequanam influentem ad Baſtiliam non intrato armamentario venit; eadem qua Bironus nuper cella incluſus. Ad cujus ingreſſum amici memor, lachrimas non tenuit; dein ſerenata facie ad [e] Ruvinium, qui arci praeerat, converſus, jocoſe ſubjecit, nullum tota urbe tam vile, tam ſordidum eſſe diverſorium, in quo non libentius quam iſtic pernoctaret; in qua tamen XII plus minus annos detentus fuit, taedium carceris librorum lectione oblectans. A puero in literis egregie a Joanne [f] Roëno [α] inſtructus fuerat; quas cum in laſcivia aulica initio neglexiſſet, earum dein utilitatem in calamitate ſua ſenſit, proprio experimento edoctus, quanto cum fructu et emolumento pueri, qualicunque ſint conditione, in literis inſtituantur, ut inde aliquando habeant unde ſe ſive valetudine adverſa, ſeu calamitate, ſive in ipſa ſenectute, cum alia adminicula deſunt, abunde ſolentur. Eodem tempore Franciſcus [g] Balſacus Entraguius Aurelianenſis praefecturae praeſes ad [h] Malaſherbas in arce ſua in Vaſtinenſi agro, regis juſſu itidem capitur, et Lutetiam ductus carcere [i] Palatino includitur. Marchioniſſa [k] Vernolii filia in ſuis aedibus Lutetiae ſiſtitur; praefecto vigilum cuſtodia ejus attributa.

XII. Paulo ante, exeunte Septembri, curia de repetundis, quae contra aerarii toto regno quaeſtores ab anno CIↃIↃCI jus dixerat, grandi pecunia exſoluta revocata eſt, evulgato joculari dicterio, quaeſtorum aerarii univerſitatem, pratum eſſe floriferum, quod ſi non anniverſario foeniſecio, at ſingulis decenniis, aut plerumque [β]citius, ſuccreſcente ſemper nova herba, tondetur. Extremo demum anno, Ronii marchione auctore, perniocioſiſſimi inſtituti res invaluit, qua officia, quae fere apud nos innumera ſunt, tam judicialia quam quaeſtoria, per omnia exaequata ſunt, et turpiſſima nundinatione aeque propudioſe proſtare juſſa, annua penſitatione, quae a [l] Pauleto nomen ſumpſit, juxta taxationem de ſingulis factam impoſita; qua exſoluta, quadraginta dies conſtitutionibus regiis praefinitos expectare minime opus eſt, ut illa ad ſucceſſorem per ejerationem tranſeant; ſed heredibus ſervantur, ut de iis tanquam de re patrimoniali, atque adeo hereditaria, arbitrio ſuo ſtatuant. Quod non ſolum dictu foedum, ſed eventu ſumme detrimentoſum regi et regno fuit, atque adeo familiis ſingulis, aucto in immenſum et ſupra ſpem fidemque pretio, ut illud tota patrimonia plerumque vincat; eaque re fiat, ut ſi plures ſint liberi, nemo unus ea retinere poſſit: ſicque decus paternum et avitum quo ſe familiae tuentur, per incrementum illud amittatur. His accedit, quod, aperta ſemel ad pecuniam via, nullus virtuti locus relinquitur. Sublatis autem virtutibus et virtutum praemiis, quem ſtatum reipublicae futurum? Sed auctoritatis regiae praecipuum in eo diſcrimen verſabatur, quae beneficentia ſua per has nundinationes omnino exuitur, hoc eſt, primario majeſtatis ſuae nervo privatur:

VAR. LECT. [α] Roeno optimo viro inſtructus *MS. Reg.* [β]citius, magno aulicarum Harpyiarum emolumento ſuccreſcente, *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Aigue-perſe.* [b] *le comte d'Auvergne.* [c] *de Murat.* [d] *Montargis.* [e] *Ruvigny.* [f] *de Roen.* [g] *de Balſac d'Entragues.* [h] *Maleſherbes en Gaſtinois.* [i] *Conciergerie du Palais.* [k] *Verneuil.* [l] *la Paulette.*

privatur: nam inde honores, dignitates, et beneficia peti, et a meritis ſperari oportet. Nunc cum homines ea pecunia parari vident, non ſolum regem ignorant, ſed opibus ſuis, non meritis, decus arrogant, et neglecto virtutis ſtudio, quod ſuum non eſt, in patrimonio numerant. Inde impotens opum deſiderium, et honeſtarum rerum contumax deſpectus. Adde quod officia illa innumera ad antiquum numerum contrahendi, quod ſemper inter Ordinum poſtulata praecipuum fuit, et vilitate, quae numero crevit, ſublata, priſtinam dignitatem reſtituendi facultas in poſterum adimitur. Adverſus haec a [a] Ronio objiciebatur, dignitates, honores, officia, non jam regis beneficium eſſe, ſed aulicorum prenſationibus ad conciliandos amicos, aut explendam profuſionem, in praedam cedere. Nec ferre publicam egeſtatem, ut de contrahendo officialium numero in praeſentiarum ratio ineatur. Itaque potius eſſe, ut quod ſingulorum avaritia aut prenſatio rapiebat, id aerario, quod univerſi regni onera ſuſtinet, ſupplendo impendatur: et ita regi, qui aegre ad donandum cogebatur, aegre offenſam veritus recuſabat, ut ſe hac moleſtia liberaret, expedire viſum. Adverſabantur initio omnes, ac praecipue curiarum ſenatores, aliique toto regno magiſtratus, rem probroſam juxta et in poſterum detrimentoſam clamitantes; qui paulatim lucri in dies creſcentis dulcedine capti mutarunt. Itaque id edicto minime ſancitum, quod proculdubio tunc, ut erant animi affecti, a curiis regni rejectum iri aulici judicabant; ſed decretum de ea re factum, quod novo more in [b] cancellaria Palatina, vocatis libellorum ſupplicum magiſtris, coram ſecretariorum collegio, a cancellario ipſo, non ſine publica indignatione promulgatum [α] fuit. Id metu factum plerique crediderunt, quod ille ſucceſſorem ſibi datum jam videbat, procuratione ſigillorum Nic. Brularto Sillerio ſub id attributa, ſed diplomate ad aliquot menſeis poſtea penes ſe retento; et metuebat, ſi recuſaret, ne loco protinus moveretur; et qui ſummam infelicitatem aula carere anteacta vita exiſtimaverat, extrema aetate domum relegari aegerrime ferebat, et ſibi, in extremo actu, quam ambitioni, deeſſe malebat.

XIII. PIGET heic addere rem in ſpecie ludicram, quae tamen, quia in vulgus jactata in varios ſermones incurrit, omitti non potuit. Venerat in urbem ſpectaculorum omnis generis plenam, puella nomine Hadriana [c] Fraxinea, [d] Gerbiniaco pago in Ambianis nata, ſex a [e] Samarobriga miliiaribus, paupere loco, quae parenteis habebat labore diurno vitam [β] toleranteis; in [f] Bernardinorum vico, ubi hoſpitium ſumpſerat, oſtentabatur, tanquam a maligno ſpiritu poſſeſſa, et crebro ad S. Victoris nobile in ſuburbio proximo coenobium deducebatur. Haud minore frequentia, quam ad Martham [g] Broſſeriam, concurrebant undique omnis conditionis homines, quorum illa, aut impurus qui eam habebat ſpiritus, per bimeſtre curam et induſtriam exercuit. In iis fuit Petrus [h] Cotonus, qui excantandi ſpiritus fiducia fretus ad energumenam acceſſit; et ut erat curioſo et excellenti ad omnia ingenio, hinc occaſionem ſumpſit ab Hadriana ſive ſpiritu ſciſcitandi multa, quae aliunde cognoſcere ſpes non erat. Is commodato librum exorciſmorum ab amico viro docto et pio acceperat, cui, ut memoriam adjuvaret, indicem quaerendorum inſeruerat, manu propria et Latina lingua exaratum; quem poſt peractum exorciſmorum ritum per oblivioſam imprudentiam, amico, a quo acceperat, cum libro reſtituit. Ille, qui Cotoni manum ignoraret, neque a Cotono ſcriptum profectum crederet, alteri amico tradidit, et ita ſcriptum per manus multorum volitavit, donec ad Ronii marchionem pervenit; qui illud regi oſtendit. In eo quaerebat ab Hadriana ſive ſpiritu

VAR. LECT. [α] fuit, ſupremo magiſtratu ad tam vile miniſterium adacto, id *MS.*
[β] toleranteis. In urbe hoſpitium ſumpſit apud Tuſanum Cauvelinum in Bernardinorum vico advocatum, in ſenatu et probitatis et nominis; ubi oſtentabatur, tanquam *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *le marquis de Roſny.* [b] *la petite chancelerie.* [c] *du Freſnes.* [d] *Gerbigny.* [e] *Amiens.* [f] *rue de S. Bernard.* [g] *Broſſier.* [h] *le pere Coton.*

ſpiritu maligno Cotonus, quid ſe vellet Deus ſcire circa [1] R. R? Quid circa commorationem in curia? Quid circa admonitiones privatas et publicas? Quicquid circa viam et iter? Quicquid circa confeſſionem ejus generalem? Quicquid circa commorationem cum patribus? Quicquid circa comitem Lavallum? circa vota, ſacrum, caſus conſcientiae? circa converſionem animarum? Quicquid circa canonizationem, utrum urgere ſe velit? Quicquid circa bellum cum Hiſpanis et haereticis; circa miſſionem in Franciam Novam, et totam oram adverſae Americae? circa viam, quam tenere debet, ut ſuadeat efficaciter; viam, ut abſtineat a peccatis? Erant et quaeſtiones eruditae; An linguae a Deo? Quis evidentiſſimus Scripturae locus ad probandum Purgatorium et invocationem Sanctorum? Quomodo animalia in arca Noë capi potuerint? Qui filii Dei filias hominum dilexerunt? Pedibuſne inceſſerit ſerpens ante Adae lapſum? Quamdiu in coelo ipſi, et in Paradiſo terreno parentes fuerint? Qui ſunt VII Spiritus ante thronum Dei? Archangelorumne Rex? Quomodo inſulae animalia acceperunt, et eo homines poſt Adamum pervenerunt? Ubi Paradiſus terreſtris? Quota pars conciderit Angelorum? Quae adoratio Dei in Cherubin? Quod majus periculum noſtrum? Cui reſtitutioni rex ſit obnoxius? An expediat matrem Paſitheam venire? Quid de [2] D. R. converſione ſperari poſſit? Qui haeretici ad fidem acceſſuri facilius in aula? Quicquid periculi creatur in Societatem a daemonibus? Quicquid contra ſe? Quid utiliſſimum ad converſionem omnium haereticorum? Quis ſcholae [a] Pictavienſis fundationem maxime impediat, et quid? Quid ut firma pax cum Hiſpanis? Si quid ſe velit ſcire Deus de tempore, quo Calvini haereſis extinguetur? Circa Genevae plagiarium, quid ſe ſcire velit Deus per ipſum ſpiritum? Quid circa profectionem patris generalis in Hiſpaniam? Qua ratione converti rex Angliae, regina et regnum, maxime et facile queant? Turcus qua ſupplantari ratione, qua converti infideles? Quid circa Genevae conſervationem tam ſaepe? Quid circa regis ſanitatem? Quid circa compoſitionem animorum inter regem et magnates ſubditos? Quid circa urbes obſidionaleis? Quid circa [b] Leſdiguierium et ejus converſionem? Quid [c] Ambianenſem ſcholam impediat? Quid [d] Trecenſem? Circa durationem haereſis? Quaerebat et qua ratione juvari poſſet D. de [e] Viroduno, qui jam tum ad eccleſiaſticam, quam poſtea adeptus eſt, dignitatem aſpirabat? Haec alii ridebant, et mordaciter carpebant: nam ſi veritatis amore ducitur, cur a patre mendacii eam ſciſcitatur? Dum vero loca indagat Scripturae probandis iis, quae eccleſia tenet, quid aliud agere, quam aut ſe de iis dubitare, aut ab eo, qui Scripturam ex propoſito calumniari amat, eorum probationem fruſtra petere? Alii omnino damnabant: nam expreſſo Dei verbo prohiberi, ne quis ſciſcitetur ariolos, et obſervet auguria et ſomnia, neque ſit maleficus, atque incantator; neque qui Pythones conſulat, nec divinos, et quaerat a mortuis veritatem: omnia enim haec abominari Dominum, et propter ejuſcemodi ſcelera gentes deleturum. Cui autem opus eſſe perſcrutari ſuper regis ſalute, niſi a quo adverſus illam cogitatur, aut poſt illam ſperatur? Non oportere nec licere, ut de ſtatu reipublicae nefaria curioſitate quaeratur: nam qui de ſalute principis vel ſumma republica mathematicos, ariolos, aruſpices, vaticinatores conſulunt, cum iis, qui reſponderint, capite plectendos eſſe: et ſcitum eſt, quod a beato Thoma Aquinate dicitur, non licere daemones adjurare per modum deprecationis, quia hoc ad benevolentiam pertinet; et Deus prohibet, ne ſocii daemonum ſimus; ſed licere per virtutem Divini Nominis eos adjurando ejicere, ne noceant: non autem ut per eos aliquid diſcamus aut conſequamur. Pauci denique excuſabant; et quod inconſiderato pietatis ſtudio excogitatum et factum fuerat, ſilentio ſepultum malebant. Sane rex, qui rem in occulto minime probabat, et

Ronio,

INTERPR. [a] *de Poictiers.* [b] *de Leſdiguieres.* [c] *d'Amiens.* [d] *de Troyes.* [e] *Verdun.*

NOT. [1] regem reginamque, aut regis regimen *Put.* [2] *lege* ducis Ronii. *Put.*

CIↃ IↃCIV.
HENRICUS IV.

Ronio, ut autographum retineret, neque alii daret, enixe imperaverat, eum evulgatum indoluit, quod provideret futurum, ut apud bonos prudenteiſque multum Petri Cotoni exiſtimationi ex ea occaſione detraheretur; cujus ipſe opera et induſtria, ut ſibi videbatur, in multis rebus utiliter utebatur. Itaque ut os aulicis obſtrueret, rem quantum poterat, verbis elevabat, et de ea aliter ſentire, quam re vera ſentiebat, prae ſe ferebat.

XIV. NOSTRAS ad res et pertinet Canadae tractus hoc anno et ſequentibus amplius luſtratus. Per ſeptentrionem occaſum verſus ad Molucas, atque adeo ad orientalem Sinarum late patentem regionem penetrare antea multi aggreſſi ſunt. Henrico VII Anglorum rege Joannes Chabotius, et Sebaſtianus Joannis filius, id tentarunt anno CIↃ CCCCXCVI. Eodem tempore Gaſpar [a] Curtiregius auſpiciis Emmanuelis Luſitaniae regis idem aggreſſus eſt cum Michaële fratre, ſed irrito ſucceſſu. Anno praeteriti ſaeculi XXXIV et ſequente, Jacobus [b] Carterius Franciſco I rege ad eas partes navigare inſtitit, cujus et relationes exſtant. Sexto poſt anno [c] Robervallius eandem navigationem perſecutus eſt, et [d]Alfonſum Santonem rei navalis peritum creditum eo miſit, qui ad terram uſque Laboris, hoc eſt, agri culti penetravit; ſed nullo ſucceſſu. Anno demum CIↃ IↃ LXXV, et duobus ſequentibus Martinus [e] Forbiſherus Anglus treis ordine navigationes ſeptentrionem verſus ſuſcepit: et VII poſt annis Humfredus [f] Gilbertus itidem Eliſabethae auſpiciis, cum V navibus eandem viam inſtitit, et ad inſulam [g]Arenarum naufragium fecit. Quo eodem anno ac ſequentibus, Joannes [h] Daviſius uſque ad LXXII gradus curſum direxit, et fretum de ſuo nomine in tabulis deſcriptum indigitavit; quem et ſecutus eſt [i] Georgius navarchus anno CIↃ IↃXC haud majore profectu; quippe ne ulterius pergeret, glacie vaſta, et illis locis perdurante, prohibitus. Ad ſeptentrionem ortum verſus Batavi, cum ad eaſdem [k] Sinarum regiones navigare conſtituiſſent, iiſdem difficultatibus, etſi diverſo itinere, conflictati, ſicuti in ſuperioribus demonſtravimus, Zembla Nova ſalutata, ad extremum re infecta domum reverſi ſunt. Horum aemulatione cum noſtri Novam Franciam olim a Carterio luſtratam repetere, in eaque domicilium colonia deducta figere, et inde aditum ad Sinarum regionem per otium quaerere conſtituiſſent, iis ſe ducem praebuit anno CIↃ IↃXCVIII [l] Troilus Meſquoëtus Rupis marchio, ex [m]Armorica nobilitate novitiae navigationis non ignarus, et rei per pericula faciendae percupidus. Is ad inſulam Arenarum ſuos expoſuit, inde in Franciam reverſus, cum ſperata ſubſidia deficerent, ſuos quoque deſtituit. [n] Cauvinius item navarchus alios diverſa via duxerat, qui curſum coeptum minime tenuit. Demum Petrus [o] Gua Montius e nobilitate Santonica, qui ſciret has terras fibris, caſtoreis, lutris, et vulpibus nigris abundare; et inde precioſas pelleis colligi, ne gravis eſſet aerario, in navigationis ſumptus hanc gratiam a rege impetravit, ne cui niſi permiſſu ſuo pellium inde advectarum negotiationem facere liceret. Quae tamen, Vaſconibus noſtris inſtantibus, paulo poſt revocata fuit, ac denuo conceſſa, et per portus regiae ditionis paſſim publicata. Itaque Montius CXX omnis generis opificum magnum numerum cogit, quem in navem CXX doliorum imponit, eique praeficit [p] Pongravium; ipſe navem CL doliorum conſcendit, cum voluntaria nobilitate, atque in iis Joanne [q] Biencurio Potrincurio, et Samuele [r] Camplanio Santone, qui has navigationes ſumma fide ac diligentia deſcripſit, et [s] Franciſcopoli ſolvit VII Eid. Aprilis; ac triduo poſt Pongravius. Jam terris illis nomina a promontoriis in Gallicano tractu cognominibus a Carterio et Robervallio impoſita erant; itaque condictus

INTERPR. [a] *de Corte-real.* [b] *Quartier.* [c] *Roberval.* [d] *Alfonſo Saintongeois.* [e] *Forbiſher.* [f] *Gilbert.* [g] *iſle de Sable.* [h] *Davis.* [i] *le capitaine George.* [k] *la Chine.* [l] *Troile de Meſquoet marquis de la Roche.* [m] *de Bretagne.* [n] *Chauvin.* [o] *du Guaſt Sr. de Mons.* [p] *Pontgrave.* [q] *de Biencourt Sr. de Poitrincourt.* [r] *Champlain Saintongeois.* [s] *Havre de Grace.*

condictus primo locus ad [a] Cancellum, xx, a promontorio [b] Britonum cognomine ei, quod Baionae noſtrae adjacet, leucis. Sed poſtea mutata ſententia, ad promontorium [c] Arietinum, quod magis ad auſtrum ſpectat, et appulſu commodius eſt, deflexit Montius. Kalendis Maii in conſpectum inſulae Arenarum ventum, ubi parum abfuit, quin errore locorum naufragium noſtri fecerint. xxx a promontorio Britonum leucis abeſt, et xv circiter leucas continet. Lacum habet exiguum, pratis et arbuſtis modicae altitudinis plena eſt, quibus vaccae veſcuntur, magno numero, a Luſitanis ante LX annos eo tranſportatae; quibus homines a marchione Rupis advecti vitam diu tolerarunt, quouſque poſt vulpium, quas dixi, venationem et luporum marinorum, quorum ſe pellibus veſtiebant, [d] Rotomagenſis ſenatus decreto, qui de caſu miſerorum hominum cognoverat, miſſa nave reducti ſunt; nec infructuoſa fuit vectoribus navigatio, piſcatione aſellorum per illum tractum copioſa in reditu facta. VIII Eid. Maias [e] Hevae portum tenuit Montius, qui ſinum latiorem habet crebris inſulis abiete conſitis diſtinctum. In continenti quercus et ulmi aſſurgunt; ad XLIV gradus altitudinis ſitus eſt, et inſulam a Lupis marinis propter frequentiam dictam ad latus habet. Quatriduo poſt portum ingreſſi noſtri v ab Heva leucis, ubi capta navis pellibus contra regium mandatum onuſta, ductore Roſſignolio, qui nomen loco dedit. Poſtridie ad Arietinum portum ventum, VII leucis a ſuperiore diſſitum: ſtagna circum et cuniculi frequentes. Ad eum exſcenſio facta, miſſa celoce ad Pongravium adducendum, qui mutati conſilii ignarus, ad Cancellum appulerat, ubi aliquot navigia cepit pellibus onuſta; inde miſſus [f] Camplanius, cum x delectis, et [g] Raleo Montii amanuenſi, qui litus circumpoſitum luſtraret, quod crebris inſulis praetexitur, pinu, abiete, fago conſitis; inter quas una adeo mergis abundabat, ut cadum ovis plenum inde reportaverit. Totus ille tractus avium omnis generis multitudine ſcatet; a Lupis marinis inditum nomen. Ibi piſcatio aſellorum commoda. Inde ad inſulam Longam dictam, VI leucarum ſpatio porrectam, unius latitudine latam, itum; quae ſinum a Montio Francicum vocatum praetexit, et citra periculum venientibus aditum ad eum aperit. Leucis ultra duabus progreſſus ſeptentrionem et eurum verſus, Camplanius argenti fodinam reperit, et mox ferri, unam et alteram optimam, ſicuti aſſeverabant periti, ſolo circum rubro: inde in portum a ventis ſecurum itum; ager circum amoenus, et cultura facilis; loco S. Margaritae nomen inditum. Inde ad Montium reditum. Ad S. Mariae ſinum cum tuta non eſſet ſtatio capiendis navibus, ultra progreditur Montius, et portum ingreditur, bis mille navium capacem: ɪↄccc paſſibus in ingreſſu patet: inde per duas leucas ad continentem porrigitur, unius latitudine, et tribus fluviis alluitur, dictus a Camplanio [h] Regalis. Halecum in uno ex iis fluviis; et Equillii optima piſcatio, inde nomen; et alteri S. Antonii. Sub altitudine XLV graduum ſitus locus, in quo ad laevam ingredientibus Montius tumultuariam ſubſtructionem excitavit. Inde ulterius itum, ſi forte cupri fodinam a [i] Maclovienſi inſtitore deſignatam poſſent indagare. Sinu [k] Francico pertranſito ad S. [l] Laurentii flumen ventum; et inde ad maximum et profundiſſimum, cui S. Joannis nomen impoſitum fuit, a die quo illum ingreſſi ſunt noſtri. Inde [m] Taduſſacum itur, in Sanlaurentiano fluvio, quod a [n] Sanjoannino LXV leucis diſtat: a Sanjoannino in aliud flumen itum, in quo ad duas leucas progreſſus Montius, inſulam in medio ſitam, CIↄ paſſuum in circuitu habentem, undique praerupto ſaxo vallatam, niſi qua per anguſtas fauces acceditur, ubi et portus eſt navium C doliorum capax, qui decedente mari in ſicco deſtituitur. Hic locus opportunus viſus Montio in quo ſe muniret, S.

CIↄ IↄCIV. HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Canceau.* [b] *Cap Breton.* [c] *le port au Mouton.* [d] *parlement de Rouen.* [e] *la Heve.* [f] *Champlain.* [g] *Raleau.* [h] *Port-Royal.* [i] *M. Prevert de S. Malo.* [k] *la Baye Françoiſe.* [l] *la riviere de S. Laurent.* [m] *Tadouſſac.* [n] *S. Jean.*

CIↃIↃCIV. Henricus IV.

S. [a] Crucis nomine ſignatus, ad latera fluvius ripas peramoenas et commodas reſpiciens; inde cum populis vicinis fere inter ſe belligerantibus negotiari licet, et eos ad concordiam, et poſtremo ad fidem Chriſtianam adducere. Hic Potrincurius, qui animi gratia venerat, portum Regalem ſibi a Montio concedi petiit, et impetravit; et inde domum anno ſequenti rediturus conceſſit. Camplanius miſſus ut cupri fodinam veſtigaret, indigena viae duce fruſtra fuit. IV Non. Sept. rurſus miſſus cum celoce XVIII doliorum, qui Norembegam fluvium creditum inſulis crebris diſtinctum, et cataractis impervium luſtravit, et cum indigenarum ducibus [b] Beſſabe et Cabahi amicitiam contraxit. Ii venationibus caſtoreorum et onagrorum, quorum pellibus veſtiuntur, et piſcatione vitam tolerant, et Nomadum more nullis certis ſedibus longe lateque errant, ſicuti reliqui Canadenſes et [c] Suricoſii. Ad fluvium [d] Quinibequium uſque proceſſum, cujus accolae cum reliquis bellum gerunt; quo facto ad S. Crucis inſulam, ubi Montius hybernae habitationi neceſſaria feſtinatis operibus urgebat. Rediit Camplanius IV Non. Oct. et artifices magnam partem ſcorbuto, quod et terrae malum vulgo vocant, laboranteis reperit, ob eſum ſalitarum carnium, et aſperrimam illis locis hyemem, quae reſolutionem impediebant, quo de morbo alibi diximus. Ineunte ſtatim Octobri ningere coepit, et hyems uſque ad menſem Maium inſequentem perſeveravit, parumque aut nihil toto illo tempore pluit. Cum diu fruſtra Pongravium uſque ad Junium ineuntem Montius exſpectaſſet, tandem ejus adventu recreatus XIV Kal. Quintil. cum ſuis inſula ſolvit, et in [e] Almuchicoſiorum terras curſum dirigit, [f] Teſtudinum inſulam praetervectus in itinere cum Manthumermero amicitiam contrahit, horum Nomadum duce; ac poſtremo cum Aneda cognomine herbae, cujus uſu [g] Carterius ſuos morbo quem dixi laboranteis ſcripſit curatos fuiſſe, quae tamen ab indigenis ignoratur. An vero illa ſit, quam Britannicam vocat Plinius, peritis harum rerum amplius inquirendum relinquo. Inde ad inſulam peramoenam divertit Montius, nucibus et quercubus conſitam, ſolo culto et vitibus frequenti, quae Bacchica ob id dicta eſt. Honemechinus his locis imperat, qui ad Montium venit cum ſuis egregie juxta morem patrium armatis, amicitiam noſtrorum magnae felicitatis loco reputare prae ſe ferens. Fluvio, qui illac labitur, [h] Chuacoëto nomen. Indicum frumentum illis locis Maio ſeritur, Septembri metitur, cui et fabas Braſilienſeis admiſcent. Cucurbitis inſuper, cucumeribus, et petonio et portulaca, ſolum abundat. Inde ad promontorium ventum, cui S. Ludovico nomen inditum, ubi Honabetham obvium habuerunt; qui acceptis aliquot levidenſibus muneribus choreas cum ſuis ducendo noſtros remuneravit, quod illis populis ſolemne eſt laetitiae et gratitudinis ſignum. Heic fluvius erumpit in mare latus longuſque, cui Montius [i] Gaſſo nomen fecit, qui ad [k] Irocoſios pertinet gentem bellicoſam, qui cum montanis S. Laurentii amnem accolentibus continua bella gerunt. Inde praetervectus promontorium [l] Album ad portum vicinum capiendis navibus opportunum appulit, cui Mallebarrae nomen fecit. Solum in continenti cultum, et frumento Indico et fabis Braſilienſibus conſitum; item cucurbitis. De cetero quercus et nuces in eo proveniunt, et cupreſſus procerae rubido colore, nec ingrato odore. Heic coelum mitius, nec mare congelatur; homines pellibus raro utuntur, in curſu pernices. Pingunt faciem rubro, nigro, et luteo colore; barbam raram habent, et ſuccreſcentem vellunt. Sariſſas dimidias, maſſas, arcus et ſagittas pro armis gerunt: frumentum Indicum in lateritiis vaſculis cum aqua decoquunt; dein maſſam ex eo confectam in mortario pinſunt, et in farinam redigunt. Heic et frequens piſcis Siguenoci nomine; maximus pedis et dimidii longitudine, unius latitudine,

INTERPR. [a] *l'iſle Ste. Croix.* [b] *Beſſabes & Cabahis.* [c] *Souriquois.* [d] *Quinnebequy.* [e] *Almouchiquois.* [f] *iſle de la Tortue.* [g] *Quartier.* [h] *Chouacoet.* [i] *riviere du Gas.* [k] *Iroquois.* [l] *Cap Blanc.*

latitudine, qui ſquama teſtudinis inſtar tegitur, quae medias ariſtas habet xerampelino colore, cauda in acumen eadem duritie prominente, inde ſagittas ſpicant indigenae: in ſumma cauda oculi; octonis pedibus anterioribus ut cancer ingreditur, duobus pedibus a tergo longioribus et ad natandum patulis. Inuſitatae et formae heic aves gregatim per litus volitantes conſpiciuntur, columbarum magnitudine, colore coeruleo in tergo ſubfuſco, ventre admodum candicante, alis prolixioribus, cauda brevi, et cruribus rubris contractioribus; roſtrum habent paulum fornicatum IV pollicum longitudine, ſcalpri chirurgici inſtar, cujus pars inferior manubrium refert, ſuperior laminam tenuiorem, et utrinque ferientem tertia parte breviorem, ut mirum ſit ſpectantibus quomodo commode hae aves, ita formato roſtro, eſitare poſſint. Inde digreſſi XXV Julii, quia viaticum deficiebat, poſt XL dierum navigationem [a]Montius Chuacoëtum redit, ubi [b]Marchium obvium habuit, hominem praeſtanti ſpecie et fortiſſimum inter ſuos creditum, a quo et juvenculum [c]Etechemium bello captum dono accepit. Quarto poſt die Quinibequium ventum, ubi ab [d]Anaſſovio locorum illorum duce pelleis permutatione acceperunt, foederatione cum eo facta. Inde ad S. Crucis inſulam appulit IV Non. Sextil. ubi [e]Antonſium Maclovienſem reperit, cum commeatu quo noſtri jam egere incipiebant appulſum, ex qua deliberatione habita domicilium ad portum Regalem transferri placuit, ubi per fabros feſtinata aedificia. Quo facto, Montius relicto Pongravio qui vicem ſuam gerat, [f]Camplanio negotium dat, ut Floridae tractum luſtraret; ipſe in Franciam, ut regem de ſucceſſu edoceret, venit. Camplanius tertio ad cupri fodinam interea indagandam profectus eſt, cum [g]Jacobo Illyrico harum rerum perito, qui loco ab indigena indicato ſpem fecerat rei conficiendae: verum poſtquam ad portum Regalem in hyberna redierunt, Jacobus ſcorbuto, ut plerique, fruſtra tentatis remediis, periit, et cum eo de lucrifacienda cupri fodina ſpes evanuit. Cetera quae ad Canadenſeis navigationes noſtras haud multum fructuoſas ſpectant, quae ad annum uſque CIↃ IↃCXI continuarunt, in ſequentibus videbimus.

XV. Hoc anno duae naves ex India in Zelandiam appulerunt, quibus cum primum ante triennium inde profectae ſunt, Sebaldus [h]Waertius, is qui iter Magellanicum tentavit, ſicuti in Olivarii [i]Nortii relatione ſupra demonſtratum eſt, praefuit, non eadem qua Neckius, de quo modo diximus, humanitate a Candiae rege habitus. Relationem Hermannus [k]Debreus lingua Flandrica ſcripſit, cujus nos breviculum heic apponemus. [l]Septo Hollandico, id navi nomen, vehebatur navarchus. Ad [m]Fortunatas inſulas curſus fuit, quo cum XV Kal. Quintil. e Texela ſolviſſent, exeunte Quintili ad eam, cui a Ferro nomen, deflexere, et arborem famoſam inſulanis a Deo in praecipuum vitae ſubſidium datam luſtravere: Ad aquilonarem inſulae partem in montis faſtigio ſuccrevit, ſeſquimilliare a litore poſita, nulli in tota inſula, quae lucis alioqui abundat, ſimilis; ſtirpis ambitus duodecim complectitur ſpithamas, diameter quatuor: Altitudo a radice ad apicem XL, corona ſive ramorum amplexus ad CXX pedes in circuitu patet: rami latiſſime panduntur, vixque humo cubitum abſunt, viridantibus foliis nunquam non laeti, inſtar lauri. Fructum fert arbor glandi ſimilem calici incluſum cum nucleo, grati et odorati, neque tamen valde acris ſaporis. Juxta aliud germinis itidem ignotum provenit genus, quod arbori circumdatum inferiores ejus ramos complectitur. Apici ſemper humidus circumfunditur vapor, ſive nebula, quae in liquorem ſoluta, et per ramos defluens duabus ciſternis excipitur, atque inde Inſulani alia omni aqua dulci deſtituti ad potum et neceſſaria vitae ſaluberrime utuntur. Sextili menſe, quando maximus aeſtus, ſi nebula exareſcens

vaneſcit,

INTERPR. [a] *de Mons.* [b] *Marchim.* [c] *Etechemin.* [d] *Anaſſou.* [e] *le Sr. des Antons de S. Malo.* [f] *de Champlain.* [g] *Jacob natif de Sclavonie.* [h] *de Weert.* [i] *Noort.* [k] *de Brée.* [l] *la Haye d'Hollande.* [m] *les Canaries.*

vaneſcit, ſuccedit e mari aſcendens vapor, qui vices coeleſtis nebulae ſupplet. Inde S. Thomae inſulam ſub aequinoctiali ſitam praetervecti Batavi ad Africae litus, atque adeo [a] Gabonis aeſtuarium juxta Lupi Conſalvi [b] promontorium aliquandiu in ancoris ſteterunt uſque ad Septembrem exeuntem, et inde ad Annabonam, nullo profectu. Ac poſtremo Sumatram ipſam VI Eidus Martias ſequentis anni venerunt; ad Achini portum exſcenſione facta, quo biduo ante Stella et Hollandia Batavorum itidem naves appulerant. Tres et Zelandicae naves in eodem portu repertae, itemque alia cum parone Georgii Spelbergii ductu, de quo ſupra diximus, qui jam biennium in ea expeditione conſumpſerat. Ad [c] Matecalonem in [d] Zeila inſula Zelandi haeſerant, quod Spelbergium ibi benevole acceptum intellexerant. Inde eandem quam Spelbergius humanitatem experturus, Waertius Zeilam ad Fimalam Darmam Suriadam Candiae regem, de quo ſupra dixi, proficiſcitur. Ibi quaſi in regiae veſtibulo effigiem Mauritii principis, a quo veniebat, conſpicatus, omnia pacata ſibi ſpondebat; nec initio ſpe ſua falſus eſt. Admiſſus, poſt porrectas Mauritii literas, longum de ejus rebus cum rege linguae Luſitanae perito ſermonem habuit: tum de foedere actum, quod cum ipſo adverſus Luſitanos communeis hoſtes, principem ſuum exoptare dicebat. Ad haec Fimala, nihil ſibi ea legatione optatius contingere potuiſſe; nam neminem toto oriente infeſtiores quam ſe experiri Luſitanos; proinde rogare, ut nulla mora interpoſita cum claſſe ad [e] Galleum promontorium ſe conferret, ad prohibendum Luſitanarum navium, quae Goa auxilio evocatae dicebantur, adventum. Cum de ſumptibus, quos ferre non poſſet, ante omnia ſibi caveri peteret Waertius, id excuſationem interpretatus rex; tamen primo amice in ſpeciem dimiſſum, ſtatim revocat, et qua fiducia, non accepta cautione, ad locum et regem ignotum venire auſus eſſet, quaerit? Cum ille odium commune in Luſitanos, et humanitatem in ipſo perſpectam pro cauſa obtenderet, ille alieno ſe ab eo animo oſtendit; et tamen opportunitatem quaerens, rurſus in ſpeciem amice hoſpitem dimiſit, donis etiam miſſis, et mancipiis, quorum opera in domeſtico famulitio uteretur. Tum circa veſperam ad colloquium vocatur, et cum Waertius in ſalutatione regis manum deoſculari vellet, rex ſubducta manu medium ita pectori appreſſit, ut nihil amantius fieri potuerit. Poſt habitos de communibus negotiis ſermones, denuo miſſa dona, et Waertius enſem, quo accinctus erat, regis filio, a quo pugionem acceperat, donavit, conſilioque de Luſitanis mari per Batavos, terra per ſe cum XX armatorum CIↃ oppugnandis capto; et ut cum Matecalonenſi rege, qui Achini erat, ea de re ageret, facta copia, cum multis promiſſis oneratum a ſe dimiſit. Igitur Waertius Taprobanam redit ineunte Martio, quo ſub id [f] Vliſſinga et Tergoëſa naves Batavae venerant. His quid cum Candiae rege eſſet actum, refert, ipſum non merces tantum, ſed caſtella etiam Batavis cuſtodienda tradere ſtatuiſſe, ſi ſe ad Luſitanos profligandos juverint; nam et Colombi arcem brevi ſe aut vi aut deditione recepturum; quo facto quotannis CIↃ cinnamomi, totidem piperis menſuris, quae C libras noſtrates efficiunt, ipſorum naveis oneraturum, et filium ſuum in Bataviam Mauritio miſſurum, ut tanto magiſtro rem militarem diſcat. Haec cum referret Waertius, viciſſim ab illis diſcit, quomodo Angli ope Spelbergii ingentem onerariam Luſitanorum non longe a Malaca expugnaverint, et opima praeda in ea reperta ſint potiti. Achini rex ob decrepitam aetatem domi ſe continebat, in qua foeminae armatae, non viri, cuſtodias agunt; ipſe in gynaeceo ſenectutem ſolabatur, raroque quenquam ad ſe admittebat; filium regni ſucceſſorem in otio mulierum caterva circumdatum habet, qui et raro in publicum prodit; ſed aut cum uxoribus in profluente ſe abluit, aut elephantorum venatione, qui in inſula ſunt maximi, et maximo

INTERPR. [a] *rio de Gabon.* [b] *cap de Lope Gonçalez.* [c] *Matecalo.* [d] *Ceylon.* [e] *Punto di Gallo.* [f] *Fleſſingue & Tergoes.*

maximo numero oblectatur. Captae hae belluae, ea qua ſupra dictum ratione, facile domantur, et ab homine cervicibus inſidente reguntur, qui unco eorum caput, quo vult agere, dirigit, et ad vocem imperantis in genua ſtatim procidunt, et ſeſſorem recipiunt; hiſque indigenae non tantum ad bellum, ſed ad clitellas et ad onera portanda vulgo utuntur. Portus, in quem Batavi naveis ſubduxerant, nono circiter lapide ab Achino abeſt, quod fluvio ad auſtralem partem vergente alluitur. Ad laevam ab oſtio fluminis arx eſt, ad prohibendum aditum loco opportuno ſtructa. Urbs longo tractu ſecundum fluvii ripam porrigitur, et aedificia ligneis tibicinibus ſuffulta habet, parietibus et tectis ex arundine confectis. Partes inferiores ob crebras inundationes ſunt fere inhabitabiles; ad ſuperiores per ſcalas foris applicatas aſcenditur. Huc negotiandi cauſa diverſae linguae nationes commeant Guſaratae, Malabari, Peguani, Bengalenſes, Negopatae, Arabes, Turci, circa Mecham, quique maris Erythraei litus accolunt. Veſtitu tenui utuntur, et, ſuperiore corporis parte viliter tecta, de cetero cruribus et pedibus nudis incedunt. Obvios conſerta utraque manu et fronti applicata ſalutant. Qui in regis conſpectum veniunt, operto capiti utramque manum imponunt, vitam regi ſolemni voce comprecantes. Mira ibi rerum omnium abundantia; non fruges a terra, non animalia ad victum et uſum humanum deſunt. Arbor et in ea, ſicuti in aliis Indiae regionibus, naſcitur, quae triſtis vulgo appellatur, noctu innumeris floribus aſpectu laeta, qui mox exorto ſole marcidi concidunt. Rex in ſuos omne imperium nullis legibus definitum habet, et ſumma ſeveritate a Sabandaris, ita ſummae rerum praepoſiti appellantur, judicia exercentur. Maleficis pro poena membra truncantur et mutilantur, nec criminis vel leviſſimi ſit gratia. Gentilium errori apud eos ſucceſſit Mahumetana ſuperſtitio. Dum in inſula eſſent Batavi, celebratum ab ipſis Paſcha ſuum, de quo alibi diximus, xv Martii. Initium huic jejunio finis duodecimae ſingulis annis lunae affert, totumque eum menſem ad proximum novilunium durat, quo plerique ad occaſum converſi, orientem lunam magno deſiderio exſpectant, eaque conſpecta magno cum ſtrepitu cymbala in laetitiae ſignum pulſantur. Ad ſpectaculum invitati Batavi prima luce ad regiam accedentes, prius in limine exutis calceis, admittuntur. Menſae et eis appoſitae. Inde regis filius elephanto inſidens auream galeam capiti impoſitam gerens, et precioſiſſimis veſtibus auro et gemmis relucentibus amictus, ad feſtivitatem progreditur. Praecedebant tubicines, cornicines, tympaniſtae, alii alia inſtrumenta quatientes, interque eos Batavi ipſi tubicines. Cum proceribus Batavi etiam elephantis inſidentes ſequebantur. Rex ubi in planiciem ſeorſim venit, ex elephanto deſcendit, et ad templum ire perrexit, et ceremonias ſummo ſilentio peregit, indeque eadem pompa domum reditum. Spectaculo oblectati Batavi, non perinde inſulanorum ſermonibus afficiebantur; qui ante ſextum abhinc aut ſeptimum menſem piperis quantum ad unam aut alteram navem onerandam ſatis eſſet, emendi copiam fore negabant. Itaque [a] Waertius morae impatiens utrumque regem adit, et Matecalonenſem et Achinenſem, et quid veniſſet iterum exponit. Uterque Waertio, quod aequum petere videretur, de foedere aſſenſit. Dum in litore rex Matecalonis cum Batavis colloqueretur, intervenit agyrta, qualeis et inter Turcos eſſe alibi demonſtravimus, ferream catenam oblongam pro cingulo, et tabulam cupream, in qua characterum exoticae figurae erant depictae, collo appenſam geſtans, qui circumcurſans, et horrendis vociferationibus aſtanteis obtundens, poſita tabula, partes ſupra genu carnoſas lato cultro transfixit, deinde per foramen catenam traduxit; denique circumcurſare, et vociferari horribilius quam ante occoepit, geſtu innuens, mox ſe oblongum cultrum per

INTERPR. [a] *de Weert.*

CIↃ IↃ CIV. per collum velle trajicere. Verum Batavi minime illo ſpectaculo delectati impor-
HENRICUS IV. tunum circulatorem a ſe faceſſere juſſerunt; qui ſtatim vulnus aqua elutum urnae fictilis teſta, quaſi praeſenti ad talia remedio, obligavit; quod inter Turcos ſpongia hujuſmodi homines praeſtant, mortis contemptum per ea ſpectacula prae ſe ferentes. Matecalonenſis ſeptem ſe quotidie cervos famelicis Batavis miſſurum promiſerat; quod cum non faceret, illi neceſſitate victi in proxima ſilva boves aliquot repertas mactaverunt, quod indigniſſime tulere inſulani; nec prece aut pretio placari potuerunt, cum dicerent nefas eſſe, innoxias animas ad Tartarum detrudi; boves ſiquidem et bubalos ſacros habent, nec eorum carnibus veſcuntur, et ſenio vel caſu mortuos terrae mandant. Rex ipſe indignum, nec unquam ab ipſis Luſitanis tentatum facinus inclamabat; at deprecantibus et per ignorantiam in ſumma neceſſitate peccaſſe ſe fatentibus Batavis, ita condonata culpa, ſi nihil ſe deinceps tale admiſſuros promitterent. Dum Taprobanae haererent, a [a] Candiano venere literae, e caſtris ad Manicravaram datae, quibus Batavos orabat, ut ad promontorium [b] Galleum Luſitanis occurrerent. Nec defuere illi, inſtructiſque aliquot myoparonibus naveis IV Luſitanorum Cochino ad Negopatae litus tendenteis toto Maio cepere, haud magna praeda facta; tantum equi duo Perſici in iis reperti, CIↃ IↃC taleris imperialibus aeſtimati: eo ſucceſſu mirum in modum laetus Candianus, ad litus, in quo Batavorum naves ſtationem habebant, venit, de belli amplius gerendi ratione coram deliberaturus. Sed res intervenerat, quae Candianum ſuſpicacem et ſummum diſſimulatorem exaſperaverat: nam [c] Waertius paulo ante quam Taprobana veniret, duos Luſitanos captivos, totidem captivis cum navibus dimiſerat, pluris fidem, quam de vita et libertate illis dederat, faciens, quam regis gratiam, qui eos in adventum ſuum aſſervari mandaverat. Id tam acriter ad animum revocaſſe regem cum non putaret Waertius, cuncta ad eum honorifice excipiendum inſtruxerat, erecto in litore tentorio, et tormentis ad feſtam ſalutationem diſpoſitis. Tum CC nautae egregie armati obviam profecti. Ipſe in comitatu ſuo CCC habebat, et elephantos aliquammultos; quodque honori regis tribuebat, id eum rurſus, livore ad occultum odium accedente, ad ſcelus praecipitem incitavit. Res tamen initio ſumma diſſimulatione acta: nam complexi ſe ſunt ad primum occurſum peramanter, ſtatimque Fimala Waertium rogat, tantam multitudinem a ſe dimitteret, ſolos melius collocuturos: quod et ille nihil ſiniſtri ſuſpicatus fecit, ſuoſque ad naveis redire juſſit, uno et altero penes ſe manentibus. Colloquio inter eos inchoato, cum alieniorem a ſe regis animum deprehendere videretur Waertius, ſero ſe ad tantam ſolitudinem redactum doluit, et abrumpendi ejus occaſionem quaerens, a rege enixis precibus contendit, ut in navem ſuam deſcendere dignaretur; id ſummae gratificationis loco accepturum, quam niſi concederet, vix futurum, ut ad promontorium Galleum, ſicuti jubebatur, cum ſua claſſe proficiſceretur. Hoc aſtu vitatum dum periculum cupit Waertius, exitium ſibi acceleravit: nam ex his verbis captata occaſione Fimala ſubito excanduit, et ad ſuos converſus, [d] Interfice canem, lingua Luſitana inclamavit. Qua voce audita, confeſtim illi in Waertium irruunt; eumque cum his qui aderant, infeſtis armis trucidant, et alios circiter L, qui in litore nihil tale metuentes oberrabant. Waertii miſeranda caede et caſu inopinato territi in claſſe ſocii non mediocriter animi diſcruciabantur; nam nec ultionis licet juſtae commoditas erat, et diſſimulatione tantam injuriam tranſigere probroſum videbatur. Reſtabat, ut injuriam errori aſcriberent, nec regis juſſu factum exiſtimarent, quod vindictae neceſſitatem imponeret. Dum inter utrumque ambigunt, ab Achinenſis regis legato, qui caedi invitus interfuerat, et metu in ſilvam vicinam aufugerat, quid Waertio, quid aliis factum ſit diſcunt,

INTERPR. [a] *le roy de Candy.* [b] *Cap* ou *Punto di Gallo.* [c] *de Weert.* [d] *Mata me eſto can.*

diſcunt, continuoque afferuntur a Candiano literae, quibus factum excuſabat, et culpam in Waertium, qui ſibi inſidias ſtruxiſſet, vimque adeo ipſi facere minime dubitaſſet, aſſeveranter rejiciebat; addebatque ſe amicis amicum, inimicis inimicum fore; utrum vellent, bellum an pacem, eligerent. Ad haec Batavi magis haerere; qui ſi injuriam ulciſci in animum inducerent, negotiandi in tam opulenta ſimul et opportuna inſula ſpem conceptam ſibi praecidebant: ad haec nullum poſſe Luſitanis gratius ac jucundius ſpectaculum contingere animadvertebant, quam ſi regem cum Batavis commiſſum cernerent: quo in certamine utra pars vinceret, aut vinceretur, emolumentum inde ad ipſos redundaret. Itaque conſultum viſum, ſenſum injuriae premere, et majorem deinceps in rebus ſuis adhibere cautionem. Id accidit Junio ineunte. Matecalonenſis re cognita, ſe inſcio id omne factum, non ſolum cum dejeratione affirmabat, ſed et damnabat, et affectata erga Batavos humanitate, quantum poterat, officioſe leniebat. Candianus ipſe, homo leviſſimus, ſubeunte poenitentia, ſi promiſſa auxilia praeſtarentur, amicitiam foede violatam ſe reſarcire paratum oſtendebat, ac ſincera fide cum iis uſurum per ſuum et liberorum capita jurabat. De auxiliis a Batavis negatum, neque enim praeſentem ſuarum rerum ſtatum hoc ferre, et ſtatim a caede duas Bantamum miſſas naveis, quae nuncium ejus ad ſocios perferrent; et ut cautius ſibi conſulerent, in tempore commonefacerent. Inter haec congeſta, quantum mercium potuere, in naveis, Candiano ad facti leniendam invidiam ipſo connivente. Batavi ſine maleficio Achinum redierunt, relictis qui Matecalone rem gererent. Ineunte dein Septembri [a] Daruenſeis inſulas III numero praetervecti ſunt; nuncioque accepto, Luſitanos cum claſſe [b] Jortanum in Java oppugnare, eo confeſtim advolant, et claſſem hoſtilem diſturbant. Inde Patanam reverſi magnam aromatum vim, et praecipue piperis, a ſuis undique coëmptam in naveis impoſuerunt; ac poſtremo e portu Bantamenſi ejuſdem inſulae tres naves, videlicet [c] Septum Hollandicum, Tergoëſa, et Ziriczaea, Aprili ſequenti ſolventes, vela in altum dedere, et Novembri proximo longa et periculoſa navigatione perfunctae, in Hollandiam appulere. E reliquis navibus pleraeque aliae poſt alias advenere, ſed cunctae paene nautis ac vectoribus deſtitutae; Ziriczaea, in qua CXV vectores erant, vix XXXIV domum reduxit; e Tergoëſa, quae LXX portabat, vix XVIII reliqui fuere; qui ad S. Helenae inſulam tumultuantes, dum de transfugio in Luſitaniam deliberant, ſuperveniente Ziriczaea a Martino [d] Spaniardo navarcho comprehenſi ſunt, et in vinculis Zelandiam advecti. [e] Aula Hollandiae itidem ſub id menſe Martio cum mercibus quae CXL aureorum CIↃ aeſtimabantur; tandem et [f] Vigil advenit, precioſis item mercibus onuſta. In Luſitania contra naves inſtruebantur.

XVI. Edicto et V Eid. April. in Hiſpania prohibitum, gravi poena addita, ne quis ſine expreſſo regis mandato ultra [g] Caſſiteridas et Fortunatas inſulas navigaret, aut in utraque India locisque omnibus, quae Luſitani vel olim invenerunt, vel porro ſunt inventuri, inſtitoriam facerent: tum ne quis Luſitanus ullius alienigenae vel opera vel navi conducta uteretur; utque omnes qui Luſitani aut Hiſpani omnino non eſſent, ac tam in Braſilia vel in Orientali India domicilium haberent, illi quidem primo quoque tempore; hi qui citra et ultra Bonae Spei promontorium habitant, intra anni ſpatium domum reverterentur; revocata omni peregrinis conceſſa iis in locis negotiandi facultate. Quod ubi Ordinibus Belgii innotuit, eo majores additi ſtimuli ad perſequendam navigationem, et ad decennalem primaria altera adjuncta ſocietas, duce Cornelio [h] Mattelivio, et Olivario [i] Vivario ejus legato.

Nomina

INTERPR. [a] *iſles de Daru.* [b] *Jortan.* [c] *le Haye de Hollande, Tergoes, & Ziriczee.* [d] *Spaengiard de Fleſſingue.* [e] *la cour de Hollande.* [f] *la Garde.* [g] *les Açores & les Canaries.* [h] *Mathelief de Delft.* [i] *de Viviere.*

CIↃ IↃCIV. Henricus IV.

Nomina navium in univerſum XIII: Malus [a] Arauſiaca IↃCC doliorum capax, navarcho [b] Theodorico Mollio. [c] Mildeburgum IↃC, navarcho Simone [d] Lamberti filio. Mauritius IↃCC, Nicolao [e] Gerardi filio. Albus Leo IↃXL, Nicolao [f] Joannis filio Melcnapio. Niger Leo IↃC, Abrahamo [g] Matthaei filio. [h] Sol Major IↃXL, Gerardo [i] Henrici filio Robolio: Naſſovia IↃCC, [k] Waltero Jacobi filio. Amſterodamum IↃCC, [l] Regnero Lamberti filio. Sol Minor CCXX, Cornelio [m] Georgii filio. Eraſmus Roterodamus, ad renovandam viri alioqui nunquam intermorituri memoriam, IↃXL, [n] Oſerio Cornelii filio. [o] Provinciae foederatae CCCC, [p] Antonio Nigro. Concordia N. omnes ad bellum et ad negotium gerendum egregie inſtructae.

INTERPR. [a] *l'Orangier.* [b] *Dierick Moll.* [c] *Middleburg.* [d] *Lambertſſen.* [e] *Geritſſen.* [f] *Janſſen Melcknap.* [g] *Mathyſſen.* [h] *le Grand Soleil.* [i] *Henrickſen Roobol.* [k] *Wouter Jacobſſen.* [l] *Renier Lambertſſen.* [m] *Joriſſen.* [n] *Oſier Corneliſſen.* [o] *les Provinces Unies.* [p] *Antoine Antoniſſen* ou *le Noir Teun.*

JACOBI

# JACOBI AUGUSTI THUANI
# HISTORIARUM SUI TEMPORIS
## LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS TERTIUS.

### EPITOME.

*SPINOLA de bello e Belgio in Friſiam transferendo cum Alberto conſultat.* II. *Legatus Anglicanus ad firmandam pacem Bruxellas venit.* III. *Carolus Howardus, maris Anglicani praefectus, in Hiſpaniam eandem ob cauſam ablegatur. Magna pompa in illa aula excipitur. Luſtrico ſacro abluti regis Hiſpaniae infantes inſigni ceremonia.* IV. *Mauritius fruſtra tentata Antuerpia Woudam arcem occupat.* V. *Petrum Sarmientum in Flandriam trajecturum Batava claſſis profligat.* VI. *Bucoii comes copias ad Rhenum colligit, eoque trajecto una cum Spinola Oldenſeelam et Lingenam expugnat.* VII. *Mauritius motis e Flandria caſtris eodem contendit, ſed ſero. Coevorda, Bortanga, Groeninga et Grolla, quibus metuebatur, novis miſſis praeſidiis, munitae. Berga ad Somam a Spinola fruſtra tentatur. Spinola Rhenum trajicit, ſequitur Mauritius. Mulhemi ad Ruram conflictus editur, deteriore Mauritianorum conditione. Wachtendonka a Bucoio deditione capta. Geldriae oppido in Sicambris Mauritiani fruſtra inſidiantur. Frid. Burgenſis a Spinola in Flandria relictus Mildeburgum caſtellum cepit. Cracovia arx in Bucoii poteſtatem venit. Spinola re bene geſta laetus in Hiſpaniam diſcedit.* VIII. *Conflictus navalis inter Batavos et Dunkerkanos. Brugenſes munitionem ad Sluſas excitant.* IX. *Injecta pacis ſive induciarum ab Auſtriacis mentio; varii utrinque libelli ea de re diſſeminati.* X. *Caeſar Ordines de pace ſolicitat. Ordines actis Caeſari gratiis ſe excuſant.* XI. *Aquiſgranenſium motus narratione longius repetita explicantur.* XII. *Marpurgi in Thuringia ob religionem tumultuatum.* XIII. *Henricus Julius Brunſvicus cum Brunſvicam urbem aſtu primum intercipere conatus eſſet, magna cum jactura repulſus vi aperta eandem expugnare aggreditur. Brunſvicenſes ad Caeſarem legationem mittunt, et ejus auctoritatem implorant. Severum Caeſaris contra Julium edictum. Urbes Hanſeaticae miſſis ad Brunſvicum legatis, ut a ſocia civitate vim abſtineat, deprecantur. Pacis conditiones a Brunſvico propoſitae, ſed duriores.* XIV. *In Pannonia Turci ad Strigonium caſtra poſuerunt, et poſt longam obſidionem tandem deditione ceperunt. Tatari igne ferroque omnia circum vaſtant. Majus interim a Pannoniis, qui cum Botskaio arma ſociaverant, damnum acceptum. Inter Caeſarem et Botskaium pax agitatur. Turci pacis itidem negotium urgent.* XV. *Regis Perſarum legati ad Caeſarem veniunt, orantes ut in bello contra communem hoſtem conſtanter pergeret, neque cum eo pacem habere vellet. Caeſaris ad Perſarum regem literae.* XVI. *Tumultuantium Pannoniorum graves et juſtae, ſicuti rebantur, cauſae, quibus ſumpta arma excuſarent. Eorum ad Bohemiae, Sileſiae, et Moraviae Ordines literae, ubi de Caeſarianorum duritia, violatis juribus et libertatibus conquerebantur. Eadem in conventu Carponae inter Botskaianos celebrato repetita.* XVII. *In Polonia ob res bene in Livonia geſtas, et feſta nuptialia, laeta omnia.* XVIII. *Sueci a Polonis proelio vincuntur.* XIX. *Hermanni Chriſtophori*

*Chriſtophori Ruſwormii de Caeſare et Auſtriaca familia bene meriti triſtis exitus. Tres hoc anno eclipſes viſae memorabiles, duae lunae, altera ſolis.*

EX AUCTORIBUS,

*Gaſpare Ens, Imm. Meterano, Pompeio Juſtiniano, Libellis de induciis belli Belgici, Relatione rerum Germanicarum Jac. Bongarſii, Actis rerum Hungaricarum, Elia Molerio.*

## LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS TERTIUS.

CIↃ IↃCV.
HENRICUS IV.

IN Belgio cuncta ad bellum gerendum parabantur. Albertus Chriſtophoro Embdenſi comiti negotium dederat, ut legionem in Germania ſcriberet. Idem Claudio [a] Barbanſono, et Baltazari [b] Billio mandatum: Erardus [c] Pictavius Maleſius in Eburonibus ſuis legionem et ſcribere juſſus: ceteri ſuas ſupplere, necnon et turmarum equeſtrium duces. Oratori tam ſuo quam Philippico apud Britanniae regem mandatum, ut ab rege illo delectus in Scotia, Anglia, Hibernia habendi copiam impetrarent; non tam ſpe rei obtinendae, quam ob recentem pacem fiduciae oſtentatione ad terrendos Ordines. Sub id Spinola ex Hiſpania rediit, et de bello in Friſiam transferendo conſultatione in arcano cum Alberto habita, quo magis res tegeretur, Alfonſus Luna Bredam verſus miſſus, Pompeius Juſtinianus [d] Bergas ad Somam, [e] Inicus Borgia [f] Graviam, quaſi eo ducendus eſſet exercitus; ipſe Spinola [g] Iſendikam et Sluſas verſus profectus eſt. Nec ceſſabant Ordines, qui et ipſi egregie inſtructi apparatum celeritate antevertere ſatagebant. Tentari Antuerpiam ante omnia placuit, ſive ut vireis hoſtium ab alio conſilio averterent, ſive ex ſucceſſibus concepta ſpe, ut votis tanta expeditio reſponderet. Re cognita, Spinola quamprimum eo profectus [h] Hulſtam et Saxum Gandenſe, quibus ad eam itur, diligenter luſtravit; et Borgianam legionem [i] Mechlinia cum 11 tormentis, et [k] Namurco ac circumpoſitis locis Lunenſem et Ballanſoniam item legiones ex hybernis accerſivit, et per Vaſenſem regionem diſtribuit, univerſis Borgiam cum ſummo imperio praeeſſe juſſit.

II. IPSE Bruxellas ad Albertum tendit, qui advenientem legatum Britannicum, is erat Edvardus [l] Seimorus Hertfordiae comes, cum Thoma [m] Edmundo ordinario apud Archiducem oratore deſignato, excepturus, cuncta ad laetam magnificentiam paraverat, eo majorem quod ſub id de filio principe in Hiſpania nato allatum eſſet. Cum Alberto erant Carolus [n] Lotaringus Aumalae, Carolus [o] Croius Araſchoti, Petrus [p] Gironus Oſſunae duces, [q] Barbanſonus, [r] Bucoii comes, [s] Bergenſes comites; [t] Arembergius, [v] Havraeus, [w] Solraeus, marchio Bergenſis, [x] Ecmundanus, [y] Spinola, Velleris aurei equites; alii e primaria Belgii nobilitate; Matthaeus Aquaviva Caſertae, et Franciſcus [z] Columna Paleſtrinae principes, Ludovicus Velaſcus: major illuſtrium e gynaeceo matronarum numerus. Res magna ceremonia peracta; ſed poſt adactum jurejurando Albertum, omiſſae pompae ſolemnes, de quibus ille ob belli neceſſitatem ſe excuſavit. Hertfordienſis inde, qui per Dunkerkam venerat, per Antuerpiam facto itinere in Zelandiam deſcendit, et in Angliam ad ſua reverſus eſt.

III. PER

INTERPR. [a] *le baron de Barbançon.* [b] *Biglia.* [c] *de Poictiers Sr. de Maleſe, Liegeois.* [d] *Bergenopzoom.* [e] *Inigo Borgia.* [f] *Grave.* [g] *Iſendick & l'Eſcluſe.* [h] *Hulſt & Sas de Gand.* [i] *Malines.* [k] *Namur.* [l] *Seimour comte d'Hertford.* [m] *Edmonds.* [n] *de Lorraine duc d'Aumale.* [o] *de Croy duc d'Arſchot.* [p] *de Giron duc d'Oſſune.* [q] *le Sr. de Barbançon.* [r] *Bucquoy.* [s] *de Berghe.* [t] *le comte d'Aremberg.* [v] *le marquis d'Havreck.* [w] *le comte de Solre.* [x] *Charles comte d'Egmond.* [y] *le marquis Ambroiſe Spinola.* [z] *Colonna.*

III. Per otium majore pompa Carolus [a] Howardus Nottinghamienſis comes, maris Anglicani praefectus, in Hiſpana aula exceptus eſt, qui III Eid. April. cum [b] Dovera ſolviſſet, Maio ineunte [c] Coronam in Callaicis appulit; unde per aliquot dies cum toto ſuo comitatu ex nauſea recreatus, ad S. [d] Andreae portum miſſis navibus in eoque ſe praeſtolari juſſis, terreſtri itinere difficili et aſpero [e] Simancam venit exeunte menſe, ubi obviam habuit Petrum [f] Zunicam, a rege honoris cauſa miſſum: inde [g] Pinciam ad aulam contendit, ubi rurſus obviam habuit Ferdinandum Velaſcum Caſtellae conneſtabilem, qui ſuperiore anno in Angliam miſſus fuerat, cum maxime ſplendido comitatu, effuſis ad adventum turbis: in regium dein conclave ſub veſperam admiſſus, per interpretem mandata expoſuit. Id incidit in V Kalendas Maias. Poſtridie, Pentecoſtes feſto, mane celebrata eſt magna pompa ſupplicatio Dominicanae ſodalitatis, in qua plus IↃC incedebant, cui et Philippus ipſe, oratores principum, Gaſpar Quiroga cardinalis Toletanus, et aulae proceres interfuerunt: et ad beati Pauli eadem pompa venerunt, ubi et ſub veſperam luſtrico ſacro abluti infantes inſigni pompa, in baptiſterio in quo beatus Dominicus ablutus perhibetur. Id peractum a cardinali Toletano coram [h] Bergenſi et Pinciano epiſcopis, et in ejus memoriam filio ad Philippi et Victoris nomina additum Dominici nomen; in porticu ad id parato ſpectante Anglicano legato et ejus comitatu. V Eid. Jun. coram Anglicano legato, aedibus palatinis egregie ornatis, Philippus ſacramento adactus ad pacem Sextili ſuperiore in Anglia conventam bona fide ſervandam: recitata lingua Hiſpanienſi a cardinali Toletano formula, et tactis ſacroſanctis evangeliis ita jurare ſe profeſſus eſt Philippus. Tauromachiis et equitatus luſtrationi, et conviviis opipare inſtructis a conneſtabili Caſtellae ſequentes dies inſumpti; ac XVI Kal. Quintil. nocturnae pompae theatrali magnificentia inſtructae, et choreae celebratae, quibus et rex et regina initio immiſti; inde in throno parato ad ſpectaculum ſederunt. Poſtridie petitus ab Anglicano legato commeatus, et miſſa lautia gemmae et alia munera ingentis pretii, quae XXX CIƆ aureorum excedere dicebantur. Miſſa et ad legati uxorem munera. Filii item ejus et gener, et Willoughbeius, et Norriſius, Thomas item [i] Howardus magni [k] camerarii filius, egregie munerati. Franciſcus Sandovallius Lermae dux, equos egregie inſtructos ad regia munera adjecit. XII CIƆ aureorum penſio etiam legato, ut fertur, promiſſa. Tam propenſam honorifici cultus et exquiſiti affectus ſignificationem qui mirabantur, ejus rationem in bellum, quod adeo cum Anglis damnoſum experti erant, rejiciebant, quod Hiſpani dum vitatum deinceps cupiunt, nihil non ſibi faciendum exiſtimabant officiis et profuſa liberalitate, ut Anglos a noſtra amicitia revocarent, et antiquum Burgundicae domus foedus cum iis renovarent; erga legatum ipſum eo ſe munificentiores gerebant, quod et ſummam maris praefecturam teneret, et auctor Magnae Britanniae regi fuiſſe credebatur edicti proponendi, quo enixe vetabat, ne ſubditi ſui injuſſu ſuo alii cuiquam principi ſeu civitati operam in re navali addicerent: inſuper multa ab eo aequitate ſumma decreta, ad prohibendas excurſiones piraticas, et ſecuritatem in navigatione, et ſuae ditionis portubus aſſerendam, quae in gratiam ſuam facta Hiſpani interpretabantur.

IV. Nunc ad Belgica redeamus. Mauritius [l] Bergis ad Somam profectus XVII Kal. Jun. cum bis mille IↃ equitibus, VII peditum CIƆ, et IX tormentis terreſtri itinere incedebat. Erneſtus cum quingentis navigiis, quae VIII bellatorum CIƆ portabant, per [m] Scaldim ſubibat. Qui [n] Hulſtae praeerat, ut Naſſovianos praetervectos vidit, jam de obſidione ſecurus Joannem Ceſatem cum turma equitum ad Borgiam mittit,

INTERPR. [a] *Howard comte de Nottingham.* [b] *Douvre.* [c] *la Corunna en Gallice.* [d] *S. Andero.* [e] *Simancas.* [f] *de Zuniga.* [g] *Valladolid.* [h] *les evêques de Burgos & de Valladolid.* [i] *Thomas Howard puis comte de Berkſhire.* [k] *le comte de Suffolk chambellan de la maiſon du roy.* [l] *Bergenopzoom.* [m] *l'Eſcault.* [n] *Hulſt.*

CIↃIↃCV.
HENRICUS IV.

mittit, qui ſtatim [a] Ballanſonum cum ſuis [b] Sequanis aggerem [c] Blokeram inſidere juſſit, ut exſcenſionem hoſtium ab ea parte prohiberet. Ipſe cum Hiſpanis ad aggerem [d] Calloanum tendit. Erneſtus ad [e] Lilloam munitionem aliquantum ſubſtitit, opperiens dum aeſtus intumeſceret, et ſub mediam noctem vela fecit Antuerpiam verſus, a tergo relicta [f] Cruceiana munitione, a qua tormentorum pulſatione in tranſitu infeſtatus fuit; jamque inter [g] Philippinam et Perleam munitionem progreſſus fuerat, cum Borgia veritus, ne hoſtis aggeres Calloanum et Blokeram inſideret, eo Ceſatem mittit cum turma equitum. Luna eum ſecutus Calloae ſubſtitit, Borgia dein cum legione ſua venit; jamque in eo erant Naſſoviani, ut exſcenſionem facerent, verum impreſſione a tergo facta prohibiti, pleriſque aut occiſis, aut ſubmerſis, aut captis: quo facto, Mauritius ſuos [h] Vliſſingam verſus remiſit, qui a regiis munitionibus in tranſitu magnopere infeſtati ſunt, aliquot navigiis continua tormentorum diſploſione depreſſis. Ipſe Bergam ad Somam terreſtri itinere receptum habuit. [i] Woda tantum, exigui momenti arx altero abhinc milliari, ex qua, ob continuas excurſiones in Zelandia et Batavis multum inſtitoribus incommodabatur, in receſſu capta, et valido ad navigationis ſecuritatem praeſidio firmata. Poſt irritam ad Antuerpiam Ordinum expeditionem, Spinola recepto in caſtra, qui biennio ante tumultuaverat, milite, cum XIII CIↃ peditum et III equitum CIↃ, et eductis praeſidiis ad [k] Dambrugam conſedit, quatuor ab Antuerpia leucis: inde circa Iſendikam, quod veluti propugnaculum Sluſis impoſitum eſt, et Patientiam, munitiones regias, cum exercitus aliquandiu in procinctu ſtetiſſent, nullo pretio facto utrinque exeunte Maio diſceſſum eſt: eo pejore Ordinum conditione, quod qui primi vim facturi venerant, praeter Wodam captam, nihil efficere potuerint.

V. IN mari eodem tempore circa Dunkerkam felicius res geſta, ubi poſt obſtinatum certamen VIII navigiorum, quibus CIↃ Hiſpani duce Petro Sarmiento portabantur, cum potentiori Batavorum claſſe, qui eos in ancoris exſpectabant; tandem unum ex Hiſpanis incendio conſumptum, alterum aquis hauſtum, tertium, deficiente aqua, deditionem fecit. CC amplius capti, et mox ducum juſſu interfecti. Petrus [l] Cubiar Vaſco claſſi a Ludovico [m] Faſciardo praepoſitus fuerat; qui cum omnia ſumma feciſſet, cum iis quae ſuperabant navigiis, verſis in Angliam proris, ad Doveram appulerunt; unde Batavi, qui inſequuti fuerant, inſtaurato certamine cum damno repulſi. Ad Dunkerkam tamen [n] myoparo, quo Franciſcus [o] Medemblicus portabatur, captus, et vectoribus in mare abjectis, in Zelandiam abductus fuit. Interim venerant in caſtra Alberti II legiones Neapolitanae, Camillo Caracciolo [p] Avellini principe, et Alexandro [q] Montio ducibus, et tertia Langobardica [r] Vido Aldobrandino Sangeorgio tribuno, cum quibus Junio menſe Spinola movet [ſ] Tilemonem verſus, praemiſſa [t] Torrenſi legione et Barlemontana, quas [v] Sanctius cum IↃ equitibus ſequebatur, ubi Carolum [w] Longovallum Bucoii comitem obvium habuere, qui IV celoces, totidem pontones, cum VI tormentis inſtructis ſecum trahebat. Ad [x] Moſae Trajectum Sangeorgii legio ſe iis conjunxit; nec non et Avellini, qui ſub id in Italiam diſcedens, Paleſtrinae principem in eo munere ſucceſſorem habuit. Is celoces et pontones ad Rhenum deduxit, ac depulſis, quae inter [y] Tuitium et [z] Coloniam flumen ſervabant, Ordinum navigiis, refectioni militum aliquot dies impendit. Tum Rheno tranſmiſſo, ripam ulteriorem legens ad [aa] Caeſaris-verdam ſubſtitit; quo ad eum venit Pompeius Juſtinianus cum legione ſua et IↃ equitibus,

ac

INTERPR. [a] *le baron de Ballanſon.* [b] *Franc-Comtois.* [c] *Blockerdigue.* [d] *de Calloo.* [e] *Lillo.* [f] *de la Croix.* [g] *forts de S. Philippe & de la Perle.* [h] *Fleſſingue.* [i] *Woude.* [k] *Dambrug.* [l] *de Cubiar Biſcaien.* [m] *Fajardo.* [n] *galion.* [o] *de Medenblijck.* [p] *Avellino.* [q] *di Monte.* [r] *Guido Aldobrandino Sangeorgio.* [ſ] *Tilemont.* [t] *de Torres.* [v] *Sanchez.* [w] *de Longueval comte de Bucquoy.* [x] *Maeſtricht.* [y] *Dutz.* [z] *Cologne.* [aa] *Keyſerſwerth.*

ac praeterea ɪϽccc peditibus ex [a] Sicambrorum praeſidio delectis; ac tandem ad [b] Vitlerum pagum fixis tentoriis, utramque Rheni ripam ponte junxit, ac binis utrinque caſtellis firmavit. Eo tendere Albertinorum conſilia cum ante providiſſet Mauritius, [c] Erneſtum Naſſovium ad [d] Rhinbercam miſerat, cum ɪɪɪ cɪϽ peditum et cɪϽ ɪϽ equitibus, qui ſe conatibus Bucoii comitis opponeret; dumque in eo eſſent, primarius centurio [e] Henrici Bergenſis cum ʟ delectis equitibus miſſus, ut de hoſtium rebus cognoſceret, a Thoma [f] Villero cum ſuis caeſus ac captus eſt; Robertinus item qui commeatum in caſtra ducebat. Mauritius in Flandria adhuc haerebat, Sluſis metuens, qui ubi ſerio trans Rhenum duci animadvertit, relicto ad [g] Iſendikam Gaſpare [h] Colinio Caſtellionaeo, cum bis mille peditibus eo tendit, ut ſuis praeſto eſſet. Spinola aſſumpto Friderico Bergenſi, Ludovico Velaſco, [i] Oſſunio, Caſertae principe, Simone et Melzio tribunis, ad Caeſaris-verdam tranſmittit amnem, et ante omnia [k] Roëroortam munitionem luſtrare voluit, ad [l] Ruram amniculum poſitam, adductis ſecum cɪϽ ɪϽ equitibus, et ɪɪ cɪϽ peditibus, ac ɪɪ tormentis. Ibi cum damno Batavi a Theodoro Trivultio, qui equitatum ducebat, repulſi; diſturbatis vi tormentorum navigiis, quae ad Rhinbercam receptum habuerunt. Ibi de [m] Lingena in Friſia petenda primo inter belli conſiliarios actum, re in Hiſpania decreta et ab Alberto probata, et quae proculdubio, ſicuti evenit, ex voto ſucceſſura eſſet, ſi eo nulla mora interpoſita duceretur: nam ſi in Grolia, Rhinberca, aliiſque interpoſitis locis capiendis retardarentur, fore, ut Mauritius locum ſitu firmum, novo praeſidio impoſito, et novis ſubſtructionibus interim muniat, eoque ipſe in tempore tranſeat, et acceſſu expugnatuque difficiliorem reddat: nec commeatum defuturum matura meſſe; proviſum quippe, ut cum pecunia copioſe in caſtra advehatur. Capta autem Lingena, antequam amplius muniatur, reliqua loca a tergo relicta facile in poteſtatem ventura: itaque quo inexſpectatior, eo majore cum alacritate ſuſcepta expeditio. Sed de munitionibus ad Rheni tranſitum inchoatis, et nondum ad plenam defenſionem exſtructis, aliquandiu altercatum; cum alii eo uſque expeditionem differendam cenſerent, donec illae operum vi ad eam altitudinem perducerentur, ut defendi poſſent: alii quod in mora periculum ſubeſſet, eas deſtruendas dicerent, quod in reditu poſt felicem, quem ſibi pollicebantur, ſucceſſum, non defutura ad tranſmittendum Rhenum navigia affirmarent. Media via inventa eſt, qua et ſine mora Lingenam duceretur, et munitiones in utraque ripa ſtructae non deſtruerentur aut deſererentur.

VI. NAM Bucoii comes in iis relictus, cum vɪ peditum cɪϽ, et ɪϽ equitibus, qui in opere aſſiduum militem haberet. Ipſe Spinola cum x peditum cɪϽ, et bis mille equitibus Lingenam recta tendit, tanta cum diſciplina, milite primum monito ne a ſignis diſcederet, ut qui paulum oberrarent, ſubito capti carnificem paratum haberent. Tres acies aequali numero peditum ſtructae. Equitatus in duas turmas diviſus: primam ducebat Velaſcus, in qua et Spinola erat, ad omnia intentus, quem peditum cuneus cum ɪv tormentis ſequebatur, et alteris mox quinque, cum parte impedimentorum, quae pedites delecti tegebant. Tum media acies incedebat, ultimo agmine ſubſequi juſſo. In menſem proviſum, ut farina Coloniae coëmpta, et in navigia impoſita exercitui ſuppeteret. Miſſus et Philippus [n] Croius Solrei comes ab Alberto ad civitates vicinas ac principes, qui neceſſarium ad ſua recuperanda tranſitum excuſaret, et militem diſciplinam ſervaturum ſponderet, omnemque in caſtra commeatum afferentibus ſecuritatem promitteret. Quod illis facile

INTERPR. [a] *Gueldre.* [b] *Witteler.* [c] *le comte Erneſt de Naſſau.* [d] *Rheinbergen.* [e] *le comte Henry de Berghe.* [f] *Viller.* [g] *le fort d'Iſendick.* [h] *de Coligny Sr. de Chaſtillon.* [i] *le duc d'Oſſune.* [k] *Ruerort*, al. *Roerort.* [l] *Roer* al. *Rhur r.* [m] *Linghen.* [n] *de Croy comte de Solre.*

CIↃIↃCV.
HENRICUS IV.

facile perſuaſum, qui viderent diſciplinam tam adſtricte ſervari, et mercium ſuarum commode diſtrahendarum occaſionem oblatam minime aſpernabantur. Primis caſtris ad Ruram amnem ventum, alteris Dorſtenam, ubi tranſmiſſa Lippa per pontem, quem [a] Villerus incendere fruſtra tentaverat: inde ad [b] Oldenſeelae conſpectum Velaſcus v Eid. Sextil. ſubſtitit, quod primum Friſiae oppidum, olim, ut quidam putant, Saliorum ſedes, in via illa occurrit, commeatu copioſum, nec valde firmum. Id mox a Trivultio corona cinctum; et tribus partibus obſidio imperata, a Philippo [c] Torrenſi et [d] Ballanſono qui [e] Gallobelgas et Sequanos, a Melzio et Juſtiniano qui Italos, a Borgia et Simone qui Hiſpanos ducebant. Nec defenſores ſibi initio defuerunt, eruptione primo repulſis Albertinis. Mane jam ad foſſam promotum vallum, et directa x tormenta. Captus ſub id explorator, ex quo cognitum, [f] Lingenam omni re deſtitutam, praeſidio debili teneri, praefectum ejus, monito Mauritio, auxilia in dies exſpectare. Itaque Trivultius e veſtigio miſſus cum IↃ equitibus, qui inſeſſis aditibus auxiliares quo minus introducerentur, impediret; et poſtridie, qui in III Eid. Sextil. incidebat, Oldenſeela dedita honorificis conditionibus, cum Spinola triduana obſidione c ex ſuis amiſiſſet, et in iis Ludovicum [g] Maximum et [h] Malateſtam comitem ordinum ductores; nonnullis etiam graviter ſauciatis, in iiſque Petro [i] Corteſſa ordinum ductore. Henricus Bergenſis Oldenſeelae, cum mille bellatorum praeſidio, et ſua equitum turma impoſitus: inde Lingenam alteris caſtris ventum. Urbs Friſiae eſt in limite Germanico, loco plano poſita, ſed depreſſior, et in quam undique ex ſuperiore ſenſim deſcenditur: itaque foſſa, quae XXC pedum lata, IV profunda, ſemper aqua impletur, et amniculo in eam derivato, vix aut nunquam depleri poteſt. Quinque ingentibus regiis propugnaculis egregie firmata eſt, quorum duo arci et oppido ſerviunt, cum ampliſſimo pomoerio, ſingulari cura et ſtudio a Mauritio delineata, qui locum ab Ordinibus ſibi peculiari gratia conceſſum, longe ab hoſte poſitum ſervabat: loco, cui minus ob diſtantiam metuebatur, praeerat Martinus [k] Cobbius, homo probior quam pugnacior; cui ſuberant Albertus [l] Itterſumius nobilis Tranſiſelanus, Jo. [m] Vittius, Jo. [n] Ruſchius, Erneſtus [o] Mellinga, Jo. [p] Dickius, Nic. [q] Audartus, et Gulielmi [r] Intimae vicarius cum IↃC praeſidio. Longi temporis viſa initio obſidio, quae paucis diebus accepit finem, vallo intra triduum ad labrum foſſae promoto. Ad aquam deducendam cum longo tempore opus eſſet, faſcibus lignorum, vimineis doliis, et grandioribus [s] botulis terra fartis, ponte ſtrato, qui ſubter cadis agebatur, cujus a [t] Targone architecto pontificio excogitati in Oſtendae obſidione uſus fuerat, aquae profunditas ſuperata. Velum et praetenſum, quo incedentes tegebantur, et ad majus propugnaculum vis facta; repreſſo tamen impetu, et in diem ſequentem dilato. Poſtridie Germani, et Gallobelgae, et Itali, et Hiſpani, qui in foſſam penetraverant, et quatuor partibus arcte locum premebant, inſtructa acie ad oppugnationem ſe parabant, cum obſeſſi, ſigno dato, colloquium poſcunt, et iiſdem quibus Oldenſeelae conditionibus XIV Kal. Sept. deditionem fecere.

VII. INTEREA Mauritius ex Flandria, facto per [v] Dordracum itinere, [w] Daventriam venerat, ſuppetias laturus; qui deditione cognita cum ſex peditum CIↃ, et bis mille equitibus [x] Coëvordam et [y] Bortangam verſus, quibus metuebat, confeſtim tendit, inſeſſis aditibus ne ulterius Spinola progrederetur. Miſſus et Gulielmus Naſſovius Groëningam cum XVIII peditum ſignis; Grollae quoque ad VI, quae ante in ea erant, XII ſigna addita; ad [z] Teutoburgum et inſula, quam [aa] Iſala efficit, vallo incluſa,

INTERPR. [a] *Viller.* [b] *Oldenzeel.* [c] *de Torrez.* [d] *le Sr. de Ballanſon.* [e] *Wallons & Franc-Comtois.* [f] *Lingben.* [g] *Maſſimi.* [h] *le comte Malateſta Bandi.* [i] *Cortezza.* [k] *Cobben.* [l] *d'Itterſum gentilhomme d'Overyſſel.* [m] *de Witte.* [n] *Ruyſch.* [o] *Mellinga.* [p] *van Dijck.* [q] *Audart.* [r] *Intema.* [s] *gros ſacs pleins de terre en forme de Sauciſſes.* [t] *Pompeio Targone.* [v] *Dort.* [w] *Deventer.* [x] *Coevorden.* [y] *la Bourtaigne.* [z] *Doesburg.* [aa] *Yſſel.*

incluſa, et CIϽ bellatorum praeſidio firmata. Ad Lingenam, ſex lunulis inter utrumque propugnaculum ductis, et labro exteriore erecto, diligentiam omnem Spinola adhibebat, ut locus operibus munitior redderetur, et contra Mauritium, ſi obſeſſurus illum, ſicuti jactabatur, accederet, commodius defendi poſſet. Sub id ſignum peditum Daventria profectum ab Henrico Bergenſi in itinere caeſum, captis centurionibus et unius menſis ſtipendio. Tentata et ſub id [a] Berga ad Somam, quam Paulus [b] Baxius tenebat, a Ludovico Moneſterio [c] Terralio noſtrate, qui rationem ejus intercipiendae notato loco ſibi reperiſſe videbatur. Huic attributus Antonius [d] Breukius Torricurius caſtrorum praefectus cum CIϽIϽ peditibus, et [e] Ceſates cum CCC equitibus. Crepitaculo ad primam portam admoto, et disjectis repagulis, ad alteram haeſerunt, altero crepitaculo aqua madefacto, et aliis, quae ſecum tulerant, luto in canali merſis, et amiſſo [f] Lechiero ordinum ductore, et L circiter e ſuis, ac totidem fauciatis, re infecta diſceſſerunt. Denuo idem juſſu Alberti a Terralio itidem tentatum, Ceſate, [g] Cabilono legionis tribuno, et [h] Hulſti praefecto ei attributis, qui quadripartito agmine vim tempore eodem facturi erant. Cabilonus et Hulſti praefectus ad locum deſignatum paludum divortiis impediti pervenire in tempore non potuerunt: Terralius et Ceſates ad Steenbergam portam felici initio ſucceſſu crepitacula admoverunt, disjectaque una et altera porta ad pontem penſilem crepitaculum tertium appoſitum, cujus vi disjecti conſimiliter obices, praeſidiariis cum artificioſis ignibus, malis granatis, tormentorum ictibus interim rem gerentibus: ſed victorum ſecundus huc uſque curſus ad palificationem conſtitit, ubi acriter conſerta oppidanorum cum Terralianis pugna; verum Baxii praefecti paſſim enſe ſtricto obequitantis, et ſuos voce et exemplo cohortantis, ad haec Nic. [i] Lutſonii Amſterodamenſis, qui ad [k] Beekaſum propugnaculum rem gerebat, virtute, diſcuſſum periculum; et ad extremum hoſtes cum damno repulſi ſunt, CL ex ſuis amiſſis. Idem et ſub id irrito conatu ad [l] Graviam a [m] Schetho Grobbendoncano [n] Silvae-ducis praefecto tentatum. Juſſus et [o] Bucoius comes in [p] Meurſiae territorium, quod utrinque Rheni ripam amplectitur, deſcendere, et in eo ſe munire; deſtructis, quas in alieno atque adeo neutrarum partium ſolo ſervabat, munitionibus. Itaque [q] Roëroortum municipium venit, et relicto ad [r] Caeſaris-verdam [s] Bonifortio Folla cum IϽCC peditibus, et ſolo aequatis ceteris munitionibus, circa et [t] Orſoium inter eum et Erneſtum levi proelio velitatum. Interea Spinola habito conſilio, cum [v] Rhinbercam obſideri placuiſſet, miſſis Meneſe et Juſtiniano legionum tribunis, qui locum diligenter luſtrarent; relicto [w] Lingenae Philippo [x] Torrenſi cum bis mille CC peditibus, et C equitibus, ac XIV machinis; Oldenſeelam venit VIII Kal. Oct. ubi Gulielmum Verdugum cum CIϽIϽ peditibus, et ſua equitum ala, et II tormentis praeſidio impoſuit, eique Joſephum [y] Gamurinum, qui munitionibus coeptis attenderet, attribuit. Inde [z] Dorſtenam tendit, ubi Meneſes et Juſtinianus ad eum venere; qui luſtrata Rhinberca, ex Bucoii ſententia eam minime hoc anno tentandam cenſuerunt, Mauritio et Erneſto tam vicinis. Itaque ad [aa] Weſaliam juxta coenobium munitiones excitari placuit, cognitoque Mauritium [bb] Reſam veniſſe, ipſe ad [cc] Biſlicum pagum deflexit, locum in meditullio poſitum, ſtratoque in Lippa ponte, hoſpitium Mulhemi equitatui attribuit, IϽCCC peditibus latera tegere juſſis, intra duas munitiones, quae hinc inde in utraque Rheni ripa ad Roëroortum ſtruebantur. Mauritius ad Weſaliam itidem ſe munivit, et commeatu et ſtramine per fluvium convehendo, Rhenum ponte ſtravit. Inde acceptis in caſtra [dd] Brancacii et [ee] Thomae Arondelii nuper in Anglia ſcripta

INTERPR. [a] *Bergenopzoom.* [b] *Bacx.* [c] *de Moneſtier Sr. du Terrail.* [d] *Breuck Sr. de Torricour.* [e] *Ceſate.* [f] *le capitaine Lechier.* [g] *de Chaalons.* [h] *Hulſt.* [i] *Luytſen.* [k] *Beckhaf.* [l] *Grave.* [m] *Schetz Sr. de Grobbendonck.* [n] *Boiſleduc.* [o] *de Bucquoy.* [p] *Meurs.* [q] *Roerort.* [r] *Keyſerſwerth.* [s] *Boniforte Folla.* [t] *Orſoy.* [v] *Rheinbergen.* [w] *Linghen.* [x] *de Torrez.* [y] *Gamurini.* [z] *Dorſten.* [aa] *Weſel.* [bb] *Rees.* [cc] *Biſtick.* [dd] *Brancaccio.* [ee] *Thomas Howard comte d'Arundel.*

CIↃ IↃCV. ſcripta legione, conſultatum; Lingena et Oldenſeela egregie firmatis, [a] Wachten-
HENRICUS IV. donkam peti expediret? et in arcano ita Spinolae viſum, qui Bucoii comiti et Pompeio Juſtiniano negotium dedit, ut copias eo ducerent. Dubii eventus expeditio primum viſa ipſi Bucoio; ſed Juſtiniano contra pertendente tandem decreta obſidio. Mauritius ut Albertinos diſturbaret, ad anguſtias, quae [b] Mulhemum ducebant, venit, ubi Trivultius cum equitatu diverſabatur. Ibi in Rurae fluvii plerumque vadoſi tranſitu, dum Henricus frater a tergo incumbit, vario eventu pugnatum. Henricus ad Spiram, hoc arci nomen, anguſtiis ſubjectam, quae a [c] Bruchio caſtello imperialis juriſdictionis vix IↃCCC paſſuum ſpatio abeſt, venerat, diſturbatis Sequanis qui anguſtias ſervabant, et uſque ad hoſpitium Franciſci [d] Roncivallii penetraverat; in tranſitu ter repulſus, poſt acre certamen, Spiram ſe rurſus receperat, cum Mauritius cum toto exercitu ad Mulhemum comparuit, Trivultio jam Bruchio caſtello potito; cui ex occaſione Velaſcus a Spinola miſſus praeſto fuit. Dum in ſubjectam planiciem deſcendere conatur Mauritius, rurſus acriter certatum, quod, licet vadoſo amne, tamen ob ripas praealtas, ſumma cum difficultate, nec niſi certis locis commode in ulteriorem ripam tranſibatur, quae in conflictu illo ac ſtrepitu vix reperiri poterant. In quo Fabritius [e] Santomagus et Nicolaus [f] Auria equitum duces, a Velaſco praemiſſi poſt acrem impreſſionem, hic captus, ille interfectus eſt. Quatuor horis in eo fuerant, nequicquam tentato vado, a quo ſemper fuerant repulſi Mauritiani, cum Spinola ipſe advenit, qui per Lucam [g] Cairum denuo manum hoſtilem a tranſitu magno cum damno arcuit, caeſis amplius CC. In receſſu Trivultius calore provectus, tormenti ictu in pectus impacto, dum ad Ruram deſcendit, diſcerptus eſt, relicto ſui ingenti deſiderio, quod et virtute et liberalitate in animis ſuorum accenderat. Hic ultimus conatus fuit pugnae Mulhemenſis, in qua praeter Fabritium et Trivultium, [h] Foſſatus et Ludovicus [i] Gambaloita ordinum ductores occubuerunt. Captum ſignum, et II carri pulvere onuſti: nec ultra recedentem Mauritium inſecutus eſt Spinola. Majorem longe numerum ex Mauritianis deſideratum ſcripſere Albertini, quippe IↃ interfectos, cum ex ſuis vix CC ſive occiſi ſive ſauciati ſint. Inde poſt biduum, ad [k] Noveſium diſtributo equitatu, Wachtendonkam reditum. Tribus locis Bucoius verberationem inſtituerat, et pontem in amniculo ſtraverat, qui in foſſam deſcendit. Amniculo tranſmiſſo ſemilunula in ſummo labro inſtituta, in qua [l] Brancacius et Sangeorgius ſummam diligentiam adhibuerant; qua ſtructa et utrinque vallata, ne per latus ad propugnaculum oppoſitum ſubeuntes infeſtarentur, cuneus a P. Juſtiniano agi coepit. Nec ceſſabat Mauritius, licet huc uſque minus ſecunda fortuna uſus, qui de Geldria in [m] Sicambris, a qua regioni nomen, intercipienda ſub id conſilium cepit, dato negotio Philippo [n] Mornaeo Pleſſio Philippi filio, adoleſcenti magni animi et multae exſpectationis, ut cum bis mille peditibus et CIↃ equitibus expeditioni praeeſſet; ipſe ad [o] Iſſenam pagum ſubſtitit, quatuor a Geldria leucis. Verum in ipſo conatu, is qui crepitaculum admoverat, antequam ignem concepiſſet, interfectus eſt; cum eodem tempore ſcalae ad murum appoſitae eſſent, in aſcenſu ipſe Pleſſius occiſus, relicto ingenti et Mauritio, et patri ſui [α] deſiderio. Ad Wachtendonkam cuneo acto, qua die ignis immitti debebat, inſtruitur ad oppugnationem acies, et ad vim faciendam Bucoii juſſu deſtinati ex Sangeorgiana, Juſtinianea, Brancaciana legionibus delecti, quos centuriones bini ex unaquaque ducebant. Terra diſſiliente, apertum propugnaculum cum inſiliiſſent Albertini, longius provecti uſque ad interius vallum aliquo damno affecti ſunt, Juſtiniani duobus centurionibus deſideratis.

VAR. LECT. [α] deſiderio, quod et ille inſigni monumento teſtatus eſt. Ad *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Wachtendonck.* [b] *Muhlheim.* [c] *Broeck.* [d] *de Roncevaux.* [e] *Santomago.* [f] *Doria.* [g] *Cairo.* [h] *il Foſſato.* [i] *Gambalotta.* [k] *Nuys.* [l] *Brancaccio & Sangeorgio.* [m] *pays de Gueldre.* [n] *de Mornay Sr. du Pleſſis.* [o] *Iſſen.*

deſideratis. Qui ſequebantur, in ſumma ruina ſe muniverunt, ſubvectis aliquot tormentis, quibus vallum pulſaturi erant; quorum conſpectu territi defenſores poſtridie v Kal. Oct. deditionem fecere, honorificis admodum conditionibus, cum adhuc in oppido IↃCCC praeſidiarii eſſent integra valetudine; CL circiter in defenſione occiſis, et CL circiter ſauciatis, qui commodatis a Bucoio curribus, in tutum deducti ſunt. CCC ex Albertinis in obſidione perierunt, et in iis [a] Chapanus major centurio, [b] Barbutus, Pantaleon Spinola, Marcellus [c] Caſtramedianus, Aſcanius [d] Minutolus, Vincentius Maria [e] Borgoncius, [f] Roboreus comes, [g] Dierus et Ardenortus ordinum ductores; capta in oppido XIII tormenta. In Flandria Fridericus Bergenſis a Spinola relictus fuerat, qui ne nihil ageret, [h] Aſſena profectus ad [i] Mildeburgum caſtellum copias admoverat; quod admotis tormentis poſt ictuum paucorum diſploſionem in deditionem acceptum: poſtea cum municipio ſumma diligentia munivit. Inde in aggere [k] Damenſi ſtructae munitiones. Dein ex compacto [l] Wodae et Hochſtrati munitiones a tumultuantibus Hiſpanis ſtructae ſolo aequatae ſunt, et arces dominis reſtitutae. Spinola poſt Wachtendonkam deditam Bucoio ſcripſit, et [m] Cracovium oppidum in [n] Meurſienſi territorio, quod Batavi cum CC praeſidio tenebant, ut duceret, mandavit. Eo cum III legionibus profectus Bucoius, vallo ducto, obſeſſis deditionem imperavit: ad quam denunciationem cum nondum tempus veniſſe reſpondiſſent; admotis tormentis colloquium, ſed ſero, popoſcerunt. Itaque vi facta obſeſſi, ſine certamine in arcem ſe receperunt, et poſtremo Bucoii arbitrio ſe dedidere. Bucoius victoria moderatiſſime uſus, deditítios in templum incluſit, et traditis enſibus vita ſalva dimiſit. IV ſigna capta, ad Spinolam miſſa: deſiderati ex Albertinis circiter C, majorem partem ex Juſtinianea legione. Tempeſtate jam inclinata, et pluviis per Novembrem ingruentibus, Spinola in Colonienſem ditionem exercitum immiſit, relicto Ballanſono cum bis CIↃ peditum, et C equitibus, qui munitiones, quo uſque ad juſtam altitudinem perductae eſſent, ſervarent. Quo facto [o] Maleſa praeſidio praeeſſe juſſus. Inde Bruxellas ad Albertum re bene geſta venit, ſumma gratulatione exceptus; cujus juſſu rurſus in Hiſpaniam diſceſſit, ut Philippum de ſucceſſu edoceret, et res ad bellum neceſſarias coram melius compararet. Grobbendoncanus [p] Silvae-ducis praefectus Bruxellas ſub id cum C delectis equitibus venerat, unde dum domum revertitur, a Marcello [q] Baxio cum IↃ in itinere caeſus, vix, amiſſis circiter XXC, ſe periculo eripuit: quo tempore [r] Sarmientus in Anglicano freto, ſicuti ſupra demonſtratum eſt, a Batavis magna clade affectus, collectis, quas potuit, reliquiis, Dunkerkam appulit.

VIII. Pugnatum et ſub id circa Dunkerkam: unde Albertini inſtructis III navibus, Praetoria, cui Hadrianus [ſ] Theodorici filius praeerat, cum CXXVI claſſiariis; [t] Perla, quam [v] Joannes Nicolai filius; et tertia, quam [w] Robollus junior, ducebant; praedatum egreſſi IV Eid. Nov. in altum vela dederant. In eos Batavi per ſpeculatores ſuos ſigno dato invecti, ducibus Joanne [x] Gebrandi filio, thalaſſiarchi vicario, et Lamberto [y] Moio Henrici filio, cui et ſuccedaneam operam navabat Andreas [z] Franciſci filius Roterodamenſis; ſole ad occaſum vergente, pugnae initium fecere. Nec ſegniter rem geſſere Dunkerkani, donec majore navis praetoriae malo confracto, et navarcho haſta per ventrem tranſverberato, claſſiarii poſt acre certamen amiſſis XXX, et ceteris ſauciatis, ſe dediderunt, ut vitae gratia fieret deprecati. XXXIII ex iis Joannes Gebrandi filius, Lambertus Moius LVIII, in ſuam quiſque navem accepere. Et hic quidem Roterodamum, ille [aa] Enchuſam profectus eſt, captivis, quod

pro

INTERPR. [a] *Chiappano.* [b] *Barbut.* [c] *Caſtramediano.* [d] *Minutolo.* [e] *Borgonzio.* [f] *il conte Rovero.* [g] *Dier & Ardenort.* [h] *Aſſen.* [i] *Chaſteau de Middelbourg.* [k] *de Damme.* [l] *Woude & Hochſtrate.* [m] *Crakow.* [n] *de Meurs.* [o] *le Sr. de Maleſe.* [p] *Boiſleduc.* [q] *Baix.* [r] *de Sarmiento.* [ſ] *Dierickſen.* [t] *la Perle.* [v] *Jean Clauſſen.* [w] *Roobol.* [x] *Gerbrantſen.* [y] *Moy Lambert Henrichſen.* [z] *Franſen.* [aa] *Enchuyſen.*

CIↃ IↃ CV. pro praedonibus haberentur, majorem partem maritimorum judicum ſententia in

Henricus IV. furcam actis, paucis ob aetatem facta gratia. Joannes praetoriam captivam CC amphorarum capacem, VIII tormentis ex aere, X ex ferro fuſili, aliiſque rebus, et pulvere tormentario, cujus XXIV vaſa plena ſupererant, ad bellum optime inſtructam ſecum abduxit. Reliquae duae naves ictibus quaſſatae, beneficio noctis in altum evectae ſe ſubduxerunt. Pauci ex Batavis, et quod fidem ſuperat, in tam obſtinato certamine, tres tantum ex Lamberti Moii claſſiariis deſiderati, XII ſauciati. Tunc et Brugenſes ab Sluſenſium excurſionibus infeſtati, hoſtilem vim aſtu eluſerunt, impetrato ab urbis praefecto, ut cataractam reſarcire, et agrum quendam Ordinibus tributarium cum bona ipſius venia munire poſſent; nam propugnaculum in eo ipſo angulo, ubi [a] Dulcis et Salſa, quae confluentibus illuc amnibus nomina ſunt, in Sluſenſis portus oſtium exonerantur, mira celeritate exſtruxerunt.

IX. Dum belli gerendi rationes ab utraque parte explicantur, injecta pacis ſive induciarum multoties ab Auſtriacis, atque adeo a Caeſare, mentio; et inde capta occaſione varii utrinque rumores jactati, et libelli ea de re diſſeminati. Superioribus annis id egerat Rodolfus ab Alberto fratre exſtimulatus, ut pacis rationes cum Belgii Ordinibus inirentur; quam ſi illi rejicerent, tanquam Imperii hoſtes proſcriberentur. Inter varios, quibus animi hinc inde agitabantur, aeſtus, exſtitit quidam, qui ſe Belgam profitebatur, ſcriptoque evulgato de reipublicae confoederatorum, quae per has turbas dominatum legitimis principibus adverſantem conflaverat, vitiis multa prolocutus, quibus efficeretur, ut diu ſtare non poſſet, ex ea mutatione neceſſario ſecutura evincebat, fore, ut aut Hiſpanis, aut regi, aut Anglis poſtremo ſubderentur. Tum longa de tribus his inſtituta narratione, antequam ad finem diſceptationis veniat, rationes eorum profligat, qui Mauritium in principem ab iis adſciſci debere et poſſe contendebant, ſi rex et Angli de eo conveniant. Omnibus rejectis, tandem eo deſcendit, ut cum Archiducibus tranſigendum Ordinibus colligat: et quia Hiſpanorum metu, quibus fidere nequaquam, et merito, ſe poſſe Ordines obtendunt, Philippum inducendum, ut omne jus ſine conditione in Archiduces transferat, cavendumque ut nullo caſu ad Hiſpaniae reges Belgium poſthac devolvatur; ſed alios potius, atque inprimis Maximiliani liberos, et iis deficientibus, ad Ferdinandi [b]Graecienſis proſapiam deveniat. Atque ut omnis diffidentiae ac ſuſpicionum cauſae evellantur, amplius cavendum, ne Caeſar eſſe poſſit Belgii princeps, aut Belgii princeps in Caeſarem eligi. Et ſi quidem accideret, ut nemo ex ea gente, niſi Caeſar aut rex Hiſpaniae ſuperſit, tum Belgis liberum fore, quem vellent in principem ſibi deligere. Additae pacis cum Archiducibus faciendae conditiones: ut omnes Hiſpani et exteri a Belgii praeſidiis dimittantur; univerſorum Ordinum in integrum reſtituatur, et integra ſervetur auctoritas; iiſque religione et pace religionis in Imperio ſancita, privilegiis ſine cujuſquam impedimento libere uti frui liceat. Ut ad debita exſolvenda etiam bona eccleſiaſtica obligare jus ſit: ut novi ordines, collegia, ſodalitates, atque in iis Jeſuitae maxime omnium ſuſpecti, finibus prohibeantur. Aula Archiducum, qualis ſub Burgundiae ducibus fuit, talis et nunc inſtituatur. Libera confoederatis in Hiſpaniarum regis et Archiducum ditionibus paſſim in Italia et Germania permittatur negotiatio, neque ii novis aut gravioribus quam alii tributis et penſitationibus onerentur. De muneribus publicis ac praefecturis, de arcibus ac praeſidiis, tam deſtruendis quam inſtaurandis: item de re monetaria, aliiſque rebus ad publicam tranquillitatem pertinentibus, mutuo conſenſu tranſigatur. His ſi conditionibus probandis Hiſpaniarum rex moram attulerit; tum regis et Anglorum ope Mauritius Belgicarum provinciarum princeps conſtituatur. In his omnibus neque pontificis neque Jeſuitarum pontifici ſervientium admittendam advocationem, ſed

INTERPR. [a] *la Soete & la Soute.* [b] *de Gratz.*

ſed volente nolente pontifice, convocandum generale concilium, ejuſque decretis ſtandum; ac juxta ordinem a Franciſco [a] Lanovio praeſcriptum cum Turcis bellum gerendum, in quod facile cuncti principes, ſi bonam mentem adhibeant, procul dubio ſint conſenſuri. Alterius ſcripti auctor probare nititur, infirmitate Archiducum propoſita, qui tanto bello patrando impares ſunt, et odio Hiſpanorum tardiſque eorum ſuppetiis, ut finis bello imponatur, regi Galliarum Belgii imperium deferendum, qui non ſolum retinere illud, ſed augere et amplificare, et ab Hiſpanorum vi tueri, unus maxime omnium queat. Cujus virtutem ac vireis notas eſſe, adverſus Hiſpanorum faſtum potius quam potentiam praevalidas, et fidem, quam de conſcientiae libertate concedenda interponeret, quamque ſubditis ſuis ipſe conceſſit, Ordinibus idoneum pignus futurum. Tertium et ſcriptum evulgatum, quo pacis et belli rationibus diſcuſſis, et hujus gerendi et illius habendae difficultatibus agitatis, utile et honeſtum, tam Philippo quam Archiducibus fore evincit, ut jure omni in provincias unitas ſuo cedentes, ultro eas, accepta ingenti pecuniae ſumma, liberas pronuncient, eaque in re exemplum Alberti Saxonis filiorum imitentur, qui toties bello attritis Groëningenſibus, cum nihilominus ſeditionum ſemina ſemper renaſci viderent, nulloque fine bellum ex bello repullulare, tandem jus ſuum Carolo v vendiderunt, et in Miſniam ſuam, pace pecunia parta, reverſi ſunt. Hiſpaniarum regem prudenter aeque facturum, ſi non Ordinibus, quos tanto odio proſequatur, et qui viciſſim ejus imperium omni re pejus deteſtentur, quod fortaſſe nolit, ſed ſibi ipſi pacem tantopere a ſuis expetitam, interceſſione aliorum principum tandem aliquando largiatur. Sic enim lacrhimabili et juxta detrimentoſo utrique parti bello finem imponi, et regem potentiſſimum, cum ſe eo extricaverit, ad gerendum cum Turcis bellum expeditiorem futurum, totis opibus in illud verſis; ex quo majus ad ipſum, et nominis Chriſtiani propagationem emolumentum ac decus ſit redundaturum. Sub id capita quaedam ab homine Archiducibus, ut vero ſimile fiebat, addicto emiſſa, ut per manus hominum volitarent, ad diffidentiam ac ſuſpiciones tollendas accommodata, praecipue in iis quae libertatem in religione ſpectabant, quorum lectione populi turbarum pertaeſi ad pacis conſilia inflecterentur. Itaque ſtatim, qui ab iis alieni erant, contrario ſcripto valde prolixo et acerbo ad illa reſponderunt; Archiduces ſcilicet ad privilegiorum et antiquarum normam conſuetudinum ex aequo rempublicam adminiſtraturos, et nullius conſcientiae vim allaturos, ſed vetera omnia vulnera ſanaturos, omnibus, quas per tot annos Belgae perpeſſi ſunt, calamitatibus fine tandem impoſito. Haec verbo ſpecioſa, non ab Archiducibus profecta, ſed ab emiſſariis potentiae Hiſpanienſis per vafritiem ſparſa, inde a credulis et ſimplicibus hominibus celebrata, et pro veris accepta, qui per imprudentiam decepti, alios porro deceptum eunt, eo tendere, ut his velut illecebris alios ineſcatos in naſſam trahant. Seram fore poenitentiam poſt errorem agnitum, idemque illos fatum manere, quod muſcas, quae ſemel ambuſtis alis, fruſtra candelam poſtea fugiunt. Quippe Belgis perſuaſum eſſe debere, nec puellam procis importunis ſine pudicitiae diſpendio aures praebere, aut cum iis verſari poſſe; ſic nec eos, niſi de libertate periclitari velint, ejuſmodi conſiliis auſcultare poſſe. In his rebus dum deliberatur, integras provincias a foedere diſceſſuras, ut de Gandenſibus et Brugenſibus accidit. Notam eſſe hoſtium, in eos, qui aliam a ſe religionem profitentur, immanitatem, vel recenti exemplo puellae vivae Bruxellis defoſſae, et nuper [b] Aquiſgrani ſublatam religionis libertatem, mutatum magiſtratum, civeis proſcriptos Archiducis inſtigatu, qui et Paterbornenſi praeſuli auctor fuit, ſicuti ex ejus literis patet, ut Proteſtantium aboleret religionem. Scripſiſſe illum [c] Nigella ad Sibyllam [d] Clivenſem, expeditionem, quam Franciſcus Mendoza ſuſceperat, et tanta crudelitate exſecutus eſt, contra

INTERPR. [a] *de la Nouë.* [b] *Aix la Chapelle.* [c] *Nivelle.* [d] *la ducheſſe de Cleves.*

CIƆIƆCV. contra regis et Clivenſis rebelleis, ſe coram in concilio fuiſſe decretam. An nunc
HENRICUS IV. putandum, Archiducem mutaſſe, aut aliam ei mentem a pontifice inſpiratam, aut vero ab inquiſitoribus mitigatum ejus animum fuiſſe? Neque plus ſpei a fratribus et patruelibus eſſe. Scire omneis, quomodo in Auſtria,[a] Stiria,[b] Carinthia, atque adeo [c] Graecii nuper cum Proteſtantibus actum ſit, fruſtra petita et impetrata principum foederatorum advocatione; id nimirum eſſe, quod Philippus parens Maximiliano laudandae memoriae Caeſari patrueli, qui eum, miſſo in Hiſpaniam Carolo fratre, ad moderationem in religionis negotio hortabatur, ſine ulla tergiverſatione reſpondit, malle ſe omnium provinciarum jacturam facere, quam committere, ut quidquam quod ad Catholicae religionis detrimentum pertineret, indulſiſſe videretur. Nemini obſcuras eſſe Hiſpanorum in pacificatione Colonienſi ante XXV annos voces jactatas, bene cum Proteſtantibus actum iri, ſi eos tanquam Judaeos, atque adeo Singalos Nubienſeis, qui ubique errones ſine lare et foco exagitantur, omnibus bonis ſpoliatos, ceterum ſalva vita, novas terras quaerere ſinerent. Id a praecepta per faſtum ambitioſum opinione combibiſſe, tanquam certiſſimum vaticinium, [α]Hiſpanienſeis ultimam monarchiam in Hiſpania tandem conſtitutum ire, hac ratione, quod cum ordine ea ab oriente in occidentem devoluta, ex Aſia in Graeciam, et reciproco aeſtu in Aſiam ad paucos annos ſub Alexandro et ſucceſſoribus diſſiliens, tandem inde et Graecia Romam migraverit, nunc reſtare, ut in Hiſpania maxime omnium occidentali conquieſcat. Hoc ſibi perſuadere illos, et ut adſequantur, nihil non facturos; neque ſperandum eſſe, ut fidem datam ſervent; nam ratum inter eos eſſe, fidem Sectariis non ſervandam, quippe qui primi fidem regi et Deo datam minime ſervaverint: omneiſque adeo principum cum ſubditis armatis contractus re ipſa irritos eſſe: id Baltazarem Aialam, magni nominis inter eos juriſconſultum, ſub Alexandro Parmenſi militiae generalem auditorem, ſcripſiſſe. Neque de libertate in civili adminiſtratione et immunitate ac privilegiis melius ſperandum ſub Germano, ſi Deo placet, principe; nam illum Germania quidem oriundum jampridem Hiſpaniſſare, Hiſpana quippe matre genitum, in Hiſpania et ſub inquiſitorum diſciplina educatum, Hiſpanis atque adeo pontifici ad omnia audientem; qui denique Hiſpanam uxorem duxerit, et illas provincias ejus beneficio dotaleis poſſideat. Illarum autem eas eſſe ſitu locorum et hominum induſtria opes ac commoditates, ad monarchiam, quam animo meditantur, conſtituendam, ut niſi cum pleno imperio eas in poteſtate habeant, libertate et privilegiis, quae ipſorum conſiliis obſtant, peſſum datis et everſis, votorum compotes evadere ſe poſſe deſperent. Fruſtra principum foederatorum et amicorum ſponſionem offerri; nam, pace facta, et Belgis ſub jugum ſenſim miſſis, feras et inutileis fore ſponſorum advocationes. An vero quenquam eorum propterea bellum Hiſpanis denunciaturum? Belli tantos ſumptus et moleſtias, et propter incerta tam periculoſas curas, ut neminem alienae utilitatis cauſa id ſuſcepturum eſſe appareat, et multos proprias injurias ob id diſſimulare, nec niſi coactos extrema neceſſitate ulciſci. Pace Vervinii inter Francos et Hiſpanos facta, an non imperialeis civitates et Clivenſem ditionem comprehenſas? Et quanquam Hiſpani eam quoad externa violaverint, tamen regem Chriſtianiſſimum quamvis rogatum non propterea contra Hiſpanos arma capere voluiſſe. At quem ſeu motuum tantorum ſeu bellorum finem futurum? An cum mortalis ſit hominum conditio, inimicitias immortaleis eſſe oportet? Imo pacem toto pectore expetendam et amplectendam eſſe, modo tutam, et quae nihil inſidiarum habeat. Sed cum bella aut tranſactione finiantur, aut victoria, videndum eſſe, an tuto cum praepotenti hoſte tranſigi

VAR. LECT. [α] fore, ut ultima monarchia, quam a tot annis in Hiſpania futuram ariolantur, hac ratione ——— in Hiſpania conſtituatur *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Stirie.* [b] *Carinthie.* [c] *Gratz.*

tranſigi poſſit, qui per tranſactionem ex hoſte dominus, eorumque quos in gratiam recepit, vitae ac necis arbiter efficitur. Id quam periculoſum ſit, ex iis quae ſupra memorata ſunt, liquere. Supereſſe igitur, ut conſtantia in propoſito ſervetur, et hoſti temeritatis ſuae confeſſio extorqueatur, damnoſam diuturni belli, et exitum non habentis, moram ſuis rebus eſſe. Sic Helvetios Auſtriae principum injurias armis ſumptis initio repuliſſe, et ad extremum conſtantia ſua libertatem, qua florere hodie eorum rempublicam vident omnes, ſibi peperiſſe, Auſtriacis ultro a tam damnoſo bello tandem abſtinentibus: et poſt ruptas toties inducias et renovata infeliciter bella, Sigiſmundum Archiducem perpetuam univerſo cum Helvetiorum pago pacem feciſſe, et plenam libertatem iis reliquiſſe. Maximilianum dein Caeſarem, et Carolum v nepotem eam confirmaſſe, et utrumque opera eorum in Italiae bellis feliciter uſos eſſe. Sic Danos, excuſſo ſemel Chriſtierni furioſi domini jugo, quanquam Carolo v adfinitate proximo preces et minas ſimul miſcente, nunquam adduci potuiſſe, ut cum eo reconciliarentur; tandem alio principe moderatiore adſcito, res ſuas obfirmatis ad conſtantiam animis in tuto collocaſſe. Sed maxime omnium illuſtre Machabaeorum exemplum ſuppetere, qui cum Antiocho nunquam redire in gratiam voluerunt; belloque fatigatum laudabili perſeverantia vicerunt, et pacem invito extorſerunt. Idem Belgis in tam juſta cauſa, quod Helvetiis et Danis contigit, a Divina clementia exſpectandum eſſe et ſperandum, modo non ſe deſerant, ſed in veſtigio manentes haerentem hactenus penes ſe victoriam conſtantia retineant: nam Auſtriacos, qui pace opus habent, cum eam aliter habere non poſſe ſe videbunt, ultro idem, quod majores eorum cum Helvetiis, et ipſi cum Belgis facient. Per bella Belgarum creviſſe imperium, innumeras naveis bellicas inſtructas, urbes pomoeriis ampliatas, et novis propugnaculis firmatas; ſcholas in literis, diſciplinam in re militari ſub optimis ducibus conſtitutam; navigationes ad incognitas terras feliciter ſuſceptas; et inde immenſas opes priſtinae magnitudini acceſſiſſe; provincias unitas ultro tributum in res tam neceſſarias conferre; nihilque reſtare, quam ut virtute partam felicitatem conſtantia tueantur. Contra Hiſpanorum vireis attritas, exitum bello circumſpicere illos, et oblatum avide arrepturos. Philippum patrem, hujus belli pertaeſum, non tam perſequendi conſilium, quam neceſſitatem finiendi filio reliquiſſe. Qui parentis florentibus viribus ferendis pares fuerunt, cum tunc ipſi admodum infirmi eſſent, nunc cum per calamitates et adverſitates, Dei benignitate, creverint, filii debilitatas non ferent? Tum converſa ad majorum religioni addictos Belgas oratione, eos periculi impendentis admonet, ex praeteritorum recordatione, Lamoralli [a] Ecmundani, et Hornani comitis, [b] Montinii fratris in Hiſpania a carnifice necati, [c] Marchionis Bergenſis denique expoſita exempla: [d] Sellii reguli, [e] Hiprenſis epiſcopi, [f] Campaniaci, [g] Auxii, [h] Heſii indignae mortes. Terriculamentum poſtremo inquiſitorium, quod ipſi detrectare tanquam a pontifice profectum honeſte non poſſent, ad horrorem adjectum, cujus quo ſe metu redimerent Olyſſiponenſeis ipſos Philippo vicies et quinquies centena aureorum CIƆ obtuliſſe aiebat libelli auctor; non ut inquiſitio omnino tolleretur, ſed ut in terribili juriſdictione hoc temperamentum ſervaretur, nemo ut in carcerem conjiceretur, niſi prius edito accuſatoris nomine, et criminis capitibus expreſſis, quo is qui poſtulabatur, his acceptis, ad reſpondendum antequam condemnaretur, ſe parare poſſet; et in ſumma, ut reus, antequam in eum ferretur ſententia, ſicuti in aliis judiciis fieri ſolet, audiretur. Verum inquiſitores his cancellis ſuam terribilem potentiam circumſcribi paſſos non eſſe; nullis quippe limitibus incluſam, ad explicandam juriſdictionem liberius

INTERPR. [a] *les comtes d'Egmond, & de Hornes.* [b] *le baron de Montigny.* [c] *le marquis de Berghe.* [d] *le baron de Selles.* [e] *d'Ypres.* [f] *le Sr. de Champigny.* [g] *d'Auxy.* [h] *le baron de Heſe.*

CIϽ IϽCV.

Henricus IV.

liberius evagari, et hoc in ſe privilegium habere, ut hominum vilium ac ſuſpectae fidei teſtimoniis, quorum in aliis cauſis nulla ratio haberetur, fidem faciat. Hac arte in [a] Inſubribus, et Neapolitano regno labefactatam libertatem, Arragoniorum infracta jura, dum Antonii [b] Pereſii civis ſui cauſam tutantur, amiſſis defenſionis legitimae praeſidiis. Hae arte [c] Olyſſiponenſeis, atque adeo [d] Luſitanos ſenſim exarmatos, et ad colendam terram a re navali, in qua aliis Hiſpanis praeſtabant, revocatos. Jam pactis dotalibus cum conſtet navigationem ad Indias diſertis verbis prohibitam eſſe, cui dubium relinqui, quin idem Hiſpani in Belgio facere cogitent, quod jam in Luſitania fecere? Proinde ſe univerſi reſpiciant, liberoſque ſuos, quos totidem mancipia ſub jugum Hiſpanicum mox tranſitura exiſtimare debeant, ſi pacem infidam neceſſariae defenſioni, ſi patientiam infructuoſam repoſitae in conſtantia publicae utilitati praeferre velint. Haec tunc inter Ordines jactata, quae conditionibus tractationis poſtea inſtitutae formam et legem dedere.

X. Sub id Caeſar Belgii Ordines, poſt pacem cum Anglis factam, ut rebatur, tractabiliores, adjunctis Imperii ordinibus, de pace ſolicitabat; partim ut Alberto fratri gratificaretur, et quod alioqui turbatis in Belgio rebus, potentiaeque Chriſtianae viribus eorum occaſione diſtractis, minus ſubſidii contra communem hoſtem per Pannonias graſſantem fore providebat. Per Maximilianum [e] Cochium traditae Caeſaris et aliorum principum literae; ii erant Joannes [f] Suicardus Moguntinus, et Chriſtianus Saxo ſeptemviri, [g] Wolfangus Theodoricus archiepiſcopus Salisburgenſis, Philippus [h] Baioarus comes Palatinus, et [i] Coloniae ac Norimbergae civitatum magiſtratus. Summa petitionum erat, ut ipſi ab imperii finibus militem abſtinerent; conventui, in quo de motibus Belgii componendis ageretur, diem et locum condicerent, eoque delegatos mitterent. Gratiis actis pro tam benevolo in ſe animo, de conventu ſe excuſant, et repetita ſimilium conventuum memoria, e dignitate Caeſaris et Imperii principum non eſſe dicunt, ut quod ab illis ad publicam tranquillitatem bona mente et ſincero cordis affectu ſpecioſe inſtituitur, ab infeſtis publicae libertatis hoſtibus, qui jam per inquiſitorum tribunal in Hiſpania ipſorum non auditorum excidium tacito judicio decreverunt, per fraudes et inſidioſa conſilia eludatur. Dein Hiſpanum et Archiducem nominant, quorum de monarchia Chriſtiana, quam per ſomnium ſibi affinxerunt, aſſidue cogitantes, hanc ratam eſſe ſententiam dicunt, rectam mundi hujus adminiſtrationem aliter ſtare non poſſe, niſi duae poteſtates unicae, ceteris everſis, conſtituantur; altera ſpiritualis, in qua pontifex Romanus; altera civilis, in qua Hiſpanus, pro ſupremo capite habeantur.

XI. [k] Aquisgranenſium res Belgicis conjunctas nunc exſequar, narratione longius repetita: nam de iis jam a multo tempore altum ſilentium. In illa civitate olim primaria, Caroli Magni, qui Imperium in occidente fundavit, tumulo nobilitata, cum Proteſtanteis plerique, qui ut plurium in ditionum confinio illo confluxerant, idem ſibi quod in ceteris Imperii civitatibus licere exiſtimarent; ea re non contenti, etiam dominationem in alios ſibi ſumere aggreſſi fuerant, et ante XXIV annos tumultum in ea perniecioſum excitaverant. Re tamen utcunque pro tempore compoſita. Poſtea cum ad ingenium rediiſſent, Rodolfus Caeſar, ad quem majorum religioni addicti juſtas querimonias ſuas detulerant, Colonienſi praeſuli et Treviro ſeptemviris, et Joanni Gulielmo Clivio duci, qui jus honorificum ob viciniam ex Caeſarum conceſſione in eam ſibi vindicat, negotium dederat, ut de cauſa cognoſcerent, et jus inter partes dicerent. Magni tumultus inde excitati, dum alteri ante omnia in antiquam poſſeſſionem, a qua injurioſe dejecti fuerant, reſtitui a delegatis petunt; alteri ultionem metuentes, per principes Proteſtanteis exulibus ſibi conjunctis

INTERPR. [a] *le Milanois.* [b] *Perez.* [c] *ceux de Lisbonne.* [d] *les Portugais.* [e] *Cochi.* [f] *Swichard electeur de Mayence.* [g] *Wolff Dieterich archevêque de Saltzbourg.* [h] *de Baviere, comte Palatin.* [i] *Cologne & Nuremberg.* [k] *Aix la Chapelle.*

conjunctis advocatione impetrata, rem in longum extrahunt. Tandem exeunte Novembri, anno CIↃ IↃ XCVIII, venere a Caeſare feciales, qui benigne a conſulibus excepti, mandata ſua expoſuerunt; velle ac jubere Caeſarem, ut conſules ab ipſis dignitate moti priſtinae dignitati reſtituantur, ſit a motibus deinceps ceſſatio, nihilque in republica innovetur, ſibique deinceps controverſias diſceptandas ac definiendas relinquant. Secundum haec a delegatis ſententia lata, qua antiquus ſenatus reſtitutus eſt, abdicante ſe novo magiſtratu; addita clauſula, ut de damnis et ſumptibus tanta temporum intercapedine litis protelatae victrici parti a reis, delegatorum arbitrio, plene ſatisfieret. Qua in re a reis ſupplice oblato libello petitum, dum delegati abeſſent, ut ſententiae ab ipſis latae, ac ceterae res judicatae, quae ad religionis cauſam minime ſpectabant, ratae haberentur; ne cui ob religionem moleſtia aut periculum crearetur, ſuſpenſo interim publicis conventibus exercitio, quo uſque Caeſar de iis ſtatuerit; ut pars victrix, ſine ulteriore dilatione ſumptuum et damni, in quorum reſtitutionem eſſent condemnati, ederet et exhiberet rationes, tempore reis ac loco conceſſo; in quo viciſſim de rationibus rem judicatam exſolvendi, aut ejus moderationem impetrandi in commune conſultare poſſent. Ad ultimum, ut ſenatus et aliorum interventu, abolita proſcriptione, ipſi in gratiam reciperentur. Ad haec ante ſeptennium menſe Septembri a delegatis re cum ſenatu communicata reſponſum fuerat, licere iis, qui Catholicam religionem profiterentur, ad Caeſarem proficiſci, et gratiam praeteritorum impetrare, (qua clauſula Proteſtanteis a gratia excludebantur;) de cetero conveniendi locum iis aſſignatum iri, conditione addita, ne ullos, niſi ſenatu conſentiente, et conſulum aliquo inſpectore, conventus habeant. Rationes ſumptuum ac damni intra XL dies conficerentur, et exhiberentur; quibus ſi contradiceretur, aut inter partes non conveniret, Colonienſis praeſul, cui ejus rei arbitrium commiſſum erat, jus ex aequo diceret, prohibito interim omni alterius quam Catholicae religionis cultu. Moniti inſuper et ſenatus, et univerſi ac ſinguli, ut ſe modeſte ac pacifice gererent, neque novis turbis occaſionem praeberent. Poſt delegatorum diſceſſum, rei cum contradicerent, aut rem judicatam exceptione eluderent, in executione, quae penes ſenatum erat, ſeverius cum iis actum, immiſſis in quorundam aedeis, quaſi ex nova cauſa, ſenatus decreto militibus, qui deſignatos in cuſtodiam traderent; quibus non comparentibus, ſcripturae, libri, rationes, et quicquid erat chartaceae ſupellectilis, in curiam aſportari jubentur, manente in aedibus per reorum abſentiam cuſtodia; quae non prius, quam conſumpto omni penu, exceſſit. Neque tamen interim magiſtratu motis et condemnatis, ſicuti convenerat, aſſignatus ad conveniendum locus. Tandem rationes ſumptus et damni exhibitae, et rei ad Sagittariorum aedeis vocati, qui intra quartum decimum a denunciatione illa diem ſummas in iis comprehenſas exſolvere jubentur; ni faciant, pro perduellibus ac proſcriptis convicti habeantur. Id militari corona actum, metu contradicentibus injecto, ne mutire auderent; et ultro provocati omnes, qui actionem ſibi contra competere arbitrabantur, ut eam ſine mora ederent: quo facto, major actorum numerus quam antea repertus eſt, et audaciores redditi qui infeſti erant, alia poſt aliam emergente actione. Cum dilationem tot ſummis exſolvendis concedi peterent rei, conceſſo breviore ſpatio, quanquam aliquoties repetito, nihil inter eos actum. Itaque qui propolia exercebant, tabernas claudere, et a vendendo et emendo abſtinere juſſi, donec judicatum exſolviſſent: tum procraſtinantibus ſemper reis Clivenſis ducis acceptum intra urbem juſſu ſenatus praeſidium, et L talerorum in ſingulos dies mulcta reis imperata. Proſcriptionis a Caeſare pronunciatae ſententia omneis, qui ab anno LXXXI magiſtratum geſſerant, complectebatur. Itaque rei petebant, ut tempus ad eos in jus vocandos concederetur, quo et

pro

CIↃ IↃ CV.
HENRICUS IV.

CIƆ IƆCV. HENRICUS IV.

pro qua parte illi tenerentur, cum iis agi poſſet. Sed rurſus in eo nova difficultas verſabatur, quod plerique ex iis qui magiſtratum geſſerant, majorum religioni addicti, a condemnatione eximi debere contendebant, quod ſe tunc idonee proteſtatos eſſe dicerent, et nunquam iis, quae a ſenatu contra Caeſaris voluntatem et ejus decreta facta eſſent aſſenſiſſe, ſed ſuffragiorum victos multitudine, cum fruſtra ſe obniti viderent, acquieviſſe potius, quam quod agebatur, probaviſſe. Ita a mulcta ſe exonerarunt illi, et, onus in Proteſtanteis multo cum gravamine rejectum; quod ſi ab univerſis ferebatur, levius futurum erat. Quod pari acerbitate executioni mandatum, et ineunte Februario, cum nive cuncta horrerent, qui judicatum non ſolverant, aut a ſententia ob cauſam religionis exempti non fuerant, urbe et territorio Aquenſi, nulla mora interpoſita, excedere jubentur, cum Hiſpani paſſim diſcurſarent, ad quorum injuriam, ſeveritate decreti, exponebantur. Iis digreſſis decretum Aprili ſequenti factum, quo ſolutio in proximum Maium differebatur, intra quod tempus ad urbem venire, et cum actoribus tranſigere reis permittebatur, interminatione addita, niſi intra illud tempus ſatisfacerent, fore, ut bona eorum haſtae ſubjicerentur, et in eorum poſſeſſionem publica auctoritate creditores mitterentur. Additum et novum edictum, in receptatores aut interverſores bonorum abſentium, qui jubentur, ſi quid penes ſe habeant, aut alios habere ſciant, id confeſtim ad magiſtratum deferant, aut rei indicium faciant. Quidam edicto paruerunt, ſed cum plures impares ſolvendo eſſent, ad Caeſarem ſpe moderationis impetrandae miſerunt. Sed legatio exitu caruit, cum Clivius, cui multum debebatur, ne contumacibus gratia fieret, per ſuos impediret. Itaque cum eo agere juſſi, et L aureorum CIƆ ejus delegati petebant; ſed cum illi ſummam immodicam cauſati ſe excuſarent, a ſociis partem tantae ſummae exigere poſtremo jubentur. Sociorum autem nomine intelligebantur, quicunque ab anno CIƆIƆLXXXV ad annum CIƆIƆXCIX magiſtratum apud Aquenſeis geſſiſſent. Cum acerbius id exigeretur, querimonia ad Caeſarem delata; denuo Colonienſi mandatum datum, ut de re tota, ac praeſertim de iis quae in proſcriptionis executione inter actores et reos controvertebantur, plene cognoſceret. Verum a ſeptemviro delegati re procraſtinata, non niſi altero hujus ſaeculi anno, ad urbem venerunt. Interea calumnioſe vexati proſcripti, et illis improperatum, quod tributum in bellum Turcicum imperatum plene non exſolviſſent, quamvis Francofurtenſis magiſtratus [1] apochis ſive acceptilationibus contrarium probaretur: nam tribus vicibus florenos imperiales tredecim millia et IƆCCXCVIII exſolutos eſſe, quamvis ſenatus tantum undecim millia centum et viginti octo a populo accepiſſet, quod plerique, ac praecipue qui in ſuburbiis habitabant, penſitationem detrectarent, proſcriptionis ſententiam propediem evulgandae veriti, et quod magiſtratum abdicatum iri providerent. Adventu delegatorum Colonienſis ad urbem proſcripti venire juſſi, ut coram de exceptionibus eorum cognoſceret, et eodem tempore illis a ſenatu interdictum, ne ad urbem venirent, poteſtate tantum in ſuburbano territorio commorandi facta. Poſt rem tumultuario agitatam cum urgerent delegati, ut utraque pars ſe arbitrio ipſorum ſummitteret, pauci aſſenſere, iique ſumma depenſa quae ab iis petebatur, forma a Caeſaris delegatis praeſcripta, qua poſt criminis confeſſionem a Caeſarea majeſtate veniam ignominioſe petere coguntur; quod ſocii, qui culpam obfirmatis animis diffitebantur, graviſſime omnium tulerunt, quippe hoc praejudicio quaſi condemnati; cum nihil ſe feciſſe dicerent, quam quod eos facere oportuerit, qui patriae libertatem et privilegia ſalva cupiunt. Neque vero Caeſarem

NOT. [1] Par l'original de la quitance du magiſtrat de Francfort on avoit receu du magiſtrat d'Aix, en trois termes, la ſomme de 10250 florins d'Allemagne, ce qui eſtant reduit à la monnoye courante d'Aix, montoit à la ſomme de 13798 Dalers; & cependant le magiſtrat d'Aix n'en avoit recueilli que 11128. *V. Meteren.* *Put.*

Caeſarem ipſum ita a cauſa ſua averſum fuiſſe, quin mitius cum miſeris civibus actirus fuerit, ſi per importunas pontificii legati, et Gul. Sanclementis Philippici oratoris, ac denique Franciſci Mendozae Arragonii thalaſſiarchi prenſationes licuiſſet. Quae omnia non propter rebellionem, a qua ſummopere ſint alieni, ſed odio religionis fieri paſſim voce et ſcriptis praedicabant. Addebant, et hoc praetextu infracta urbis primariae in Imperio privilegia, cudendae aureae monetae adempta praerogativa, quam conſulti juris non immerito principale ſupremi dominii ſigillum appellant. Odium [a] Clivenſis auxit et res, quae non proviſa accidit, cum paulo poſt, menſe Februario, Franciſcus [b]Lotharingus Valdemontius Antoniae, quae Clivenſi nupſerat, frater, ad illam adiiſſet, et cum CC equitibus [c]Borſchotum ſexto ab urbe lapide coenobio virginum et thermis nobile municipium veniſſet: nam inde civibus denunciatum, velle illam cum fratre ad urbem accedere, ad ſanctas reliquias inviſendas. Id cum reſtitutus ſenatus libenter annuiſſet, omniaque ad excipiendos principes paraſſet in urbe, qui a Clivenſi metuebant, equites praemiſſos admittere noluerunt, et portam venientibus occluſerunt. Id ſibi juris Cliviae duces arrogant, ut principes exteros aliosque praeſidii cauſa ad portam urbis et per ipſam urbem deducant. Qui repugnabant, his ſe rationibus tuebantur, quod in Caroli V inauguratione cum Cliviae dux hoc jure uti vellet, [d] Fuldae praeſul interceſſerit, et poſt longam diſceptationem a Caeſare ſit pronunciatum, Clivenſi cum ſuis ad repagulum uſque portae praecedere licere; quo facto ſui alio deflecterent, tumque Fuldenſis agmen in urbem introduceret. Poſtea edicto Caeſareo, mulcta grandi addita, cautum, ne quis monetam a magiſtratu Aquiſgranenſi abdicato et proſcripto cuſam, ſive auream ſive argenteam, acciperet, vel erogaret; quod etſi id legitimo magiſtratui juris antiquitus in illa urbe fuiſſe Caeſareani non diffiterentur, tamen ab iis qui abdicati ſint, uſurpari non poſſe; eoque magis, quod, ut aiebant, antiquas inſcriptiones mutaſſent: in Aquiſgranenſi moneta ita conceptam olim inſcriptionem fuiſſe, MONETA NOVA REGIAE URBIS AQUENSIS: illos autem loco REGIAE, ſubſtituiſſe LIBERAE. Permiſſum tandem illis, ut aeream cudere poſſent, ſed in inſcriptione LIBERAE voce abſtinerent.

CIↃ IↃ CV.

HENRICUS IV.

XII. MARPURGI in Thuringia et eodem tempore ob religionem tumultuatum. Ea urbs ad Mauritium [e]Heſſorum principem ex ſucceſſione Ludovici patrui ſine liberis defuncti pervenerat, et academia ac theologorum collegio confeſſioni Auguſtanae addictorum his in locis famoſa, aegre patiebatur, ut confeſſio Proteſtantium apud Helvetios recepta, cui favere in occulto Mauritium ſciebant, locum inter eos haberet. Itaque cum praeceptum eſſet doctoribus, ut omiſſis non neceſſariis de Ubiquitate CHRISTI diſputationibus, rationem inirent, qua Humanitatem eam, citra acerbiorem verborum contentionem, juxta conventiones ea de re inter Gulielmum, Ludovicum, Philippum et Georgium fratres, [f] Treſae, hac ipſa in urbe, et [g] Caſſellis celebratas aſſererent; praeterea ut Decalogus in eccleſia non mutilatus proponatur, et imagines ex ea ac ſtatuae tollantur; et denique in ſacra ſynaxi frangeretur panis: ea et alia nova, ut aiebant, decreta, cum theologi Calviniſmum ſapere dicerent, docendi munus potius intermittere, quam principi obtemperare ſe paratos oſtendebant. Igitur XVII Kal. Sept. cum per Valentinum Schonerum in publica concione haec populo inſinuanda curaſſet, facto concurſu opifices cum inſtrumentis ad templum accurrunt, et paſtorem male mulctatum ac paene ſemianimem e ſuggeſtu deturbant. Aberat tum Mauritius, qui [h] Gemunda ſtatim advolat, et Schonerum plagis deformem ſua ipſius manu in templum reducit; et poſt habitam a Schonero moderate concionem, ipſe etiam ſuas partes interpoſuit, et tumultuanteis increpuit, addito,

INTERPR. [a] *le duc de Juliers & de Cleves.* [b] *de Lorraine comte de Vaudemont.* [c] *Bortſchot.* [d] *l'abbé de Fulde.* [e] *le Landgrave de Heſſe.* [f] *Treis.* [g] *Caſſel.* [h] *Gemund.*

CIↃIↃCV. HENRICUS IV.

addito, nunc liquido apparere, nondum imaginum cultum ex illorum cordibus evulſum eſſe, cum earum cauſa vivas Dei imagines pretioſo dilectiſſimi Filii ſui ſanguine redemptas violare non dubitaverint: proinde velle ac jubere, ut confeſtim imagines e templo tollantur, et ſubſtructio editior, in qua theologi ſedebant, et ex qua factus fuit in Schonerum impetus, deſtruatur. Cum vero plebem adverſaturam crederet, non contentus theologos monuiſſe, ſigna aliquot militum in urbem induxit, et per civium domos diſtribuit. Inter murmura pauci dies elapſi, tandem poſt octiduum cives per delegatos ad genu principis provoluti et culpam confeſſi, veniam ſupplices petierunt: Schonerus ipſe intervenit, ejuſque precibus exoratus Mauritius indignationem remiſit, paucis, qui turbis cauſam dederant, et porro daturi credebantur, ſolum vertere juſſis; et poſtquam ſemel atque iterum ſacram ſynaxim,adhibita panis fracti ceremonia, celebravit, Marpurgo diſceſſit.

XIII. Haud hinc longe Henricus Julius Brunſvicus ad cognominem urbem, cui jampridem inhiabat, et inſidias anno ſuperiore ſtruxerat, in poteſtate habendam, hoc anno animum denuo adjecit, eam intercipere primum aſtu conatus, a quo conatu magna cum jactura et dedecore repulſus; poſtremo vi aperta eandem expugnare aggreſſus eſt. Urbs hodie Saxoniae potentiſſima, a Brunone Lupoldi ducis Saxoniae filio ante IↃCCC annos condita ad [a] Onacrum fluvium, qui in [b] Viſurgim influit; parvis initiis in eam crevit amplitudinem, ut Hanſeaticae ſocietatis, quae LXX urbes complectitur, in collegium ad participanda privilegia cooptari meruerit. Principes vicinos aemulos ſemper habuit, qui jus in ea ſibi arrogant; qua in re Brunſvicenſium adverſariam libertatem experti, ſemper cum iis ſimultates et inimicitias exercuerunt. Hoc animo [c] Julius ſecretum conſilium inierat urbis intercipiendae, et quo magis falleret, militem in propinquo aliquandiu tenuerat, et crebris in agro velitationibus ac luſtrationibus minus ſuſpectum vicinis reddiderat. Nec deerat color, Lingenam citra Rhenum in proxima Friſia obſidentibus Hiſpanis, qui maxime toto illo tractu formidabiles; eaque de re literas dederat ad Colonienſem ſeptemvirum, quae per manus hominum volitabant. Accedebat, quod cum ipſe apud Saxonem ſeptemvirum aliquandiu fuiſſet, eodemque tempore Chriſtianus Anhaltini princeps ad eos veniſſet, rumor ſparſus erat, quaſi de filiae Julii cum Anhaltino nuptiis ageretur, eoque proniores ad credendum animi erant, quod ita futurum putabant, ut Anhaltinus, qui ad Genevenſem confeſſionem inclinabat, per eam adfinitatem ad Auguſtanam rediturus eſſet; quod populi unice in Saxonia exoptabant. Itaque cum ſub id Julius cum Alhaltino ad Guelforum arcem, primariam principum ſedem, Wolfenbutelum vulgo vocant, veniſſet, accerſuntur eodem milites et ruſtici, qui ad militiam inſtituebantur, citra ſuſpicionem, quod ideo fieri omnes ſibi perſuaderent, ut novi ſponſi tanto honorificentior eſſet acceſſus. Cum igitur copiae ſingulis diebus ad tympani pulſum per urbem pertranſirent, nemo erat qui ſiniſtri quidquam ex eo conjectaret; ſed exitu tandem cognitum, Brunſvicam eſſe ſponſam illam, quae petebatur, et cujus gratia tanti bellici apparatus fiebant. Re cum paucis communicata Julius, clam primariis conſiliariis et ipſo cancellario, diem tentandae urbis condicit ad XII Kal. Oct. quo [d] Becceri primarii conſulis uxor defuncta, poſt horam pomeridianam, terrae mandari debebat, concurſu populi fore ratus, ut circa portas et moenia major eſſet ſolitudo, et infrequentiores excubiae. Per tubicinem dolus inſtructus, qui familiaritatem cum civibus colebat, vetus hoſpes atque olim civis. Is III currus delectis militibus plenos, ad lucum [e] Lecheltum praeire juſſos ipſe antevertit, et ſtationarios ſermone ſuſpendit, dum currus pertranſirent, quos quinque armati ruſticorum habitu ſequebantur. Ubi portam anteriorem ſubiere, tubicen, qui

INTERPR. [a] *Onacre r.* [b] *Weſer r.* [c] *le duc Jules de Brunſwick.* [d] *le Bourgmaiſtre Becker.* [e] *le bois de Lechelt.*

qui interim venerat, ceteris catervatim e curribus deſilientibus, obvium in excubiis confodit; ſignoque per id dato, ex quinque ſequentibus duo in excubitores ruentes totidem ſternunt; qui ſupererat, curſu ſe in urbem proripuit, et ad Magni portam properans, ad arma ſtatim conclamavit. Qui portam occupaverant, numero circiter L, interiores valvas, occurſum primum civium veriti, occluſerant, opperientes ſuorum adventum, quibus firmati in urbem impetum facerent: interim [a] Magni et Aegidii vallum occupant, et tormenta in iis reperta in urbem convertunt, et ad terrorem diſplodunt. Ea mora factum, dum ſerius auxiliares adveniunt, ut cives ex ſummo pavore animos recolligerent, et ad defenſionem ſe pararent: magna interim ad inopinatum tumultum, quaſi capta urbe, puerorum, ſenum, et foeminarum comploratio. Plerique ad beati Blaſii aedem confugiebant, loci ſe reverentia tutos rati, quippe quae principum patrocinio antiquitatem ſuam tueretur. Tribuni autem et regionum duces ad vallum Magni propugnaculo contiguum conveniunt, ex compacto; ſic enim antequam de impreſſione hoſtili cognitum eſſet, heſterno die inter eos decretum erat: qui videntes ex eo paucitatem hoſtium, directis in latera tormentis illos infeſtare coeperunt, et ad eas anguſtias compellunt, ut praeter munitionem ad portam Aegidianam, quam [b] Catum vulgo vocant, cum vallo Aegidiano nihil retinerent. In eo ſucceſſu baſiliſcus ingens, pilae ſeſquipedalis capax, ad portam illam multos jam annos depoſitus, et ferreis ramentis, ſaxis aliaque materia oppletus a piſtore, ut perhibetur, pulvere immiſſo et titione ardenti incenditur, qui magnam ſtragem hoſtium edidit, unaque auxiliarium qui cum Julio advolabant; quibus confirmati, qui in Cato adhuc erant, valvas initio occluſas perfringere tentabant; ut inde totis viribus in urbem irrumperent. Id veriti cives intus fimo, lapidibus et alia materia eas obſtruxerant. Dum in eo ſunt, renovata in urbe trepidatio, hinc detonantibus inſtaurata tormentorum diſploſione per tecta et vicos hoſtibus; inde plebe contra ſenatum fremente, quae ſaepius monitos, ut ſecuritati publicae conſulerent, conſules parvi monita feciſſe, et ſegniter ſe geſſiſſe, dimiſſis, quos conduxerant, tribunis exteris et aliis belli ducibus, arguebat; et dum cum ſenatu altercaretur, praeſens periculum negligere videbatur: illi contra inſtare, ut omiſſa contentione et mutuae exprobrationis acerbitate cuncti ſe reſpicerent, ad extremum opifices et cerviſiarii ad bis CIↃ egregie armati, promiſſo ſtipendio, ad defenſionem ſe comparant, et ad munitionem quam hoſtis tenebat, admotis ſcalis vim faciunt, et ordinata diſploſione multos ſternunt. Nec hoſtes ceſſabant ab infeſta diſploſione per tenebras, pluteis, quantum in ſe erat, latera tegentes; et tormentis contra urbem interea ad terrorem incutiendum, et artificioſis ignibus rem gerebant, ſed exiguo damno, madidis ſaccis cura conſulum ad id paratis, et boum exuviis, ut ictus pilarum excipientes frangerent, et ignivoma mala ab iis jaculata reſtinguerent. Itaque ad publicum ſenatus ſtabulum, ubi magna ſtraminis vis congeſta erat, et ad aream ſacri collegii circa aereum Leonem, directi nequicquam ictus, pilis in vacua concidentibus. Magna foeminarum plebeiarum et ancillarum in eo tumultu virtus fuit, quae ligonibus inſtructae, et per ſcalas enixae, hoſtem valvas vi tormentorum perrumpere tentantem per latera infeſtantes, ab opere tandem deſiſtere coëgerunt. [α] Circumeunte Sebaſtiano S. Michaelis paſtore, qui civeis ad concordiam adhortabatur, et ad propulſandum commune periculum exemplo ſuo reſtitantibus animos faciebat. Fecit et animos pueri exemplum, qui inſito charitatis patriae ſupra annos ſenſu, cum pro aris et focis depugnare ſe crederet, in medios ruere, et treis bellatores ſcloppeto toties exonerato ſternere viſus eſt. Sed cum Julius ſuis pro victoria et praeda certantibus ſemper recentes

CIƆ IƆ CV.
HENRICUS IV.

VAR. LECT. [α] Circumeunte et paſtoralem ſecurim praeferente Sebaſtiano S. Michaëlis paſtore, qui jurganteis inter ſe et diffidenteis cives ad concordiam *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *forts de Magnus & S. Gilles.* [b] *Catsfoort.*

CIↃ IↃ CV.
HENRICUS IV.

recentes ſufficeret, cives pro ſalute pugnantes, novo milite minime ſublevati continuo labore fatigarentur, redintegrata denuo quaſi capta urbe per domos comploratio, a nube ignea plumbearum pilarum aucta, quas hoſtes pondere trium unciarum forma vaſculi centum et ſeſqui glandes capientis compactas, et reſina glutinatas, chartaque et linteo deſuper obvolutas tormentis ingerebant, quae magno cum fragore diſploſa, immane, quantam ruinam per culmina aedium ubique ediderunt, nemine tamen fere ſauciato. Itaque miſſi e ſacro collegio [a] Walradus et Mollerus ad Julium, qui ad [b] lucum rei eventum opperiebatur, qui vim deprecarentur, et civeis, ſi militum impetum inhiberet, imperata facturos oſtenderent. Verum ii minime auditi, ut nec alii poſt alios miſſi. Inter haec nox inquies utrinque exacta; et foedus imber effuſus, non mediocriter hoſtilcis conatus retardavit. Tandem advectis VIII muralibus ex [c] Wolfenbutelo armamentario machinis redintegrata verberatio, et ad ultimam deſperationem redactae res in urbe; cum juvenes duo diverſis itineribus hoſtem a tergo invadere felici audacia aggreſſi ſunt. Alter aſſumptis L delectis, lapicidas perfodere murum jubet, eoque aperto confertim haſtis ut plurimum inſtructi acrem in vallum impreſſionem faciunt, et obvios quoſque ſternunt, ac late ſummovent. Alter tribus ſcaphis, quales in Onacro uſitatae ſunt, impoſito milite, et adverſo fluvio ab urbe egreſſus ad ripam oppoſitam exſcenſione facta, portam [d] Aegidianam petit, et circumducto LXX circiter bellatorum agmine, hoſtem nihil tale exſpectantem, terrore injecto fundit. Abjectis armis in fugam ſe quidam conjecere; qui in munitione remanſerunt, omnes ad unum [α] trucidati. Multi et in fluvium praecipitati ac ſubmerſi. Tum civibus, eruptione facta, fugienteis inſequentibus uſque ad lucum, magna caedes edita, ut tota via cadaveribus ſterneretur. Ita copioſi imbris beneficio et virtute duorum juvenum urbs ſervata. Laudati juvenes et egregie munerati, puer et pecunia publica donatus eſt, et auctum militi ſtipendium. VII murales, quas dixi, machinae captae, quas Brunſvicenſes ante L annos Carolo Caeſari victori dare coacti fuerant, et quas Ericus Brunſvicus exorato Caeſare, cui militabat, penes ſe retinuerat. Capta et aliquot minora tormenta, et VI mortaria in Cato reperta, et LXX cadi nitrati pulveris, et aliquot ſcalarum, aſſerum, et hamorum quadricornium, quibus projectis ſemper cuſpis una ſuperior eminet, pedicas vulgo vocant, itemque glandium reſina conditarum, ligonum, haſtarum, plena plauſtra. Deſiderati ex Julianis amplius CIↃ CC, et in iis ex nobilitate aliquot, et multi libratores in illo conflictu nocturno per imprudentiam diſcerpti. Capti CC circiter. Ex civibus vix L occiſi, et totidem ſauciati. Inde ex indignatione et confuſo pudore obſidio vi aperta tentata, et XII Kal. Nov. magno molimine vallum ducit, operas civibus diſturbare per eruptiones fruſtra annixis. Quatriduo poſt ad Julium a Brunſvicenſibus delegati miſſi, qui cum privilegia ſua ac libertates urgerent, nihilque de jure ſuo ſe remiſſuros oſtenderent, re infecta in urbem redierunt. Vallo ducto munitiones ad ſingulas portas tumultuario opere exſtructae, ita ut oppidanis urbe exire liberum non eſſet. Onacer ex molitoris ingenio et indicio fraenari coeptus, ducto per fluvium aggere, quo obſtructo aquae in ſuperiore parte contractae, cum laxaretur alveus, cum impetu in urbem exundarent. Pilae et ignivomae eodem tempore miro artificio fabricatae, quae ejaculatae firmiter parietibus et tectis adhaererent, et incendio inextinguibili domos in urbe depaſcerent: ita aqua ignique deſtructa ad excidium Brunſvica.. Interea civitas ad Caeſarem legationem adornat, et ejus auctoritatem in caſu ſubito implorat; qui ad exemplum pertinere exiſtimans, ne liberum eſſet in Imperio vicinos ſine denunciatione et inconſulto ipſo bellum cuiquam inferre, ſeverum contra Julium edictum proponit, avocatorii mandati

VAR. LECT. [α] trucidati, cruore ubique foſſa reſtagnante. Multi *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Walrad & Moller.* [b] *bois de Lechelt.* [c] *Wolffenbuttel.* [d] *porte S. Gilles.*

mandati ſpecie, quo et ipſe, et ejus ſubditi, et quicunque alii amici et foederati ipſi in ea obſidione navabant, inde diſcedere jubebantur, addita proſcriptionis poena. Edictum more ſolito [a] Francofurti ad Moenum, Gieſſae, Arnhesburgi, Suſati, Lengoviae, Lippae, Hamburgi, Lubecae, Bremae, Lipſiae, Dreſenae, Magdeburgi, Luneburgi, Hildeſhemii, Spirae publice propoſitum. Sed ſoluta jampridem in Imperio diſciplina mandatum neglectum. vi Kal. Dec. Julius apud obſeſſos inſtat, ut ad poſtulata diſerte reſpondeant. Sub id eruptione pugnatum, oppidanorum vii ſignis cum curribus ad ligna colligenda, quorum penuria in urbe laborabant, egreſſis, ſed irrito conatu, adventante hoſtili equitatu, qui oppidanos in urbem compulit. Fridericus Daniae rex in caſtra venerat ſororio praeſto futurus, qui luſtratis munitionibus cum omnia ſibi ſummopere placere oſtenderet, mox iↄ equites affore promiſit; ii erant majorem partem ex [b] Holſatia, quae Imperio ſubeſt, et Caeſareo edicto comprehendebantur, qui tamen principis ſui fiducia freti conſtanter imperiale mandatum inſuper habuerunt. Interea Julius edicto [c] Helmeſtadii publicato de ſuperbia ac protervia Brunſvicenſium, quos ſubditos ſuos vocabat, multa conqueſtus, invitum ſe ad arma veniſſe profitebatur, ut male morigerorum civium contumaciam reprimeret, et, ſolemni proteſtatione interpoſita, cruoris innocui propterea effundendi culpam a ſe amoliebatur, et in rebelleis ac ſeditioſos populos rejiciebat. Jamque opus ad fraenandam amnis ſubjecti aquam inchoatum, eo perductum erat, ut aqua in urbem regurgitare inciperet, et jam ad genua uſque creverat, cum vi intumeſcente, convulſis obicibus ita ſe ejecit, ut in antiquum alveum rediret, metuque ingenti obſeſſos liberaret. Evenit et opportuno ac ſalutari juxta caſu, ut die inopinatae impreſſionis, aliquot cives et magiſtratus primarii abeſſent, qui ingreſſu prohibiti, inde ad Hanſeaticas civitates propere profecti ſunt, et Hamburgenſium, Lubecenſium, et Bremenſium advocatione impetrata, legatione ad Julium decreta, [d] Wolfenbutelum cum delegatis venerunt. Summa poſtulationum erat, ut a ſocia civitate vim abſtineret; ſi quid juris controverſi cum iis haberet, jure experiretur: alioqui ſe ſociorum periculum negligere non poſſe; et ſi pergat, tali tempore obſeſſis minime defuturos. Cum parum illorum preces curare videretur Julius, ſcriptae ab iis copiae auxiliares, iiſque dux deſtinatus Auguſtus Luneburgi princeps, et de ſumptibus et ſtipendio idonee ipſi cautum. Daniae rex in vallo adſiduus erat, et ad Ridaghauſenum coenobium ſtationem habebat, ſtructa munitione, quae vulgo Regia dicebatur; in quam vii Kal. Jan. acri eruptione facta, ipſe parum a periculo abfuit. Cum acceptis nunciis domum revocaretur, antequam diſcederet, ne a pacis rationibus omnino alieni viderentur, propoſitae conditiones, ut civitas ſingulis annis ad expiandam contumaciae ſuae memoriam, iↄ Hungaricos nummos aureos poenae nomine dependeret; ut juriſdictio omnis extra civitatem, cum pagis omnibus, penes Julium eſſet; cui et jus eſſet aulam ſuam in civitatem, cum vellet, transferendi; nemo in ſenatum legeretur abſque principis auctoritate ſcripto conſignata, in eoque ſemper aliquem ex ſuis habere ipſi jus eſſet. Immunitates ac privilegia, quibus majores ſui in ea uſi eſſent, principi in civitate integra manerent. Sumptus in bellum facti reſarcirentur, et xx tormenta aenea poenae nomine ſenatus principi offerret: quibus tranſactis, et pace firmata, princeps duas primarias in Imperio civitates nominaret, quae de non movenda a Brunſvicenſibus in poſterum adverſus principem ſeditione, et fide ſervanda apud ipſum ſponſionem interponerent. Verum hae conditiones ab obſeſſis, ut iniquiores, omnino rejectae ſunt. Ipſe rex mox domum repetiit. Verum haec ad annum ſequentem pertinent.

XIV. In

INTERPR. [a] *Francfort ſur Mein, Gieſſen, Arnesburg, Zoeſt, Lemgow, Lippe, Hamburg, Lubeck, Bremen, Leipſick, Dreſden, Magdeburg, Lunenburg, Hildeſheim, & Spire.* [b] *Holſtein.* [c] *Helmſtadt.* [d] *Wolffenbuttel.*

XIV. In [a] Pannonia Turci ad [b] Strigonium, Serdare purpurato duce, caſtra poſuerant, et cum plus in infirmitate noſtra, quam in viribus propriis fiduciae haberent, rem extrahebant. Vicegradia, deficiente commeatu, interim dedita, et mox Novigrodia; dein, ineunte Septembri, Tatari magna nube ſupervenientes ſe Grana flumine ſuperato effuderunt, et igne ferroque circa poſitum uſque ad [c] Comaram agrum vaſtarunt. Intercluſo aditu auxiliaribus ad Strigonium miſſis, redintegrata ſub id verberatio, et XVIII tormentis quaſſatae munitiones; et oppugnatione totis viribus tentata, repulſi Turci. Majus a Pannoniis, qui cum Boſtkaio arma ſociaverant, quos in Imperio ſeditioſos vocabant, interim damnum acceptum, cum illi in inſulam irruenteis Heiducos, qui ad Caeſarem tranſierant, ad CC ceciderunt. Eo profectus [d] Colonitius denuo irruenteis ſumma vi repreſſit, et multos ex iis cecidit; verum illi majore numero incumbentes, Rheni comitem in inſula a Colonitio relictum oppreſſerunt, et pertractis in ſuas partes majorem partem inſulanis, CCC Germanos trucidarunt, ipſumque graviter vulneratum reliquerunt. Quam cladem ulturus Baſta cum Raſcianis et Gallobelgis eo miſſus, quod reliquum tumultuantium rabies in inſula fecerat, immaniter graſſatus ſecum abſtulit, inſula paene ad ſolitudinem redacta. Eodem tempore ad [e] Owariam ſive Neuheuſeliam, famoſam illis locis Chriſtianorum munitionem, res a Turcis gerebantur duce [f] Agrienſi purpurato, qui praetorianorum novo ſubſidio firmatus, et tumultuantium Pannoniorum valida manu, obſidionem urgebat: jamque ad ſummas anguſtias praeſidiarii redacti erant, commeatu deficiente, et pulvere nitrato. Nec ad Strigonium ceſſabatur, ubi tandem Turci IX Kal. Octobreis ſancti [g] Thomae monte noſtros dejecerunt, IƆCCC occiſis, inter quos fuit Oetingenſis comes. Inde cuniculis res acta, et directis eodem tempore contra oppidum, [h] Flumentanam, et arcem, XXX circiter tormentis, ne ſui in opere turbarentur, impediebant. Tandem VI Nonas Octobreis praeſidiarii ad extrema redacti [i] Dampetram comitem,qui arcem tenebat, ſeditioſe circumſiſtunt,et ad deditionem faciendam minis adigunt: cum initio recuſaret, et officii pudore injecto monitos a tam probroſo conſilio dehortaretur, recuſantem comprehendunt, et cum hoſte paciſcuntur, qui erga eos inuſitata humanitate et fide uſus eſt, vita ſalva dimiſſos, et in tutum cum aegrotis deductos. CIƆ praeſidiarii poſt longam obſidionem adhuc in urbe erant, cum copioſo commeatu, et LXX, quae magni jactura aeſtimata fuit, machinis, ac bellico omni apparatu. Id actum V Nonas, cum totum decennium in poteſtate Chriſtianorum fuiſſet Strigonium. Tenebat Neuheuſeliam Stephanus [k] Illiſhaskius primarius Hungariae regulus, qui ſuſtinendae oppugnationi impar Georgio Baſtae per literas ſignificat, e re videri, ut cum [l] Homonaio tumultuantium Pannoniorum duce ageretur, quem, Boſtkaio cum Caeſare reconciliato, ſperabat oppidum et arcem bona fide Caeſari reſtituturum. Conſilium probavit Baſta, et ex Matthiae archiducis voluntate Neuheuſelia Hungaris dedita, manente in ea Germano milite, et excubias cum aliis ſub Homonaio, ſic enim convenerat, agente. Verum aemulatione nationum paulo poſt factum, ut Germani praeſidiarii cum [m] Streinio expulſi, ad [n] Comoram ſe receperint. [o] Altenſolii ſub id extrema paſſi, necnon et [p] Viglaſſii, Schemnitſenſes, et Kremnitſii ad Boſtkainos tranſierunt; qui [q] Nemethio duce per Stiriam licentioſe in praedas effuſi vagabantur; etiam [r] Kermento munimento, quod commeatu deſtitueretur, occupato. Contra eos [s] Tillius equitatus illis locis tribunus Altenburgo profectus, cui et Stirii, et cum CIƆ equitibus Holſatiae dux ſe adjunxerant. Illi nuſquam conſiſtentes adventantibus Caeſarianis, deſerto [t] Raccolſthemio haud multum munito caſtello, quod mox caſu conflagravit, retro pedem tulere.

Diverſa

INTERPR. [a] *Hongrie.* [b] *Gran.* [c] *Comar.* [d] *Colonich.* [e] *Owar* Germ. *Nieuheuſel.* [f] *Baſſa d'Erla* ou *Agria.* [g] *Mont de S. Thomas.* [h] *porte du coſté de la riviere.* [i] *Du Val comte de Dampierre.* [k] *Illieſhaſy.* [l] *Homonnay.* [m] *Strein.* [n] *Comorre.* [o] *ceux d'Altſoll.* [p] *ceux de Wigles, Schemnitz, & Kremnitz.* [q] *Nemethi.* [r] *Kermend.* [s] *de Tilly.* [t] *Raccoltſteim.*

Diverſa parte Boſtkaius [a] Claudiopoli in Dacia paulo ante adactis ſacramento proceribus princeps ſalutatus, et relicto in urbe cum ſummo imperio Sigiſmundo [b] Ragotſcio [c] Caſſoviam venerat, et inde cum exercitu incedebat, praemiſſo Homonaio, qui [d] Poſonium quod a Schombergio tenebatur, dedi poſtularet, ſpe facta ut ad denunciationem tumultus in urbe exoriretur; quod cum non ſucceſſiſſet, et Schombergium ad defenſionem paratum videret, Peſtam deflexit, ubi a purpuratorum principe honorifice admodum ac ſplendide exceptus eſt, diademate mire Graecarum ancillarum artificio elaborato, et LX, ſicuti jactabatur, Hungaricorum aureorum CIƆ, XXV item equis egregie inſtructis donatus, plena poteſtate facta, de pacis negotio agendi. Igitur aſſumptis ſecum Hali purpurato aliiſque Turcis, inde diſcedens [e] Corponam venit, quo Sigiſmundus [f] Forgatſius ob eam cauſam a Caeſare legatus fuerat. Antequam initium diſceptando negotio fieret, Colonitius archiducem monuerat, ut ſeorſim cum Turcis et Boſtkaio ageret; et, ſi poſſet, prius cum Boſtkaio, quod Turcis pacem cordi eſſe minime exiſtimaret, quippe qui id agerent, ut ſuſpenſis inter ſpem metumque Chriſtianis, quantum poſſent, incommodarent.

XV. PRUDENTIUS quam verius id Colonitii conſilium fuit, ita de negotio ex Turcorum ingenio judicantis: ſed revera bello Perſico premebantur Turci, de quo anxii pacem ſerio cum Caeſare habere expetebant, eoque pertinebant inſolita illa humanitas qua erga dedititios nuper Strigonii uſi erant, et tot honores Boſtkaio habiti. Siquidem Turcicorum conſiliorum illud arcanum eſt, ut non aliter de bello in occidente, hoc eſt, in Pannonia gerendo cogitent, quam cum de pace in oriente, hoc eſt, cum Perſa ſunt ſecuri: ne vires eodem tempore tam longinquis locis diviſas, totque praepotenteis hoſteis ſimul habere cogantur. Quod et ex trium legatorum Perſicorum, quorum unus in Gallia fuerat, ſub id ad Caeſarem adventu, certius cognitum eſt; ſiquidem illi narrabant, regem Perſarum, cum de copiis auxiliaribus e Cilicia ad Cicadam tranſire juſſis intellexiſſet, continuo cum ſuis progreſſum, antequam illae adveniſſent, Cicadam nondum plane inſtructum necopinato oppreſſiſſe, eumque fudiſſe ereptis tormentis, vixque fuga cum CCC ipſum evaſiſſe periculum, et ad [g] Adenam perfugium habuiſſe, quo eum inſecutus Perſa urbem obſidione cinxiſſe. Quo nuncio Sultanum perterrefactum ſtatim [h] Trapezuntino purpurato mandaſſe, ut ſummiſſis auxiliaribus Cicadae mature ſubveniret. Igitur ſtatim Trapezuntinum aſſumpto alio purpurato cum exercitu ſe in viam dediſſe: Perſam vero re cognita, relictis ad obſidionem, quantum ſatis erat, ultro obviam cum toto exercitus robore proceſſiſſe, et Trapezuntinum nondum inſtructa acie, in confuſos impetu facto, diſturbaſſe, et inſignem de hoſte victoriam geminatam reportaſſe; Cicada, qui oppido obſeſſo clam egreſſus ad exercitum auxiliarem venerat, vix ſcapha arrepta elapſo. Nec intermiſſum poſt tantum ſucceſſum victoriae curſum. Sed ſtatim ad urbem vim factam, in qua defenſores, poſtquam ſe fortiter geſſerunt, ad extremum ceſſiſſe, et victori urbem tradidiſſe. Addebant legati, perlatum Conſtantinopoli nuncium, cuncta indignatione et trepidatione miſcuiſſe, direptas Cicadae aedeis, et praetorianos ſeditionem ad Portam excitaſſe, de interverſo a purpurato Damaſceno ſtipendio quiritanteis; nec tumultus finem prius factum, quam dedito ad poenam purpurato, et deprompta e gazophylacio pecunia. Proinde orabant legati Caeſarem, ut in bello contra communem hoſtem toties profligatum, antequam vireis et animos colligeret, conſtanter pergeret; neque cum eo pacem habere vellet, qui non alium cum vicinis pacis fructum quaerit, quam ut eos interquieſcenteis et ſecuros armis reſumptis opprimat. Ii exeunte Novembri a Caeſare dimiſſi cum literis ad Perſarum regem, quibus pro honorifica tam longinquis e locis legatione et amicitia ultro delata gratias agebat, et de ſucceſſibus contra Turcos gratulabatur: eodem

INTERPR. [a] *Clauſembourg en Tranſilvanie.* [b] *Ragotski* ou *Rakocky.* [c] *Caſſovie* ou *Caſchau.* [d] *Presbourg.* [e] *Corpon.* [f] *Forgatz.* [g] *Aden.* [h] *Baſſa de Trebiſonde.*

CIↃ IↃCV. Henricus IV.

eodem ſe animo adverſus communem hoſtem eſſe, et nihil omiſiſſe ſuperioribus annis, quo eum a finibus propelleret; ſed tumultuatione quorundam in Pannonia felices hos initio conatus aliquantulum retardatos eſſe: ſperare nihilominus, brevi res ita componi poſſe, ut cuncta in priſtinum ſtatum reſtituantur, quo totum Imperii robur abſque impedimento in Turcos vertatur. Inſtitiſſe interim apud Hiſpaniarum regem, ut claſſe infeſta per Mediterraneum mare vireis hoſtium diſtrahat; ſolicitatum et pontificem, ut milite et pecunia cauſam communem juvet. Inſtruxiſſe et apud ſerenitatem ſuam legationem, ſed [a] Donavium regulum huic obeundae deſtinatum in procinctu obiiſſe. Rerum et Moſcicarum viciſſitudinem inexſpectatam, (nam per illas terras hoc tempore ſolam in Perſiam viam patere,) in cauſa fuiſſe, ut ſerius ad ipſum miſerit: nam de illo principe, qui rerum nunc in illo ampliſſimo tractu potitur, quis ejus ſit animus, nondum ſatis exploratum habere. Tum firmam et perpetuam amicitiam et libertatem commerciorum ita defert, ut ſi, quod optet et ſperet, ſua ſerenitas victrix fineis ſuos uſque ad mare protulerit, navigatio ac negotiatio ſubditis ſuis per omnia regna et Imperii ditiones pateant. Gratiae et actae pro benignitate, qua Chriſtianos in ſuis ditionibus complectitur; permiſſa ipſis conſcientiarum et religionis libertate. Ad ultimum miſſos ad ſe legatos diligenter officio defunctos dicit, et plurimum commendat. Haec primis literis comprehendebantur; alteris idem fere repetitum, ac tertiis denique, quibus et pro legatione ad regem Franciae miſſa gratias agit. Tertius autem ille legatus qui apud nos fuerat, in Poloniam tranſiit, et inſigni vanitate Perſiae regem ad Chriſtianorum ſacra tranſiiſſe mentitus eſt; ea re majorem ſe legationi ſuae gratiam conciliaturum ratus: quod ſtatim diſſeminatum credulos in rei optandae ſpem erexit, apud alios fidem legato abrogavit.

XVI. Dum pax inter Caeſarem et Boſtkaium agitatur, multa inciderunt, quae negotium, paulum abfuit, abruperunt: nam Boſtkaini ad Caniſae fineis in CIↃ Italos incidentes, ad IↃCCC ex iis fundunt, et pecuniam a pontifice miſſam, quam ſecum illi habebant, capiunt; eodemque tempore Tatari in praedas effuſi late omnia infeſta faciebant, et in Lithuaniam excurrentes, a Sultano Chano pejora, niſi ipſis ſatisfieret, minitabantur. Rurſus exeunte Decembri Boſtkaini Turcis immiſti, magno numero ad Hidwegam confluxere, ſpe concepta, ut Caeſarianos in caſtris ſecuros opprimerent; quae illis in exitium vertit: nam paratos eum offendiſſent, ab iis magna clade affecti ſunt. Viciſſim ad [b] Neoſtadium Gallo-belgae cum ſe more ſuo licentioſius gererent, ruſticis injuriam non ferentibus, tumultu excitato pulſi ac caeſi. Inde Budae cum delegatis de pace actum, et agitatae utrinque conditiones, quae rurſus Forgatſio reverſo, ab Stephano Illiſhaskio, cui plenam poteſtatem Boſtkaius fecerat, et Viennam ad Matthiam profecto coram ipſo amplius diſceptatae ſunt; Heiducis et Coſacis interim graſſantibus. A quibus magna damna accepta, et Sigiſmundo Poloniae rege apud Boſtkaium, qui Caſſoviae erat, graviter conquerente, tandem Heiduci intra praeſidia revocati. Tumultuantibus Pannoniis et manu rem gerentibus, non deerant graves et juſtae, ſicuti rebantur, cauſae, quibus ſumpta arma excuſarent. Et jam VIII Kalendas Aprileis datis ad Bohemiae, Sileſiae, et Moraviae Ordines literis, de Caeſarianorum duritia multum conquerebantur, jurisjurandi religione neglecta, violatis juribus et libertate antiqua, a divis Hungariae regibus majoribus ob merita et praeclaras Hungarorum procerum virtutes, in eos ſumma beneficentia collatis: nullo reſpectu bonorum, curiarum, nobilium, eccleſiaſticarum dignitatum ac procerum habito, omnia ad externi militis praedam expoſita. Cumque de injuria XX abhinc annis publice in comitiis [c] Poſonienſibus multoties expoſtulaſſent, et per delegatos apud Caeſaream majeſtatem egiſſent, nunquam eos admiſſos aut auditos eſſe. Et cum levamentum

a

INTERPR. [a] *le baron de Dhona.* [b] *Neuſtadt.* [c] *les Eſtats de Presbourg.*

a tot injuriis et vexationibus a clementia ejus exſpectarent, pro omni reſponſo et querimoniarum remedio Georgium Baſtam, hominem externum cum externo milite miſſum; cujus adventu non ſolum non levati, ſed geminatis injuriis et vexationibus omni ſpe et opibus ſuis funditus everſi: nam nihil illum per ſuos ad ſummam crudelitatem reliqui feciſſe; ſpretos proceres, et in bonis ac familiis omni contumeliarum genere adfectos; miniſtros ſumma immanitate habitos, et quoſdam ex iis pelle detracta exanimatos; ſtuprationibus ubique impune graſſatum militem, honeſtas matronas, virgines, puerperas partui propinquas ad interitum, et novenneis puellas vi illata contaminatas. Per juris cavillationes inſtitutis novis Cameris, bona ab antiquis poſſeſſoribus injurioſe avocata, et in externum militem collata: nobileis in miſeram captivitatem abductos, liberos pro libertate obſides datos, nec niſi grandi exſoluta pecunia liberatos, jurejurando prius praeſtito, nullo tempore poſthac acceptae injuriae memores futuros, aut de ea juris via acturos. Ad id, judicia extra regnum contra privilegia et libertates inſtituta, ut querimoniae ad opem clementiae ſuae implorandam eluderentur. Itaque eo profectos nuſquam auditos poſt immaneis ſumptus, et tempus inutiliter conſumptum, nihil praeter plorare ad ſuos retuliſſe. Sic illuſtriſſimum Stephanum Illiſhaskium bonis ſpoliatum, ad extremum ſolum vertere coactum; ſic cum juridico praefecto, cum ejus conſiliariis, ac praeſertim cum Georgio Valentino Homonaio et Georgio [a] Zabo, ac pluribus aliis actum eſſe. Munera publica ac dignitates, non Hungaris, ſicuti oportuit, et jurejurando ſolemni a Caeſare, cum regno inaugurraretur, promiſſum fuit, ſed extraneis attributa. Ante biennium in comitiis Caeſarem nobileis Auſtriacos Germanos inter Hungariae primates, addita cauſa, quod illos deficere videret, recenſeri voluiſſe, ut eadem praerogativa, qua indigenae, iiſdem denique privilegiis et honoribus, licet adoptivi, fruantur. Ita Carolum Maximilianum, Euſtochium, fratres a [b] Liechtenſtein, Erneſtum, Joannem, Ludovicum [c] Mollardos, Sigefridum, Carolum, Erneſtum [d] Colonitios publico diplomate, nec rogatis ſententiis, in Hungariae ſenatum allectos eſſe. Tamen haec omnia licet gravia et intoleranda, XIII annorum patientia diſſimulaſſe Hungaros proceres et plebeium ordinem, ex eaque publicae libertatis inſidiatores occaſionem ſumpſiſſe ulteriora audendi: nam eccleſiaſticum ordinem bona ab avo, parente, ac ſua majeſtate ob regni neceſſitates, et continuum cum Turco bellum oppignerata, per illegitima et emendicata a poſſeſſoribus, ſine ulla ſolutione, neque ſervato juris ordine, avocaſſe. In cauſis decimarum ipſos eccleſiaſticos, eoſdem judices et actores in foro ſuo ſedenteis, nobilitatem et plebeios miris modis divexaſſe, et excommunicationis poena innodare, et ad abſolutionis remedium ab ipſis quaerendum tandem compellere. Regnicolarum capitularia per eas fraudes in deſpectum adducere, et addendo, adimendo, omittendo, immutandoque, irrita facere. Suggeſtione epiſcoporum quorundam, miniſtros per Gallo-belgas inaudita ſaevitia habitos, et ad extremum occiſos, mortuorumque cadavera effoſſa, et immaniter flammis tradita. Jampridem et ſepultorum corpora eruta, ſicuti illuſtris viri Georgii comitis Bathorii, ejus conjugis, et Stephani item comitis Bathorii; et arma et inſignia a tumulo Georgii rapta, Baſtam adhuc hodie penes ſe retinere. Quin et ademptum Proteſtantibus Caſſoviae templum per [e] Bellijocenſem comitem, Franciſci [f] Forgaskii epiſcopi Nitrienſis cancellarii inſtigatu. Qua de re cum in Poſonienſibus comitiis nuper conqueſti eſſent, nihil reſponſi ab ſuae majeſtatis delegatis accepiſſe: itaque ſtatim proteſtatos eſſe. In iiſdem comitiis quoniam ſolemne eſt ut capitularia illa recitentur, et denuo confirmentur, ad ea additum eſſe ultimum caput, quo ſanctiſſimum decretum Andreae

INTERPR. [a] *Zabo.* [b] *les Lichtenſteins.* [c] *les Mollards.* [d] *les Colonichs.* [e] *de Belgioioſo.* [f] *Forgask evêque de Nitria, eveſché de Hongrie ſous le metropolitain de Gran.*

CIƆ IƆCV. HENRICUS IV.

Andreae II regis Hieroſolymitani vulgo indigitati, pro ſanctione ſuperiorum ſubjicitur, adjectum et obtruſum eſſe; qua re nullam magis piacularem admitti potuiſſe. Sanctiſſimum principem anno Domini CIƆ CC XXII, capite XXXI ſanxiſſe, ſi ſe aut aliquem ſucceſſorum contingeret, ullo unquam tempore, ſuperioribus decretis, quibus privilegia et libertates regni firmaverat, contra ire velle, illius decreti auctoritate liberam fore regni ſubditis citra infidelitatis notam reſiſtendi et contradicendi in perpetuum facultatem. Idem tripartito opere Tit. IX, in quo de regni libertatibus agitur, diſcerni, nempe quartam et ultimam libertatem eſſe, ut ſi quiſpiam regum et regni principum libertatibus nobilium in capitulari excellentiſſimi principis D. Andreae II comprehenſis, ad quod obſervandum reges Hungariae, antequam coronam more ſolemni ſumant, ſacramento adiguntur, contra ire voluerit, ſubditis ei reſiſtere et contradicere in perpetuum ſine perfidiae nota jus ſit. Omnium graviſſime ademptam tuliſſe proceres ac infimum ordinem in religione libertatem; et proventus in eam rem deſtinatos ab infeſtis interverſos, paſtoribus ſummotis, et metu poenave regno prorſus eliminatis. Id ſereniſſimo D. Matthiae archiduci, cum ad eum querimoniae deferrentur, injuſtum et indignum viſum, neque tamen ejus advocatione a Caeſarea majeſtate quidquam impetrari potuiſſe; ſed ad D. Andreae decretum, aliud ſancti Stephani itidem Hungariae regis et apoſtoli cognominati oppoſitum, quo Hungariae reges, cum regno inaugurantur, ſanctam Catholicam Romanam fidem et religionem tueri obligantur; et ſi quis in ea novarit aliquid, contra eum juris via procedatur, et ad exemplum ſine ſpe veniae merita poena adficiatur. Cum igitur nihil ſupplicationibus, tam longa patientia, amicorum principum advocatione profici viderent, ad extremum ultima deſperatione victos arma juſta induiſſe, non ut pacem publicam conturbent, ſed ut jura regni, et corporum et animarum libertatem, contra vaſtatores, incendiarios, oppreſſores, et fratrum ſuorum homicidas tueantur. Turcici et Tatarici implorati auxilii invidiam interim deprecari, et extremae neceſſitati, in quam adverſariorum importunis vexationibus conjecti fuerint, potius imputari debere. Id ipſos veteri cum regno Hungariae neceſſitudine et foederatione conjunctos ſcire voluiſſe, et obteſtari vehementer, ne quid propterea de ſe ſiniſtri ſuſpicentur, ſed potius miſeratione commoveantur, et preces ſecum atque adeo arma in tam juſta cauſa, ſi opus fuerit, conjungant. Hae literae a IV primariis exercituum ſereniſſimi principis ac D. Stephani II, Dei gratia Hungariae, Tranſilvaniae, [a] Tranſalpinae et Ciculorum comitis, ducibus ſubſcriptae; hos enim ſibi titulos ſumit. Eadem et eodem anno exeunte, IV Eidus Decembreis, in conventu [b] Corponae inter Boſtkainos celebrato repetita, et inde ſcriptum ad principes Chriſtianos emanavit ſigillis complurium procerum firmatum, priore acerbius, creſcente videlicet cum tempore non ſolum injuriae ſenſu, ſed cum armis etiam loquendi licentia; proteſtatione inſuper adjecta, quae ſcripto acerbior, in haec tandem verba prorumpebat, ut ſumpta ad defenſionem arma, et ſeceſſionem a rege ſuo factam, ipſi non Hungaris adſcribendam dicerent: nam ſe coactos ad arma pro juribus regni et tuenda libertate deveniſſe, non contra principes Chriſtianos, ſed contra pontificis tyrannidem, ejuſdemque mancipii regis Rodolfi, qui ejus mandatu ipſos exterminandos ac penitus delendos ſuſcepit. Itaque advocationem petunt, et ſi quidem juventur, ab auxiliis externis et invidioſis ſe diſcedere paratos oſtendunt; et neque bonis neque ſanguini parcituros, ut bellum tantis animis a majoribus ſuis varia fortuna, et pertinacius quam felicius geſtum, ad ultimum vitae ſpiritum contra communem hoſtem, conſtanter perſequantur.

XVII. In Polonia interim ob res in Livonia proſpere geſtas et feſta nuptialia, ac novum principem in Ruſſia Magna conſtitutum, qui ſuam initio felicem inaugurationem

INTERPR. [a] *Walachie.* [b] *Corpon.*

inaugurationem Polonis debebat, qua de re deinceps dicemus, laeta erant omnia. CIↃ IↃ CV.
Joanne Samoſcio e provincia decedente, exercitus traditus fuerat Carolo [a] Chotkievicio Livoniae praeſidi, qui ad [b] Torpatum ſedebat. Carolus Suecus bellum renovaturus, cum XL navibus ſolvit, praemiſſo Mansfeldio comite; qui ubi appulit cum parte copiarum Eidibus Sextilibus, miſſo Rigam tubicine, deditionem imperat. Denunciatione nihil territi Rigenſes, cum ſe ad obſidionem gnaviter compararent, interea Carolus Suecus advenit III Eidus Septembreis,cum Luneburgico duce ac reliquis copiis, quae ſumma licentia effuſae nihil rapinis et violentiae reliqui fecere. XII CIↃ bellatorum in ejus exercitu numerabantur, quibus urbi propinquantibus, imperata iterum deditio, eadem conſtantia, qua prius, rejecta. Ad rei famam Chotkievicius cum III delectorum peditum CIↃ et IↃ equitibus recta Duna-mundam tendens [c] Wolmariam venit; cognitoque dum incedit, Andream [d] Linderſonium Caroli ducem cum IV CIↃ [e] Revalia profectum ad exercitum properare, ad Felinum deflectit, viae compendio Andream praevertere, antequam ſe cum aliis conjungeret, ſatagens. Inter [f] Felinum et Parnoviam cum copiae invicem occurriſſent, inſtructae utrinque acies, levique conſerto proelio Linderſonius cum jactura retroceſſit, et ad Fikelmozam vicum caſtra munivit. Sub id Carolus Parnoviam venit. Chotkievicius copias auxiliareis e Lithuania venturas opperiens Felinum conceſſit, locoque valido praeſidio firmato propius Rigam iter intendit, et, Gavia tranſmiſſo, haud procul a [g] Wenda, loco ſpatioſo ac patenti, ſed egregie vallo munito caſtra ponit; et cum videret Carolum conſilii anxium nutare, ad [h] Dunam pergit, et in ipſa fluminis ripa, juxta [i] Iskielium ſupra Rigam, ſe contrahit, obſeſſis e propinquo, ſi opus eſſet, praeſto futurus, et conſilia hoſtium in omnem eventum exploraturus.

Henricus IV.

XVIII. At Carolus, qui pugnandi ardore flagrabat, protinus omiſſa obſidione, ad [k] Kirkolmum contraria caſtra opponit, et collibus occupatis aciem inſtruit, intercedente lata planicie. Viciſſim Poloni eminus ſecundum flumen copias explicuere, commodumque accidit, dum in procinctu ſunt, ut Fridericus Curlandiae dux, cum CCCC e nobilitate Curlandica, equitibus lectiſſimis trans Dunam compareret; qui ne tali in occaſione ſibi et Polonis deeſſet, cum vadi reperiendi ſpes non eſſet, primus in fluvium ſe demiſit, nando ſuperare eum certus, et commodum, cum minus putaret, vadum reperit, et feliciter in alteram ripam tranſiit: quod non mediocriter Chotkievicium recreavit, qui velitationibus ad meridiem extracto tempore, in mora plus quam in pugna periculi ſubeſſe ratus, aſtu ſibi utendum duxit, ut hoſtem ex editis locis in planiciem ad certamen neceſſarium pertraheret. Itaque monitis ſuis, ne quid ignaris res inopina terroris injiceret, propere velites revocatos quaſi fugientes retro cedere imperat, ineſcata per conſternationis ſpeciem audacia hoſtium, qui ſubito quod aſtus erat, trepidationem interpretati, e ſuperioribus ac clivoſis locis in plana deſcendunt, procedentibus XI machinis. Sequebatur phalanx contis ferro rigentibus horrida, circumfuſis undique ſcloppetariis. In equitatus ſiniſtro cornu delecti haſtati, qui conferta pugna a tergo Polonos invadere jubebantur: dextrum praeſto aliis futurum exerta fronte incedebat. Chotkievicius numero inferior pro ſuorum paucitate aciem triplici agmine ita inſtruxerat, ut crebris et opportunis ſubſidiis eam ad omneis eventus ſuppleret; ipſe cum turma praetoriana, in qua IↃ ſpectatae virtutis equites erant, in medio agmine conſtitit, adjunctis Curlandicis copiis, ratus uti principia ſe dediſſent, hoſtium infractis prima impreſſione viribus, ita extrema ceſſura. Dextrum cornu Joannes [l] Sapihea regebat, quid hoſtis ex adverſo in ſiniſtro faceret, obſervare juſſus; ſiniſtro Thomas Dambrowa praeerat. Inde ordines circumiens Chotkievicius ad rem ſtrenue gerendam cunctos hortatur, numero quamvis cedant, virtute

INTERPR. [a] *Chotkiewitz.* [b] *Derpt.* [c] *Wolmar.* [d] *Linderſon.* [e] *Revel.* [f] *Felin & Pernau.* [g] *Wenden.* [h] *la Duine.* [i] *Ixkul.* [k] *Kirkolm.* [l] *Sapieha.*

CIↃ IↃCV.

HENRICUS IV.

virtute militum et cauſa ipſos ſuperiores eſſe; neque defuturum juſtae cauſae aequiſſimum judicem, perfidiae omnis et perduellionis acerrimum ultorem, qui terrore hoſti injecto tot agmina praefidentia ſit brevi diſturbaturus. Tantum ſe, ſuum, majorumque, et nominis Polonici decus reſpicerent; et in gloriae ac laudis certamine etiam periculum certum ab ignavia admiſtum ſcirent, intercluſi armis et aquis; neque ullam niſi in virtute et dextris ſuis ſpem ſalutis expediendae ſupereſſe ſibi perſuaderent. Quibus ſumma alacritate dictis, et proſperi ſucceſſus ſpe ſuis impletis, tormenta diſplodi imperat: mox inclamato ſacroſancto JESUS nomine, praetorianos Vincentio [a] Voina duce immittit, Curlandis cum equis concitatiſſimis ſubſequi juſſis. Eodemque tempore Dambrowa in ſiniſtro cornu acrem impreſſionem facit, et aurae a mari proximo reflantis opportunitate uſus, reflexis repente equis dextrum Caroli cornu impellit, et ſtrage edita Suecorum agmina perrumpit. Coelo nubilo res acta, tormentorum fragore et armorum, lituorumque ſtrepitu ac concurſatione militum, omnia incerta facientibus; cum a ſiniſtro Caroli cornu ex conſtituto ad circumveniendos Polonos equites coorti ab aliis ſe ſubduxerunt, ab occurrente Sapihea, quippe in eam rem intento, fortiter excepti loco prius pelluntur; dein in fugam conjiciuntur, et pleroſque e ſuis ſecum traxere. Hoc initium victoriae penes Polonos fuit, quae tamen praevalente Suecorum numero, diu alternavit, redintegratis ſaepius ab iis ordinibus, tandemque poſt IV horarum obſtinatum certamen, Suecorum acies labare coepit; et non jam pugna, ſed trucidatio ſecuta. Ad VIII CIↃ caeſa conſtanter memorantur, praeter eos, qui aut in fuga ab agreſtibus occiſi, aut fluvio hauſti ſunt. Illuſtres inter occiſos fuere, Fridericus Brunſvicus, et Luneburgicus, duces; Andreas Linderſonius; Mansfeldius graviter vulneratus, et ipſe Carolus. Caſtra capta et XI tormenta, capti et ex Suecis CCC. Ex Polonis victoribus deſiderati plus minus centum, plures ſauciati. Equi plurimi utrinque glandibus trajecti perierunt. Nuncio victoriae Rigam allato, magno concurſu et alacritate cives erupere ad perſequendum Carolum, qui nave jam conſcenſa periculum evaſerat. Ubi vero de ſucceſſu Cracoviae cognitum eſt, ad alia proſpera haec nova adjecta eſt laetitia; continuoque Sigiſmundus rex ad majus urbis templum perrexit, ut gratias Deo ageret, et beati Staniſlai, qui in magna apud Polonos veneratione eſt, calvariam pro more adoravit.

XIX. Librum claudemus triſti hominis alioqui de Caeſare et Auſtriaca familia bene meriti exitu. Hermanus Chriſtophorus [b] Ruſwormius, qui in Rodolfi Caeſaris gratia floruerat, et paucos ante dies ab ea exciderat, ſuſpicatus id externorum delationibus et occultis machinis factum, atque adeo comitis [c] Belli-jocenſis, et Georgii Baſtae artificioſis artibus ad principis aures latentis, et aditum omnem veritati intercludentis, indignationem inde conceptam contra Franciſcum Belli-jocenſis fratrem evomuit; et Julio proximo exeunte Pragae obvium, ſuborta, ut inter infeſtos, rixa, a verbis ad vim armatam contentione adducta, ſuis accurrentibus, decem vulneribus confoſſum, et in brachio glande plumbea ictum occidit. Belli-jocenſi comite, ex inſidiis petitum fratrem apud Caeſarem conquerente; et contra decus inter nobiles ſervari ſolitum, a ſubornatis percuſſoribus per Ruſwormium facinoroſe interfectum dictitante; cum Ruſwormius contra fortuita neque praemeditata verborum acerbitate factum excuſaret, et ſe itidem graviter quinque vulneribus non citra periculum ſauciatum cauſaretur; tandem uterque ex compacto in curia veteris oppidi Pragenſis ſiſtitur. Paulo poſt, III Nonas Sextileis, cum ex Ruſwormianis qui ſcloppetum exploſiſſe arguebatur, quidam nacti [d] Brandiſii, quinque a Praga milliaribus, cum ſe defenderet, in conflictu occiſum, in urbem abduxerunt, et primo in crucem actum ac ſpectaculo expoſitum, inde a carnifice extra urbem tractus eſt, in quatuor partes

ſecto

INTERPR. [a] *Woina.* [b] *Ruſworm.* [c] *de Belgioioſo.* [d] *Branditz.*

CIↃIↃCV.

Henricus IV.

ſecto corpore. Contra Ruſwormium in carcere detentum xiii Kal. Novembr. per delegatos a Caeſare judices legibus agi coeptum. Tandem cauſa in utramque partem diſceptata, cum ingenti petulantia poſthabito Caeſareae majeſtatis mandato homicidium perpetratum conſtaret, ſententia mortis in reum lata, et iv Kal. Decembr. coram eo ſupplice recitata. Qua audita, profunde ingemuit, et ob navatam egregie Caeſari operam, aliam ab eo gratiam exſpectaſſe reſpondit. Cumque a theologo moneretur, non jam in hominibus, ſed in Deo vitae aeternae ſpem ponendam; calamum popoſcit, ut de rebus domeſticis ſtatueret. Poſtridie coram duobus e ſodalitio Jeſuitico theologis prodiit, et in pegmate in palatio oculis in crucem ſubjectam defixis, ſecuri percuſſus eſt; et poſtea terrae mandatum cum capite cadaver. Alii caedis complices diverſis ſuppliciis affecti: alii qui tantum adfuerant, et praeſentia ſua alios audaciores reddiderant, ad opera publica damnati. Tres hoc anno eclipſes viſae memorabiles: duae lunae; prior ix Kal. April. poſt meridiem noctu, quae fuit punctorum xi, ſcrupulorum lvi, in gradu decimoquarto, ſcrupulorum xxiv Librae, non procul a capite Draconis, ſecundum calculum Cypriani [a] Leovitii, qui ante l annos circiter eam notavit. Eam qui ad meridianum occidentaliorem poſtea putarunt, in anteriorem diem rejiciunt, et in iis Elias [b] Molerius, qui Lauſannae eam obſervavit. Ejus autem effectus Leovitius ab viii Eid. Quintil. et xvii Kal. Oct. anni ſequentis ait incepturos. Altera fuit lunae xv Kal. Oct. mane, punctorum viii, in gradu iii, ſcrupulorum liv Arietis, non procul a cauda Draconis. Sed majus ſolis deliquium, quod contigit vi Non. Oct. hora prima pomeridiana, punctorum xi, ſcrupulorum xlii, in gradu xix, ſcrupulorum x Librae, non procul a capite Draconis; et bihorium circiter duravit, ſole per illud tempus obſcurato, et colore ad luridum vergente.

INTERPR. [a] *Leowitz.* [b] *Moller.*

JACOBI

# JACOBI AUGUSTI THUANI
## HISTORIARUM SUI TEMPORIS
### LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS QUARTUS.

EPITOME.

ROMAE *Clemens* VIII *pontifex moritur. Ejus elogium.* II. *Hiſpanienſes veriti, ne Baronius cardinalis in pontificem eligeretur, contra ipſum querimoniam de Siciliae monarchia inſtituunt. Tandem Alexander Medices, qui et Leo dici voluit, electus; et poſt eum rurſus Camillus Borgeſius, qui Pauli* V *nomen ſumpſit.* III. *Fontanus in Italia res turbat; arcem novam erigit. Diploma eo auctore a Philippo publicatum, quo plerique Italiae reguli quaſi Mediolanenſis imperii beneficiarii citantur. Malaſpinae marchiones, qui praecipue petebantur, ſcriptum evulgant. Miſſis ad Philippum oratoribus, re protelata, perſecutio ejus cum tempore evanuit.* IV. *Mortes virorum illuſtrium, Joannis Sarii Samoſcii Poloniae cancellarii, Caroli Lotharingi Ellebovii ducis, Vidi Lavalli comitis:* V. *Ponti Thiardaei Biſſiani Cabilonenſis epiſcopi, Theodori Bezae, Roberti Conſtantini, Simonis Marioni. Eidibus Octobribus Monpenſerii duci filia nata: Andium duci deſponſata.* VI. *Accuſationis contra Arvernum comitem, Entraguium, marchioniſſam ejus filiam, Thomam Morganum, ſuperiore anno inſtitutae, probationes in ſenatu confectae. Conjurationis arcana ex reorum interrogationibus et confeſſionibus.* VII. *Severum ſenatus decretum a rege mitigatum. Ejus erga conjuratos et praecipue marchioniſſam clementia. Varii de hoc judicio ſermones.* VIII. *Ab Helvetiorum aliquot pagis oratores pro Bullionio deprecantes. Ad eos ſcripto rex reſpondet.* IX. *Inſtantibus Jeſuitis pyramis in palatii majore porta erecta, auctoritate regia diruitur. In eam rem varia et licentioſa ſcripta vulgata.* X. *Franciſci Borbonii Contii cum Aloiſia Lotharinga Guiſii ſorore nuptiae celebratae. Margarita regina Lutetiam venit.* XI. *Rex, dum ad Sedani obſidionem omnia parantur, ad diſturbandas Bullionii machinationes in Aquitaniam proficiſcitur. Bellevreus cancellarius ſigillorum adminiſtratione in Sillerii gratiam ſe abdicat. Motus gliſcentes regis praeſentia ubique compoſiti. Joan. Jacobo Memmio Roiſſio mandatum a rege datum, ut de poſtulatorum criminibus cognoſceret: conjuratorum conſilia et praecipua accuſationis capita. Sententia in eos lata.* XII. *Rege Lutetiam reverſo Merargii de Maſſilia Hiſpanis tradenda conjuratio detecta. Merargius et Brunellus Baltazari Sunicae Philippico oratori ab epiſtolis comprehenſi. Inter regem et Sunicam, qui Brunellum ſibi reddi poſtulabat, acerbae altercationes.* XIII. *Rex inter haec de grandi aere alieno, quod a mercatorum praefecto et urbis aedilibus debetur, diſſolvendo cogitat. Sed ſuborientibus difficultatibus negotium indeciſum.* XIV. *Sacri ordinis in urbe apud Auguſtinianos conventus. Praeſulum poſtulata, et regis ad eos reſponſum.*

EX AUCTORIBUS,

*Relationibus Italicis, Scripto a Malaſpinis publicato, Archivis curiae Pariſienſis, Actis probatoriis, Scriptis publicatis.*

# LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS QUARTUS.

CIↃ IↃ CV.
Henricus IV.

HIC annus treis pontifices Romae vidit, primi deceſſum, ultimi felicem inaugurationem, medium paucorum dierum. Nam Clemens, v Non. Mart. ſub veſperam deceſſit, cum XIII annos ſediſſet, menſem unum, dies v. A Sixto v cardinalis creatus, anno praeteriti ſaeculi LXXXV, ſtatim in Poloniam legatus miſſus eſt, ubi res periculoſe turbabant, ob regni ſucceſſionem controverſam, cum alii Maximilianum Auſtrium, alii et potior pars Sigiſmundum Sueciae principem, Jagellonica matre prognatum, in regem ſibi ſumpſiſſent; jamque res ad belli aleam redierat, et Maximilianus infelici conſerto proelio in Sigiſmundi manus venerat. Inter ſerias de republica in illa aula cogitationes, praecipua ſemper ac fere unica de familiae Auſtriacae incolumitate et amplificatione jam a multo tempore conſultatio fuit, ex quo praeſertim reges noſtri ab Italiae imperio dejecti ſunt; et Hiſpani, qui ſocios et aequaleis ferre non poſſunt, in ea dominari coeperunt: nam illi per factiones hodie in aula illa regnant, et ſi non quos volunt, quoniam nimia magnitudo eorum pleriſque ſuſpecta eſt, pontifices efficiunt, ſaltem quos nolunt, ad hoc faſtigium quo minus enitantur, per ambitioſas prenſationes impediunt. Auſtriaci autem eo gratiae gradu Romae ſunt, quod ſanctae ſedis ſenatui perſuaſum ſit, hodie religionis conſervationem, et ſanctae ſedis dignitatem ac majeſtatem ab iis pendere: itaque ad omneis occaſiones praeſto ſunt illis pontifices. Cardinalis Aldobrandinus in Poloniam profectus auctoritate qua pollebat, et in negotiis explicandis ſolertia, a Sigiſmundo facile impetravit Maximiliani libertatem; ſed conditione de pacifica regni novi penes Sigiſmundum relinquenda poſſeſſione. Poſt libertatem, aliquandiu altercatum fuit; qui tamen nodus, ſecuta honorifica adfinitate, ejuſdem Aldobrandini ſuggeſtione ſolutus eſt. Hoc egregie comprimis factum illius memoratur, cum in collegio eſſet. Poſtquam vero ad ſupremum faſtigium evectus eſt, alterum fuit Henrici reconciliatio, quam cum rex jam apud nos eccleſiae reconciliatus per Ludovicum Gonzagam [a] Nivernenſium ducem, honorifica admodum legatione, petiiſſet, nutantibus adhuc in regno rebus, et praevalente Romae Hiſpanienſi factione, initio pontifex ab ea ſe valde alienum oſtenderat, donec recepta Lutetia, cum obniti fruſtra videretur, et rejectis Hiſpanorum obteſtationibus contrariis in eam poſtremo conſenſit, Franciſco [b] Toleto Cordubenſi cardinali potiſſimum annitente, qui per illud officium ad regis gratiam ſodalitio ſuo gradum fecit; nam rex id praedicare poſtea ſaepius auditus eſt: quae omnia plenius in ſuperioribus executi ſumus, ut de tanto pontifice plura nunc addere plane ſuperfluum videatur.

II. Clemente mortuo, poſt novendiale ſacrum peractum, itum eſt in conclave, pridie Eidus Martias, et LX cardinales in eo numerati ſunt. Antequam conclave ingrederentur, Hiſpanienſes veriti, ne Caeſar Baronius cardinalis, nobilis eccleſiaſticorum Annalium ſcriptor, in pontificem deligeretur, contra ipſum querimoniam quaſi jam Clemente ſuperſtite inſtitutam renovaverant, ſuppoſitis Laurentii Suarezii [c] Figeroae Feriae ducis Siciliae proregis literis, a Ptolemaeo [d] Gallo cardinali Comenſi collegii decano in congregatione allatis, et a Franciſco Mexica Avila Hiſpano cardinali, quia vernacula lingua ſcriptae erant, recitatis; quibus lectis Baronius qui aderat, non mediocriter

INTERPR. [a] *Nevers.* [b] *de Tolede, cardinal de Cordouë.* [c] *Suarez de Figueroa duc de Feria.* [d] *Gallo cardinal de Como.*

CIↃ IↃ CV.
HENRICUS IV.

mediocriter excanduit, et centonibus e ſacra Scriptura more ſuo petitis, ſtatim reſpondit: Et melius eſt, inquit, mihi mori, quam ut evacuetur gloria mea. Tum multa ſubjecit de ſuis Annalibus, deque utilitate quae ex iis ad univerſam rem Chriſtianam redundabat, idque concordibus diverſarum nationum votis comprobavit, et ipſorum haereticorum teſtimoniis, excuſato, quod in cauſa propria tam magnifice de ſe loqueretur. *Ignoſcite, illuſtriſſimi domini mei, inſipiens loquor, ſed vos me coegiſtis:* tum erectis in coelum oculis, *Deus meam laudem ne tacueris,* infit, *quoniam os peccatoris et os doloſi apertum eſt ſuper me; quippe cum haec accuſatio, non tam in me et meos Annaleis directa ſit, quam adverſus ipſum pontificem, et ſanctae ſedis majeſtatem, qui eos vidit, et cunctis cardinalibus examinandos praebuit. Petrus vidit, Petrus approbavit. Huic Petrae atque adeo rupi innixum minime vereri, ne concuti aut loco moveri poſſit.* Quae tanta vehementia et orationis fluxu ab eo dicta, ut adſtanteis in ſui admirationem raperet; a multiſque creditum fuit, ſi haec actio in tempus incidiſſet, quo ſe poſtea patres conclavi incluſerunt, proculdubio futurum, ut univerſi, paucis obſtantibus, ipſum e cella ſua raptum, ad thronum et adorationis locum continuo ſtitiſſent. Cum autem in dubium literae revocarentur a Benedicto Juſtiniano cardinali, is qui pontificiarum literarum notis incognitis exaratarum ſcrinium aſſervabat, ad fidem faciendam vocatus eſt; qui cum ſe eas nunquam habuiſſe, aut vidiſſe coram religioſe affirmaret, vanitas earum omnino exploſa eſt; relangueſcente interim per moram interpoſitam ſubitae benevolentiae impetu, et invaleſcente odii fomite: quo et effectum, ut Hiſpanienſes omnia ſibi ſumma facienda ducerent, quo ſuſpectum antea ſibi hominem, et nunc poſt calumniam merito irritatum, a principis dignitatis prenſatione excluderent, quod et ſtrenue fecerunt. Querimonia autem ex eo nata, quod Baronius XI Annalium tomo ſcripſerat, jus quod reges in Siciliae monarchia ſibi vindicant, falſi ſuſpectis teſtimoniis niti; eaque re magnam Philippo injuriam factam Hiſpanienſes clamitabant. Cardinalibus intra conclave incluſis, Hiſpanienſes Antonium Saulium Genuenſem urgebant, qui odio eorum rejectus eſt; cum alioqui ſe moribus et vitae ſanctimonia ſatis commendaret. Roberto deinde Bellarmino a factione Aldobrandina propoſito, Montaltana factio ſecundum Aldobrandinam praepotens, aemulatione adverſabatur. Tum repoſitus Baronius, in cujus rejectione toto conclavi ab [a]Avila et Aſcanio [b] Columna Hiſpanienſibus laboratum eſt. Media Hiſpanienſi oppoſita in aeſtu comitiorum crevit Francica, cujus princeps erat, et dignitate et meritis, Franciſcus a [c] Jouſa, vir mitis ingenii, et felicis in negotiis tractandis prudentiae, qui inter Aldobrandinos et Montaltanos arbitrium ſibi ſumpſerat, et utri parti acceſſiſſet, ſuperiorem reddebat. Itaque cum neutra alteri cedere vellet, ita res inter eos, Franciſco a Jouſa arbitro, compoſita, ut de quo inter eos conveniſſet, modo Francis probaretur, in eum concordibus votis univerſi conſentirent, qui plus duobus quadrantibus proculdubio efficiebant: noſtri Baronium, ut Hiſpanienſes [d] Saulium, ad pontificatum promovebant; verum ipſe qui ſuam cauſam tam animoſe nuper defenderat, ſibi obſtare videbatur; dum nolle prae ſe fert, et ſe longi aevi proſapia prognatum paſſim prenſantibus jactitat, quod in electionibus maxime penſitatur: nam nihil magis in votis habent populus in urbe, et cardinales in conclavi, quam ut brevis aevi pontifex creetur, dum hi ad illud faſtigium aſpirant, et crebra mutatione in ſpem ejus adipiſcendi eriguntur. Populus autem, qui aedium direptionibus gaudet, cum aliquis e collegio per urbem plerumque falſo pontifex renunciatur, id quotidie evenire exoptat. Inter has contentiones, cum Baronius ab Hiſpanienſibus excluderetur, Jouſa Alexandrum Medicem cardinalem Florentinum utrique factioni non ingratum futurum, propoſuit, eumque continuo in cella ſua adit, et ipſum pontificem renunciat, continuoque eductum in ſella collocat,

INTERPR. [a] *de Muxica de Avila.* [b] *Colonna.* [c] *de Joyeuſe.* [d] *Sauli.*

collocat, et ceteris ad adorationem praeit, quem Aldobrandinus et ceteri magno CIↃIↃCV.
concurſu ſecuti ſunt: ſolo Avila renitente, et fruſtra obteſtante; quippe qui multa HENRICUS IV.
contra illam electionem ut vitio factam ſe habere diceret. Creatus is Kalendis Aprilibus pontifex, Leo XI dici voluit; renovata Leonis X ex eadem familia populo Romano gratiſſima ob liberalitatem ſummo principe dignam memoria; ipſe ſi diutius vixiſſet, eam imitaturus, erga pauperes munis, in omneis gratioſe magnificus: qui cum egregiam admodum in pace inter reges concilianda operam navaſſet, et ſe ſumma moderatione inter factionum, quae inter nos magis quieſcebant quam omnino extinctae erant, igniculos toto biennio, quo apud nos fuit, geſſiſſet, pace facta non ita bene animatus inde diſceſſit, ob eas cauſas quas ſupra attigi, ejus rei ſenſum poſt adeptam dignitatem retinuit, ſicuti ex illuſtriſſimo cardinali a Jouſa, quicum ſumma conjunctione et arcta neceſſitudine vixi, poſtea didici. Nam cum is regis nomine gratiam aliquam ab eo peteret, ille praefracte recuſavit: et ſe ex juſto et aequo res deinceps adminiſtraturum, gratiae minimum daturum reſpondit: ſi quid ipſe ſibi, cui plurimum debere ſe ſentiebat, ac ſuis peteret, libentiſſime gratificaturum. Pronepotem Octavium ex Bernardeto fratre habebat, quem cardinalem deſignare cum vellet, brevitate vitae impeditus eſt; nam cum Dominicae reſurrectionis die coronam ſumpſiſſet, poſtridie, qui beato Leoni ſacer eſt, ad S. Joannis baſilicam ſolemni pompa profectus eſt, ubi ceremoniarum inaugurationis fit confirmatio; inde cum fatigatione itineris et pondere veſtimentorum ſacrorum praegravatus cum febricula in Vaticanum rediiſſet, ingraveſcente morbo poſt XXV pontificatus diem aſſumptus eſt, ſpe de ſe ingenti concepta ſimul extincta, cum vixiſſet LXX annos. Itaque poſt novendiale ſacrum rurſus in conclavi ſe patres incluſerunt, et eodem aeſtu reſorbente, poſt irrita de Saulio, Bellarmino, Mariano, Petro Benedicto [a] Camerte cardinalibus vota, cum Dominicus [b] Toſcus Regienſis cardinalis ab Aldobrandino proponeretur, et in eum Hiſpanienſes conſentirent, ille e cella ſua in ſancti Sixti ſacellum ad adorationem elevatus eſt: verum Baronio contradicente, et alta voce ſe ultimum ad adorationem deſcenſurum clamitante, mira mutatio ſecuta eſt, plerisque Baronium confuſo clamore depoſcentibus, quem et ad Paulinum ſacellum ſtiterunt, ad adorationem itidem pergentes. Sciſſo per factiones collegio, componendi diſſidii non alia expeditior via viſa, quam ſi Aldobrandini et Montaltani, ut nuper fecerant, Francicae factioni arbitrium deferrent. Igitur cardinali a Jouſa Camillus [c] Borgeſius ab Aldobrandino propoſitus eſt, de quo cum ſe ille deliberaturum cum Montaltanis recepiſſet, ut ſciſſurae finis imponeretur, Alexandro Montalto auctor fuit, ut in eum ut minime obnoxium conſentiret: quo impetrato res confecta eſt, et ipſe cum Aldobrandino ad adorationem profectus ſequaces idoneo numero habuit. Toſcus in illo tumultu hoc tantum lucratus eſt, ut, mentione ipſius facta, ad rei famam cella ſua in conclavi, in urbe aedes direptae ſint. Sub veſperam XVII Kal. Jun. Borgeſius in [d] Paulino ſacello in pontificem electus eſt, et Pauli V nomen ſumpſit. Magnam initio et periculoſam comprimis ſciſſuram mira ſtatim tranquillitas ſecuta, nihilque in novo pontifice deſideratum, praeter aetatem: nam tantum LII annum attigerat, plerisque id mirantibus, nec paucioribus qui comitia ſaepius recurrere cupiebant, in occulto indignantibus. Habuit M. Antonium patrem, in Conſiſtorialium advocatorum collegio virum primarium, [e] Senis natum, qui Romae ipſum ex [f] Flaminia Aſtalia ſuſcepit, et treis alios fratres, Horatium, Franciſcum, et Joannem Baptiſtam. Cum Horatius venalem Romae dignitatem [g] Clerici Cameralis, Gregorio XIV pontifice, ſibi comparaſſet, etiam Camillo fratri communem fecit, et paulo poſt vivis

INTERPR. [a] *de Camerino.* [b] *Toſco de Reggio.* [c] *le cardinal Borgheſe.* [d] *la Chappelle Pauline.* [e] *Siena.* [f] *Flaminia de Stalli.* [g] *chierico di Camera.*

CIↃ IↃ CV. vivis exemptus, ipſum dignitatis ſucceſſorem reliquit; quae ad propria merita et legationem Hiſpanienſem, quam ſumma prudentiae laude ſub Clemente VIII obivit, accedens, illi ad ampliſſimum honorem, et inde poſtremo ad pontificatum viam munivit. XIV Kal. Quintil. [a] Scipionem Caſarellum ex ſorore nepotem cardinalem loco ſuo et titulo S. Chryſogoni creavit, fratres germanos ſummae rerum praepoſuit, et Franciſcum Vaticani, Joannem Baptiſtam [b] Santangelicae arcis, in qua olim Hadriani mauſoleum fuit, praefectos conſtituit. Baronius, publicato anno ſuperiore XI Annalium tomo, in quo de Siciliae monarchia diſſerit, Aſcanii Columnae cardinalis judicium ſuper ea re exquiſiverat: qui ex Hiſpania rediens exarata ad ipſum epiſtola moderationem in ea diſſertatione requirebat, et de acerbitate illius conquerebatur, quae in Hiſtorico comprimis vitanda eſt; rem ipſam minime attingebat. Ad quam prolixo ſcripto reſpondit Baronius: et poſtquam proreges Neapolis et Siciliae de ea apud pontificem expoſtularent, et in Leonis XI conclavi cauſa ab Hiſpanienſibus exagitata fuit, paulo poſt Leonis obitum, pontifice creato, Baronius ex [c] Tuſculano Eidibus Juniis ad Philippum literas dedit, et non citius ad ipſum ſcripſiſſe dicit, ne videretur, vacante ſede, ejuſmodi internuncio literarum auram voluiſſe captare regiam, et ita ſibi viam ad gradum ſublimiorem parare: quod ſcripſerit, non ad labefactandum, perdendum, demoliendumque utrumque regnum, ſed potius ad firmandum quod caderet, fulciendum quod rueret, ſtabiliendum quod nutaret, ſcripſiſſe; idque conſilio, juſſu, et poſtquam ſcriptum eſt, a tribus delegatis cardinalibus examinatum, et magno Clementis VIII plauſu, probatum fuiſſe: ob id pleraſque legationes ad ipſum a deceſſoribus ſuis miſſas; et cum poſt Clementis obitum, multi contra ipſum tanquam patrocinio deſtitutum inſurrexiſſent, fiduciam a veritate et cauſae juſtitia majorem ſumpſiſſe; quippe quod ſcripſiſſet, ſcriptum Petri juſſu, confirmatum a Petro, et ex ipſa Petri ſede prodiiſſe: denique ſupra Petram fundatum eſſe, quae confractura ſit eos, qui in eam nimis incaute offenderint, aut ſuper quos ipſa ceciderit: laicam manum nonniſi indecore et cum offenſa Catholicae veritatis clavem ſcientiae, quae penes ſolum eſt Petrum, poſſe arripere, ut probet aut rejiciat, quae Romani pontificis juſſu inſtituta, et ſuffragio probata ſunt, aut rejecta: poſt obitum Clementis, eandem auctoritatem, eundemque ſpiritum in ſucceſſores intelligi propagatum. Proinde ſua majeſtas judicium ſuſtineat; neque contemnat audire moneneteis ſacerdotes, praeſertim eos, quorum cardine univerſae eccleſiae volvitur et regitur Catholicus orbis. Haec tunc liberius ſcripta, et a Philippo, quam ob cauſam incertum, pro tempore diſſimulata; qui ſatis habuit, Antuerpiae, ubi Annales Baroniani eodem fere tempore recudebantur, illius tomi editionem prohibuiſſe, et Romae excuſa exemplaria in terris ſuis, atque adeo in utriuſque Siciliae regno venalia proponi vetuiſſe. Itaque cum duo reperti eſſent librarii, qui contra edictum ea haberent, ad triremeis damnati ſunt. Ab eodem tempore totum quinquennium contentio illa interquievit, quae poſt Baronii obitum mira libertate in Hiſpania deciſa, nec minore ſeveritate executioni mandata eſt; ſicuti ad illum annum, ſi Deus voluerit, plenius dicemus.

HENRICUS IV.

III. DUM haec Romae agerentur, [d] Petrus Henrices Acebedius Fontanus Inſubrium prorex, cum magnas copias in armis haberet, non ſolum Venetis, ſed aliis minoribus in Italia principibus ſuſpicionem injecit, quaſi rerum novandarum occaſionem quaereret: nam diſturbandae Venetorum cum [e] Rhaetis nuper contractae foederationi edicta ſevera [f] Mediolani condidit, quibus commercii libertatem utriſque incommodam reddebat, et loco deſignato VII a [g] Novocomo milliaribus in rupe, quae hinc inde [h] Clavenam et Telinam valleis deſpicit, [i] arcem quinque regalibus

INTERPR. [a] *Scipione de Caſa Caffarelli.* [b] *Caſtel S. Angelo.* [c] *Freſcati.* [d] *don Pedro Henriquez de Açevedo comte de Fuentes gouverneur de Milan.* [e] *Griſons.* [f] *Milan.* [g] *Como.* [h] *Chiavenne & la Valteline.* [i] *fort de Fuentes.*

regalibus propugnaculis firmatam erexit, ac de ſuo nomine appellavit, nequicquam fremeutibus vicinis. Inter Rhaetos vero tot diſſenſionum ſemina ſparſit, ut parum res ab internecina pernicie abfuerit, quae utcunque interventu noſtrorum vix tandem compoſita ſunt; arce interim exſtructa, et ad defenſionem cum vicinorum terrore perducta. Nec contentus in finibus Italiae late ſui terrorem ſparſiſſe, etiam per interiora deſperatione omnia implevit, citatis pleriſque Italiae regulis per [a] praeſidem et quaeſtores redituum extraordinariorum Mediolanenſis imperii, quaſi qui beneficiarias urbes, oppida, aliaſque poſſeſſiones aut uſurpaſſent, aut pro iis jura debita non perſolverent; eaque de re diploma evulgatum eſt Philippi nomine, Fontano auctore, XII Kal. Junias, quo praecipue Malaſpinae marchiones, qui in plureis familias in [b] Aemilia et Liguria vicina ſecti ſunt, nec non et alii citati, Franciſcus Maria, Joannes Chriſtophorus Morellus, et Vincentius Malaſpina, Joannes Baptiſta et Franciſcus fratres; Leonardus Galeacius, et Jo. Vincentius, Julius Sala Genuenſis, Reinaldus Malaſpina, heredes et ſucceſſores Thomae et Alfonſi Malaſpinarum; Bartholomaeus Malaſpina, Caeſar Malaſpina, heredes Gaſparis Malaſpinae, heredes Janetini Auriae, heredes Spinetae Malaſpinae, Alfonſus et Ferdinandus pater et filius Malaſpinae, Fabritius Malaſpina, princeps Albericus Cibo Malaſpina, Marchio Andreas Malaſpina, dux ipſe Etruriae, et reſpublica Genuenſium. Id occaſionem dedit ſcripto tunc a Malaſpinis, qui praecipue petebantur, per Italiam publicato, et ad cunctos orbis principes directo, quo fidem et patrocinium eorum tanquam in communi cauſa implorabant; nam ab iis ad alios potentiores quaſi praejudicio gradum fieri, et in communi periculo a cunctis ſubveniri debere. Nihil non juris Mediolanenſis futurum, ſi citationibus illis detur locus, nullaſque in tota Italia ditiones ab illis quieturas. Cauſam hanc cunctos Italiae principes complecti, nec pontificem ab ea exemptum iri: nam [c] Bononiam anno CIↃ CCCCII ſe ſponte Jo. Galeacio [d] Vicecomiti commiſiſſe, et eodem fere tempore [e] Peruſiam, Nuceriam, Spoletum, et Aſſiſium idem feciſſe: [f] Todi, Interamnium, Toſcanellam, Otriculum, Surianam arcem et totam [g] Aemiliam, hoc eſt, Romaniolam, quae hodie pontifici ſubeſt, in Franciſci Sfortiae dominationem annis XXX poſt conceſſiſſe, et rurſus X poſt annis [h] Auximum, Racanatum, et Fabrianum penes eundem Sfortiam ex foedere cum pontifice facto remanſiſſe. In Veneta ditione [i] Brixiam cum omni territorio ſuo anno Chriſti CCCLXXV a S. Ambroſio Mediolanenſi eccleſiae ſubjectam fuiſſe, et anno CIↃ CCC XXXVII [k] Azzonem Vicecomitem ejus poſſeſſionem et plenum dominium habuiſſe, et in diplomate Wenceſlai Caeſaris anno CIↃ CCC XCV nominari, et VIII poſt annis Mediolanenſibus ſe ſubjeciſſe, et in diplomate beneficiario Maximiliani I anni CIↃ CCCC XCIV comprehendi; idem et de Bergomo dici poſſe: nam Ambroſiana notitia eccleſiaſticae Mediolani juriſdictionis id comprehendi, et anno CIↃ CC XCVIII a Matthaeo Vicecomite jure belli Mediolano acquiſitum, et in Wenceſlai diplomate ſupra memorato expreſſe recenſeri; poſtea in diplomate item Maximiliani I: conſtare item Veronam anno CIↃ CCC XXCVII in poteſtatem Galeacii Vicecomitis deveniſſe, et anno XVI poſt ultro ſe Mediolanenſibus ſubjeciſſe. Idem feciſſe eodem tempore [l] Patavium, ſicuti ex iiſdem Caeſarianis diplomatis patet, quibus et Crema et ejus territorium pariter comprehenditur, quae uſque ad annum CIↃ CCCC XCVI ſub Mediolanenſium dominio fuit. [m] Feltrum item, Bellunum, et Andeſanum, in illis diplomatis nominari. Jam Genuam toties ſe [n] Mediolani principum jugo vi aut alia ratione coactam ſubjeciſſe, quem ignorare? jam a temporibus Joannis

CIↃ IↃ CV.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *magiſtrato ſtraordinario di Milano.* [b] *Romagna & le Genoveſat.* [c] *Bologna.* [d] *Viſconti.* [e] *Perugia, Nocera, Spoleto, & Aſſiſi.* [f] *Todi, Terni, Toſcanella, Otricoli, & Suriana.* [g] *la Romagna Eccleſiaſtica.* [h] *Oſmo, Racanati, & Fabriano.* [i] *Breſcia.* [k] *Azzo Viſconti.* [l] *Padoue.* [m] *Feltri, Belluno, & Andeſano.* [n] *Milan.*

CIↃ IↃCV.
Henricus IV.

Joannis Vicecomitis, qui eam in fidem accepit anno CIↃ CCC LIII, et principis Genuenſis reipublicae titulos ſibi ſumpſit. Novies idem poſtea repetitis vicibus factum, et toties claveis et S. Georgii vexillum ad Mediolani principes a Genuenſibus allatum. Corſicam item Philippo Vicecomiti ceſſiſſe, et Albinganum anno CIↃ CCCC XXI a Philippo Maria expugnatum fuiſſe. Quin etiam eadem ratione [a] Taurinum, Auguſtam praetoriam, Eporediam, quae ſunt epiſcopales ſedes Mediolani jam ab anno CIↃ LXXV ſubeſſe; [b] Aſtam, item [c] Vercellas, Albam, Claraſcum, Cunium, Montem-regalem, totamque ſubjectam regionem uſque ad annum CIↃ CCC LVI a Mediolani principibus poſſeſſam fuiſſe, et in diviſione inter Barnabam et Galeacium [d] Vicecomites facta, eam Galeacio ceſſiſſe: Aſtam praeterea cum ſuo omni territorio in diplomatis Wenceſlai et Maximiliani expreſſim nominari. In Etruria vero [e] Senas ſe ſponte anno CIↃ CCC XCIX Joanni Galeacio ſummiſiſſe. Lunenſe item territorium et Fivizzanum vi in poteſtatem Franc. Sfortiae anno CIↃ CCCC XLVIII conceſſiſſe; neque in dubium revocari, Montisferrati marchiones Mediolani principibus fidei ſacramento obligatos eſſe, et jusjurandum Barnabae ab Hugolino anno CIↃ CCC LVIII praeſtitum fuiſſe. Idem de Parma, Placentia, et S. [f] Donini Burgo dici poſſe, quae diplomatis illis Caeſarianis comprehenduntur; Placentiam autem miſerabili clade vaſtatam anno CIↃ CCCC XLVII Franciſci Sfortiae arbitrio ſe permiſiſſe. [g] Rhegium denique beneficium nobile Mediolanenſis jurisdictionis pronunciatum anno CIↃ CCC LVIII, et XXII poſt annis, quando fuit a Barnaba Vicecomite miſerabiliter direptum, et poſtea comprehenſum fuiſſe in diplomate Wenceſlai et Maximiliani I. Mediolani principibus et jus in [h] Piſaurum eſſe: nam anno CIↃ CCCC XLII eam urbem ab Alex. Sfortia, et deinceps a Paulo poſſeſſam eſſe. Denique et [i] Tridentum ab iis vindicari poſſe eadem ratione, quippe cum diplomatis Caeſarianis ſaepius memoratis itidem comprehendatur. Ex iis liquere, quanto praejudicio contra tot Italiae principes nunc Malaſpinarum cauſa Mediolani agitetur. Quin et ipſum Philippum, cujus nomine lis inſtituta eſt, et citatio emiſſa, eadem cauſa involvi; quippe qui multa poſſidere in Hiſpania, Italia, et in Belgio, in utriſque Indiis, quae pontificum, Caeſarum, regum Franciae, beneficiaria ſunt; et quae proinde iiſdem, quibus ille nititur, argumentis controverti cum eo poſſunt. Hoc ſcripto per Italiam diſſeminato, quaſi claſſicum inter principes caneretur, intervenere per oratores apud Philippum plerique, et tandem obtinuere, ut re protelata perſecutio ejus cum tempore evaneſceret.

IV. Mortes illuſtrium ſuperſunt. Primus dicetur Joannes Sarius [k] Samoſcius, de quo pauciora memorabuntur, quod per totos XXX annos ſuperiores honorifica fere fuerit ejus ac continua narratio. A puero in literis Lutetiae egregie inſtitutus, quas et tota vita maxime coluit; in Italiae poſtea gymnaſiis adoleſcentiam exegit, et arcta cum Carolo Sigonio familiaritate vixit, qui duos de ſenatu Romano libros pereruditos non ſuo, ſed Jo. Sarii Samoſcii nomine vulgavit. Inde in patriam reverſus et vicecancellarius regni creatus, cum Andium dux in regem a Poloniae ordinibus electus eſt, inſigni illa legatione in Franciam miſſa, inter primos comparuit, et oratione luculenta in publico Caroli fratris, et omnium regni principum, ac procerum, atque adeo regni ordinum conſeſſu in palatio, ubi jus dicitur, celebrato, eum regem renunciavit. Deinde poſt Henrici III in Franciam reditum, novo regi creando egregiam operam navavit, et Stephanum Bathorium [l] Daciae principem contra Auſtriacorum prenſationes, ſumma conſtantia tutatus eſt, bis profligato Maximiliano et ad extremum capto. Deinde ex cancellario regni, quam dignitatem tota vita retinuit,

exercituum

INTERPR. [a] *Turin, Aouſte, & Ivrée.* [b] *Aſti.* [c] *Vercelli, Alba, Chieraſco, Coni, & Mondovi.* [d] *Viſconti.* [e] *Siena.* [f] *Borgo ſan Donino.* [g] *Reggio.* [h] *Peſaro.* [i] *Trente.* [k] *Zamoyski.* [l] *Tranſilvanie.*

exercituum imperator a Stephano creatus, eandem, quam in negotiis explicandis, in bellica re ſolertiam adhibuit; non ſine aemulorum occulto livore: et per bella Moſcica magnam ſui famam ubique et expectatione majorem excitavit. Eandem, quam in Stephani creatione, in Sigiſmundo [a] Sueciae principe tuendo fidem et conſtantiam prae ſe tulit, et ſub eo extremam aetatem in Livonicis bellis contra Moſcos, et contra Carolum Sudermaniae ducem regis patruum exercuit; et non ſolum manu, ſed etiam magna verborum acerbitate cum eo ante triennium conflixit. Inter has curas nuſquam literarum ſtudia intermiſit, et inſignem academiam in urbe cognomine a ſe condita in [b] Belſenſi praefectura, VII a [c] Leontopoli Ruſſiae Polonicae metropoli milliaribus inſtituit; et anno CIↃ IↃ XCIV Eidibus Maiis ludum aperuit, profeſſoribus eximio ſtipendio ad eam Cracovia invitatis. Poſtremo aulae pertaeſus, neque ſatis gratum principem, quem tot benefactis demeruerat, erga ſe expertus, domum ſe contulerat, ubi et hoc anno, qui illi climactericus erat, cum profunda cogitatione defixus videretur, in ſella ſedens apoplexia ſubita correptus eſt, ex eaque deceſſit III Non. Junias. Ex Griſelide Bathoria Stephani regis nepte Thomam filium reliquit, eique tutores dedit Cracovienſem et Lublinenſem Palatinos. Ut religionis antiquae, ita libertatis et regni jurium, in quo natus erat, retinentiſſimus fuit, ab omni novitate alienus, quod teſtamento a ſe condito patet; quo inter alia mandata quae filio dedit, illud eſt, ut Catholicam eccleſiam non ſolum regum et principum, ſed quod longe praeclarius eſt, omnium ſanctorum communem matrem coleret, ut cujus in gremio felicius ſit mori, quam ab initio naſci; quippe cum non naſci ſatius ſit, quam in ea non mori. Addunt et hoc mandaſſe filio, ne unquam Italiam inviſat, ne Germanice diſcat, verus Polonus ſit: neceſſitatibus reipublicae ſublevandis, ſi opus fuerit, ad tercentum florenorum CIↃ expendat, quibus expenſis videat quantum profecerit; aulam ordinariam teneat; C equites Huſſaros, totidem Coſacos, CCC pedites penes ſe habeat, ex quibus C continuo matri viduae relictae latus cingant; quae ſi alii nupſerit, pro omni propter nuptias donatione et dotis auctario, ei ſexaginta florenorum CIↃ legavit. Magno patriae charitatis exemplo ſubjecit, ſi filium mori contingeret, ut unum tantum oppidum, et quatuor villae ad conſanguineos ex ſucceſſione ſua devenirent: ceteris bonis omnibus in reipublicae uſum converſis, ita ut ſit ſemper curator a republica conſtitutus, qui omneis reditus in unum redigat; et theſaurus ille ſeponatur ad extremam reipublicae neceſſitatem, ut neque rex ipſe nec alius, ſine reipublicae conſenſu, eum in alios uſus poſſit intervertere. Novitatis odio tributum, quod cum ſumma non ſolum conſiliorum ſed etiam adfectuum conſenſione Stephanum regem coleret, qui impenſe Jeſuitas in imperio ſuo fovit, tamen in ſua Samoſciana academia nullos ex eorum ſocietate admiſit, quod idem et Philippum Hiſpanorum regem ſapientiſſimum feciſſe quidam obſervarunt. Vidimus poſtea Thomam ejus filium per Gallias peregrinantem, et mandatorum paternorum, ſi utique vera ſunt, ſecurum, in eo eſſe, ut in Italiam proficiſceretur. Magno paratu funus celebratum, pluſquam quinque CIↃ ex nobilitate eo confluentibus; inter quos bis mille inſignium militum, cum magna ſenatorum frequentia. Corpus a militibus ſuccollatum cum exploſione tormentorum, et ut in tanto numero rixa orta inter Staniſlaum [d] Stantzkium et Malogoſtem caſtellanum per tumultum conflictus factus, in quo juveni Ferensbekio manus amputata eſt. Apud nos Carolus Lotharingus [e] Ellebovii dux [f] Molinii in Boiis, ultimum vitae diem clauſit, pridie Nonas [α] Sextileis, praematura canitie ſenectutem prae ſe ferens.

Remigium

VAR. LECT. [α] Sextileis, qui comitate et liberaliore vita meruerat, ut praematura canitie ſenectutem prae ſe ferret. *MSS. Reg. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *la Suede.* [b] *de Belz.* [c] *Leopoli de Ruſſie.* [d] *Stanitzki & Malogotzki.* [e] *Elboeuf.* [f] *Moulins en Bourbonnois.*

CIƆ IƆCV. HENRICUS IV.

Remigium Bellaqueum, de quo in ſuperioribus demonſtravimus, praeceptorem [α] habuerat; teſtudinem pulſare, harmonice cantare, et verſus Gallicos non ineleganter pangere edoctus. Sub id de Vidi [a] Lavalli comitis morte allatum eſt: is ampliſſimorum bonorum in [b] Cenomanis, Armorica et Neuſtria, atque adeo duarum illuſtriſſimarum familiarum heres; vix expleto XX aetatis anno decoris cupiditate incenſus, Octobri menſe ex aula noſtra profectus fuerat, atque inde in Germaniam venit, a Caeſare perhonorifice [c] Pragae exceptus, et Viennae ab archiduce Matthia, atque Chriſtianae militiae nomen dedit. Primum armorum tirocinium infauſto conflictu fecit, depulſis quidem [d] Tataris ſub Viennae uſque portas excurrentibus, ſed tam gravi vulnere in ilibus accepto, ut paulo poſt exeunte anno deceſſerit. Tantam hereditatem grandi aere alieno oneratam creverunt [e] Tremollii, et Ellebovii dux ex familia Lotharingica, magnaque de teſtamento ejus ante biennium facto in ſenatu contentio fuit; quo Annam [f] Alegriam matrem, quae alteris nuptiis Gul. [g] Altamero Fervacio equitum tribuno nupſerat, tertiae partis bonorum, quantum per leges municipaleis licebat, legatariam ſcripſerat: quae contentio tandem tranſactione finem accepit. Is avita ſucceſſione Proteſtantium doctrinam imbiberat; eaque paucos ante annos relicta, ad ſacra majorum redierat. Avum habuit Franciſcum [h] Colinium Andelotum Gallici peditatus praefectum, virtute militari inſignem; qui anno CIƆ IƆ LXVIII [i] Mediolani Santonum obiit, et ex Anna [k] Riuſia Lavalla tot bonorum herede Vidum Lavallum comitem, hujus patrem, reliquit. Et ille quidem ante XVII annos ſub moenibus ejuſdem urbis, in qua pater obierat, fratres infauſto proelio victor amiſit; et ipſe paucis poſt diebus, ſive ex fatigatione ſive ex moerore deceſſit, ſicuti ſuo loco demonſtravimus. Multi ſuadebant, iique ſaniores, prius quam abiret, uxore ducta, quae illi ex Lotharingica domo deſtinabatur, ut proli tollendae operam daret; deinde ſe et familia dignas expeditiones ſuſciperet. Alii contra minime reprimendos ſpiritus illos primos aiebant; et cum ad aviti erroris ac paterni, atque adeo ſui expiationem id pertineret, nullam tam generoſae deliberationi, quam Deus procul dubio tanquam ad gloriam ſuam ſuſceptam fortunaturus eſſet, cunctationem interponendam eſſe cenſebant; et ii vicerunt. Fuit ſpecie praeſtanti, vultu verecundo, taciturna natura, ingenio ſublimi, et aequante natalcis fortuna, ſi maturuiſſet, digno. Artes fere curioſas ſectabatur, et iis addictos inter peregrinandum ubique veſtigabat, ab iiſque quae diſcebat, literarum alioqui minime ignarus, propria manu, ſcribebat autem elegantiſſime et ſcitiſſime, deſcribebat; cujuſmodi grande volumen vidimus: ut in tanta fortuna verendum eſſet, ne, ſtudio per otium creſcente, ingenio ad meliora nato, ad artes illas aliquando abuteretur.

V. VIRI et literis clari et longa vita memorabiles, quod in ejuſmodi hominibus rarum, his adtexentur. Ante alios [l] Pontus Thiardaeus Biſſianus dicetur, nobili familia in [m] Heduis natus, qui exacta trium linguarum cognitione, et in juvenili aetate excultus, ſaeculo illo, quod apud nos poetarum proventu abundaſſe Henrico II rege diximus, in poetica vernacula primum luſit; dein mathematicis artibus et Platonicae doctrinae ſe totum mancipavit; ac poſtremo theologicis ſtudiis, in quibus omnibus multa, ſed fere Gallice ſcripſit, reconditae ſcientiae ubique plena. In aula etiam vixit, et Henrico III gratioſus, ſicuti ſuo loco oſtendimus; ab eo [n] Cabilonenſi epiſcopatu donatus eſt, et paulo ante mortem octogenario major, de recta nominum impoſitione commentarium vulgavit, et ad Philonis Judaei libellos a ſe illuſtratos pro auctario addidit. Cum in libris aſſiduus eſſet, cibo multo, quippe vaſto corpore,

utebatur;

VAR. LECT. [α] habuerat; nec eo indignus diſcipulus evaſerat, teſtudinem *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *de Laval.* [b] *le Maine, Bretagne, & Normandie.* [c] *Prague.* [d] *les Tartares.* [e] *de la Tremoille, & d'Elboeuf.* [f] *d'Alegre.* [g] *de Haultemer Sr. de Fervacques.* [h] *de Coligny Sr. d'Andelot.* [i] *Saintes.* [k] *de Rieux de Laval.* [l] *Pontus de Thiard Sr. de Biſſy.* [m] *Bourgogne.* [n] *de Chalons ſur Saone.*

utebatur; et generoſa vina, qualia illis locis circa Ararim naſcuntur, aqua nulla admiſta, citra temulentiam bibebat; cumque dormitum ibat, quod mirum eſt, largo ſe meraci hauſtu ſine valetudinis diſpendio proluebat. Tandem cum XX amplius annos ſacro munere, magna pietatis et doctrinae laude defunctus, Cyrum ex fratre nepotem ſibi ſuperſtitem ſubſtituiſſet, integris animi et corporis ſenſibus ad meliorem vitam migravit VII Eid. Oct. aetatis anno octogeſimo quarto. Theodorus Beza, qui patruum in curia Pariſienſi ſenatorem habuerat, [a] Vezeliis itidem in Heduis natus, Biſſianum ſex diebus antevertit: ingenio hilaro ac eleganti, et longa vita ſatis notus, quam LX totos annos in ſtudiis et lucubrationibus exegit; eaque tantum provectus, ut antequam moreretur, veris vitae, quae eam deſiderabilem efficiunt, ſubſidiis prae ſenio deſtitueretur: ſiquidem praeſentium memoriam, debilitata quippe mente, evanidam amiſerat, praeteritorum, dum ingenio valebat, impreſſam ſervaverat. Itaque et totos Pſalmos Hebraice, et quodcunque caput ex beati Pauli epiſtolis propoſuiſſes, integrum Graece recitabat: nec in iis, quae olim didicerat, judicio carebat; ſed quae dixerat, ſtatim obliviſcebatur. In hoc mentis oblivioſo languore fere biennium perſeveravit; et cum ad concionem ire vellet, ſubita convulſione correptus, ac lecto impoſitus, vitam finivit. Vixit annos LXXXVI, menſes III, dies XIX. Laudavit mortuum Antonius Faius, et carmen elegans et adfectus plenum veteri amicitia cum eo conjunctus Scaliger fecit; addito etiam de fato urbis, in qua deceſſit, omine, quod tamen hactenus eventu caruit. Beza rurſus annoſior, et ſummus Bezae amicus Robertus Conſtantinus annum clauſit, [b] Cadomi in Neuſtria inferiore natus, trium linguarum peritiſſimus, et Graecae praecipue ac [α] Latinae; qui longam vitam in ſtudiis et peregrinationibus [β] conſumpſit: fuit et Julii Caeſaris Scaligeri domeſticus, et commentaria in partem Theophraſti, ab auctore non edita, poſt ejus mortem publicavit; quod a plagii crimine, cujus aliquando inſimulatus fuit, eum [γ] liberat. Vixit uſque ad CIII annum integris corporis et mentis ſenſibus, et memoria adhuc valida, quae in longaevis, ex omnibus animi facultatibus prima debilitatur et vacillat; et tandem pleuritide correptus, exeunte hoc anno VI Kal. Jan. defecit. His macrobiis rarum longae vitae et connubialis concordiae addam ex Immanuele [c] Meterano exemplum, viri et foeminae e plebe, ideoque obſcuri nominis, quorum ille CIII annos, haec XCIX expleverat, cum uterque LXXV in matrimonio conjunctiſſime vixiſſent. Longae vitae pro cumulo felicitatis acceſſit, quod Philemoni et Baucidi pro ſummo beneficio Deos conceſſiſſe narrant fabulae, ut alter alteri tantum treis horas ſupervixerit, et ambo [d] Delphis in Batavia ſimul hoc anno terrae mandati ſunt. Poſt hos dicendus venit Simo [e] Marionus Novioduno Heduorum ſive Nivernio perhoneſta familia natus, qui juris ſcientia ac eloquentia praecipue in noſtro foro diu claruit, quod actiones aliquot forenſes ab eo editae abunde teſtantur. Dein ad dignitates evectus ſe ſemper iis parem praebuit, et patroni fiſci munus pari eloquentiae et ſolertis judicii laude exercuit, jura regia, libertatem publicam, regni dignitatem ubique

VAR. LECT. [α] Latinae, quarum optima Lexica concinnavit, qui *MS. Reg.*

[β] conſumpſit: cujus inſtar memorabile fuit in noſtro aevo, eoque majus, quod raro aut fere nunquam accidit, ut viri literati tamdiu vivant. Eum in comitatu ac familia viri illuſtriſſimi Pauli a Foxio, dum in Anglia et Scotia oratoris regii munere fungebatur, fuiſſe ſupra demonſtravimus: et antea Catharinae reginae, in eaque medicinam fecit, et Cornelium Celſum diligenter cum MSS. collatum Lugduni, quo interdum per intervalla excurrebat, excudendum curavit. Fuit et Julii *MS. Reg.*

[γ] liberat. Nam ſi bona fide id ſemel fecit, cur non in aliis eandem fidem ſervaſſet, praeſertim cum nihil poſtea ab eo profectum ſit quod captum ipſius ſuperet, et divino illi viro ſubreptum fuiſſe credi poſſit: itaque maledicis iis per me ſilere licet. Lutetiae uxorem duxerat, et poſt ejus obitum alteram Montalbani in Cadurcis duxit, ex eaque filium ſibi ſuperſtitem ſuſcepit: Ortheſianae ſcholae in Benearni pago plures annos praefuit, et Caſtri item in Septimania; ac tandem Montalbanum reverſus eſt, ubi linguae utriuſque profeſſor ad longaevam aetatem integra ſemper valetudine perduravit, quam victus ſobrietate et gymnaſtica familiari adjuvabat, domi ambidextri enſis gladiatoria tractatione ſe exercere ſolitus. Vixit uſque ad CIII annum *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Vezelay.* [b] *Caen en Normandie.* [c] *de Meteren.* [d] *Delft en Hollande.* [e] *Marion natif de Nevers.*

CIↃ IↃCV.
HENRICUS IV.

ubique conſtantiſſime [α] tutatus. Obiit Lutetiae III Eid. Febr. cum LXIV aetatis annum tribus menſibus exceſſiſſet, et ad S. Mederici ſepultus eſt. Inter tot denatos nata eſt Eidibus Octobribus illuſtriſſimo Monpenſerii duci Henrico Borbonio in [a] Gallionis arce, ex Henrica Catharina a [b] Jouſa uxore, filiola Maria, parentis brevi ſuperfuturi unica heres; quae jam nunc, cum haec ſcribo, magnum pietatis et virtutis inſtar eſt, ſereniſſimo [c] Andium duci poſt [d] Aurelianenſis fratris obitum deſponſata, ut ampliſſima bona, quae ex antiqua Borboniorum domo poſſidet, in regia familia maneant.

VI. Ad res noſtras ut veniam, accuſationis contra [e] Arvernum comitem, et [f] Entraguium, et marchioniſſam ejus filiam, ſuperiore anno inſtitutae probationes in ſenatu conficiebantur; et cum Arvernus initio coram delegatis judicibus, Achille [g] Harlaeo primario praeſide, Stephano [h] Floro, et Philiberto [i] Turino, ſenatoribus reſpondere recuſaret, et ſe abolitionis diplomate ac praeterea [k] breviculo tueretur, miſſus a ſenatu ad regem Ludovicus [l] Servinus advocatus regius, qui deprecatione clementiam ipſius interpellaret, et ſuper diplomate ac breviculo majeſtatem ſuam conſuleret. Is igitur officio defungens, Arvernum jam ter in crimen laeſae majeſtatis longe maximum, et quod cetera in ſe maleficia complectitur, recidiſſe oſtendit, primum in conſpiratione a Mathurino [m] Carterio, qui dignam ſcelere poenam tulit, inchoata; deinde in Bironiana; ac poſtremo Hiſpanienſi, cujus nunc arguitur: eum qui toties in idem crimen relapſus eſt, indignum eſſe venia, et indulgentiam in tali crimine ad omnia impune audenda illecebram eſſe. Contra frequentiam tam horrendi criminis opus eſſe exemplo, ut vita regis, reginae, ac dilectiſſimi delphini, quibus ſalus publica continetur, in tuto collocetur. Haec pluribus cum diſſeruiſſet, rex, repetita praeteritorum memoria, diploma abolitionis conceſſae et breviculi cauſam in temporum neceſſitatem rejecit, et haec omnia impetrata dixit, ut Arvernum ad officium et bonam mentem reduceret, neque ſe gratia per illa conceſſa indignum contumacia ſua redderet. Quod cum minime fecerit, nec criminis veniam oblatam ingenua confeſſione, quod facere jubebatur, mereri voluerit, ſe quoque fide per diploma et breviculum data liberatum exiſtimaſſe, et cum ratione non poſſet, poteſtate legitima erga contumacem ac toties perduellem uti voluiſſe; proinde jubere, ut nulla diplomatis et breviculi, quibus ille ſe tuetur, ratione habita, contra ipſum legibus agatur. Secundum haec, cognitore regio poſtulante, decretum, ut Arvernus, nulla defenſionis et praeſcriptionis ab eo propoſitae ratione habita, coram judicibus delegatis ad interrogata reſponderet; ni faceret, pro convicto haberetur. Id actum IV Kal. Jan. Interea ter interrogatus Franciſcus Balſacus Entraguius; qui cum factum non omnino diffiteretur, ad illud excuſandum, et marchioniſſam filiam exonerandam ſcriptum protulit, quod jam antea regi ad [n] Germanifanum VIII Kal. Quintil. porrexerat, quo repetita colloquiorum cum Hiſpanis habitorum origine rem altius repetebat. Ejus haec ſumma erat: a tempore [o] Metis ſub coronae Francicae ditionem redactae, nullam ſe occaſionem praetermiſiſſe bello et pace regibus inſerviendi, ſuamque fidem illis et amicis adprobaſſe; regi, cum primum ad regnum vocatus eſt, fidam ſemper et ſedulam operam per haec bella navaſſe, nec ſumptibus ullis peperciſſe, atque inde grande aes alienum contraxiſſe, magno rerum ſuarum incommodo; idque in cauſa fuiſſe, ut ad fortunae amplificationem attendere, et filiis, ut haberent unde decus familiae tuerentur, proſpicere pro tempore

non

VAR. LECT. [α] tutatus, eademque conſtantia majorum religionis alioqui retinentiſſimus, novas ut regno pernicioſas religiones et clandeſtinas diſpenſationes oppugnavit. Obiit *MS. Reg. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Gaillon.* [b] *de Joyeuſe.* [c] *Gaſton troiſiéme fils du roy, duc d'Anjou, puis duc d'Orleans.* [d] *le duc d'Orleans, ſecond fils du roy.* [e] *le comte d'Auvergne.* [f] *le Sr. d'Entragues, & la marquiſe de Verneuil.* [g] *de Harlay.* [h] *de Fleury.* [i] *de Turin.* [k] *un brevet.* [l] *Servin avocat-general.* [m] *Chartier.* [n] *S. Germain.* [o] *Mets.*

non potuerit. Bello finito, pro praemio tot exantlatorum laborum praefecturam [a] Aurelianenſem ſibi ademptam, et in alium tranſlatam, nulla compenſatione accepta. Id tamen ſumma patientia diſſimulaſſe, et preſſo tam juſto dolore ad ſarciendas domeſticas ruinas, quod a liberalitate regia fruſtra exſpectaverat, ſe domum contuliſſe, ubi miſerum ſenem, et morbis ingruentibus obrutum, vehemens et ultimus fortunae impetus oppreſſit; accedente ad ſuperiores clades familiareis infauſto regis amore, quo filiam dilectiſſimam et unicum ſenectutis ſuae ſolatium, impotenter deperire coepit. Hinc corporis continuus morbus ex moerore, et gravior animi ipſum ſemper adflictavit, quod ſe ludibrio et aulicorum dicteriis expoſitum videret; et unde vulgo omnes ſibi ac ſuis honorem et bonorum amplificationem augurantur, inde ſibi ac ſuis dedecus, opprobrium, apud probos contemptum non ſine exprobratione paratum ſentiret. Demiſſis precibus ſaepius ab rege contendiſſe, ſibi cum bona ipſius gratia domum ire, et ſpectaculo aulae carere ut liceret. Cum initio id impetrare non potuiſſet, malo ingraveſcenti quaeſitum potentius remedium, et ut valetudinis curandae praetextu regno exire, et alio ſe conferre, relictis liberis, uxore, domo, ſuppliciter petiiſſe, nec obtinuiſſe. Sed poſtea malo ſuo fato accidiſſe, ut quod toties petenti minime conceſſum fuerat, ob quas ſuſpiciones incertum, necopinanti crudelius negaretur, interdicto omni cum filia dilectiſſima, quod ſolum ad ſolatium calamitas reliquum fecerat, congreſſu. Sed cum rurſus ab ea fortunae exacerbatione reſpiraret, et inſita bonitate mutaturum regem ſperaret, ecce nulla vi, nulla arte eludendum telum ab iracundia reginae in ipſum contortum eſt, crebreſcente per aulam rumore, marchioniſſam in ſummo periculo verſari, et odium reginae in parentem ac fratres recaſurum: nam voces et minas ex ore ejus exceptas, quae exulceratum injuriae ſenſu animum teſtabantur. Cui ut illa in tempore praeverteret, ſenſim ſe ab regis conſpectu ſubduxiſſe. Cum putaret per abſentiam, non ſolum amorem regis impotentem cum tempore remiſſurum, ſed etiam reginae odium deſiturum, et non ſolum aula abſtinere, ſed regno diſcedere ſe paratam oſtendit; ad idque commodum accidit, ut tunc Arauſionis principis vidua, quicum illa familiariſſime vivebat, de profectione in Bataviam ſuam cogitaret, huic ſe comitem addere voluiſſe, et petiiſſe a rege marchioniſſam loco ſummi beneficii, quod et illi praefracte negatum fuit: conſilium enim fuiſſe, ut, conſumptis aliquot in Batavia menſibus, in Angliam tranſiret; ubi [b] Leviniae ducem, et primarios circa regem arctiſſima ſecum cognatione conjunctos habebat. Verum et hoc negato, interea odium et minas creviſſe, et crebris delationibus primariorum in aula procerum ad marchioniſſae aureis in horas perlatis, illam poſtremo cum lachrimis apud regem demonſtrato periculo egiſſe, et ſuae ſaluti et filiorum ex ipſo ſuſceptorum ſecuritati conſulendi neceſſitatem utrique impoſitam oſtendiſſe. Nec viſam regi omnino intempeſtivam petitionem; itaque ab eo tempore Arvernorum comitem uterinum marchioniſſae fratrem, qui ſororis periculo tangi videbatur, ſecum multoties ea de re collocutum eſſe, clam illa, quod et ſecreto opus eſſet, et ad tranquillandum ejus animum ſilentio potius, quam renovata per conſultationes rei memoria, agi debere uterque judicaret. Deliberantibus, et de communi periculo vitando conſilia agitantibus, Thomam Morganum nobilem Anglum, qui Mariae Scotorum reginae negotia aliquando apud nos procuraverat, ſibi notum et familiarem ſuperveniſſe, et a Joanne Taxi oratore Philippico, quem ad [c] Monterigolum, ubi Igonna in Sequanam influit, cum eo cum Guiſio ante XX annos veniſſet, ipſe viderat, verba honeſtatis plena retuliſſe, et priſtinae amicitiae memoriam renovaſſe, ac petiiſſe, ut cum ipſo colloqui in arcano

INTERPR. [a] *d'Orleans.* [b] *Lenox.* [c] *Montereau ſur Yonne.*

CIϽIϽCV.

HENRICUS IV.

arcano poſſet: nec ſe abnuiſſe, quod eadem opera de re, quae ſibi permoleſte acciderat, amplius ex ipſo cognoſcere cupiebat: nam cum ad [a] Mariae Cleriacae fanum eſſet, hominem ſibi incognitum Hiſpanum, ſicuti poſtea affirmavit, natione, ceterum Italice loquentem, ad ſe in hoſpitio acceſſiſſe, et a rege Hiſpaniarum per diſpoſitos equos ſe miſſum dixiſſe, ut eum conveniret, et de [b] ſchedula manu regis ſubſcripta cum eo ageret. [c] Raffium, de quo ſupra in Nicolai [d] Hoſtae morte mentio facta eſt, huic ſe negotio immiſcuiſſe, et multa Bernardino Mendozae inſigni vanitate promiſiſſe; et cum ſub id Gul. [e] Foquetus Varanus clam a rege in Hiſpaniam ante decennium miſſus eſſet, hominis vanitatem coram deprehendiſſe. Cum igitur ipſe a Morgano perſuaſus ad Taxim noctu ſe contuliſſet, Novembri menſe anni CIϽ IϽ CII renovatam contractae ad Monterigolum amicitiae primum memoriam: deinde de foederatione Henotica, cujus ipſe Taxis fabricatione tanquam a ſe facta gloriabatur; poſt et de regis cum marchioniſſa amoribus, et ſchedula, inter eos actum eſſe; ac poſtremo de [f] curſore Cleriaco, de quo cum renidenti vultu, quaſi rei ignarus ſe Taxis excuſaſſet, de ſchedula repetitum ſermonem, quam cum tradi ſibi Taxis, aut ſaltem ejus exemplum enixe expeteret, ipſum ſe viciſſim excuſaſſe, ac praefracte reſpondiſſe, ſe filiamque marchioniſſam nunquam aſſenſuros, quandiu in vivis eſſent, ut alii quam regi traderetur; atque inſuper addidiſſe, regem hucuſque id parum curare ſe oſtendiſſe. Hoc primum inter eos colloquium fuiſſe; in ipſius Taxis aedibus. Alterum aliquanto poſt, interventu itidem Morgani, loco incognito celebratum, cui [g] Arvernorum comes interfuit, Junio menſe anno ſequenti. Ibi poſt ſalutationes, cum de Oſtendae ſucceſſu Taxim Arvernus percontaretur, Taxim reſpondiſſe, jampridem de perduellibus in Belgio regem Catholicum poenas meritas ſumpturum fuiſſe, ac plane triumphaturum, niſi rex legitimae Philippi potentiae ſe oppoſuiſſet, et opibus ſuis ac milite populos a fide devios juviſſet. Ad haec Arvernum interfatum eſſe, regem, qui et pecunia et milite, dum bellis ab Hiſpanis peteretur, ab Ordinibus Belgii adjutus eſſet, et pecuniam acceptam reddere, et mutuo auxilio laborantibus ſubvenire aequum et juſtum duxiſſe: quod vero poſt pacem factam Galli potius Batavis quam Hiſpanis ſuam operam addicant, in cauſa eſſe, non tam regis imperium, nam pleroſque ſine regis mandatu ad illam militiam ſponte proficiſci, quam Hiſpani nominis odium, quo fiat, ut nobilitas noſtra rei bellicae cupida, potius Batavorum, quam illorum nomini Gallico infeſtorum partes ſequatur. Ad haec injecto, de violentis regis in venatu, ludo palmario, aliiſque non ſine valetudinis aliqua laeſura exercitiis, ſermone; dixiſſe Taxim, fore ut rex, qui et annis et vitae intemperantia ad exitum properet, poſt ſe relicturus ſit regem Hiſpaniae annis florentem ac praepotentem, qui optimis belli ducibus et juſtitia cauſae fretus, injurias a Gallis in Belgio acceptas vindicaturus ſit, et quae amiſit, brevi recuperaturus. Tum incaleſcentibus et renudatis per contentionem animis Taxim regis fidem in dubium revocaſſe. Nam qui bonum Catholicum eum eſſe, qui quotidie Sectariorum auget numerum, ad concionandum et conveniendum locis toto regno multiplicatis, et promiſcue praefecturis, honoribus ac dignitatibus, ſeu militiae ſeu pacis, inter eos diſtributis, et novis munitionibus gratioſe attributis? Cum contradiceret Arvernus, poſtremo ſubjunxiſſe Taxim, ſi regem mori contingat, ab omni parte ſubito impetum in regnum facturum iri ex Sabaudia, Pedemontana regione, Flandria, Arragonia, multoſque ex Gallis ipſis rubram crucem ſumpturos. Tum Arvernum, ut eum magis ſtimularet, nequaquam per ea loca commode impetum fieri poſſe reſpondiſſe: nam difficileis ubique per illa acceſſus eſſe; tantum per Ruſcinonenſem comitatum patere hoſtibus aditum. Nam ab ea parte cum X CIϽ ſariſſophororum, et idoneo ſcloppetariorum numero,

X

INTERPR. [a] *Noſtre Dame de Clery.* [b] *la promeſſe de mariage.* [c] *Raffis.* [d] *l'Hoſte.* [e] *Fouquet Sr. de la Varenne.* [f] *le courrier de Clery.* [g] *Auvergne.*

x machinis ac bellico apparatu, ſi vis in necopinanteis fiat, magnum in periculum res noſtras adduci. Tum voventis ſpecie Taxim optaſſe, ut Arvernus inter eos dux cruce rubra ſignatus compareret. Et Arvernum ad ea verba ſubjunxiſſe, ſi hoc contingeret, et Sabaudiae dux eodem tempore rem gereret, confidere ſe, grande decus ex ea expeditione reportaturum, et ad Ligeris caput intra paucos dies victricia ſigna explicaturum; moxque quaſi ſe corrigeret, addidiſſe, mortem potius optare, quam quidquam tale aut vellet aut auderet. Haec quaſi per jocum aut laſciviam inter eos jactata, ipſo audiente; qui ut finem his ſermonibus imponeret, nuſquam id futurum affirmaſſe, ex [a] Coſmi Rugerii (is eſt, de quo ad annum CIϽ IϽ LXXIV et XCVIII plura diximus) fide; nam ſuper ea re a ſe conſultum, inſpecta utriuſque regis geneſi reſpondiſſe, nihil ſe animadvertere, quod prohibeat, quo minus pax fida et conſtans inter eos coeat. Et ita tunc vice ſecunda diſceſſum, diverſique omnes ad ſua ſe contulere. Aliquanto poſt tempore Morganum, qui crebro ad Taxim commeabat, monuiſſe, illum de diſceſſu in Hiſpaniam cogitare, et jam adveniſſe Baltazarem [b] Sunicam in munere ſucceſſorem, et cupere antequam diſcedat, cum ipſo colloqui. Itaque ad aedeis ejus noctu iviſſe cum Arvernorum comite, et aliquandiu cum illo verba honeſtatis commutaſſe: tum Taxim ambos rogaſſe, an non Baltazarem compellare vellent? Cum annuiſſet Arvernus, ipſum, qui huc uſque recuſaverat, aſſenſum tandem praebuiſſe, moxque e conclavi proximo Baltazarem egreſſum, et ſe mutuo ſalutaſſe, et Baltazarem ſeorſim Arvernum conveniſſe; ipſum cum Taxi remanſiſſe, et poſt aliquantulam moram Taxim denuo de ſchedula memorata ipſum interpellaſſe: nam ſi quidem talis ſit, aiebat Taxis, qualis a quibuſdam dicitur, ſcito paratam X CIϽ aureorum penſionem, et annum anticipatum iri, antequam hinc diſcedam, et ut quo loco convenerit, ſequentibus annis exſolvatur, idonee cavebo, in idque fidem tibi nobilis viri obligo. Ad haec cum ipſe ſe excuſaſſet, et ſchedulam haberi non poſſe, et exemplum ejus penes ſe non habere diceret, Taxim petiiſſe, verumne eſſet, ejus effectum in conſanguineorum principum, et arcani conſilii aſſeſſorum arbitrium collatum, id ſe pernegaſſe, conditionem tantum appoſitam eſſe, ſi maſculum genuerit, quod accidit. Inde Taxim quaeſiviſſe, an vera eſſent, quae de reginae infeſta voluntate ac minis vulgo jactabantur, ſi quidem rex moreretur, fore, ut marchioniſſa cum filio in carcerem conjiciatur? Ad haec ipſum reſpondiſſe, complurium ſermonibus id filiae renunciatum eſſe; ſed nequaquam his fidem habuiſſe, et ſperare, ut nunquam id accidat; aut ſi quando accidat, ea ſit aetate, ut regi ſupereſſe non debeat; quippe cum rex tantum quinquageſimum vitae annum nunc agat, ipſe LXIII jam expleverit: et Arvernum uterinum fratrem florenti aetate, ſi opus ſit, chariſſimae ſorori tunc minime defuturum. Tum de receptu in Flandria apud Archiduces, ſi quid humanitus regi contingeret, injectam mentionem, et Taxim ea de re quamprimum in Hiſpaniam venerit, cum rege acturum promiſiſſe, et ad Baltazarem reſcripturum: ipſum vero poſt actas honorifice gratias rogaſſe Taxim, ut officio ſuperſederet, nam nihil eo opus eſſe; ceterum de ſchedula alii quam regi tradenda nunquam cogitaſſe, eamque ſemper Regi obtuliſſe, et penes ſe retinuiſſe, quouſque regi reſtituta eſt. Addita erant in eo ſcripto quaedam ad literas interceptas, et contra ipſum prolatas reſponſa. Secundum haec ab delegatis interrogatus, initio ſe excuſabat, et multa ſe ad defenſionem propriam neceſſaria habere dicebat, quae citra regis offenſionem non poſſe efferri veritus, per reverentiam ſupprimere cogebatur. Interpellatus, an Arverno de iis quae in hoc communi negotio acta eſſent, fidem habere vellet? pernegavit; Arvernum malae fidei, et erga ſororem male affectum cauſatus. Idem et de Morgano adjectum. Cum regi per cognitorem regium ſignificatum eſſet Entraguium dicere, reverentia ſe attineri, quo minus quae ad

INTERPR. [a] *Coſmo Ruggieri.* [b] *de Zuniga.*

CIƆ IƆ CV.

HENRICUS IV.

ad legitimam defenſionem ſuam pertinebant, libere eloqui poſſet: rex ilicet, reis quae ad defenſionem neceſſaria eſſent, libere loqui plenam facultatem fecit: itaque denuo interrogatus, et regiae voluntatis certior factus, plenius de colloquiis illis cum Taxi et ſcripto a ſe antea prolato fere conſentanea dixit, id unum ſedulo ſatagens, ut non ſolum ſe, qui filiae chariſſimae periculo terrebatur, pietatis paternae obtentu excuſaret, ſed ipſam omnino exoneraret, et quicquid cum Hiſpanis actum erat, ea inſcia actum eſſe cum aſſeveratione ſemper confirmaret. Itaque ipſam, aiebat, de reginae odio et minis apud regem expoſtulaſſe, et regem, qui rem ita habere ſciret, ipſi arcem [a] Cadomenſem in Neuſtria inferiore ad receptum obtuliſſe; ſed cum de praefecto, quem illa arbitrio ſuo conſtituere volebat, non conveniret, rem exitu caruiſſe. Tertio interrogatus, cum literis ad Morganum ſcriptis, quae inter Morgani, cum captus eſt, ſcrinia repertae ſunt, urgeretur, et [b] ſchedulam non ita ſuppreſſam, ut ipſe aiebat, ſed ejus exemplum in Hiſpaniam miſſum ex iis appareret; ille tamen praefracte pernegavit, verbis ambiguis alio detortis et cluſis. Et haec cum eo acta. Arvernus jam Novembri ſuperiore a Nic. [c] Brularto Sillerio, et Petro [d] Janino interrogatus fuerat, et eadem fere, quae ſcripto Entraguius confeſſus erat, et ipſe ad interrogata reſponderat; niſi quod quantum ad exonerandam filiam pater laborabat, tantum ex adverſo ipſe enitebatur, ut marchioniſſam omnium quae de ipſa cum Hiſpanis inita fuerant, conſiliorum participem et conſciam oſtenderet; in conjunctione criminis praeſidium, quod ab innocentia ſua non habebat, quaerens. Poſtea a delegatis interrogatus, initio ſe abolitionis diplomate ante annum a rege impetrato, et breviculo, quo praeteritorum plena venia indulgebatur, conceſſo tuebatur, et ad petita reſpondere recuſabat, ne gratiae ſibi a rege clementiſſimo factae reſpondendo praejudicium afferret. Cognitore regio nihilominus inſtante, ut reſponderet, et ſenatus decreto ſuper ea re facto, tandem poſt proteſtationem reſpondere ſe paratum oſtendit; et praeter ea, quae jam coram Sillerio et Janino de ſororis receptu extra regnum, ſi quid regi humanitus contingeret, confeſſus fuerat; etiam de conſiliis olim Birono ſuperſtite, per Mathurinum [e] Carterium cum Sabaudiae duce, qui res Hiſpanorum tunc gerebat, dein cum ipſo Birono, et poſt Bironi mortem cum Taxi et Sunica de regno invadendo, ac denique per [f] Salam; inde cum Sabaudo per [g] Roquetum, inde in Hiſpania agitatis, neque bona fide ad regem relatis, plenius interrogatus eſt. Quae omnia aut ſibi regis gratia condonata, aut ab rege ipſo approbata, conſcioque geſta contendebat. Cum vero contumacia ejus argueretur, qui terrente conſcientia, cum toties juberetur, ad regem venire detrectaſſet, alias atque alias excuſationes praetexebat. De ſchedula autem ab Hiſpanis toties efflagitata ſic reſpondebat, exemplum ejus nunquam ab Entraguio traditum, ſed eam ſemel atque iterum coram Taxi et Sunica diſerte ab Entraguio recitatam fuiſſe. De vita item et morte Bironi in ejus laudem ſcriptum feciſſe, et marchioniſſae, quae ejus effigiem habere dicebatur, tradidiſſe arguebatur; quod ille inficiatione diluebat. Non ſolum autem ſorori receptum extra regnum, ſi regem mori contingeret, ſed etiam ſibi ipſi, ſi opus eſſet, cum Hiſpanis pepigiſſe dicebatur; nec abnuebat, odium reginae contra ſororem conceptum, in ſe, ut aiebat, recaſurum veritus. Tum interpellatus, an Entraguio et marchioniſſae fidem tribuere vellet? Utriuſque teſtimonium tanquam valde ſibi ſuſpectum rejecit, eorum importunis ac malignis criminationibus factum dicens, ut in regis indignationem inciderit. Morganus poſtea interrogatus, quid illi cum Taxi, et cum Entraguio negotii eſſet? Cum Taxi ſe familiaritatem coluiſſe reſpondebat, ut ejus favore ſex millia aureorum, quae a Scotiae regina, cujus negotia aliquando procuraverat, ſibi debebantur, a Philippo conſequeretur. Cum

Entraguio

INTERPR. [a] *de Caen en Normandie.* [b] *la promeſſe.* [c] *Brulart Sr. de Sillery.* [d] *Jeannin.* [e] *Chartier.* [f] *de la Sale.* [g] *la Rochette.*

Entraguio autem, ut literas commendatitias ad [a] Leviniae ducem ſororis filium, qui plurimum gratia in aula Anglicana pollebat, ab eo obtineret: de cetero ſe minime exiſtimaſſe peccare, ad Taxim commeando, quod Arverno et Entraguio auctoribus fecerat, et culpae poenam, ſupplex et hoſpes, ac religionis cauſa a patria extorris, a regis Chriſtianiſſimi clementia deprecabatur. Marchioniſſa poſtrema audita: et nunquam cum Taxi egiſſe, et ſemel tantum cum in Hiſpaniam diſceſſit, et ad illam ſalutandam permiſſu regis veniſſet, eum vidiſſe; neque in arcano, ſed coram plurimis teſtibus cum eo verba honeſtatis commutaſſe reſpondit; ſermonum autem cum eo ab Arverno et parente habitorum nullam notitiam habuiſſe, et nuper ex regis ore id didiciſſe. Ceterum quod de receptu in terra hoſtica a fratre et parente cum Hiſpanis agitatum eſſe poſtea reſcivit, ea in re pro ſe, non pro liberis ſuis conſilium captum fuiſſe; deque iis in Hiſpanorum poteſtatem tradendis nunquam ſe aut illos cogitaſſe. Praeterea cum Ludovico Velaſco, qui cum conneſtabili Caſtellae ad aulam venerat, arcanum colloquium habuiſſe arguebatur, qui et fidem obligaverat, ad limitem cum CCC equitibus venturum, ut ipſam exciperet, et in tutum deduceret: addebatur et Taxim jactabundo animo dixiſſe, non ita exhauſtum regem dominum ſuum eſſe, quin IƆ aureorum CIƆ in arca haberet, ad ſubveniendum in tempore marchioniſſae et ejus liberis: quod illa aſſeveranter ſciviſſe ſe pernegabat.

VII. Tandem compoſiti invicem et cum teſtibus rei, et coram judicibus denuo interrogati ſunt, et confeſſionibus, probationibus, literis, actis, documentis Arverni et Entraguii manu ſcriptis mature diſcuſſis, [b] Carolus Valeſius nothus Arvernorum comes, Franciſcus [c] Balſacus Entraguius, Thomas [d] Morganus conſpirationis contra regem regnumque initae poſtulati ac peracti rei declarantur; decretumque ut tanquam perduelles ex primo majeſtatis laeſae capite, honoribus et dignitate omni privati, in Portuenſi platea pegmate ad id erecto ſecuri percuterentur, bonis in fiſcum addictis: de Henrica Balſaca [e] Vernolii marchioniſſa amplius inquireretur; interim in [f] Bellomontanum virginum devotarum coenobium juxta [g] Caeſarodunum Turonum includeretur, interdicto omni cum aliis, quam cum monaſterii virginibus colloquio. Id actum Kalendis Februariis: ſuſpenſa interim ſententiae contra alios latae executione, donec rex, qui ita velle per cognitorem ſuum ſignificaverat, amplius de ea ſtatuiſſet. Prima gratia marchioniſſae facta, ut non in Bellomontanum coenobium, ſed Vernolium duceretur, interdicto omni cum aliis, quam cum domeſticis colloquio ac converſatione; eaque de re diploma in ſenatu promulgatum fuit X Kal. Aprilis. Et cum rogaretur rex, ut ſententia contra alios lata pronunciaretur, re per aliquot menſeis procraſtinata, XII Kal. Sept. diploma ad curiam miſit, quo Arvernum et Entraguium famae, bonis et honoribus reſtituebat, mortis loco perpetui carceris inflicta poena; ab ea tamen gratia exceptae praefecturae ac dignitates quas ambo obtinebant: Morganum, remiſſa itidem mulcta, extra regnum deportabat. Poſtea menſe Septembri cum rex ad [h] Blaudi-fontem eſſet, ampliore diplomate gratiam marchioniſſae factam geminavit, et memor amoris ſingularis quo eam proſecutus eſt, et liberorum ex ea ſuſceptorum charitate motus, ulteriore contra eam inquiſitione prohibita, cum ſibi abunde de tota accuſatione conſtare diceret, ejus memoriam, et acta, ac probationes de ea factas, in quantum neceſſe erat, abolebat, ac nullas declarabat; ipſam bonis et priſtinae libertati, quali ante inchoatum judicium fruebatur, plena poteſtate reſtituebat, interdicta omni in poſterum cognitoribus ſuis ac regni curiis rei perſecutione. Diploma poſt interceſſionem curiae XVI Kal. Oct.

INTERPR. [a] *Lenox.* [b] *Charles batard de Valois, fils naturel de Charles 9. & de Marie Touchet dame de Belleville, comte d'Auvergne.* [c] *de Balſac Sr. d'Entragues.* [d] *Morgan.* [e] *Verneuil.* [f] *convent de Beaumont.* [g] *Tours.* [h] *Fontainebleau.*

CIƆ IƆ CV.
HENRICUS IV.

Oct. in ſenatu promulgatum fuit. In varios ſermones hoc judicium, ut erant varie affecti animi, haud mirum eſt ſi incurrerit. Nam alii poſt publicae ultionis neceſſitatem Bironi morte expiatam, tali dignitate hominibus in vitae ac famae diſcrimen adductis, denuo renovari, in regno alioqui feliciſſimo, ominoſum ducebant. Alii, qui minime ſerio agi, et decretum quodcunque tandem fieret, nunquam executioni demandatum iri providebant, ludibrio ſacrarium Juſtitiae haberi, ac theatrali ſcena traduci indignabantur: ſic enim diſſerebant, judicium ab initio non inſtitutum, ut tanti criminis ſevere vindicati exemplum ad terrorem ederetur, verum ut marchioniſſa, quae parentis ac fratris conſilium ſecuta a rege diverterat, metu poenae, quae utrumque proculdubio manebat, iiſdem, qui diſſuaſerant, auctoribus, ad priſtinam conſuetudinem cum rege reverteretur.

VIII. Exacerbato tot novis offenſis regis animo, dum ad Blaudi-fontem eſſet, venere a [a] Tigurinorum, Bernatum, Baſileenſium, et Schafuſianorum pagis oratores pro [b] Bullionio duce deprecantes, qui de egregia ſua erga Regem ac Delfinum, quorum vita ſalutem imperii ſtare exiſtimant, voluntate, et hereditario affectu praefati, ſibi admodum dolere dicunt, quod vir et natalium ſplendore et adfinitatibus illuſtriſſimus, primarius regni officialis, et tot bello et pace exantlatis laboribus, de rege et regno optime meritus dux Bullionius, non ſolum a patria, verum, quod gravius eſt, a regis, a quo tot beneficiis et honoribus ſit cumulatus, conſpectu exulare jam totum triennium cogatur. Nulla re magis ſuam majeſtatem mutuum ſuum erga populos amicos animum teſtari poſſe, quam ſi ipſorum enixam deprecationem in bonam partem accipiat, et ſupplicem, quem criminibus falſis onerari perſuaſum habent, in gratiam recipiat, eademque opera ſcrupulum omnem ex animis ipſorum eximat, quaſi non ob propriam culpam, ſed odio religionis, quam profitentur, a malevolis et infeſtis in invidiam apud majeſtatem ſuam trahatur. Nam alioqui ex anteacta ſemper honorifice et laudabiliter illius vita; abunde ſibi de fide et ſincero ejuſdem erga regem obſequio, et patriam pietate conſtare; et niſi conſtaret, minime eos, a quibus miſſi ſunt, ad hoc pro eo ſuſceptum officium deſcenſuros fuiſſe. Ad haec rex ſcripto reſpondit VI Kal. Maias: gratam ſibi admodum de voluntate erga ſe regnumque tam prolixe teſtata declarationem eſſe; et in bonam partem accipere ab ipſis inſtitutam pro duce Bullionio deprecationem; quippe qui eam ab eadem voluntate et ſincero affectu proficiſci perſuaſum habeat, neque tam in ſupplicis gratiam, quam ſuo regnique bono ab ipſis ſuſceptam. Agere pro egregia illa voluntate gratias, et ſuam viciſſim illis pari affectu deferre. Ceterum illos ſcire velle, Bullionium gravioribus quam ipſi rentur, criminibus onerari; quorum perſecutionem benignitate ſibi inſita hactenus intermiſerit, ut deliberandi ſpatium poſtulato reo concederet. Duas illi vias ab ſe propoſitas, aut purgandi ſe in jure, aut ſuppliciter veniae a regia clementia petendae; utrum velit, eligere illi liberum et adhuc integrum eſſe; et utrum elegerit, neque defuturam in jure aequitatem, neque in gratia ſua indulgentiam. Neutrum adhuc feciſſe Bullionium, ſed contumacia et tergiverſatione, dum benignitatem ſuam ſubterfugit, criminum objectorum ſuſpicionem auxiſſe, quaſi conſcientia terrente, neque judicum conſeſſum, neque regium aſpectum ferre poſſit: proinde deprecationi ipſorum, quod aliis in rebus ſemper libentiſſime ſit facturus, pro tempore ſatisfacere non poſſe; ita tamen ut intelligant, quandocunque Bullionius, ſicuti debet, juſtitiam regis aut clementiam imploraverit, ab utraque paratum illi ſolatium et praeſidium fore.

IX. Nec multo poſt, inſtantibus Jeſuiticae ſocietatis collegis, atque inprimis Petro [c] Cotono, qui in comitatu regis aſſiduus erat, de abolendo monumento, non tam

INTERPR. [a] *cantons de Zurich, Berne, Baſle, & Schaffhouſe.* [b] *le duc de Bouillon.* [c] *le pere Coton.*

tam contra [a] Caſtellum paricidam, quam contra ſocietatem, ut ipſi aiebant, in palatii majore porta erecto, actum eſt. Aedibus Caſtelli patris dirutis, ſicuti ſenatus decreverat, in area pyramis poſita fuerat, inter IV virginum effigies ab excellentibus artificibus ſculptas, praealta baſi, in cujus tribus lateribus inſcriptiones erant pro criminis deteſtatione et regis ſecuritate poſitae: in quarto ſenatus-conſultum inſcriptum erat, quo et paricidae condemnatio continebatur, qualem ſuo loco diximus, et ſocietas toto regno exterminabatur. Quin tabula illa marmorea, in qua ſenatus-conſultum inſcriptum erat, tolli deberet, reſtituta ſocietate, nemo dubitabat; ſed monumentum illud in memoriam deteſtandi paricidii, et ad ſecuritatem publicam poſitum, in quo nihil ſculptum aut ſcriptum erat, quod ad ſocietatis dedecus ſpectaret, quin conſervari deberet, inter aequos rei aeſtimatores minime ambigebatur. Et profecto invidioſum videbatur, ut contra fieret, petere, nec periculo carebat. Nam monumento ſecuritatis publicae ſublato, tolli una et ſecuritatem. Sublata autem illa, quid ſupereſſe, niſi ut qui bono regis regnique reſtituti videri volebant, ſi quid rurſus tale accideret, exitio et everſioni ejus cauſam dediſſe dici poſſent? ſic enim tunc jactabatur, ſciſſis diverſo adfectu animis. Tamen qui contra tendebant, nihil invidia et periculo territi, de monumento funditus abolendo pertinaciter certabant. Nam poſt ſublatam tabulam, remanente pyramide, memoriam ſenatus-conſulti conſervari, ut quoties tranſeuntes eam viderent, toties decreti contra ſocietatem facti recordarentur. Id cum pollentibus in aula perſuaſum eſſet, tentari placuit, an ſenatus ipſe id ſua auctoritate decreturus eſſet; et cum vocatis curiae praeſidibus et triumviris regiis a Bellevreo cancellario regis nomine res in deliberationem adducta eſſet, comperto vix ſenatum aſſenſurum, tandem decretum, ut id auctoritate regia fieret; et initio opportunius viſum, ut noctu pyramis feſtinatis operibus transferretur, ne interdiu quid tumultus per licentiam interveniret. Verum rurſus interceſſit Cotonus, et Henricum IV lucis non tenebrarum regem eſſe fidenter pronunciavit. Itaque per otium, Maio menſe, in media luce deſtructa pyramis; et a curioſis obſervatum eſt, virginem, quae Juſtitiam referebat, primam ſublatam fuiſſe, quaſi Juſtitiam tolli prius neceſſe eſſet, quam ſalutis regiae monumentum dirueretur. In eam rem varia et licentioſa ſcripta vulgata, quibus lapis mutus loqui, et plus de bonitate ac clementia, quam de crudelitate ac ſaevitia conqueri fingebatur, ut qui per Juſtitiam erectus fuerat, per miſericordiam ſterneretur. Multa in Cotonum jactata, multa in Hiſpanienſem factionem, quae per Francici nominis ruinam ad orbis Chriſtiani imperium aſpirabat. Aculeati et verſus per manus volitabant, quibus rex monebatur, ad abolendam Caſtelli paricidae memoriam oportere, ut dens ictu cultri excuſſus ante omnia reſtitueretur. Addita erant et mali ominis verba, quaſi quantum in ſodalitii illius gratiam elargiretur, tantum ſecuritati ſuae detraheretur. Sane eodem exeunte anno, cum rex a venatu in urbem rediens, per Pontem novum iter haberet, dilabente ſub veſperam comitatu, homo ignotus nomine Joannes Inſulanus, domo [b] Silvanectenſis, pallio involutum apprehendit, et vi attractum in tergum equi reſupinat: ſed concurſu pediſſequorum regiorum facto diſturbatus ac pugnis contuſus, (nam rex occidi eum vetuerat) in carcerem ſtatim ductus eſt. Is etſi cultrum in caligis habere deprehenſus eſſet, pro furioſo habitus, non alia quam carceris, in quo aliquanto poſt obiit, poena mulctatus eſt. Poſtea cum figura pyramidis cum inſcriptionibus in aes inciſa, etiam diu poſt demolitionem venalis proſtaret, eamque habendi deſiderium, ut fit, per prohibitionem creſceret, diligenter perveſtigata juſſu regis coelata tabula, ac vix tandem paucis diebus antequam deteſtando paricidio vitam finiret, reperta ac [α] ſuppreſſa eſt. Sublata pyramide a Franciſco [c] Myrono praetore Pariſienſi,

VAR. LECT. [α] ſuppreſſa eſt, gratiae et indulgentiae nuſquam fine niſi per mortem facto. Sublata *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Chaſtel.* [b] *de Senlis.* [c] *Myron lieutenant civil.*

Pariſienſi, in area loco ejus caſtellum ſtructum, in quod per formas aqua publica derivata eſt.

X. CAROLUS [a] Borbonius Sueſſio regis patruelis ante quadriennium Annam [b] Montaferiam in uxorem duxerat, Janae [c] Coëmiae Franciſci Borbonii Contii fratris [d] uxoris filiam; et defuncta ejus matre, Franciſcum fratrem coelibem manere, quam de ſecundis nuptiis cogitare malebat. Ita in aula jactabatur. Contius interim oculos in Aloiſiam Lotharingam Guiſii ſororem conjecerat, cum qua nuptias, annitente rege, cui contrarium Sueſſionis votum diſplicebat, et Catharina [e] Clivia Aloiſiae parente, quae grandem dotem ipſi de ſuo attribuit, Quintili proximo contraxit; non ſine occulta non Sueſſionis ſolum, ſed etiam Monpenſerii moderatiſſimi principis murmuratione. Proximo menſe Margarita regina, quae poſt diſſolutas cum rege nuptias, in Arvernis remanſerat, [f] Uſſona arce, in qua et [g] Carlatenſi tam diu fuerat, relicta, Lutetiam venit, et in Bolonienſi ſaltu tertio ab urbe lapide ad [h] Madritianum caſtrum a rege attributum, ſedem initio fixit; deinde et [i] Senonenſeis aedeis in urbe conduxit, ex quibus ob caedem in iis patratam tanquam infauſtis, ad Sangermanum ſuburbium migravit; et aedeis ſumptuoſas cum ampliſſimis viridariis inchoavit potius quam exſtruxit, ibique quanquam extra aulam poſita, tamen tanquam in luce aulae, in qua educata fuerat, vitam reliquam exegit.

XI. SUB id rex, multis ex locis dum tot deprecatores pro [k] Bullionio interveniunt, monitus, res novas eum per amicos in [l] Cadurcis, Lemovicibus, Petrocoriis movere; atque inprimis ex delatione Belini ordinum ductoris, jam tum omnia ad [m] Sedani, quo ſe ex Germania receperat Bullionius, obſidionem parat; interimque in remotis illis Aquitaniae provinciis, ne quid tumultus exoriretur, eo quamprimum proficiſci ſtatuit Sextili deſinente, praemiſſo Eſpernonio cum levis armaturae turmis, et aliquot legionibus: et ex profectionis illius occaſione Bellevreus cancellarius, qui jam ſucceſſorem deſignatum habebat, cum [n] Caeſarodunum Turonum uſque veniſſet, ſe primaria adminiſtratione abdicare, et Nic. Brularto Sillerio ſigilla tradere coactus eſt, magno ſuo cum dolore, quae ille pari laetitia accepit. Rex armata pompa [o] Ratiaſtum Lemovicum metropolim ingreſſus eſt Octobri exeunte, urbem antiquae frugalitatis et caſtimoniae, mercimonio et parſimonia opulentam, ex qua CC adoleſcentes egregie ornati obviam in equis generoſis prodierunt, et per juvenculam formoſam claveis regi in obſequioſae ſubjectionis ſignum obtulerunt. In itinere largo imbre perfuſi, quod aulicis noſtris riſus materiam praebuit: auxit riſum objecta regi per arcus opere tumultuario fabrefactos ingredienti tutelaris genii inconcinne efficta effigies; parte ſuperiore vir galea armatus, inferiore foemina, virgato ſagulo matronali, eoque detrito ad tegenda crura ruſtica appoſito. Rex nobilitatem ex circumpoſitis provinciis undique confluentem, graviter et amice compellavit, et praeſentia ſua motus ubique gliſcenteis compoſuit, Joanni Jacobo [p] Memmio Roiſſio e ſuo conſiſtorio aſſeſſori mandato dato, ut probationes jam confectas inſpiceret, novas inſtrueret, et de poſtulatorum criminibus cognoſceret. Auditi teſtes primum a Pomponio [q] Bellevreo cancellario, et Nic. [r] Brularto procancellario [s] Aureliani, Bloeſis, et Caeſaroduni Turonum, ubi ſubſtitit Bellevreus: auditi et in Cadurcis a Raimondo [t] Vertolio Foliaceo libellorum ſupplicum magiſtro, Bertrandus, Ivo, et Raimundus [v] Soignaci fratres Bellocaſtelli dicti, Baltazar [w] Sollierius [x] Vivantii turmae equitum ſignifer, et Joannes [y] Blanchardus, cui poſſeſſionum Bullionii in Arvernis procuratio commiſſa erat, Bertrandus [z] Grezeus Thonius, qui poſt diſceſſum

e

INTERPR. [a] *de Bourbon comte de Soiſſons.* [b] *de Montaſier.* [c] *de Coëme.* [d] *la princeſse de Conti.* [e] *de Cleves ducheſſe de Guiſe.* [f] *Uſſon en Auvergne.* [g] *Carlat.* [h] *Madrid au bois de Boulogne.* [i] *hôtel de Sens.* [k] *le duc de Bouillon.* [l] *Quercy, Limouſin, & Perigort.* [m] *Sedan.* [n] *Tours.* [o] *Limoges.* [p] *de Meſmes Sr. de Roiſſy.* [q] *de Bellievre.* [r] *Brulart de Sillery garde des Sceaux.* [s] *Orleans, Blois, & Tours.* [t] *de Vertueil Sr. de Feuillas.* [v] *de Soignac de Belcaſtel.* [w] *de la Souliere Sr. de Bremarigues.* [x] *le Sr. de Vivants.* [y] *de Blanchart.* [z] *de la Greze Sr. de Thon.*

e regno Bullionii de [a] Burdigala ab amicis illius intercipienda initum conſilium eſſe affirmabant; eaque de re cum [b] Barra actum, vicario [c] Scarſii Mervillae in [d] Farenſi arce; et [e] Vallignium Bullionii e nobilibus domeſticum conſilii participem feciſſe Claudium Tremollium; ob idque paulo ante arx illa, quae in urbe eſt, juſſu regis demolita fuerat. Expeditionis duces erant Joannes [f] Chaſſinus Sarlatenſis ordinum ductor, et [g] Fondonerius Domenſis; qui et idem poſtea Sarlatum et [h] Gordonium in Petrocoriis tentaturi erant, a Petro [i] Rignaco et Gedeone [k] Vaſſignaco, praecipuis Bullionii emiſſariis, qui [l] Monfortii et Turenae primarias illius arces tenebant, ſubornati: etiam diſtributa inter eos pecunia, quam ad majorem invidiam Hiſpania ſummiſſam quidam teſtes aiebant; alii ex Bullionii poſſeſſionum, quas in Aquitania ampliſſimas habet, colonis collectam, et inter alios Joanni Vido [m] Tajaco IƆC aureos, qui per nobilium domos clam diſcurſabat, et promiſſis ac prenſationibus quos poterat amicos Bullionio conciliabat. Pro illecebra proponebatur Bironi nuper ſupplicio indigne, ut aiebant, affecti ultio; quae morte [n] Lafinii deteſtandi proditoris expiari debebat: quo facto ad altiora conſilia Bullionium tranſiturum, et publicae libertatis, quam aulici, et cum ea nobilitatem univerſam Gallicam oppreſſum ibant, futurum vindicem. Tajacum autem Jacobum Vezinum Charrium Lugognacum Sedanum, quo Bullionius jam ex Germania venerat, miſiſſe, et per eum Joannis Caroli [o] Carbonarii Capella-Bironii, [p] Pompadorei, Capo-Botonii Bironi fratris, Marci [q] Cugnaci Giverzaci, aliorum, operam detuliſſe; et Capella-Bironium quidem et Pompadoreum IV CIƆ peditum et IƆ equites ſcripturos, et IV bellicas machinas cum apparatu ſubminiſtraturos, Giverzacum alteros IƆ equites, qui propterea IƆ aureos a Tajaco acceperat; Joannem [r] Sudrium Calveracum CIƆ pedites. Raimondus [s] Soignacus Foſſacus et fratres ejus pro [t] Ampiaco ſpondebant, in armis eum cum amicis paratum fore; Capella-Bironius [v] Villam-novam in Aginnenſi agro, Tajacus et Giverzacus [w] Divonam Cadurcorum, Rignacus et Vaſſignacus [x] Uzarchium et Brivatum in Lemovicibus intercipiendum ſuſceperant. His ſe adjunxerat Paulus [y] Camargus Pegadus, vicarius [z] Lamorelli in Campana legione. Actum et interventu [aa] Caſtrogaiae famoſae in Arvernis viraginis cum Carolo [bb] Valeſio Arvernorum comite, ut clam ſubminiſtraret C e nobilitate et CIƆ pedites; et ille arces et oppida ſuae ditionis Bullionio offerebat; et per ſuos [cc] Rigomagum et Claromontium traditurus erat: ſed cum ſub id regis juſſu captus eſſet, conſilia cum eo inita evanuerunt. In id conventum ſecretum [dd] Salae in Petrocoriis ad Duranium Maio proximo habitum, aiebant teſtes, in quo majores vero vires Bullionii fingebantur, ut conjurationi favor conciliaretur, illum in armis brevi habiturum XL CIƆ, et C aureorum CIƆ ad ſtipendium parata; mox et Hiſpanos inde, inde Anglos, quorum reges rei conſcii ſunt, et pleroſque e Germaniae principibus arma auxiliaria conjuncturos. Secundum haec eos qui aderant, ſacramento in Bullionii verba a Rignaco et Vaſſignaco adactos, in ſpeciem pro libertate publica, cujus praetextu et nuper in conventu Proteſtantium Bergeraci in eadem provincia celebrato multorum fidem ſollicitaverant: ceterum Capo-Botonium Bironi defuncti fratrem ſe excuſaſſe, matris, cui obedire malebat, imperia contraria cauſantem. Haec praecipua accuſationis capita erant, hac probationes; ob quas capti Sudrius Calveracus, Paulus Camargus Pegadus, Ludovicus

INTERPR. [a] *Bourdeaux.* [b] *la Barre.* [c] *le Sr. de Merville de la maiſon d'Eſcars.* [d] *chateau de Ha.* [e] *Valigny ecuyer du duc de Bouillon.* [f] *le capitaine Chaſſaing de Sarlat.* [g] *Fondonnieres de Domme en Perigort.* [h] *Gourdon.* [i] *de Rignac.* [k] *de Vaſſignac.* [l] *Monfort & Turenne.* [m] *Guy de Tayac.* [n] *de la Fin.* [o] *de Carbonnieres Sr. de la Chappelle Biron.* [p] *de Pompadour, & de Chef Boutonne.* [q] *de Cugnac Sr. de Giverſac.* [r] *de Sudrie Sr. de Calveyrac.* [s] *de Soignac Sr. de Fouſſac.* [t] *le Sr. d'Ampiac.* [v] *Villeneufve d'Agenois.* [w] *Cahors.* [x] *Uzarche & Brives en Limouſin.* [y] *de Camargue dit de Pegadou.* [z] *la Morelie.* [aa] *la dame de Chaſteauguay.* [bb] *de Valois comte d'Auvergne.* [cc] *Riom & Clermont.* [dd] *Salles en Perigort ſur la Dordogne.*

CIƆ IƆCV.
HENRICUS IV.

Ludovicus [a] Reginaldus Gripellus Olliergii praefectus, [b] Chaſſinus Sarlatenſis et Mathelinus Sudrius; ceteri fuga dilapſi ſunt, pars in Hiſpaniam, alii in Germaniam, quod non mediocriter Bullionium oneravit. Interrogati qui capti fuerant a [c] Memmio coram x praeſidialis tribunalis aſſeſſoribus, et ſcripto ac teſtibus convicti, laeſae majeſtatis rei pronunciantur: et primo ad mulctam ignominioſam damnati, fune ad collum alligato, nudi et taedam accenſam praeferentes, veniam a Deo, a rege, a Juſtitia de geniculis petere jubentur; inde appenſo inſuper ad collum elogio, quo proditores declarabantur, ad plateam publicam ducuntur, et capite truncantur; corpora flammis conſumpta, et cineres in aërem ſparſi. Capita haſtis ſuffixa ad urbis portas ſtatuuntur. Ante ſupplicium ad ampliorem confeſſionem ad complices ac conſcios nominandos, pro more torti, ad ea, quae interrogati in jure reſponderant, nihil adjecerunt. Id actum extremo anno XVII Kal. Januarias. Eodem die in abſentes tanquam contumaces lata ſententia, et [d] Capella Bironius, [e] Giverzacus, Tajacus, [f] Vezinus Lugognacus, Vaſſignacus, et Rignacus, ob eadem crimina ad eandem, qua ſuperiores, poenam damnantur: additum in odium contumaciae, ut arces in quibus domicilium habebant, ſolo aequarentur, filii eorum ignobiles, et indigni qui dignitates et honores in regno gererent, declarantur. [g] Capo-Botonius Bironi frater, quod teſtium fide a factione alienus fuiſſe probaretur, et [h] Pompadoreus ob dignitatem familiae judicio exemptus, qui tamen ſibi metuens, cum Capella-Bironio in Hiſpaniam aufugiſſe dicebatur.

XII. REX antea, relictis in Provincia aliquot legionibus, Memmio ac judicibus, ſi opus eſſet, praeſto futuris, cum [i] Eſpernonio Lutetiam citatis itineribus redierat, ubi fere eodem tempore quaſi indiſſolutam conjurationum catenam denuo ſemper necti neceſſe eſſet, de nova, non minus ceteris pernicioſa, et ab iiſdem Hiſpanis recocta, ad ipſum allatum fuit. Erat in aula [k] Provincialis nobilitatis nomine [l] Ludovicus a Lagonia Merargius, qui arcta cognatione [m] Saltus comites contingebat; et ut illi, a Cataloniae ſive Aragoniae principibus, unde et ſuum nomen detortum dicebat, haud dubia fide originem ſuam repetebat. Is aut ſolicitatus, aut ultro ſuam fidem Hiſpanis addixerat, et de [n] Maſſilia in Provincia proditione tradenda ſpem fecerat; ea de re jam aliquoties cum Baltazare [o] Sunica Philippico oratore egerat; et ut ſuſpicio omnis tolleretur, non tam inter eos, ſed cum [p] Brunello quodam homine Belga, qui Sunicae ab epiſtolis erat, res gerebatur. Notato loco et tempore per [q] Varanum, [r] Defuntio ſuccincto quaeſitori Nonis Decembribus negotium datur, ut Merargium comprehenderet, et ad forum epiſcopi captum adduceret. Ipſum vero et ſcrinia ejus ante omnia diligenter ſcrutaretur. Captus cum Brunello, dum ambo colloquuntur, Merargius; et dum Brunellum ipſum eadem diligentia ſcrutatur Defuntius, in tibiali ad ligamen charta reperta Hiſpano idiomate, Brunelli manu ſcripta, cujus lectione ſuſpicio confirmabatur. Ii primum a Joanne [s] Thumerio Boſſiſio et Petro [t] Janino ſacri conſiſtorii aſſeſſoribus interrogati, poſtea diplomate regio ad ſenatum cum confeſſionibus remiſſi ſunt. Inde ortae inter Regem et Sunicam, qui Brunellum ſibi reddi poſtulabat, peracerbae altercationes; cum ille externorum principum privilegia, atque adeo jus gentium violari contenderet, capto et in jure interrogato oratoris externi domeſtico; rex nihil ea in re actum, aut porro factum iri reſponderet, quo privilegia legatorum violata, aut ullo pacto labefactata merito dici poſſint: nam ſacroſanctas legatorum perſonas minime inficiari, ſed praerogativae tantae tacitam conditionem

INTERPR. [a] *Regnaut Sr. du Gripel capitaine d'Oliergue.* [b] *Chaſſaing de Sarlat, & Mathelin de la Sudrie.* [c] *le Sr. de Meſmes conſeiller au preſidial de Limoges.* [d] *le Sr. de la Chapelle-Biron.* [e] *de Giverſac & de Tayac.* [f] *de Vezins Sr. de Lugagnac.* [g] *de Chef-boutonne.* [h] *de Pompadour.* [i] *le duc d'Eſpernon.* [k] *nobleſſe de Provence.* [l] *Louis de Lagonia Sr., de Merargues. Mezeray l'appelle Jean d'Allagon de Merargues.* [m] *les comtes de Sault.* [n] *Marſeille en Provence.* [o] *de Zuniga.* [p] *Bruneau.* [q] *Fouquet Sr. de la Varenne.* [r] *Defuntis lieutenant criminel de robbe courte.* [s] *Thumery Sr. de Boiſſiſe.* [t] *Jeannin.*

conditionem annexam, modo nihil faciant, quod regibus, apud quos ſpecie amicitiae degunt, aut eorum ditionibus periculum aut perniciem creare poſſit. Heic Sunica, qui factum excuſari honeſte non poſſe cerneret, eo omiſſo, ad exprobrationes converſus; atqui ſi liberum eſſet regi milite, pecunia, machinis, et apparatu bellico perduelleis contra principem ſuum et Archiduces juvare, non debere mirari ſuam majeſtatem, ſi ſibi licere putaverit, ſubditis ejus aures praebere, qui ſuam operam principi et Archiducibus ultro nec rogati deferebant: tantum autem cum Merargio actum de conditionibus, quibus ille in Flandriam migrare, et Archiducibus operam addicere apud animum ſuum conſtituiſſe aiebat. Nec moleſte ferre debere majeſtatem ſuam, ſi potius ille Archiducibus quam perduellibus inſervire voluerit; praeſertim cum illi ſint Catholici, hi non ſolum perduelles, verum etiam noſtrae religionis hoſtes. Praeterea ſuam majeſtatem poſt pacificationem ultimam multa contra Archiducum urbes molitam, multa et in Hiſpania contra regem ſuum, ſolicitatis Mauriſcis, ut bellum in Aragonia et Catalonia excitarent; ſicuti ex eorum, qui propterea ſupplicio affecti ſunt, confeſſionibus amplius conſtabat. Apud Archiduces, et nuper [a] Boderium, cum regii oratoris munere defungeretur, cum comitibus Bergenſibus egiſſe, ut ad regis partes tranſirent, et amanuenſem quendam pecunia oblata tentatum. Tamen haec omnia regem ſuum et Archiduces diſſimulaſſe, neque de iis apud majeſtatem ſuam oratores ſuos expoſtulaſſe, aut injuriam ſibi illatam reſarciri petiiſſe. Hanc unam a ſua majeſtate deprecari, et per jus legatorum inviolabile obteſtari, ut ſibi amanuenſis ſuus reddatur; alioqui de injuria longe maxima, et regi ſuo minime ferenda, coram orbe Chriſtiano proteſtari. Quibus auditis rex commotior aliquid ſibi reſpondendum duxit. Poſt pacificationem [b] Vervinienſem Philippicos oratores ſic ſecum egiſſe, ut de bona principis ſui voluntate et fida amicitia merito dubitare debuerit. Itaque minime ſibi deſerendos cenſuiſſe, quos perduelleis vocant; ſed aequum et dignum judicaſſe, a quibus, cum ab Hiſpanis peteretur, milite et pecunia adjutus fuerat, iiſdem tam neceſſario tempore ſubvenire, et bona fide quod ab iis acceperat, repoſcentibus reddere. Eos vero, quos invidioſo adeo nomine perduelleis vocat, ex rebellione in legitimam potentiam excreviſſe; ſed quod doleant Hiſpani, ſibi ipſis et improbo alieni invadendi deſiderio imputare debere; quippe Franco-Gallici imperii armis quaerendi vana ſomniatione deceptos, omiſſo Belgio, et per ducum abſentiam ad hoſtium impetus expoſito, dum contra Franciam omne exercituum robur convertunt, Batavis fineis ſuos propagandi ac rempublicam per otium ordinandi facultatem dediſſe; ut non jam rebelles dici, ſed legitimo Ordinum nomine gloriari poſſint; et apud vicinos principes non ſolum in Francia, verum in Germania, atque adeo in Italia per oratores ſuos amicitiae et pacis commercia exerceant. Proinde neque ſe pati debuiſſe, ut ſub jugum Hiſpanum mitterentur, eorumque incolumitatem propterea ſibi praecipuae curae fuiſſe. Neque tamen eos aut machinis aut apparatu bellico, quod ille immerito conqueratur, juviſſe; ſed pleroſque e ſuis ſubditis otii domeſtici impatienteis, et militiae cupidos, in Bataviam profectos, ſicuti et nonnullos apud Archiduces, alios et in Hungariam, tranſiiſſe. Scire ſe bellum in Belgio non religionis cauſa geri; ſed ad injuſtam imperii amplificationem, religionis larvam praetendi: veteratorias artes illas pridem detracta perſona exoleviſſe, et conſilia fraudulentam ambitionem celantia omnibus patere, ut jam pueri ea rideant, nec ſe homines his praeſtigiis praeoccupari, ſicuti olim accidit, aut faſcinari ſinant amplius. Cum ſerio pro religione Catholica arma capientur, Franciae regem ante alios omneis, quemadmodum ſemper antea fecit, ſignis explicatis compariturum. Verum Hiſpanos a tempore ultimae pacificationis, id unum egiſſe aſtu et occultis molitionibus, ut ſubditos ſuos ſuperiorum bellorum licentia ab obſequio

INTERPR. [a] *la Boderie.* [b] *de Vervins.*

CIƆIƆCV. obſequio devios ad rebellionem ſolicitarent. Ita Bironi fidem ſolicitatam, et ad extremum infractam; id [a]Arvernorum comitis, principis [b]Jonvillani, [c]Entraguii, ducis [d]Bullionii recentibus exemplis conſtare; atque adeo hujus, de quo nunc agitur, [e]Merargii deteſtando facinore. Id jam Joannem Taxim, dum in Francia fuit; idem ſuos deceſſores jampridem feciſſe. Quod ut excuſent, et par pari ſe referre oſtendant, a pleriſque eorum, quos ob alia crimina morti addixere, violentis tormentis falſas confeſſiones extorſiſſe, ut haberent, quotiens in ipſo furto deprehenſi eſſent, quod maligna falſitate a ſe excogitatum contra veritatem opponerent. Id cum videret Rex, neque bona fide Hiſpanos ſecum agere, eorum conſilia, molitiones, itus, reditus, diligenter obſervari juſſiſſe, ut eorum conjurationes ac conſpirationes devitaret, et periculo in tempore praevorteret. Ita ſolicitatum illum, quem dicit, amannenſem. Itaque viciſſim noluiſſe Hoſtae ab iis corrupti memoriam refricare: nam quod ad Bergenſeis comites ſpectat, eos tanquam liberos et natalium neceſſitate minime Archiducibus obnoxios, in Germania nempe natos, per oratores ſuos rogatos, ut ſibi operam ſuam addicerent, honorificis oblatis conditionibus; idque exiſtimaſſe ſibi ſalva pace et amicitia licuiſſe. Sed non ulterius ſuos in eo negotio progreſſos eſſe, ut de proditione contra fidem utrinque juratam cum ullo agerent. Atqui [f]Perpiniani in Ruſcinonenſi comitatu praefectum cum Lugaſſiis fratribus de [g]Narbona et Biterris in Septimania prodendis conſilia ſecreta agitaſſe, et non ſolum ad conſilia principum exploranda, quod oratoribus licet, ſed ad ſubverſionem imperii renovatas antiquas in regno factiones; et nunc id agere Hiſpanos, ut ſibi generique ſuo et nomini Francico perniciem, ſi poſſunt, violatis juribus divinis et humanis machinentur: verum Dei benignitate conatus eorum hactenus irritos cecidiſſe. Dicentem interfatus Sunica, meliori fide Anglicanum regem, quamvis a Catholica religione alienum, cum rege ſuo, quantum ad Belgii res pertinet, quam majeſtatem ſuam agere, non caruit reſponſo; cum rex ſe prius ab Hiſpanis inſigni et multoties repetita injuria laceſſitum diceret; neque mirum videri debere, ſi qua menſura aliis menſi ſunt, eadem illi recipiant: ceterum omiſſis his exprobrationibus, Philippum, ſi deinceps bona fide per miniſtros ſuos ſecum agere inſtituat, eandem bonam fidem in ſe ac miniſtris ſuis minime requiſiturum. Cum urgeret nihilominus Sunica, ut poſthabita omni alia ratione Brunellus libertati reſtitueretur, et ſibi redderetur; rex ad extremum reſpondit, poſtquam de re omni abunde inſtructus fuerit, quod juſtum et aequum, et oratorum dignitati ac ſuae conſentaneum cenſuerit, facturum. Secundum haec, commiſſi inter ſe Merargius et [h]Brunellus, et non de profectione tantum in Belgium, inter ſe colloquiis, ſed etiam de [i]Maſſilia prodenda actum eſſe uterque confeſſus eſt. Itaque denuo ipſe in ſenatu coram judicibus interrogatus Merargius, cum fruſtra ſe excuſaret, et ſe ab Hiſpanis quidem ſolicitatum, ceterum nequaquam aſſenſum praebuiſſe diceret, in crimen laeſae majeſtatis et proditionis incurriſſe pronunciatur, et XIV Kal. Januar. pegmate in [k]Portuenſi platea erecto, ſecuri percuſſus eſt. Corpus in quatuor partes ſectum, et totidem palis affixa membra. Caput Maſſiliam perlatum, et in majore urbis porta haſtae ſuffigi juſſum, bona fiſco addicta, IV aureorum CIƆ ex iis detractis, in urbis Maſſiliae munitionem expendendis. In eundem diem Merargii ſupplicium incidit, quo Inſulanus ille fanaticus, de quo modo dixi, in Ponte novo regem interficere aggreſſus eſt. Poſtea Brunellus Sunicae repoſcenti redditus.

HENRICUS IV.

XIII. Rex inter haec rebus domeſticis ordinandis intentus, de grandi [l]aere alieno, quod a [m]Pariſienſi tribunali, et ut vulgo loquimur, a [n]Mercatorum praefecto et urbis aedilibus

INTERPR. [a] *le comte de Auvergne.* [b] *le prince de Joinville.* [c] *le Sr. d'Entragues.* [d] *le duc de Bouillon.* [e] *le Sr. de Merargues.* [f] *Perpignan en Rouſſillon.* [g] *Narbonne & Beziers en Languedoc.* [h] *le Sr. Bruneau.* [i] *Marſeille.* [k] *la Greve.* [l] *rentes.* [m] *hoſtel de ville.* [n] *Prevoſt des Marchands & Eſchevins.*

aedilibus debetur, diſſolvendo, a [a] Ronio perſuaſus ſerio cogitabat. Ex ſacro patrimonio oppignerato partim vectigalia illa annua privatis ſolvuntur, partim ex regiis teloniis et capitali tributo; quae ſi aut luerentur, aut amplius, ſi quid vitii per aulicorum avaritiam in iis peccatum eſſet, diſcuteretur, magnum inde regi regnoque levamentum afferri procul dubio erat. Itaque jampridem ad id delegati fuerant Jacobus Auguſtus Thuanus Pariſienſis ſenatus, et Sofredus [b] Calignonus Gratianopolitani, praeſides, cum Joanne [c] Nicolao Rationalium primario praeſide, Matthaeus [d] Jordanus ſenator, [e] Eſcuierius ex Rationalium curia, [f] Craſſus theſaurarius; qui in Rationalium camera convenirent, et excuſſis ejus archivis vectigalium illorum prima initia, et ſi quid vitio factum eſſet, diligenter annotarent; quod per totum triennium ſedulo factum, nemine tunc fremente. Sed poſtquam ex conſiſtorio principis novi delegati negotio praepoſiti ſunt, quaſi regis conſilium eſſet, non ſolum origines inſtitutorum vectigalium excutere, ſed ob vitia quaedam in quibuſdam admiſſa, ad modum univerſa cum privatorum detrimento contrahere, tunc murmura paſſim audiri, et per urbem coitiones fieri. Franciſcus [g] Miro tunc mercatorum praefecti officio fungebatur, qui cum delegatis rationes ad luendum grande aes illud alienum a diverſis propoſitas examinabat; qui ubi vidit, id agi, non ut debita antiqua diſſolverentur, ſed ut vectigalia annua aut omnino abolerentur, aut ad modum, qui nunc in uſuris regio edicto conſtitutus eſt, contraherentur, ab eo conventu ſe ſubduxit, plebis querimonias per urbem ſeditioni propiores cauſatus, et x Kal. Maias, ſi ulterius pergerent, proteſtatus eſt, et ad regem, qui ad [h] Fontem-blaudi erat, ut factum excuſaret, diligenter ſcripſit. Poſtea et urbis nomine Gaſto [i] Griaeus ſenator Pariſienſis ſupplicatione apud regem interceſſit, hac maxime ratione, quod quantum vectigalium annuorum diſſolutione emolumenti in regem et rempublicam, tantum ex reſectione ſive principalis ſummae ſive annui reditus incommodi ad privatos, periculi ad univerſos, redundaret. Rex ſuccenſentis vultu ſupplicationem accepit, et cum regni et ſubditorum bono delegationem factam diceret, adjecit ſe judicem in ea cauſa tanquam parentem communem ſedere, nec niſi jure quicquam facere ab initio apud animum ſuum conſtituiſſe. Singulos ſua tantum aut amicorum ac cognatorum reſpicere: ſe univerſi regni curas ac ſolicitudinem pectore complecti, ejuſque bono vel detrimento affici; charitate non vulgari, quae ſingulorum vota ac deſideria longe ſuperet. Griaeus, et qui cum eo venerant, juſſi rationes libello ſupplici comprehenſas conſiſtorio exhibere: iis lectis ac diſcuſſis, regii reſponſi per Sillerium procancellarium haec ſumma fuit; Non aliam regis mentem fuiſſe, quam ut juris via toties agitatum de vectigalibus annuis negotium diſceptaretur, neque aliter quenquam credere debuiſſe, ut in bellis praeſentiam animi et conſtantem virtutem, ita pace maturam prudentiam in tractandis negotiis ſuam majeſtatem adhibuiſſe; quod fecerit, bono regni univerſi, quo ſingulorum ſalus haud dubio continetur, feciſſe. Dolere ipſi, quod rationes illorum diſſolvendorum a ſacri conſiſtorii aſſeſſoribus propoſitae, ab urbano magiſtratu probatae non fuerint. Quanquam ipſe melius ſciat, quid ſuis expediat, nolle tamen illos, ad id quod publicam utilitatem reſpicit amplectendum cogere, ac proinde indeciſum negotium relinquere, procedentibus ex vetere inſtituto per ſingulos anni quadrantes in poſterum vectigalibus. Cum apud ſe mature perpenderint, quam prudenter et pio in cunctos affectu id ab initio rex decreverit, ſi reſipiſcant, et ſuam majeſtatem ſupplices adeant, ad eorum aequas petitiones attendere ipſam ſemper paratam fore, et ad tantum beneficium munificentiam ſuam minime defuturam. Inde poſt commutatos utrinque ſuper eo negotio varios

INTERPR. [a] *le Marquis de Roſny.* [b] *de Calignon preſident au parlement de Grenoble.* [c] *Nicolai premier preſident de la Chambre des comptes.* [d] *Jourdain.* [e] *l'Eſcuyer maiſtre des comptes.* [f] *le Gras treſorier de France.* [g] *Miron.* [h] *Fontainebleau.* [i] *de Grieux conſeiller.*

varios ſermones, cum bonae voluntatis ſignificatione, ſic enim rebus ſuis prudentiſſimus princeps expedire judicabat, Griacus quaſi re bene geſta Lutetiam repetiit, et tumultus ex ea occaſione in urbe exortos adventu ſuo compeſcuit.

XIV. Hanc moleſtiam alia nova mox excepit, ex ſolemni ſacri ordinis [a] conventu in urbe apud Auguſtinianos fratres Maio proximo celebrato, nata, et repetitis praeſulum alieno tempore poſtulatis. Hieronymus [b] Villarius archiepiſcopus Viennenſis coram cardinali a [c] Jouſa aliiſque praeſulibus pro ſacro ordine Nonis Decembribus verba fecit, et moleſte ſibi ac univerſo ordini accidiſſe dicit, ut cui pacem, quietem, ac ſecuritatem cuncti debent, ejus animum curis publicis fatigatum, querimoniis ſuis quamlibet juſtis interpellent. Querebantur de ſenio, marcore, conculcata eccleſiae Gallicanae dignitate, quae in vere ſuo olim praecipuus coronae regiae flos fuerat, et ſupra cedros Libani glorioſum caput efferebat, nunc ad ludibrium expoſita ſit, per vexationes, diſciplinae lapſum, nundinationes pudendas, in ſacerdotiis fiducias, penſionum laicarum onera, pactiones illicitas et jure damnatas, frequenteis ab abuſu appellationes, bellorum ultimorum vim ac violentiam, adeo ut in ortu quo florere debuerat, quaſi jam ad occaſum pervenerit, deplorando fine praecipitium minetur. In cauſa eſſe dilatam concilii Tridentini toties efflagitatam promulgationem, cui deceſſorum regum oratores cum fidem obligaverint, ſuae majeſtatis et fidem tacite obligatam intelligi. Siccine regna terreſtria, aiebat, quae tanquam elementa ſunt, ab aſpectu et dulci inſpiratione eccleſiae, quae mundus noſter coeleſtis eſt, contumaci praevaricatione ſe ſubducant? Siccine quae tempori cedunt, rerum aeternarum fructum impediant? An erit, ut humanae rationes certent, et de coeleſtibus victoriam reportent? Ut coelum terrae, Deus hominibus ancilletur; denique res ſacroſanctae profanis ſerviant? Ergo non amplius in tabernaculo, a coelo patribus donato adorabimus? Joſephus noſter Jacobum, a quo prognatus eſt, non agnoſcet? Ergo formoſa illa Rachel, Gallicanam eccleſiam referens, quae falſos Deos ad abolendum pravum cultum Labano ſubripuerat, ante eos genu flectet, et corpore proſtrato indebitos honores deferet? Ergo non aſcendemus amplius in equis ad pulſum tubarum argentearum eccleſiae? Joſue noſter belli dux non amplius Jerichuntis muros quaſſabit? Samuel non amplius inter nos judicabit, adeoque temerarii erimus, ut ab eo appellemus, nec ſententiae a noſtro judice prolatae acquieſcamus? Totum orbem Chriſtianum in concilium Tridentinum conſenſiſſe, ſolos Francos illud rejicere, et privilegiis tanquam armis adverſus illum pugnare, qui ea nobis dedit. Blandientia verba addita, et cumulatae laudes, nec non et obiter injecta de electionibus mentio, quae pluribus in poſtulatis ſub id regi porrectis explicabantur. Ad haec rex, qui ſe perplexo et invidioſo pro tempore negotio exſolvere cupiebat, reſpondit renidenti vultu, vera eſſe, et talia agnoſcere quae dicerent. Vexationes et turbas eccleſiae non diffiteri, cujus quieti inſtaurandae, quantum in ſe ſit, ſtudeat. Ad concilii promulgationem quod attinet, idem cum ipſis ſibi votum eſſe; rationes humanas, quod ipſi clamitant, adverſus coeleſteis pugnare. Tamen quantum in ſe erit, enixurum, ut eccleſiae bene ſit, nec ea in re vitae aut ſanguini parciturum. Quod ad nundinationes et fiducias ſpectet, eorum eſſe, qui criminibus illis attinentur, ea emendare; ipſi exemplo ſuo aliis praeeant. Se gloriari, quod eos epiſcopos inaugurandos curaverit, non gratia aut commendatione, ſicuti a ſuis deceſſoribus factum eſt, qui offenſionis materiam praebeant, ſed qui doctrina, vita inculpata, quae perpetua praedicatio eſt, moribus integris ceteros ad ſervandam diſciplinam hortentur. Ceterum quae in ſe adeo copioſe cumulata ſunt praeconia, non pro gloriatione vana accipere, ſed tanquam ad perſeverantiam incitamenta interpretari, ut quam benefaciendo laudem hactenus

INTERPR. [a] *Aſſemblée du Clergé aux Auguſtins.* [b] *de Villars.* [c] *le cardinal de Joyeuſe.*

hactenus meruit, porro novis benefactis ſuperare non deſinat. Ita dimiſſi praeſules, et ad eorum poſtulata per otium poſtea reſponſum, et unum diu poſt et alterum edictum in eorum gratiam conditum. Priore, quod ineunte anno CIↃ IↃ CVIII in ſenatu promulgatum fuit, multa graviter et ſevere decreta, pleraque ad vitandam offenſionem in eos qui a majorum ſacris migrarunt, ſancita, ne licentia diſciplinae ordo ſolveretur. In eorum favorem et permiſſum, ut bona olim vili pretio et perperam nec rite alienata, luendi facultas eſſet. Verum cum conditio gratiae adjecta non ſatisfaceret, altero poſt annum itidem Sextili menſe condito edicto ſine conditione luendi facultas conceſſa eſt, quod tamen ita in regni curiis promulgatum eſt, ut adverſus gratiam a rege factam emptores XL annorum praeſcriptione ſe tueri poſſent. Toto illo ſpatio quod ab hoc anno effluxit, diſcuſſae praeteriti temporis rationes, non ſine acerbis inter diſceptatores altercationibus, et grande aes, quod ex annuis vectigalibus aut coactorum plagio, aut adfectata negligentia, ſuppreſſum adhuc debebatur, quod CCCC aureorum CIↃ excedebat, gratioſe inter eos diſtributum, non ſine publica offenſione. Pars in Jeſuitarum collegium [a] Flexiae inſtitutum deſtinata, partem ſibi ſumpſit rex, major pars arbitrio delegatorum e ſacro ordine relicta: vixque honorifica virorum bene erga literas animatorum [α] prenſatione, obtineri potuit, ut bis mille aurei ex tanta ſumma deraderentur, qui cudendis Graecorum patrum libris nondum editis impenderentur.

CIↃ IↃ CV.
HENRICUS IV.

VAR. LECT. [α] prenſatione, et illuſtriſſimi cardinalis a Jouſa, qui ſerius ad conventum venerat, interventu, obtineri potuit, *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *la Fleche.*

JACOBI

# JACOBI AUGUSTI THUANI
## HISTORIARUM SUI TEMPORIS
### LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS QUINTUS.

EPITOME.

*MAGNAE in imperio Moſcico hoc anno mutationes. Fames et peſtis. Boriſſius, qui ſuperſtite Theodoro tyrannidem affectabat, Demetrium ejus fratrem unicum imperii heredem per fidos interficiendum curaverat. Varia de hac morte hominum judicia.* II. *In Poloniae et Moſcoviae finibus aliquot poſt annos homo qui ſe Demetrium ferebat, comparuit. Is Jeſuitis primum innotuit, qui eum apud pontificem et regem Poloniae commendatione ſua adjuvant. Sendomirienſis Palatinus jam tum fide data, ſi compos votorum evaderet, ut ejus filiam in uxorem acciperet, Demetrii cauſam tutandam ſuſcipit. Ad Sigiſmundum Poloniae regem admittitur.* III. *Exercitum in Polonia conſcribit, et ad recuperandum imperium in viam ſe dat. Coſacos ſibi conciliat. Multi Boriſſii tyrannidem exoſi ejus partes ſequuntur, et arces ac loca munita tradunt. Boriſſius contra eum ducit. Sendomirienſis a Boriſſio funditur. Demetrius novis contractis copiis ad Rilſci arcem commiſſo proëlio de Boriſſianis inſignem victoriam reportat. Multae urbes in ejus partes concedunt. Boriſſius inter haec moritur, filio ſucceſſore relicto. Magna in caſtris et Moſcuae ſecuta animorum inclinatio. Uxor defuncti cum filio et filia in cuſtodiam data, ubi hauſto veneno ultro perierunt.* IV. *Demetrius magno procerum comitatu et feſta plebis gratulatione Moſcuam ingreditur. Quae ab eo primis imperii initiis geſta. Solemni ceremonia inauguratur. De foedere cum Polonis ſanciendo cogitat, decretaque ab eo in Poloniam legatio, a rege ut ſibi Sendomirienſis filiam in uxorem ducere liceat, impetrat. Fiduciariae nuptiae Cracoviae contractae.* V. *Sub id Sigiſmundus uxoris ſororem ſibi copulat. Magnifico apparatu res acta.* VI. *Horrenda in Magnae Britanniae regem ſub exitum anni detecta conjuratio fulminalis. Comitia regni celebrata.* VII. *Henricus Garnetus comprehenſus, et in turrim conjectus, ultimo ſupplicio afficitur.* VIII. *Rerum Moſcicarum interrupta narratio ad exitum perducitur: Moſcica ſponſa cum parente et toto gynaeceo, magno diverſarum gentium comitatu, Moſcuam tandem appulit. Nuptiae ſolemni ceremonia et ingenti pompa celebratae. Inter tanta gaudia Demetrius de conjuratione contra ſe inita ſubodoratus gravibus curis angitur. Ruſſi proceres ſenſim ab eo alienantur. Ruſſorum et Polonorum aemulationes. Conjurati conveniunt, et aggregante ſe ad eos plebeia multitudine, ad Polonorum hoſpitia properant, et caedibus cuncta permiſcent; inde ad arcem tendunt, et Demetrium multis vulneribus conficiunt. Miſera ſponſa omni gaza ſpoliatur. Mercatores multi male habiti. In mortui cadaver ſaevitum.* IX. *Sedato tumultu a Bojaricis in conſilium itum. Suiskii ad eos oratio.* X. *Concordibus procerum ſuffragiis Suiſkius in principem eligitur. Scriptum ab eo ad leniendam facti invidiam contra Demetrium tanquam impoſtorem publicatum.* XI. *Legatio a novo principe in Poloniam.*

Ex auctoribus,

*Petri Paterſoni Upſalenſis relatione MS. Gerardo Gravenbruchio, Jeſuitarum literis MS. Margereti commentario Gallico rerum Moſcicarum, Conſtantino Fidlero, Narratione conjurationis in Angliae regem initae, Reorum confeſſionibus, Literis et actis probatoriis a Gul. Camdeno publicatis, Iſaaci Caſauboni epiſtola ad Frontonem Ducaeum, Eudaemono Joannis apologia pro Henrico Garneto.*

LIBER

CIↃ IↃCV.
HENRICUS IV.

## LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS QUINTUS.

MUTATIO magna hoc anno in Moſcico imperio ſecuta, quae et uberem diverſorum motuum in his Europaſiaticis provinciis ad ſeptentrionem poſitis materiam ſequentibus annis praebuit. Multa ante hos motus dira has regiones afflictavere. Nuſquam immanior fames, nuſquam terribilior peſtis per ſeptentrionem graſſatae, quam quae per biennium illud, quod bellum a Demetrio in ea excitatum praeceſſit, in Ruſſia ſaevierunt. Deprehenſae matres, et vix a devorandis propriis infantibus prohibitae. Filiorum fame enectorum carnibus paſſim parentes impune victitabant, conſumptis felibus, muribus et animalibus cunctis immundis. Exuta per famem omnia charitatis, omnia naturae et honeſtatis vincula; menſura tritici in foro, quae nunc XII ſolidis aeſtimatur, XIX talaribus venibat. Itaque non jam triticum, ſed humanae carnes proſtabant. Potentiores propinquos; patres et matres, filios ac filias; mariti uxores venum exponebant. Haec Dei flagella, ad vindicandam [a] Boriſſii tyrannidem immiſſa, plerique interpretabantur: alii ad portentoſas calamitates, quae florentiſſimo huic ac vicinis formidoloſo imperio exitium minabantur, in futurum reſpicientes referebant, quae ab eo tempore vagum illud et ad externas invaſiones expoſitum, per totum decennium exercuerunt, donec in Michaëlem Theodori filium, qui nunc rerum in eo potitur, tandem conquievit. Poſt Theodori Joannis Baſilidae filii mortem, inſigni ſive ſimulatione ſive perfidia, Boriſſius imperium invaſerat, ſicuti ad annum XCVIII diximus, et ad hunc annum tenuerat. Joanni Baſilidae praeter Theodorum imbecillitate mentis laborantem, et fanaticum, dignumque, vel patre judice, qui potius tintinnabulis per templa pulſandis, quam regendo imperio admoveretur, Demetrius alter erat filius, biennio ante mortem e juvencula nobili ſuſceptus, hoc eſt, anno CIↃ IↃ XXCII, qui ad [b] Vielicam longe diſſitam C a [c] Moſcoua metropoli milliaribus educabatur. Boriſſius, qui ſuperſtite Theodoro, jam tum tyrannidem affectabat, cum omnia quae deſideriis improbis ſuis obſtare poterant, circumſpiceret, parum ſe Theodori imbecillitate profecturum judicabat, niſi ſpem reſurgentis in principali familia imperii per Demetrii mortem extingueret. Itaque de eo e medio tollendo ante omnia cogitans, corruptis qui circa eum erant, ſic dolum inſtruit. Pulſo majore tintinnabulo, id erat ſignum populi ad incendium reſtinguendum, quod ſaepe accidit in illis oppidis, quae domos e materia ſtructas habent, vocandi, obſervatum erat ad ſtrepitum concurrentis multitudinis Demetrium conclavi exire ſolitum, qui in illo tumultu a diſpoſitis ſicariis confodiendus erat; et ita factum, dum per ſcalam deſilit. Inde rumore mortis ſparſo populus a reſtinguendo incendio revocatus ad arcem venit, et, omiſſa comploratione, domeſticos obvios obtruncat, publica ultione caedis invidiam in ſatellites principis rejectam a ſe amoliri cupiens, quam tamen minime evitavit. Nam Boriſſius, ut omnem ſuſpicionem purgaret, immaniter in oppidanos ſaeviit, ditioribus exquiſito ſupplicio necatis, aliis quaeſtioni et cruciatibus ignominioſe ſubjectis ut veritas erueretur: quaſi incertis facti auctoribus ipſe veris lachrimis mortuum lugere videri voluit, et ad expiationem paricidii arcem incendio delevit. Verum Demetrium hac conjuratione oppreſſum, qui in Moſcovia tunc erant, et de ea relationes confecerunt, conſtanter affirmant. Alii ut motibus poſtea ſubſecutis colorem reperirent, ſic rem narrant: matrem Demetrii

INTERPR. [a] *Boritz.* [b] *Wielics.* [c] *Moſcou.*

Demetrii de deteſtando Boriſſii conſilio per amicos monitam in tempore filii periculo praevortiſſe, ſuppoſito in ejus locum puero aetate et ore perſimili, qui a ſicariis, non per ſcalas deſiliens, ſed in lecto jugulatus eſt: Demetrium autem verum in tutum ſubduxiſſe; ſtatimque ſuppoſiti eadaver a Germano aulae magiſtro, qui aſtum exeogitarat, ne agnoſceretur, ſareophago inelusum ſine ulla pompa terrae mandatum eſſe: interim famam ſparſam, quaſi Demetrius peſte abſumptus eſſet.

II. Ut ut ſit, in Poloniae et Moſeoviae finibus aliquot poſt annos eomparuit homo, qui altero brachio breviore et verruea in facie, quae in vero Demetrio olim notata fuerant, eeterum ingenio aeri, praeſentia animi, liberalitate, comitate, non indignum ſe regali proſapia ferebat. Is Jeſuitis patribus, qui in Polonia pollebant, primum innotuit, et ſpem feeit, ſi ad regnum paternum reeuperandum adjuvaretur, fore, ut primam ac praecipuam cultus divini in imperio Moſcieo inſtaurandi, et illius ad eecleſiae unionem adducendi curam haberet. Res initio tecta, monito prius pontifice, ut negotium, quod ad bonum religionis et amplificationem ſanctae ſedis pertinebat, opibus propriis et commendatione ſua apud Poloniae regem et regni proeeres adjuvaret. Quod et ſedulo factum per ipſos Jeſuitas, qui ſupplicem ad Georgium [a] Mieciniſum Sendomirienſem Palatinum introduxerant, in regno praepotentem; jam tum fide clam data, ſi eompos votorum evaderet, ut filiam Palatini, in quam ille oculos eonjeeerat, in uxorem aeeiperet. In Livonia abjecto eucullo aliquandiu latuerat, ubi et eommode Latine loqui et ſcribere didicit, et ad Clementem VIII pontifieem maximum literas manu propria non ineleganter ſeriptas dedit; et cum per Sendomirienſem et ejus generum [b] Wiſnovitzium ad Sigiſmundum eſt admiſſus, maſcula oratione uſus dieitur; meminiſſet ſe in carcere et eaptivitate natum, et inde divina providentia ae miſerieordia liberatum; proinde humana eogitaret, et eodem fato adflictis ſubveniret. Joannes Sigiſmundi parens ab Erieo fratre ob ſuſpieionem in earcerem injurioſe truſus fuerat, ſicuti ad annum CIↃ IↃ LXIV demonſtravimus, in quo ex Catharina uxore Polonieae atque adeo Jagellonicae ſtirpis ipſum ſuſtulerat.

III. Igitur regis favore, et Palatini pecunia, annitentibus Jeſuitis, exereitum X bellatorum CIↃ in Polonia eonſeribit, ab hiſque omni re et apparatu inſtructus in viam ſe dat, et per Ruſſiam iter faciens Coſacos, genus hominum bella externa et praedas ſectantium, ſibi eoneiliat, et ingentibus promiſſis oneratos in regnum paternum, ut aiebat, ex iis X CIↃ ſecum dueit. [c] Boryſthene ſuperato, ad [d] Zernigam extra limitem eaſtra primum poſita, et Demetrii regni legitimi heredis nomine deditio imperata, ac citra vim facta, Joanne [e] Takmevio, qui cum Boriſſio ſimultates exereebat, in partes novi prineipis tranſeunte. Coſacis praeerat [f] Corelas homo praeſtigiis magicis notus, qui [g] Putinnae obſidendae auctor, urbis populoſae, quam Michelovitzius [h] Soltekovius, eum VIII CIↃ Coſaeorum [i] Volgodenſium tenebat, Michelovitzio primum detrectanti, ad extremum perſuaſit, ut urbem dederet, et Demetrii partes ſequeretur. Boriſſius inter haec eopias inſtruit C bellatorum CIↃ conſtanteis: et ante omnia ad Sigiſmundum et Polonieum ſenatum legatos miſit, commemoratoque foedere de pace ſive induciis inter utramque gentem, ipſos de ſanctione ejus interpellavit, et ementitum Demetrium, ſacerdotis nefando conceptu filium, et magicis praeſtigiis infamem, ſibi tradi vivum vel mortuum petebat, et ne auxiliis juvaretur, enixe petebat; minis additis, ſi eontra faeerent Poloni, quanto ſuo cum periculo praepotentem prineipem eſſent laeeſſituri. Ad minas additae ſingulorum procerum prenſationes oecultae; ut regem et ſenatum abſterreret, quo minus auxilia ſupplici ſubminiſtrarent. Verum pontifieis et Jeſuitarum praevalente

auctoritate,

INTERPR. [a] *Miecinski.* [b] *Wiſnowiski.* [c] *le Nieper.* [d] *Zerniga* al. *Tſcheringo.* [e] *Takmeu.* [f] *Corelas.* [g] *Putinne.* [h] *Soltekow.* [i] *Coſaques habitant le long de la riviere de Wolga.*

auctoritate, nihil obtineri potuit, rege, et qui cum rege ſentiebant, ad auxilia praeſtanda animos obfirmantibus; quippe qui rebantur hanc ad aeternam pacem et amicitiam cum Moſcis firmandam, et majorum religionem ſublata ſciſſura conſtituendam fore commodiſſimam rationem. Tandemque utrinque exercitus in aciem ad Novogrodiam inſtructi, et Sendomirienſis ſummus copiarum dux, qui defectionem in hoſtili exercitu futuram ſibi pollicebatur, temere in medios et bene concordes ruit; et poſt exiguum certamen undique a majore numero circumventus funditur fugaturque, exeunte Januario hujus anni. Collectis deinde ex tanta clade reliquiis Palatinus Carmohoviam primum ac [a] Putivolum, ac deinde in Poloniam ſuam ſe recepit. Demetrius cum paucis ad [b] Rilſcum arcem in finibus receptum habuit, ubi a ſuis deſertus minime ſe deſeruit. Is ſecum, ut religionem et pietatem ſuam omnibus approbaret, duos e Ciſtercienſi ordine theologos duxerat, qui caſtrenſis vitae et incommodae viae pertaeſi, poſt aliquot dierum iter ad ſua reverſi ſunt. Praeterea etiam duos e ſodalitio Jeſuitico, Nic. [c] Ckerracovium, et Andream [d] Lovitzium, qui expeditionis auctores conſtantiam ſervaverant, et hominem per ſe ſatis bene animatum aſſiduis hortamentis et propriae patientiae exemplo, ad rem ſtrenue perſequendam incitabant. Ipſe bona conſcientia, uti prae ſe ferebat, fretus, cum ad manus veniebat, ita Deum compellare ſolitus erat, ut ab omnibus audiretur, et hac oratione fere utebatur, manibus expanſis, et oculis in coelum erectis: Me, inquit, juſtiſſime judex, prius fulmine perime, me primum dele, huic Chriſtiano ſanguini parce, ſi injuſte, ſi avare, ſi impie, hoc quod vides molior. Tu vides innocentiam meam, juſtam cauſam adjuva. Tibi me, coelorum regina, et meum hunc militem commendo. Quae ſi vere referuntur, nec vere ille Demetrius fuit, oportet eum aut praeſtigiatorem gnaviter impudentem fuiſſe, qui cum ſciret, quae diceret, vera non eſſe, tanta vultus conſtantia mentiebatur; aut ſi male perſuaſus, eum ſe credebat, qui non erat, profecto fortuna, ut aliis imponeret, inſigni laeti primum ſucceſſus, mox triſtis atque adeo tragici exitus exemplo mire ipſi impoſuit. Jam Boriſſiani ad Rilſci arcem, ad quam copias contraxerat Demetrius, eo ſitu ut ſubjecto agro late imperitet, cum parte exercitus venerant, Martioque ineunte, conflictu acri inter equites facto, inclinavit miro fortunae ludibrio ad nuper victos victoria, qui numero impares, interfectis primo concurſu CIƆ ex hoſtibus, captiſque CC, ceteros in fugam vertunt; ſuorum ordines in fuga perrumpentes peditatum omnem ſolvunt, et hoſti ad internecionem expoſitum relinquunt. Parta ingenti praeda Demetriani Putivolum triumphantes reverſi ſunt; ſtatimque ſive odio veteris domini, ſive novarum rerum deſiderio, quinque praecipue in propinquo arces cum oppidis ac territorio in partes Demetrii conceſſerunt, et Bialogroda, una ex illis, CL majores machinas victori ſubminiſtravit. Arcium praefecti captivi Demetrio traditi, et paucis poſt diebus ſecuta Jalekae et Leptinae deditio, in qua famoſus magus [e] Hinsko Otiopelus quoque captus eſt. Mox et univerſa Severia, qui eſt principatus ampliſſimus, ac praeterea VIII caſtella in fidem accepta ſunt. Magna moderatione Demetrium victoria tam inſperata uſum memorant, qui haec ſcribunt; de cetero ſolicitum, quomodo [f] Cromo arci a reliqua exercitus hoſtilis parte arcte cinctae in tempore ſubveniret. Sed cognito ex literis interceptis obſeſſos aliquandiu ad ſuſtinendum pares eſſe, conſilium ſuſpendit, minime accelerandum ratus, ne tantae victoriae fructum tentata temere proelii alea amitteret. Interea dum ad Putivolum ſedet, eventum opperiens, variis inſidiis petitus eſt, miſſis a Boriſſio, qui venia admiſſorum promiſſa, inſuperque praemiis propoſitis Ruſſos ad Demetrium interficiendum aut captivum ſiſtendum invitarent: additum praepotens telum, ab archipopo, ita patriarcham ſuum vocant Ruſſi,

INTERPR. [a] *Poutivol*, al. *Poutimel.* [b] *Rillesk.* [c] *Ckerrakowski.* [d] *Lowitz.* [e] *Hinsko Otiopel.* [f] *Crom.*

CIↃ IↃCV. HENRICUS IV.

Ruſſi, mandatum, quo cuncti rebus Demetrii faventes extra eccleſiae communionem poſiti pronunciabantur. Re, ex captivis quaeſtioni ſubjectis et literis inter ocreas inſertis, cognita, nihil inclementius in eos decrevit; ſed venia conceſſa, literas ad archipopum humaniſſimas dedit, quibus eum officii admonebat, et ne injuſtae cauſae religionem praetexeret, hortabatur. Scripſiſſe et ad Boriſſium dicitur; ſe reſpiceret, regnoque, quod injuſte invaſerat, mature cederet, et monaſterium, quod vellet, ingrederetur, oblatis ipſi et familiae opimis conditionibus; quas ille contemptim nec citra indignationem reſpuit. Id incidit in tempus, quo Daniae regis et Caroli Sueci legati in ejus aula erant; ex Polonorum in Moſcoviam impreſſione foederis cum Moſcis ſanciendi occaſionem captantes, quo Sigiſmundi rebus incommodarent. In ea conſultatione cum vehementius incandeſceret Boriſſius, ſubito corruiſſe dicitur, magna vi ſanguinis per os, nareis et aures profuſa, et exeunte Aprili vitam cum morte commutavit. Alii apoplexia, alii veneno propinato extinctum memorant. Utcunque ſit, in imperio per ſeptennium poſſeſſo moriens non omnem auctoritatem ſtatim amiſit: nam, fama mortis vulgata, magno initio populi concurſu uxor vidua cum filio in ſolio collocata eſt, et adacti in fidem proceres, corpore defuncti in ſepulchro regum ſine pompa illato. Mortuum laudavit luculenta oratione [a] Regiomonti excuſa Conſtantinus [b] Fidlerus Livonus Rigenſis, qui Gaſparem fratrem habebat imperatoris Moſcovitici domeſticum. Continuo Petrus [c] Buſmanius, qui magnas res ſub Boriſſio geſſerat, cum ſummo imperio ad exercitum mittitur. Ad Cromi obſidionem haerebat Joannes [d] Hodunius cognatione Boriſſio proximus, in qua ante et poſt Boriſſii obitum et obſeſſi, et qui locum oppugnabant, nihil reliquum ad ſummam virtutem fecere. Decies vis facta, et toties ſumma ab obſeſſis pertinacia repulſa. De exitu veritus Demetrius [e] Zaporium cum delectis ad opem laborantibus ferendam miſerat, qui aſtu, cum vi non poſſet, metum et trepidationem per hoſtium caſtra ſparſit. Simplicem hominem, qui deceptus alios deciperet, ad obſeſſos in ſpeciem mittit cum literis, qui XL CIↃ auxiliarium in propinquo eſſe nunciaret, eaque ſpe obſeſſos ad conſtantiam hortaretur. Eum per viam ab hoſte inſeſſam, ut caperetur, deduci curat. Igitur captus cum literis et tortus, cum eadem, quae literis ſignificabantur, quippe vera credens, confirmaret, ingens tumultus et ſeditioni propior in caſtris ortus. Hodunius praemiſſis bis CIↃ et CC equitibus, aditus omneis ad obſeſſos inſideri jubet. Ipſe reliquum exercitus robur ad hoſtem ducit. Zaporius ut rumori per hoſtium caſtra diſſeminato fidem faceret, aciem inſtruit, lixis et omni comitatu, quo major numerus appareret, equos inſcendere juſſis; miſſi et qui auxiliareis in propinquo viſos confuſis vocibus clamabant. Acriter initio ab Hodunio certatum, Polonis haſtatis incumbentibus, et mox crebreſcente de auxiliaribus rumore, Ruſſi cedere, et de defectione ſeu deditione cogitare coeperunt. Primuſque Petrus Buſmanius, tanto in honore a Boriſſio dum viveret habitus, cum aliquot CIↃ ad Zaporium tranſiens, quam potuit alta voce in Boriſſianorum conſpectu exclamavit, Demetrium imperii Moſcici legitimum heredem eſſe, proinde qui Moſcico nomini bene vellent, ſe ſequerentur. Quo audito fremere univerſi, plerique transfugere, et Petrum ſequi paratos ſe dixerunt. Tum ad Petrum ſe aggregantes proceres IↃ e ſuo numero ad Demetrium, qui Putivoli erat, miſerunt, et benigne accepti in fidem ab eo adacti ſunt. Id actum x Kal. Junias. Joannes Hodunius ſummus copiarum imperator, nam [f] Mieriſlavius et [g] Suiſcus, qui poſt eum primas tenebant, ſuperſtite Boriſſio et jubente, [h] Moſcuam reverterant, e fuga retractus, quod coram Demetrio caput inclinare in ſignum ſubjectionis, et Kneſaris titulum tribuere detrectaſſet, in vincula eſt conjectus. In Boriſſii caſtris LXX machinae repertae, et quaedam tantae magnitudinis, ut ſingulas bini viri brachiis circundatas vix complecti poſſent. Ut in caſtris,

ſic

INTERPR. [a] *Konigsberg.* [b] *Fidler de Riga en Livonie.* [c] *Buſmani* ou *Buſmanof.* [d] *de Houdun.* [e] *Zaporski.* [f] *Mieſcelawski.* [g] *Zchuiski.* [h] *Moſcou.*

ſic et Moſcuae ſecuta animorum magna inclinatio, et jam ad Demetrii nomen populo exultante, uxor vidua defuncti, cum filio et filia, in cuſtodiam data fuerat: ubi hauſto veneno mater, quae ſibi ob mariti odium et a Demetrii adventu metuebat, ultro periit, quod et filio et filiae pariter, ut eos ludibrio victoris eximeret, propinaverat; et filius quidem ex eo pariter periit: filia contrario poculo ſtatim ſumpto ſervata eſt. Ita ſcribunt, qui Demetrio favent: nam alii juſſu Demetrii cum filio matrem veneno necatam, filiam ad ſtuprum ſervatam tradunt. Magnum ad eam converſionem momentum attuliſſe dicuntur Germani, qui in Boriſſii caſtris militabant; qui transfugientes ſecum multos traxere.

IV. Biduo poſt ſolutam Cromi obſidionem, magno procerum conſenſu Demetrius Moſcuam petiturus viam ingreditur. Cromo Tullam itum, ibique biduum reficiendo militi datum. Inde Orlam ventum, per vias occurrente ad novi principis ſpectaculum multitudine. Tandem viceſimis caſtris regiam urbem ingreſſus eſt, XII Kal. Quintil. Ruſſorum imperator, magnus dux Moſcoviae, aliarumque regionum princeps, et Aſtracani ac Caſſani rex, quas duas provincias Joannes Baſilides imperio adjunxerat, feſta populi acclamatione ſalutatus. Praecedebant Poloni equites more gentis, lanceas cuſpide ferrea praefixas geſtantes, cum tubicinibus et tympanis. Hos ſequebantur aliquot ſcloppetariorum CIƆ, interque eos medius Demetrii currus ſex junctis equis; inde equi ſellarii principis precioſiſſimis monilibus, et auro inſtrati. Proxima ſecundum principem clericorum turba incedebat cum vexillis quadratis, in quorum ſingulis appenſa erat aut divi alicujus imago, aut evangeliorum liber. Popae beatae Deiparae virginis, et D. Nicolai, quem Moſci tutelarem colunt, imagines praeferebant; quorum agmen patriarcha ſive metropolitanus, praeeuntibus IV [a] cerophoris, claudebat. Interjecto aliquo ſpatio ſolus Demetrius candido aſturcone vectus incedebat, hinc inde nobiliſſimorum et procerum caterva ſtipante. Deducentibus Popis princeps ad templum beatae virgini ſacrum venit, precibuſque conceptis inde ad D. Michaëlis archangeli aedem, in qua parens ejus humatus fuerat, deducitur; in quo cum reſciviſſet Boriſſium ſepultum eſſe, e veſtigio cadaver erui, et in aliud ſacellum humilius extra urbem transferri mandavit. Aedeis ejus peculiareis tranſiens aſpicere non ſuſtinuit; ſed miſſis operariis ſtatim dirui juſſit, addita cauſa, quod magico maleficio infames eſſent; et ſtatua in loco ſubterraneo collocata dicebatur, lampadem ardentem manu geſtans, artificio in ſpeciem ſuperſtitioſo, et defoſſo ſubtus pulvere nitrato copioſo, rebus ita attemperatis, ut deficiente oleo, et diſrupta lampade ignis pulveri illapſus, domum a fundamentis convelleret, et proximas ſecum in aërem tolleret; ſed forte detecta ſtatua antequam artificio ſuo noceret, comminuta ferebatur. Quod illi ſuperſtes Boriſſius, idem mortuo Demetrius objectabat; ut ſunt frequentes admodum illis locis de magicis praeſtigiis ſuſpiciones ac querimoniae. Novus princeps inde in regum palatium protinus migravit, et publicam imperii adminiſtrationem avide capeſſivit, a Ruſſorum procerum familiaritate ſenſim alienior, et ad Polonorum externorum, et Ruſſis inviſorum arbitrium cuncta diſpenſans; qua in re graviſſime peccaviſſe a multis exiſtimatur. Nam juſtas cauſas habenti ſive hinc ſuſpicionis, ſive inde gratiae, opportunius exſpectandum fuit tempus, ut animum renudaret, et quod mente conceperat, tempeſtive firmato imperio exſequeretur. Sed praefervido prurientis voluntatis deſiderio, et eorum qui circa ipſum plus juſto poterant ſuaſu effectum eſt, ut impatientia, omnis mora nimis longa videretur, et praecipitatis conſiliis una ſe fortunamque in exitium miſer juvenis praecipitaverit. Primi dies accipiendis proceribus inſumpti, et rebellibus puniendis: nobiles familiae amplius LXX, quae Boriſſium cognatione contingebant, vel a

INTERPR. [a] *porteurs de Cierges.*

CIↃ IↃCV.
Henricus IV.

a partibus ejus ſteterant, extra imperium deportatae, ut bona eorum, ſicuti jactabatur, inter externos, atque adeo Polonos dividerentur, et novorum hominum coloniae in Ruſſiam deducerentur. Hinc prima odii in novum principem ſemina; quae eadem et in Hungaria fuerunt, his proximis temporibus: quibus et tandem effectum, ut ad ea accedente contemptu, commotis proceribus, Matthias regnum cum adjunctis, et ex eadem ſucceſſione venientibus provinciis, vivo videnteque fratre Caeſare creverit. Inter haec ſeveritatis initia inſigne fuit clementiae exemplum, quo Demetrius erga Theodorum [a] Suiſcium Romani filium e [b] Bojarico genere, virum primarium, ad mitigandam proſcriptionum invidiam uſus eſt; quae ipſi fatalis fuit; occulto Dei judicio ita res temperante, ut eſſet, qui debitae poenae per benignitatis oſtentationem exemptus, ceteros immerita poena affectos ulciſceretur. Is novi imperii pertaeſus, et pejora in poſterum metuens, ſpreto periculo, cum cuncti in adulationem effuſi ad pedes novi regis prociderent, ſolus fere pertinaciam ſervavit, contumacia ſua ejus iram provocans; ac praeterea injurioſis de ipſo ſermonibus ſparſis, quaſi advena et terrae filio; qui de Ruſſici imperii templis cum infeſtis regni hoſtibus, Polonos his verbis deſignabat, evertendis cogitaret, et antiquam nobilitatem aſcitis novis hominibus omnino exterminare in animum induxiſſet. Ea de re cum ſe in procerum ſenatu multis verbis, erat enim perſuadendi efficax, purgaſſet, rejecta in auctorem calumniae invidia, in Suiſcium protinus comprehenſum lata ſententia fuit, qua ob verborum petulantiam morti addictus; et cum VI Eid. Quintil. qui dies ſupplicio deſignatus erat, duceretur, et jam in genua prolapſus, poſt preces publice conceptas carnificis ictum exſpectaret, diplomate miſſo princeps executionem inhibuit, et mox vitae gratiam fecit. Poſt tantum favoris undique affluentis concurſum, ſoli Pleſcoviani in pertinacia perſeverantes imperium detrectabant; quos ille miſſis literis, et venia praeteritorum facta, una cum Palatino ipſorum, vix tandem ad officium inflexit, et in gratiam recepit. Huc uſque fauſta omnia ac fortunata imperii initia, et publice vota pro Demetrii ſalute nuncupabantur, cum Boriſſii contra nomen eſſet deteſtabile, ſtatim etiam cuſa moneta ad memoriam principis et uſum populorum. Addunt, qui in gratiam ejus ſcripſere, cum felicia omnia in poſterum ſibi de illius imperio pollicerentur, invidioſas in aerario divitias repertas, immenſam et plures myriadas excedentem auri et argenti vim, duodecim margaritarum et gemmarum modios, quae omnia aut ab ipſo ſuperſtite brevi per profuſiones conſumpta, aut ad oſtentationem credita, cum ipſo evanuerunt. Dicta dies inaugurationis ad Kalendas Septembreis fuerat, a quibus Ruſſi annum ſuum, ſicuti et Judaei olim, auſpicantur. Sed multis de cauſis anticipandum ratus, Quintili deſinente ſolemnitatem celebrari voluit: et ante eam, ut fides legitimae ſucceſſioni aſtrueretur, matrem Demetrii, quae poſt filii caedem falſo creditam Boriſſii juſſu procul a regia exiguo monaſterio incluſa fuerat, acceſſiri placuit. Miſſus ob id honorificentiſſimus comitatus, et venienti obviam ipſe pietate adfectata proceſſit. Conſpectaque longe ex equo deſiliens, pedibus aliquanto ſpatio iter fecit, et cum lachrimis in complexum ejus ruit, et aperto capite ac pedes currum maternum ad arcem uſque proſecutus eſt: unde illa paulo poſt in monaſterium, in quod totius Ruſſiae virgines et viduae nobiliſſimae de more ſecedunt, cum gynaeceo ſuo migravit. Toto hoc tempore a curioſis obſervatum, tanto ſive vero ſive ſimulato cultui matrem veri Demetrii, pari affectu reſpondiſſe, quae ex triſti ſolitudine in laetam frequentiam retracta, non poterat vel falſi Demetrii, cujus beneficio id debebat, praeſentia non magnopere gaudere. Regnum ineunti, poſt peractas ceremonias, P. Nicolaus [c] Cnermcovius e Jeſuitico ſodalitio luculenta oratione gratulatus eſt, pari a ſenatu gratulatione exceptus. Ipſis Jeſuitis amplum [d] Moſcuae hoſpitium haud longe

INTERPR. [a] *Zchuiski.* [b] *Bojars.* [c] *Knermkowski.* [d] *Moſcou.*

longe ab arce attributum, in quibus ſacra more in eccleſia Romana recepto libere peragerent: et jam tum ipſis annitentibus animi ſenſum renudaſſet, niſi a Suiſcio, quem modo dixi, qui jam tum de imperio cogitans firmandis rebus ſuis opportunitatem majorem quaerebat, pro tempore prohibitus fuiſſet. Secura pace, ut ſibi videbatur, foris et domi parta, proxima fuit cura de gratia benemeritis Polonis rependenda, de foedere cum ipſis ſanciendo, et nuptiis ac prole ad firmandum amplius imperium ſuſcipienda. Decreta ob eam cauſam honorificentiſſima in Poloniam legatio, CCC equitum, quam Athanaſius [a] Roſclovius Joannis filius, regni theſaurarius obivit, qui XVIII Kal. Dec. Cracoviam venit, et ad Sigiſmundum regem introductus commiſſa mandata expoſuit: Principio a Polonorum, quorum adverſus leviſſima atque adeo Ruſſorum ſuorum ſuſpecta ingenia opibus munire ſe decreverat, benevolentia captanda ſumpto; non dubitare, quin rex et univerſus regni ſenatus magnam ceperint ex eo voluptatem, quod ſpe et omni opinione citius in paternum et antiquum regnum reſtitutus ſit. Ea in re et ſummam Dei benignitatem, et regis ceterorumque regni procerum, quibus ſecundum Deum hanc gratiam debeat, beneficium agnoſcere, nec ejus unquam fore immemorem. Ceterum animo verſanti, quomodo Chriſtiani nominis ac religionis fineis amplificare poſſit, moleſtiſſime accidere, quae per tot annos damna ab infeſtiſſimo Turcorum tyranno regnis ac ditionibus Chriſtianis impune illata et inflicta audiat. Dolere inſuper ſibi, Hungariae regnum olim florentiſſimum tot vulnera ab eodem accepiſſe, et quotidie accipere, quod non probro invictiſſimi imperatoris Rodolfi dicat, cujus cura et potentia ſciat injurias a teterrimo vaſtatore illatas pari fortitudine vindicatas eſſe. Nec mediocriter angi et tacita cogitatione cruciari, quod loca illa ſanctiſſima CHRISTI veſtigiis impreſſa, ejuſdemque vita miraculis ac pretioſo ſanguine conſecrata, a cruentis et nefandae ſuperſtitionis Sectariis infeſſa, citra reverentiam et cultum irreligioſe conculcentur. Ad ea recuperanda cum potentiſſimo Poloniae rege, ac ceteris Chriſtianis principibus conjungere vireis, et nec ſumptui nec proprio ſanguini parcere decreviſſe. Interim aeternum foedus cum ipſo ſancire ſtatuiſſe, eoque fine rogare, ut ſibi cum bona ipſius gratia, e Polonorum gente uxorem ducere liceat, Georgii [b] Miecenſii Palatini Sendomirienſis filiam Annam Mariam. Id beneficiis a patre acceptis ſe debere, qui et exulantem in Polonia honorifice exceperit, et pecunia ac milite in regnum redeuntem, non citra vitae periculum comitatus ſit. Rex benigne accepto legato in haec verba reſpondit: Grati ac benevoli animi teſtem legationem non poſſe non ſumma benevolentia excipere, viciſſimque pro tam honorifica ſalutatione mutuam ſalutationem impertiri, eique et novo imperio omnia fauſta comprecari, magnoque cum gaudio intelligere, tam brevi tempore regnum, quod legitimae ſucceſſioni debebatur, recuperatum. Juſtiſſimi doloris ſenſum non poſſe non ſummopere laudare, quem de Turcorum ſucceſſibus capiat, et de foedere contra Turcos libenter aſſentiri; ea tamen in re nihil niſi de communi procerum ac totius ſenatus conſenſu poſſe decernere. Quod vero Sendomirienſis Palatini filiam in uxorem petat, non ſolum ſe volente ſed optante id illi facere liberum eſſe, ex eoque matrimonio, ut Dei gloria amplificetur, et aeternum inter potentiſſimas gentes foedus ſanciatur, a divina Majeſtate viciſſim petere ac ſperare. Secundum haec octavo poſt die fiduciariae nuptiae contractae, praeeunte in verba Bernardo [c] Maczieјoveſchi epiſcopo Cracovienſi cardinali, epuloque opimo nupta et parens ejus cum legato Moſcico a rege accepti ſunt. Menſae aſſedere ceterorum principum et regis Perſarum, qui tunc in ea aula erant, oratores: pro bellariis dona a Demetrio nuptae et parenti ejus miſſa, ſunt allata, quae CC aureorum CIↃ exceſſiſſe memorant, qui haec ſcripſere.

V. SUB

INTERPR. [a] *Roſklowski.* [b] *Miecinski.* [c] *Maczeiowski.*

CIϽIϽCV.
HENRICUS IV.

V. Sub id et negotium de matrimonio regis finem accepit. Uxorem Annam Caroli archiducis filiam is ante ſeptennium amiſerat, ſuſceptis ex ea liberis. Jeſuitae de Auſtriacae illis locis familiae incolumitate et amplitudine ſoliciti, cum vererentur, ne diſſoluta adfinitate Sigiſmundus adhuc juvenis de ſecundis nuptiis cogitaret, et, aliunde uxore ducta, pax et amicitia inter Polonos et eos ſolverentur, apud Rodolfum Caeſarem inſtant, ut alterius ſororis ex ea familia ducendae Sigiſmundo auctor eſſet. Quod et ille ſedulo fecit, et Clementem pontificem, ut idem faceret, rogavit. Qui officio libentiſſime defunctus eſt, datis XIII Kal. Quintil. ſuperiore anno ad regem literis, quarum exemplum penes me eſt, in haec ferme verba: Non poſſumus non hortari majeſtatem tuam, ut non ſolum tandem cogitet, ſed deliberet de ſecundis nuptiis, ut, benedicente Domino, nova prole firmetur ſtatus illius regni: ac ſemper exiſtimavimus conjunctionem in inclyta domo Auſtriaca futuram illi honorificam et ſalutarem: nobilitati enim et ſplendori illius familiae nulla fortaſſis in toto orbe Chriſtiano aequiparari poteſt: mulieris quoque illius, quam ex ea familia habuiſti, ſingularem pudicitiam, religionem et prudentiam jam majeſtas tua experta eſt. Quare ſi animum adjiceret ad unam ex ſororibus defunctae reginae, putamus id non ſolum non alienum a ſalute et quiete tua, ſed tibi ſatis honorificum et ſalutare futurum. Nec de diſpenſatione ambigere debes: illam enim tibi libentiſſime offerimus, et ut tibi concedamus, ſuadent multae et urgentiſſimae cauſae. Rogamus itaque majeſtatem tuam, ut mature apud ſe deliberet, tòtam operam noſtram majeſtati tuae neceſſariam aut quoquo modo opportunam copioſiſſime deferentes. Has literas rex Poloniae in regni comitiis exhibuerat, et conſilium eorum expetere ſe oſtenderat. Obſtabant non ſolum Proteſtantes, ſed et quidam ex ſacro ordine et cancellarius ipſe, memores in quantas difficultates ob conſimileis Sigiſmundi Auguſti nuptias ſe Polonia induiſſet; ſicque judicabant, Caeſarem et ejus inſtigatu pontificem ſua heic commoda, non publica regni, quaerere. Tamen jam tum cuncti putabant, regem Caeſari ac pontifici morem geſturum. Quod et hoc anno accidit, miſſa perhonorifica, et egregio equitatu et carrucarum comitatu inſtructa legatione ad Conſtantiam novam nuptam in viri domum deducendam, quae VI Kal. Oct. [a] Pragam venit, et inde [b] Graeciam in Stiriam tranſiit. Nuptae parens cum Maximiliano archiduce ſponſae germano eam ad virum deduxerunt, et menſe Decembri Cracoviam venerunt. Peractis ſponſae Demetrio deſtinatae fiduciariis nuptiis, et dimiſſa ea cum parente, patruo, magnoque comitatu, rex de ſuis cogitare coepit, et legatum Moſcicum retentum iis intereſſe voluit. Magno ac magnifico paratu res acta. Menſae regis adſedit regina, et praeter parentem reginae ſponſae ſoror, quae Sigiſmundo [c] Bathorio Daciae principi nupſerat; ac praeterea Moſcicus legatus, multum fremente magni Etruriae ducis oratore, qui in altera menſa et infra Brandeburgici ſeptemviri legatum conſedit: ceterum Brandeburgicus cum de loco honorifico cum legato pontificio certare vellet, fruſtra fuit. Reliquus annus haſtiludiis, pompis nocturnis, et ludicris certaminibus impenſus eſt.

VI. Nunc horrendam, et ab omnibus aeque damnatam, conjurationem contra Magnae Britanniae regem initam, quae ſub exitum hujus anni detecta, ſequenti anno morte conjuratorum oppreſſa eſt, continua narratione exſequemur. Ad libellum ſupplicem pro libertate conſcientiarum a majorum religioni addictis in proximis comitiis oblatum, et a rege rejectum, fama erat, alium his proximis, quae jam aliquoties dilata erant, porrectum iri, qui non repulſae, ut prior, periculum, ſed conceſſionis vel ab invito extorquendae neceſſitatem adjunctam haberet. Itaque qui regni negotia ſub principe generoſo, ac minime ſuſpicioſo procurabant, nihil pejus veriti, in eo laborabant, ut petitiones, et iis adjunctam neceſſitatem eluderent.

Verum

INTERPR. [a] *Prague.* [b] *Gratz.* [c] *Bathory prince de Tranſilvanie.*

Verum non de gratia, de qua deſperabatur, denuo obtinenda, ſed de repulſa illa vel cum regni exitio, quod minime rebantur illi, vindicanda inter conjuratos agebatur. Principia ab Eliſabethae ultimis temporibus repetuntur. Tunc enim, ſicuti ex probationibus ac confeſſionibus poſtea conſtitit, Robertus [a] Winterus, cui ſe Oſwaldus [b] Teſmundus, qui et Greenwellus, e ſodalitio Jeſuitico, comitem addidit, ex conſilio Henrici [c] Garneti ejuſdem ſodalitii in Anglia praepoſiti, et Roberto [d] Catesbio, et Franciſco [e] Treſhamo e nobilitate inſtigantibus, nomine Catholicorum in Hiſpaniam ablegatus clam fuerat, cum commendatitiis ad Arturum [f] Creſwellum ex eodem ſodalitio in Hiſpania degentem literis, et mandatis ad regem, quorum haec ſumma erat, Ut exercitum in Angliam denuo ſummitteret, cui advenienti Catholici in armis praeſto eſſent: interim penſiones annuas aliquibus Catholicis e nobilitate aſſignaret. Praeterea regi inſinuaret, plures in Anglia eſſe nobiles, ac militares viros praeſentium rerum pertaeſos, qui facile ſublevata eorum inopia ad partes ſuas pertrahi poſſent. In tranſmittendo exercitu, cum praecipua difficultas eſſet ab equis, curaturos Anglos, ut ad omnes occaſiones bis mille equos inſtructos habeant; ea de re interventu Creſwelli cum Petro [g] Franceſa Philippi ab epiſtolis, et Franciſco [h] Sandovallio Lermae duce in arcano actum eſſe; et illum rem Philippo gratiſſimam fore affirmaſſe, et operam ſuam prolixe detuliſſe. Conveniſſe et inter eos de loco appulſus: nam ſi majores copiae eſſent, [i] Cantium et Eſſexiam; ſi minores, [k] Milfordum in Wallia opportuniſſima ad exſcenſionem viſa. A Philippo et promiſſa per Mirandae comitem decies centena aureorum CIↃ in illam expeditionem. His promiſſis oneratus Winterus in Angliam rediit, et quid egiſſet Garneto, Catesbio, et Treſhamo expoſuit. Haec ſuperſtite Eliſabetha: quae cum ſub id deceſſiſſet, Chriſtophorus [l] Wrightus rei conſcius, propere in Hiſpaniam mittitur, qui, morte reginae nunciata, negotium de penſionibus et expeditionem urgeret. Eodem miſſus Bruxellis a Gulielmo [m] Stanleio, Hugone [n] Oweno, et [o] Balduino, e Jeſuitico ſodalitio Guido [p] Fawkſus cum literis ad Creſwellum, ut rem acceleraret. Ei in mandatis datum, ut Philippo ſignificandum curaret, duriorem ſub rege novo Catholicorum conditionem fore, quam ſub Elizabetha fuerat; proinde a tam laudabili incepto ne deſiſteret: ad Milfordum patere Spinolae triremibus commodiſſimam exſcenſionem. Verum res cum reginae morte mutaverunt, et Philippus regie reſpondit, ſe petitionibus eorum amplius attendere non poſſe, quippe miſſis in Angliam, qui de pace cum novo rege agant, legatis. Itaque re cum Philippo deſperata, conjurati ad extrema conſilia devolvuntur, et ante omnia conſcientiam inſtruunt, eaque inſtructa ad facinus audendum obfirmant animum. Sic autem a theologis ſuis diſſerebatur: Regem deponere, regna concedere penes ſupremum eccleſiae judicem eſſe; atqui haereticos omnes ipſo jure extra communionem poſitos diris fidelium proſcriptionibus ſeparari, et quotannis in Coena Domini a pontifice excommunicari, idque locum habere non ſolum in haereticis profeſſis, ſed etiam occultis; quippe qui cum ipſo jure excommunicati cenſeantur, in poenas a profeſſis ipſo facto promeritas incidant: ex eo ſequi, reges aut alios principes Chriſtianos, ſi in haereſim incidant, deponi poſſe, et ſubditos eorum dominio protinus liberari; nec jus illud recuperari poſſe, etiamſi eccleſiae reconcilientur. Eccleſiam communem omnium parentem nemini ad eam redeunti claudere gremium cum dicitur, adhibita diſtinctione interpretandum eſſe, modo non ſit ad damnum et periculum eccleſiae: nam id verum eſſe, quoad animam, non quoad regnum. Nec ſolum ad principes hac labe infectos poenam extendi, ſed etiam ad eorum filios, qui a regni ſucceſſione ob vitium paternum pelluntur: haereſim quippe lepram et morbum hereditarium eſſe, atque ut diſertius res exprimatur,

INTERPR. [a] *Winter.* [b] *Teſmond.* [c] *Garnet.* [d] *Catesby.* [e] *Treſham.* [f] *Creſwell.* [g] *Franceſa.* [h] *de Sandoval.* [i] *Kent & Eſſex.* [k] *Milford haven dans le pays de Galles.* [l] *Wright.* [m] *Stanley.* [n] *Owen.* [o] *Baldwin.* [p] *Fawks.*

CIↃ IↃ CV.
HENRICUS IV.

exprimatur, regnum amittere: qui religionem Romanam deſerit, diris illum devoveri, abdicari, proſcribi; nec unquam ipſum aut illius poſteros in regnum reſtitui; quoad animam a ſolo pontifice poſſe abſolvi. His ſe rationibus cum ſatis tutos intus exiſtimarent, munimenta externa conjurationi quaerere coeperunt, atque inprimis ſecretum, quod confeſſionis fide et ſacramenti ſumptione obſignaverunt. In id conceptum inter eos juramentum, quo per ſanctam Trinitatem et ſacramentum mox ſumendum fidem obligant, ſe nunquam conſilium directe vel indirecte, verbo aut circumſtantiis ſibi communicandum declaraturos, nec ab illius executione deſtituros, niſi facta a ſociis poteſtate. Ita ad facinus non ſolum licitum et laudabile, verum etiam meritorium a theologis ſuis auctorati acceſſerunt. Coram Joanne Gerardo ex illo ſodalitio id praeſtitum; in id poſt confeſſionem ſacroſancto altaris ſacramento procurati, Maio proximo, primum ex conjuratis quinque, Robertus Catesbius, Thomas Winterus, Thomas [a] Percius comitis Northumbriae gentilis, Joannes Wrightus, et is quem dixi Fawkſus e Flandria evocatus. Catesbius auctor tragoediae non hunc aut illum aut ſingulos carpendos, ſed univerſos ſimul et eodem tempore conſpiratione amplectendos cenſebat. Sic enim apud ſe cogitabat, regem ſolum multis modis tolli poſſe, ſed nihil agi ſuperſtite principe et [b] Eboraci duce. Rurſus iis ſublatis, parum profici ſtante ſenatu tam vigili, tam ad omneis caſus intento; et ut ſenatus aut praecipui ex eo tolli poſſent, ſuperare magnates regni, tot prudentes viros, tot praepotentes comites, eidem ſectae addictos, quibus obſiſti vix poſſet, et qui auctoritate ſua, opibus et clientelis pares eſſent, ſi caſus ferat, ipſi per ſe rebus ſuis inſtaurandis. Itaque non per ſpiramenta, ſed uno ictu cunctos abſorbendos, et ſimul ac ſemel tam laudabili conatu, ut ad exitum perduci poſſit, defungi oportere. [c] Weſtmonaſterii domus eſt antiqua praecipuae dignitatis ac veneratione ſacra, in qua comitia regni celebrari ſolita, quod vulgo, voce a nobis ſumpta, Parlamentum vocant; ad ea rex cum familia maſcula, ſecretioris concilii proceres, epiſcopi, nobilitas Anglicana, primarii magiſtratus, et inferiore loco ex provinciis delegati, ex civitatibus, oppidis, municipiis, pagis denique, ſapientiſſimi conſultiſſimique viri conveniunt. Heic opportunum Catesbio viſum tamdiu recoctum conſilium tandem exſequi, et acto cuniculo, ſubjectaque magna vi pulveris nitrati, univerſos, qui ſinguli vix carpi poſſent, cum rege et familia ejuſdem ruinae involvere ruderibus. Igitur cum ea de re cum Percio ageret, et ille poſt vehementes de rege querimonias, in has voces irae impatientia prorupiſſet, Solum e tot malis effugium reſtare, ſi rex e medio tollatur, in idque, qua erat animi praeſentia, operam ſuam ultro detuliſſet, Catesbius cautior et vafra verſutia praeditus, impetum generoſi hominis inhibuit, et, Deus non ſinat, inquit, ut hoc caput bonis omnibus charum tanto periculo ſine fructu temere objicias: te ſoſpite ac tui ſimilibus ſalvis, qui religioni et reipublicae olim conſulere queant, res tentanda et patranda eſt. Tum conſilium ſuum verbis ad perſuadendum efficacibus aperit, et rationes ejus exequendi pari artificio proponit. Nec abnuit Percius, qui ſtatim aedeis loco vicinas et ad cuniculum agendum peropportunas conducit. Indicta anno ſuperiore comitia in ſequentem Februarium rejecta fuerant; medio tempore Thomas [d] Bates Catesbii famulus, homo manu promptus, et cui multum herus tribuebat, ex ſuſpicione in facti conſcientiam aſcitus, cum initio rei atrocitate permoveri videretur, ad Teſmundum remittitur, qui et Greenwellus vocabatur: nam ut lateant, binomines, ac trinomines fere ſunt: a quo perſuaſus, et rei merito demonſtrato, ad executionem mirum in modum confirmatus eſt. Poſtea Robertus [e] Keies, et poſt eum Ambroſius [f] Rookwodus et Joannes [g] Grantius conſilii participes facti. III Eidus Dec. inchoatum opus ſubterraneum

INTERPR. [a] *Percy.* [b] *York.* [c] *Weſtminſter.* [d] *Bates.* [e] *Keies.* [f] *Rookwood.* [g] *Grant.*

ſubterraneum, Chriſtophoro [a] Wrighto, et paulo poſt Roberto [b] Wintero Thomae fratre in ſocietatem aſſumpto: ſaepe opere intermiſſo, ſaepe repetito, tandem cuniculus ad curiae murum perductus fuerat. Verum ibi ſe nova difficultas offerebat, ob muri duritiem, et trium ulnarum craſſitiem, quo fiebat, ut non niſi longo tempore opus perfici poſſet, et pauci dies ad comitia reſtabant. Jam pertinacia operariorum medium murum paene pertuderat, et non deficientibus animis ſolum tempus defuturum videbatur, cum comitia in Octobrem menſem dilata ſunt. Tum deſperatio in gaudium vertit, cum certa rei exequendae fiducia; obſervatumque dum murum alacriter pertundunt, ſtrepitum ex altera muri parte exaudiri. Eo miſſus [c] Fawkſus, qui cauſam inquireret. Is renunciat cellam ibi ſubterraneam eſſe; inde carbones removeri, defuncto eo, qui cellam in illos uſus conduxerat. Igitur conjurati hanc cellam commodiorem rati, opera Percii et alteras aedeis locant, et in illam omneis opes, omneis ſpes ſuas conjiciunt. Ea erat loci opportunitas, nam throno regali fere ſubjectus erat, ea in tempore oblata occaſio, ut divinum Numen arcano conductu ſuis inceptis favere ſibi perſuaderent. Haec circa Paſchaleis hujus anni ferias acta. Pulvis nitratus per otium in cellam ex aedibus Catesbii, e regione curiae, ubi ſummo ſtudio antea congeſtus fuerat, convehitur. XX primum dolia immiſſa, et lignis ac faſcibus obtecta. Tum conjurati de eventu certi conſultant, quid poſt patratum facinus facto opus eſſet. Primum de interceptione principis, quem ad comitia cum patre non venturum ſub id intellexerant, contra quam ab initio putabant, inter eos actum; et huic ut a ſuis partibus alieno perniciem meditati fuerant, et ejus rationem invenerant. Proxima de pecuniariis ſubſidiis cura, cui et proſpectum ſatis putabant. Proſpectum et fuerat, ut proceres ac nobiles majorum religioni addicti, quantum fieri poſſet, periculo eximerentur. Poſtremo de externis principibus auxilio evocandis diſceptatum; ſed de fide ſilentioque anxiis non niſi poſt perpetratum facinus ad eos mitti placuit: nam vulgo ejuſmodi facta non ſolere niſi ex eventu laudari; de ſingulis deinde judicium interpoſitum. Hiſpanos magis opportunos videri, ſed remotiores, et in apparatu copiarum tardiores. Gallum vicinum, ſed formidoloſum, atque adeo ob arctam cum Batavis foederationem ſuſpectum. Praeſentiſſimum e Belgio auxilium. Inde ſubſidia commode exſpectari poſſe, quibus et dux [d] Stanleius deſtinatus eſt. Inde ut magis fallerent, nec ultro citroque ad ea loca commeando ſuſpicandi de ſe cauſam darent, diverſi abeunt; alii rus, alii longius extra inſulam, tempus executioni deſtinatum opperituri. Fawkſus in Belgium profectus, ut Stanleium et [e] Owenum de re omni certiores faceret, nec niſi Sextili exeunte in Angliam rediit. Catesbius, ne nihil ageret, interim Franciſcum [f] Treſhamum et Everardum [g] Digbeium partibus ſuis conciliat, pactus ab iis pecuniarum ſubſidium; et ille quidem bis mille libras Anglicanas, hic vero CIↃ IↃ pollicitus eſt: Percius de alieno largus, quicquid de [h] Northumbriae comitis reditibus corradere poterat, conferre pollicebatur. Ad ſuperiora interim, X dolia nitrati pulveris plena adduntur, et IV item majora, quod propter ſitum priora madore corrumpi poſſe ſuſpicio eſſet, et rurſus magna lapidum et lignorum ſtrue contecta omnia: jamque tempus comitiorum inſtabat, quae rurſus in Nonas Novembreis dilata fuerant. Igitur inter conjuratos conſultatio repetita, et deſtinati, qui, quo die facinus peragendum erat, Eliſabetham majorem natu regis filiam, quae in [i] Warwicenſi provincia apud [k] Haringtonium regulum educabatur, raperent, ex occaſione venationis, quam Everardus Digbeius rei conſcius inſigni paratu ad [l] Dunchurchum indixerat; eam reginam publice proclamare decreverant. Ipſi ſibi vindicum libertatis titulos ſumentes, nihil initio minus, quam ſe auctores facinoris profiteri, aut ullam de religione mentionem apud

CIↃ IↃ CV.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Wright.* [b] *Winter.* [c] *Fawks.* [d] *Stanley.* [e] *Owen.* [f] *Treſham.* [g] *le chevalier Everard Digby.* [h] *Northumberland.* [i] *la province de Warwick.* [k] *le Lord Harrington.* [l] *Dunchurch.*

CIↃ IↃ CV. HENRICUS IV. apud populum facere conſtituerant, ſed eam tam diu ſuſpenſam tenere, et edicto reginae nomine propoſito, magnis in praeſens oneribus levare, majoribus in poſterum promiſſis ineſcare, donec praevalente factione, vel gratia vel edictorum novorum ſeveritate, eum in partes ſuas et obſequium poſſent pertrahere, facti ſenſim invidia ſe prodentis interea cum tempore et cum fortuna miteſcente. Nec tanto tempore veniebat eorum cuiquam in mentem, quot circumſtantes undique innocentes, quot infantes, quot idem in religione ſecum ſentientes, quot bene de ſe forte meritos, ruina vaſta illa eſſet obrutura. Jam parata erant omnia, et ſcena ultimum actum exſpectabat, cum inſcrutabili Dei judicio, quidam ex iis, dum alteri ſalutem adferre cupit, ſibi ac ſociis exitium accerſivit. Decem ad comitia dies ſupererant, cum Saturni die ſub veſperam literae incerto auctore, incognito latore, ad [a]Montaquilium regulum tanquam ab amico deferuntur. Iis monebatur, ut primo comitiorum die a conventu biduum ſe abſtineret, magnum quippe et inopinum malum congregationi imminere. Ignota ſcribentis manus, et ſtudio ita compoſita ſcriptura, ut vix alicubi legi poſſet; non dies literis, non ſubſcriptio vel inſcriptio appoſita, et ambigua verborum ſeries. Quid faceret Montaquilius, diu in incerto fuit, contemneretne indicium, an ſerio animum adverteret; et ſi quidem ſolum ipſius periculum in eo verſabatur, fortaſſe contempſiſſet: nam inimicorum inventum eſſe poſſe, quo eum pavore inutili perculſum a conventu deterrerent. Verum, penſitato regis periculo, nihil contemnendum, et quicquid erat, ſecretos regis conſiliarios minime celandum judicavit. Itaque intempeſta nocte ad Robertum [b] Cecilium Sariſburii comitem, primarium regis ſecretarium ſe confert; et porrectis literis, quomodo eas acceperit, quam parvi eas ipſe faciat, ingenue aperit. Non pluris illas fecit Cecilius, neque tamen omnino negligendas cenſuit, eaſque primariis conſiliariis, Carolo [c] Howardo maris praefecto, Notinghamiae comiti, [d] [1] Worceſtrienſi et Northamptonienſi comitibus oſtendit. Re inter eos agitata, quanquam parvi momenti literae primo aſpectu viderentur, tamen nullum vel leviſſimum indicium, praeſertim ubi regis ſalus periclitatur, ſperni debere putaverunt; nec vitio verti poſſe ſolicitudinem in iis, ad quos majeſtatis regiae cuſtodia officio ac muneris neceſſitate pertinet. Aberat tamen rex, [e] Roiſtonum ad venationem profectus. Nihil niſi eo prius conſulto in eo negotio decerni placuit; ipſius in obſcure dictis animadvertendis perſpicax ingenium, et ambiguis ſolvendis felicem conjecturam aiebant conſiliarii ſe pluries expertos eſſe. Kalendis Novembribus rex urbem revertitur, continuoque in arcanum ſeducto, Cecilius, quid rei ſit, aperit, et literas oſtendit, quas heic inſeri, quoniam illae diſputandi inter ipſum ac conſiliarios materiam non ſine cauſa praebuerunt, ad tantae rei memoriam pretium viſum eſt. "Amicitia, quae mihi cum aliquot tuis neceſſariis intercedit, "facit, ut de tua incolumitate ſim ſolicitus. Monitum proinde te volo, quantum "vitam tuam diligis, ut excuſationem comminiſcaris abſentiae ab Ordinum con- "ventu: Deus enim et homines, concurſu facto, ad puniendam hujus ſaeculi im- "pietatem feſtinant. Noli hanc monitionem parvi facere, ſed diſcede quampri- "mum in provinciam tuam, ubi rei exitum ſecurus exſpectes. Licet enim nulla "ſe motuum indicia prodant, moneo tamen, terribilem conventus iſte ictum "ſentiet, nec videbit percutientem. Non eſt quod ſpernas hoc indicium. Prodeſſe "poteſt, nocere non poteſt: quippe praeterierit periculum haud ocyus, quam literas "has exuſſeris. Spero te, Dei beneficio, hoc conſilio recte uſurum, cujus te tu- "telae commendo." Lectis his rex, alioqui inſita generoſitate minime ſuſpicax, aliquid monſtri in iis latere conjecit, neque indicium negligendum dixit. Contra ab

INTERPR. [a] *le baron de Monteagle.* [b] *Cecil comte de Salisbury.* [c] *Howard comte de Nottingham.* [d] *les comtes de Worceſter & de Northampton.* [e] *Royſton.*

NOT. [1] *lege* Wigornienſi *Put.*

ab amente dictatas videri inquiebat Cecilius: nec enim hominem ſanae mentis, de periculo, quod tantopere cavendum ante monuiſſet, ita locuturum fuiſſe, Praeterierit periculum haud ocyus, quam has literas exuſſeris. Quantillum periculum illud eſſe, quod tam brevi momento evaneſceret? Contra rex, in cujus animo ſuſpicio prima jam radices altas egerat, ſuperiora verba illa urgebat: Terribilem iſte conventus ictum ſentiet, nec videbit percutientem. Dumque aliud ex alio per porticum inambulans profunde meditatur, venit in mentem, ſubitum a pulveris tormentarii ictu exitium his verbis deſignari. Nam quid magis momentaneum ictu pulveris tormentarii? Ab illo regis Sariſburiique colloquio ita diſceſſum, ut rex firmiter in conjectura perſeveraret, ille ad liberandum graviore cura animum principis, indicium quidem coram ipſo elevaret; interim apud ſe regis interpretationem praeter morem ac conſuetudinem, et ſuſpicandi facilitatem admirans, nihil ea in re ſpernendum duceret. Poſtridie coram rege ac conſiliariis re denuo agitata, placuit curiam et vicina loca diligenter perluſtrari, idque negotii datur magno Camerario, qui die Lunae, quae proxime comitia antecedebat, ſub veſperam, ut rumoribus occaſio praecideretur, cum [a] Montaquilio ad ea loca pergit. Domum a [b] Percio conductam ingreſſi ingentem in cella ſubterranea lignorum, faſcium, carbonum ſtruem deprehendunt; rogatoque [c] Wineardo regiarum aedium cuſtode, qui aderat, in quem uſum illa eſſent comportata, a Percio conductas aedeis cum cella, et acervum illum congeſtum fuiſſe didicere: praeterea aſtantem in cellae angulo [d] Fawkſum conſpicatus Camerarius, quis ipſe, et quid illi inibi negotii eſſet, interrogat; qui ſe Percii domeſticum, et illarum aedium per Percii abſentiam cuſtodem eſſe reſpondit. Quibus actis in regiam redeunt, et quid viderint exponunt, pejora quam prius conjectantes; nam Montaquilio ad Percii mentionem, venerat in mentem, illum majorum religioni ſumme addictum, ſibi dudum familiarem et amicum, fortaſſe etiam literarum, quae ſuſpicandi cauſam praebuerant, auctorem eſſe. Camerarius vero inter ſuſpicionum argumenta referebat tantam lignorum congeriem in illas aedeis, quibus rariſſime Percius uteretur, haud fruſtra comportatam fuiſſe, et domeſticum illum Percii in cella ſibi viſum cum efferato deſperati ac perditi nebulonis vultu: quae omnia ſuſpicionem regis augebant, qui amplius ſubterraneam illam ſcrobem ſcrutari voluit. Ne tamen, ſi nihil inventum fuiſſet, nimia ſe credulitate deridendos populo conſiliarii propinarent, tanquam ad leviſſimos quoſque rumuſculos contremiſcerent: inſuper veriti ne, dum Percium cum magnatibus regni praecipuis ſanguine conjunctum ſuſpectum habent, ipſum [e] Northumbriae comitem in criminis partem ex ſuſpicione devocare videantur; cum tamen ſalus regis adverſus ea praevaleret, ſic rem inſtruunt, ut perveſtigatio abſque ſtrepitu et citra cujuſquam injuriam fieret. Thomae [f] Kneveto equiti, Weſtmonaſterii juridico praefecto, mandatum, ut nocte concubia cum idoneo comitatu ad illas aedeis ſe conferret, ſecumque Wineardum duceret, colore quaeſito, quod ille aulaea quaedam et tapetes ſibi ſubrepta diceret. Eo profectus Knevetus domeſticum illum Percii, qui Fawkſus erat, et ſe mentito nomine Joannem [g] Jonſonum perhibebat, veſtitum et ocreatum, ante aedeis offendit, eique ſtatim manus injici juſſit. Inde in cellam penetrans ligna et carbones propere amovet, quibus amotis patuere inſidiae, doliolo pulveris nitrati ſeorſim primum reperto, moxque ſtrue illa ſepoſita, xxxvi diverſae magnitudinis dolia ibidem numerata. Tum ad captivum converſus, ejuſque veſtibus excuſſis, fomenta et treis funeis cannabeos, quibus lenta flamma alitur, in iis invenit. Ille vero in furto deprehenſus, et re deſperata, quam negare non poterat, crimen ultro confeſſus eſt, et interrita facie,

ut

INTERPR. [a] *le baron de Monteagle.* [b] *Percy.* [c] *Whinyard.* [d] *Fawks.* [e] *Northumberland.* [f] *Knevet.* [g] *Johnſon.*

CIↃ IↃCV.
HENRICUS IV.

ut erat obſirmato ad extrema quaeque audenda animo, inſuper addidit, bene illis eveniſſe, quod ſe ante aedeis, jam cella egreſſum, in qua erant parata omnia, offendiſſent; nam ſi intus eum nacti eſſent, non commiſſurum, quin ſe cum illis igne immiſſo contumulaſſet. Knevetus re detecta laetus, e veſtigio ſub horam quartam matutinam ad palatium venit, et [a] Sarisburienſem et aulae regiae praefectum rei certiores facit; qui protinus ejulabundi in cubiculum regis irrumpunt, et patefactas inſidias, auctoremque ſceleris cuſtodia ac vinculis teneri vociferantur. Sparſa fama, neque enim in tanto gaudio celari potuit, conjurati huc illuc diverſi abeunt, et [b] Holbechi ad Stephani [c] Litletonii aedeis in [d] Staffordiae finibus conveniunt. Eodem e [e] Warwicenſi et Worceſtrienſi provinciis conſcii, quanquam detectae rei ignari, veniunt, equis bellicoſis paſſim per domos nobilium raptis, quid rerum potentes effecturi eſſent ea re manifeſtum facientes, cum incerto adhuc eventu tanta audacia ubique graſſarentur. Magnum ad ſuas partes hominum numerum, atque adeo exercitum aggregaturum ſe confidebant factionis duces, ubi ſe primum in armis oſtendiſſent. Verum praefectis et vicecomitibus antea a rege, cum de conjuratione adhuc ambigeretur, per provincias diſcurrere juſſis, conatus eorum fruſtra fuit, vixque c ex omni illo numero in armis apparuere. Ipſi a Richardo [f] Walſhio provinciae Worceſtrienſis vicecomite necopinato cum valida manu ſuperveniente cinguntur, ita ut evadere non poſſent. Cum deſperata venia ad extrema ſe terrente conſcientia pararent, pulvis ſulfureus ad ſiccandum prope ignem poſitus ſcintilla delapſa inflammatus eſt, et obſeſſorum facies, latera, brachia, manus tam ſubito ambuſſit, ut tractandis armis plerique ex eo inhabiles, animos cum viribus amiſerint. Catesbius Percius manu promptiſſimi, cum Thoma Wintero, dum ſe ad aedium angulum contrahunt, glande plumbea uterque transfoſſi ſunt; Winterus ſaucius, in manus regiorum devenit. Utrique Wrightii interfecti, capti Grantius, [g] Digbeius, Rookwodus, Bates. Treſhamus, dum Londini ſubinde domos mutans latitat, interceptus eſt. Robertus Winterus et Litletonius diu per ſylvas vagi, tandem et ipſi in ſatellitum manus devenere, et omnes ad Londinenſem turrem carceri ſunt traditi. Interrogati extra tormenta, nam ſolus Fawkſus quaeſtioni modicae ſubjectus eſt, rei ſeriem, ſicuti eam memoravimus, ſinguli expoſuerunt, neminemque fere ex ſacro ordine oneraverunt; quod ſtudioſe ab illis factum multi ſunt interpretati, quia fide religioſe data aliter facere prohibebantur. Franciſcus Treſhamus cum Henricum Garnetum ſponte nominaſſet, antequam in carcere moreretur, ab uxore monitus, epiſtolam ad Sarisburienſem ſcripſit, et excuſata ſua praecipiti confeſſione, Garnetum, quantum in ſe fuit, adjuratione ſolemni interpoſita ita exoneravit, ut inſigni mendacio ſe implicaret, affirmans, Garnetum ſibi a ſexdecim annis non viſum fuiſſe;

CIↃ IↃCVI.

cum poſtea ex Garneti ipſius confeſſionibus conſtiterit, ante ſex menſeis proximos ambo diu ac ſaepius locutos eſſe. Digbeius rem, ut erat, confeſſus, facinoris, quam agnoſcebat, et deteſtari prae ſe ferebat, atrocitatem deſperatione excuſabat, quod facta ſpes eſſet novum regem in regni ingreſſu conſcientiarum libertatem majorum religionis cultoribus permiſſurum, ejuſque exercitium adhibito temperamento conceſſurum: quo contra ſpem negato, miſeros homines ad pernicioſa conſilia imprudenter prolapſos eſſe. Heic interſati Northamptoniae comes, et Cecilius, qui in ea cauſa cum [h] Nottinghamiae, Suffolciae, Wigorniae, Devoniae comitibus, judices ſedebant, nunquam de libertate illa regem ſpem feciſſe, aut fidem interpoſuiſſe affirmarunt: ſed factioſos eum rumorem maligne diſſeminaſſe, ut haberent, unde ſe ac ſui ſimileis excitatis in regno ſeditionibus excuſarent. Tandem convicti ac peracti rei, ad poenam legibus regni perduellibus et proditoribus infligi ſolitam damnati ſunt.

INTERPR. [a] *Cecil comte de Salisbury.* [b] *Holbech.* [c] *Littleton.* [d] *province de Stafford.* [e] *de Warwick & de Worceſter.* [f] *Walſh, ſheriff de la province de Worceſter.* [g] *Digby.* [h] *les comtes de Nottingham, Suffolk, Worceſter, & Devonſhire.*

ſunt. Everardus [a] Digbeius, Robertus [b] Winterus, Joannes [c] Grantius, et Thomas [d] Bates, juxta occidentalem portam majoris baſilicae S. Pauli, exeunte Januario Londini; poſtridie Thomas Winterus, Ambroſius [e] Rookwodus, Robertus [f] Keies, et Guido [g] Fawkſus, cuniculo manus admoviſſe confeſſi, in area veteris palatii juxta aedeis Parlamentarias [h] Weſtmonaſterii, extremo ſupplicio fuerunt affecti. Ob id exules plerique, et aut ſponte patrium ſolum mutare coacti, [i] Caleto perhumaniter a Dominico [k] Vico loci praefecto excepti ſunt, ſic enim a rege jubebatur; quorum unus tanta protervia repertus eſt, ut cum Vicus ſe vicem ejus ac ſociorum dolere oſtenderet, ſolatiique loco adjiceret, quod amiſſa patria natali alteram vicinam regis benignitate nacti eſſent: Atqui nobis, inquit, minime dolet, quod patria caremus, quod ſolum vertere cogimur; quippe cum patria bonis ſit, ubicunque bene eſt: hoc nobis vere et ex animo dolet, quod conſilium tam generoſum ac ſalutare ad exitum perducere nequivimus. Quo praeter ſpem audito, parum abfuit, quin Vicus hominem de conſilio a cunctis damnato gloriantem, prae ira in mare proximum abjecerit: ita enim narrare ſolitum ipſum Vicum memini, cum me paucos ante dies, quam a nobis abiit, pro antiqua neceſſitudine officioſe cum Alexandro [l] Delbenio inviſeret. Conjuratione detecta, inter gaudia publica, comitia ſumma ſecuritate ſunt celebrata; in quibus rex graviſſimam orationem habuit, et Dei inenarrabilem erga ſe, erga familiam, et univerſum regnum miſericordiam ſuper omnia opera ejus depraedicavit, re a circumſtantiis prolixe exaggerata, et hoc ſumma aequitate temperamento addito, ut non omneis majorum religioni addictos in illo crimine amplectendos diceret; plures quippe inter eos eſſe, qui quanquam pontificiis erroribus involuti, ſic loquebatur, nequaquam ſinceram in principes fidem exuerunt, et Chriſtiani hominis ſimul et integri ſubditi officium ſervant: ſe quoque viciſſim de iis bene exiſtimare, dignamque flammarum ſeveritate Puritanorum ſaevitiam ducere, qui pontificium omnino ullum in coelum recipi poſſe negant. Dignum et aequiſſimi principis prudentia illud, quod nullos externos principes aut reſpublicas, neminemque qui illis operam navat, huic conjurationi participaſſe, in ſuſpicionem venire poſſe judicet; quippe qui ex ſuo animo eos aeſtimet, idemque de ipſis, quod de ſe exiſtimari velit, ſentiat; ideo velle ac jubere, ut quando in comitiis de hac conjuratione agetur, de illis honorifice quiſque et loquatur et ſentiat: quod Hiſpanorum reſpectu additum, quibuſcum pacem nuper factam colere cupiens, nullam in eorum opinione alienati animi vel leviſſimam ſuſpicionis nubeculam relinquere voluit. Subjecit et hoc generoſe, velle omneis intelligere, cum in patrocinio Dei conquieſcat, hoc caſu minime turbatam animi ſui tranquillitatem; ac vovere, ut pectus ſuum pellucidum omnibus pateat, et in penetralia ſua ac receſſus populi intuentis aciem poſſit admittere.

CIↃIↃCVI.
Henricus IV.

VII. Ceterum cum ad exemplum et ſecuritatem publicam pertinere judicaret, ut ſevere in deteſtandi criminis auctores et conſcios animadverteretur, et quia ex literis, confeſſionibus, et actis probatoriis [m] Gerardum, alias Brokum, H. Garnetum, Oſwaldum, Teſmundum ſive Greenwellum, aut conſcios aut hortatores conjurationis fuiſſe ſuſpicio eſſet, edictum XVIII Kal. Febr. in eos conditur, praemio indicibus, et qui eos in judicio ſtitiſſent, propoſito, inſuper poena addita in illos, qui poſt edicti promulgationem in eo deſignatos hoſpitio exceperint, aluerint, occultaverint, aut omnino allaboraverint, ne tam horrendi criminis poſtulati invenirentur, aut comprehenderentur. Secundum haec perveſtigatio diligenter facta, et in latitanteis ſedulo inquiſitum; tandemque in [n] Abingtonii majorum religioni addicti aedibus, H. Garnetus, cum [o] Hallo, et Garneti famulo, deprehenſus Londinum ducitur,

INTERPR. [a] *Digby.* [b] *Winter.* [c] *Grant.* [d] *Bates.* [e] *Rookwood.* [f] *Keies.* [g] *Fawks.* [h] *Weſtminſter.* [i] *Calais.* [k] *de Vic.* [l] *Delbene.* [m] *Gerard.* [n] *Abington.* [o] *Hall.*

CIϽIϽCVI. HENRICUS IV.

ducitur, et in turrim tres illi conjecti ſunt. Infelix famulus, ne diritate tormentorum dominos inculpare cogeretur, aut alia deſperatione adactus, in carcere ſibi manus attulit, cultro obtuſo, nam acutum habere non licet, diſſecto abdomine et omento extracto; unde licet obligatis vulneribus, antequam interrogari poſſet, exſpiravit. Garnetus perhumane in cuſtodia habitus, ut ipſe poſtea publice profeſſus eſt, omnia initio pernegare; cumque nihil ab eo ſponte exprimi poſſe appareret; et rex ad vitandam calumniam contra eum, tormentis uti nollet, aſtu cautam ejus pertinaciam illudere ſtatuit, et aegre reſpondentem vel invitum ad ampliores confeſſiones adigere. Hominem ſubornat, qui crebris ſuſpiriis et frequentibus de rege ac conſiliariis ejus, et deploranda Catholicorum in Anglia conditione querimoniis Garneto ad extremum perſuaſerat, ſe pontificiis partibus addictum eſſe, et ita in intimam ejus familiaritatem irrepſerat. Huic ad foeminam nobilem, quae ob religionem in carcere attinebatur, et familiam ipſius Whitbiae et aliis locis aluerat, et erga commendatos ab eo jura hoſpitalitatis exercuerat, literas dederat; in quibus liberius, parce tamen perſcripſerat, quae jam confeſſus eſſet, quae nondum interrogatus; et qua ratione utraque, illa videlicet excuſare, haec poſſet tegere. Scripſerat ad Rookwodum presbyterum, qui in alio carcere captivus erat, literaſque intus atramento exaraverat, et familiaria quaedam quae a quovis legi poſſent, admiſcuerat, marginibus latis undequaque relictis, in quibus ſecreta citrii ſucco impreſſerat, negans ea omnia, quae coram proceribus libere erat confeſſus; et quantum ad Hiſpanienſem profectionem, ejus ſe a rege veniam impetraſſe dicebat; quantum ad ultimam hanc, ejus judicium declinare poſſe, quod idoneas probationes adverſus ſe deeſſe ſciret: ſi ſecus accideret, addiderat, ſuperbe de ſe plus juſto ſentiens, quod de mundi unico Redemptore pronunciatum eſt, neceſſe eſſe, ut unus homo moreretur pro populo. Literae a regis conſiliariis, quibus de aſtu ſuboluerat, ad ignem admotae, et ſcriptura latens ilicet apparere coepit, et fraudem prodere. Cum cuſtodi appoſito magis ac magis in dies fideret, ſummopere dixit ſe expetere cum Hallo ſocio colloquium; quod ille pollicitus ſe facturum, adduxit utrumque ad locum, in quo ſe facile invicem exaudire poſſent; et ubi ab utroque ad vitandam ſuſpicionem ipſe aſpici poſſet. Interim duos probatae fidei teſteis circa eundem locum abſconderat, qui inſciis illis, et in ſolum cuſtodem ſuum, qui longius receſſerat intentis, quicquid inter eos diceretur, exciperent; ibi uterque quod confeſſi eſſent, et de quibus interrogarentur, quas excuſationes ſive evaſiones, his verbis utebantur, ad ſingula quaeque praeparaſſent, et alia inſuper libere eloqui coeperunt, quae ab illis diligenter excepta, et ſcripto conſiliariis ſunt tradita; reis nihil dum tale ſuſpicantibus. Poſtridie regii delegati adſunt, et ſeorſim Garnetum et Hallum interrogant, objiciturque ſingulis, quod heſterna die inter ſe capita contuliſſent. Id ex conjectura dici ratus Garnetus, aſſeveranter negare, et per ſacerdotii characterem religioſe dejerare. Tandem Hallo jam factum confeſſo, ſe manifeſto teneri ſentiens, veniam aſſeverationi contrariae, quam detorta interpretatione, ſive aequivocatione, elevare conabatur, petiit, ingenueque, quod erat, ſe dicturum profeſſus; tam conſtanter hactenus negaſſe reſpondit, quod ſciret neminem, excepto uno, [a] Greenwellum intelligebat, de hoc nupero facinore poſſe ſuam conſcientiam arguere. Nunc cum videat ſe nube teſtium circumfundi, nolle amplius tergiverſari, et fateri quidem ſe ante V menſeis a Greenwello de re omni edoctum; antea in genere a [b] Cateſbio monitum, Catholicos in Anglia in religionis cauſa magnum aliquid moliri, et quaeſiviſſe a ſe, ſi in malorum ruina boni involverentur, an hoc ad conſcientiam pertineret. Se vero, qui contrarium a pontifice mandatum haberet, ne ſe ulli conſpirationi immiſceret, ulterius quidquam ſcire recuſaſſe. Preces quoque ſe fudiſſe, pro magnae cauſae eventu, et inter

INTERPR. [a] *Greenwell.* [b] *Catesby.*

inter alia hymno in eccleſia decantari ſolito uſum, nihil vero aliud, cum hoc faceret, cogitaſſe, quam ut Deum rogaret, ne graviores ullae leges in proximis comitiis contra Recuſanteis conderentur; ita vocabantur in Anglia, qui ſe domi continentes libertatem ſervant, et ſacris Proteſtantium participare detrectant. Vicies ab Eidibus Februariis ad VII Kal. April. interrogatus Garnetus, biduo poſt in Londinenſi tribunali publico judicio ſiſtitur: heic crimina reo objecta a Joanne [a] Croko equite commemorantur, quae longa oratione Edvardus [b] Cokus eques fiſci regii advocatus deinceps perſecutus eſt: deinde poſtquam Garnetus pro ſe, et de aequivocatione inprimis quaedam dixit, a Cecilio aliiſque qui in cauſa ſedebant judicibus, interrogatus et exagitatus eſt; ac poſtremo Northamptoniae comes longa et elaborata diſputatione in ipſum peroravit, in qua de auctoritate, quam pontifices ſibi in abdicandis principibus arrogant, fuſe agitur, et caput, *Nos Sanctorum*, ut ille aiebat, hujus conjurationis ac ſimilium baſis, amplius excutitur: tandem ſententia a primario capitalium cauſarum in Anglia quaeſitore recitatur, qua ſcitum, ut Garnetus traheretur, ſuſpenderetur, diſſecaretur. Unica hac excuſatione nitebatur ejus defenſio, quod licet de conjuratione diu ante fama et per rumores cognoviſſet, ſingularia enim ex ſolo Greenwello didiciſſet, verum id in arcano confeſſionis, cujus legibus prohibebatur quidquam ex illis retegere cuiquam mortali; monitum tamen a ſe Greenwellum, ut a facinore, quod ipſe magnopere improbabat, deſiſteret, et alios conſcientia illigatos impediret. Haec cum diceret, a Cecilio acerbe increpitus eſt: nam ſi ipſe, aiebat, factum improbabat, cur beneficium abſolutionis confeſſo Greenwello impertiebatur, antequam vere ſe factum et ex animo deteſtari per poenitentiam oſtenderet? Deinde a Catesbio cum notitiam rei extra confeſſionis ſigillum habuiſſet, hoc ſatis erat ad rem indicandam, ſi tantopere, ſicuti aſſerit, ab ea abhorruiſſet. Sed et alia reum onerabant, et inprimis haec inter confeſſiones ipſius manu exaratas, et ad regem miſſas; quod videlicet Greenwellus hoc illi indicaſſet, non tanquam peccatum, ſed tanquam actum, cujus ipſe notitiam haberet, idque in modum conſultationis; quod Catesbius et Greenwellus ad ipſum veniſſent, ut conſilium ſuper ea re ſuum exquirerent, et de toto negotio inter eos decerneretur: quod Teſmondus, ita tunc vocabatur, qui modo Greenwellus, atque ipſe, de ſingularibus hujus conjurationis dudum in Eſſexia ſimul conſultaſſent. Denique, quod cum Greenwellus rogaret, quis futurus eſſet protector regni? Garnetus reſpondiſſet, differri debere reſponſum, donec conatus finem ſuum ſortitus eſſet. Haec cum illi in memoriam revocarentur, et evincerent, aliunde quam ex confeſſione compertam ipſi fuiſſe conjurationem, nihil aliud reſpondit, quam, quicquid ſua manu conſignatum fuerat, verum eſſe. Ad ſupplicium ductus V Nonas Maias, die S. Crucis inventioni ſacro, Hoc ſe die huc veniſſe dixit, ut finis crucibus, quas in vita pertulerat, tandem imponeretur: ſupplicii cauſam ignorare neminem; in reticendo erga regem peccaſſe, et dolere ſibi, veniamque a regia majeſtate ſuppliciter expoſcere; machinationem contra regem ac regnum ſanguinolentam fuiſſe, et quam, ſi fuiſſet peracta, ipſe ex animo et intimis ſenſibus deteſtaturus erat: tam atrox et immane facinus Catholicos ſuſcepiſſe, plus morte ipſa ſibi dolere. Tum multa pro [c] Annae Valliae, quae carcere attinebatur, et magnam ejus cauſa invidiam ſuſtinebat, defenſione adjecit. Brevia ipſum quaedam ſuperſtite Eliſabetha Roma accepiſſe inſimulatus, quibus ipſe et Angliae proceres majorum religioni addicti monebantur, ſi miſeram illam foeminam ex hac vita excedere contingeret, alios principes non admitterent, quantumcunque proximitate ſanguinis niterentur, niſi ejuſmodi eſſent, qui fidem Catholicam non modo tolerarent, ſed omni ope promoverent; ea ſe, rege in regem accepto, flammis

CIↃIↃCVI.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Croke.* [b] *Coke, procureur-general.* [c] *Anne Vaux.*

CIↃIↃCVI. ſlammis aboleviſſe dixerat: et cum ſuper iis denuo interrogaretur, ad confeſſiones a

Henricus IV. ſe ſubſcriptas Henricum [a] Montacutum, qui eum interpellabat, rejicit. Edmundum [b] Bainhamum etiam ſub id Romam miſiſſe arguebatur, qui non prius quam facinore perpetrato ad urbem venturus erat. Quod ſic excuſabat, ut non ea de cauſa miſſum diceret, ſed ut pontificem de calamitoſo Angliae ſtatu doceret, ipſumque de via a Catholicis ineunda conſuleret. Itaque et ad confeſſiones ſuas itidem id remittebat. Tum ad preces in pegmate concipiendas flexit genua, et cum inter orandum ſubinde intermitteret, atque huc illuc circumſpiciens vitae deſiderio torqueri videretur, et veniam a principe indulgentiſſimo expectare, Montacutus illum admonuit, de vita amplius ne cogitaret: ſed ſi quid noſſet, quod regi regnoque fraudi eſſet, id brevi moriturus enunciaret, non enim jam tempus aequivocandi eſſe. Ad quae verba Garnetus commotior retulit, ſcire ſe tempus hoc aequivocationem non admittere: quouſque aequivocare liceat, et quando, ſuam jam alibi expoſuiſſe ſententiam; nunc ſe minime aequivocare, et plura quam confeſſus ſit, non noſſe. Tum ſe excuſavit, quod initio coram procerum conſeſſu ſimulate egiſſet; id feciſſe, quod non putaret, ea contra ſe indicia et probationes illos habere, donec coram produxiſſent: iis prolatis ſibi honorificum magis confiteri tunc duxiſſe, quam ſi ſe ab initio accuſaſſet. Multa et de Greenwello ad eum exonerandum adjecit, profeſſus ſe, niſi exiſtimaſſet illum extra aleam poſitum eſſe, non fuiſſe fratris chariſſimi conſcientiam in hac conſpiratione proditurum. Tum comprecatus, ut ſua cauſa Catholicis deinceps in Anglia pejus non eſſet, ſe cruce ſignavit, et poſt animam Deo commendatam, ſcala ſummota ſuſpendio vitam finivit. Apologiam pro eo ſcripſit Andreas Eudaemon-Joannes ex eodem ſodalitio [c] Cretenſis, ad actionem proditoriam Edovardi Coqui, ſic enim titulus praefert, quadriennio poſt publicatam, et a Claudio Aquaviva ſocietatis [d] praepoſito comprobatam, qua praecipue aequivocationis doctrina ex ſcripturis, patribus, ſcholaſticis, Thomiſtis defenditur et explicatur, et de ſecreti ſacramentalis neceſſitate ac materia diſputatur; capita accuſationis diluuntur, Northamptoniae comitis oratio refutatur; quibus et evincere conatur, Garnetum nunquam de conjuratione extra confeſſionem quidquam cognoviſſe, et a proditione ſemper abhorruiſſe. Tum de ejus in morte conſtantia quaedam adduntur, praeter illa quae actis comprehenduntur, et ad extremum pro coronide commentarii, hiſtoria memorabilis de ſpica, in qua effigies mortui poſtea viſa, adverſarios, ut ille ait, ſummopere perturbavit. Dum corpus a carnifice diſſecaretur, in paleam ad ignem accendendum paratam ſanguinis aliquot guttae deciderunt, ex eaque Joannes Wilkinſonus, qui aderat, ut aliquid reliquiarum ex corpore Garneti colligeret, ſpicam cruore aſperſam domum ſecum aſportavit, et apud matronam nobilem depoſuit, quae illam ſumma veneratione cryſtallo incluſit. Poſt animadverſum cum ſumma admiratione, effigiem Garneti in eo ſanguine expreſſam fuiſſe; tum magno aeſtu publicata miraculi fama, quam contraria interpretatione mox alii eluſerunt, cum dicerent, haud mirum videri debere, ſi homo Anglus in Belgio inter exules educatus, in Italia Romae recoctus, in patria ad conjurationem auctoratus, qui vindictam ſpirans, ſuorum, dum vixit, ſanguinem tam diu ſitiverat, mortuus ſanguine pingi meruerit. Adeo periculoſum eſt in iis, quae fidem et naturam ſuperant, quidquam ad cujuſquam gloriam his exulceratis temporibus dicere, quod non ſtatim in odium retorqueatur. Hunc exitum habuit conjuratio omnium, quae noſtri et priſci aevi temporibus memorantur, conſilio, audacia, immanitate maxime admiranda. Nam fando ubique acceptum, et fama ad poſteros tranſmiſſum, multos principes fraude caeſos, reſpublicas inſidiis petitas fuiſſe: at nulla tellus, nulla aetas tale conſpirationis monſtrum unquam

INTERPR. [a] *Montague.* [b] *Bainham.* [c] *Candiot.* [d] *general des Jeſuites.*

unquam aluit, in qua rex cum regina, parentes cum omni ſobole, ordines totius regni, totum denique regnum, et in eo innumeri innocentes, ut paucorum furioſorum libidini litaretur, uni exitio uno momento deſtinabantur. Sed bene habet quod monſtrum, quod illi ipſi, qui ejus cauſa invidiam ſuſtinent, et voce et ſcriptis ubique deteſtantur, tam diu domi conceptum, antequam in lucem exiret, in ipſo partu ſit ſuffocatum. Paulo poſt Iſaacus Caſaubonus, cum in Angliam profectus eſſet, nihil minus cogitans, quam ut huic ſe negotio immiſceret, ex occaſione alterius apologiae ad eum miſſae, et per eundem Magnae Britanniae regi oblatae, luculentam epiſtolam ad Frontonem [a] Ducaeum ſcripſit, qua Garnetum de conjuratione fulminali extra confeſſionis ſecretum cognoviſſe, ex ipſius confeſſionibus et teſtimonio manu propria exarato oſtendit; et aequivocationis doctrinam, ut inſidioſam ac pernicioſam contra Eudaemon-Joannis argumenta multis verbis exagitat: ad quam non Ducaeus, ſed Eudaemon-Joannes convicia copioſe [α] regeſſit.

VIII. SUBIT heic interim admirari, varie multiplicem et homini imperſcrutabilem Dei cuncta temperantis ſapientiam, in binis conjurationibus, quae in longe diſſitis terrarum partibus, ut alias apud nos omittam, eodem tempore coierunt; quarum altera ad evertendum vetus et legitima ſucceſſione delatum regnum ſuſcepta, inſigni ejuſdem benignitate detecta caruit exitu, conjuratis aut interfectis, aut ſupplicio adfectis: altera novo et incerto heredi a primario mundi imperio dejiciendo inſtituta, ſevero Numinis judicio finem ſuum accepit, et conjuratos incolumeis corona remuneravit; de qua nunc ordine dicemus. Moſcicam ſponſam, cum Moſcico legato, parente, et patruo ſponſae, et toto gynaeceo lente incedentem multi comitati fuerant, ſtudio longinquas provincias luſtrandi, et nuptialium orgiorum occaſione, tanti imperii magnitudinem et opes in publicam laetitiam effuſas viſendi: multi et lucri cauſa e Germania et Italia mercatores illuc profecti erant; quorum ſperata gaudia triſtis exitus fruſtratus eſt: nam plerique in illo ludibrio vitam amiſere; pauci ſine ingenti damno mortis periculum evaſere. Longinquitas itineris ex eo aeſtimari poteſt, quod cum exeunte Januario proximo in viam ſe dediſſent, tantum VI Kalendas Maias [b] Moſcuam appulerunt; ubi aliquot dies antequam in conſpectum mutuum venirent, conſumpti ſunt. Septimo poſt die Petrus [c] Buſmanius, qui in aula gratia pollebat, cum comitatu aulico, et ingenti nobilium Bojarici generis numero ſponſam in aream adduxit, in veſtibulo tubicinum, cornicinum, idque genus muſicorum inſtrumentorum vario concentu ſalutata, et a ſponſo perbenevole accepta. Viciſſim illuſtreis matronas et virgines obviam profectas humaniſſime ſalutavit, et ex gentis inſtituto in ea haud diu morata ad monaſterium, in quo ſocrus principis parens degebat, divertit, ubi uſque ad nuptiarum ſolemnia ſe contineret: quarto demum poſt die, jam cunctis ad magnificentiam comparatis, rurſus inde in conclave regaliter inſtructum deducitur, et poſtridie poſt preces veſpertinas ſolemnia celebrata ſunt, verba faciente Ruſſorum patriarcha. Regina itidem coronam ſumpſit ſolemni ceremonia, in qua ſceptrum, pomum, et enſis imperatori marito, hos enim titulos Ruſſorum princeps ſibi ſumit, praelata; corona imperatricis capiti imponenda pulvinari holoſerico rubri coloris, itidem praelata: templi parietes aulaeis ejuſdem coloris aureo filo fimbriatis regia magnificentia velati erant. Inde vir et uxor, uterque coronam capiti impoſitam gerentes, eadem pompa inter

grandem

VAR. LECT. [α] regeſſit: et rurſus ad ea in majore opere et alieno loco Caſaubonus reſpondit, melius facturus ſi amicos audiviſſet, neque ſe cum tali adverſario commiſiſſet; nam hodie in ejuſmodi diſſertationibus a moderatione verborum quae ubique ſervanda eſt, ad jurgia et convicia per contentionem fere deſcenditur; quae homines maleferiati, et ſuo, aliorumque otio abutentes, ſcriptis mandare minime dubitant, famam, cum benefactis nequeant, ex maledictis ſcilicet aucupantes: Quos probe ultus fuerit, quiſquis eorum ſcripta non reſponſione, ſed ne lectione quidem digna judicaverit. Subit heic *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Fronton du Duc.* [b] *Moſcou.* [c] *Buſmani* al. *Buſmanof.*

CIϽ IϽCVI. grandem muſicorum et bellicorum inſtrumentorum ſtrepitum, in arcem reducti ſunt; ubi nox, ut in tali re, hilariter tranſacta, non tamen vacuo a gravibus curis Demetrii animo. Multa illum, conjuratione ante VI menſeis adulta, et jam urgente, terrebant; adverſus eam externas opes et praeſidia novus princeps parabat. Et jam ab initio Germanos ſatellites ex Polonia adduxerat, quod cum Ruſſos aegre ferre intelligeret, tanquam qui plus peregrinis hominibus, quam indigenis regnorum ſuorum ſubditis fideret, eaque res etiam exemplo careret; nam neminem deceſſorum externo ſatellitio uſum; non ſatellites tantum, verum etiam cunctos aliarum nationum milites, quos circa ſe habebat, praecipitato conſilio dimiſit, Ruſſis rem gratam facturum ſe ratus. Illi vero ſine ſtipendio plerique dimiſſi, indignam meritis ſuis gratiam referri querentes, ad confinia cum Polonis itidem dimiſſis ſe contulere, et inaudita ſaevitia diu graſſati ſunt, quod Ruſſos jam alienatos non parum exacerbavit. Nec deerant procerum quorundam, qui vel Demetrii nataleis ſuſpectos habebant vel conſilia et mores non probabant, pronumque in externos et Polonos favorem indignabantur, inſtigationes. Inde in dies aliae atque aliae coitiones, quae primo per ſuſpectorum crebras quaeſtiones, flagellationes, exſilia, proſcriptiones, ſupplicia, caedeis imperatas irritatae magis quam repreſſae ſunt, et ad extremum in apertam defectionem deſierunt. Id cum periculo proximo praeſentiret Demetrius, dimiſſi militis ſera ſubeunte poenitentia, novum ſatellitium e Livonis et Germanis ſcripſit, quibus et e Gallis, Anglis, Scotis, centenos addidit. Gallorum id armorum genus, quod pertuſanas appellant, ferentium centurio erat Jacobus [a] Margaretus Sequanus, quem nos poſtea vidimus. Veſtitus iis ex [b] holoſerico auro intertexto. Inter Anglos Matthias [c] Cnotſemius, inter Scotos Albertus [d] Lanta centurionis officio fungebatur. Iis arma [e] bipennes, et veſtitus ex [f] holoſerico feſtis diebus, profeſtis ex [g] rubro panno optimo. Tum ſtipendia ſolito majora et pro dignitate procedebant, ſera et infirma adverſus peſtem imminentem ſubſidia. Paulo ante diverſo itinere Polonicus legatus venit Alexander [h] Goſenskius Corvinus, cum donis multi pretii, qui literas et a rege ſuo ad Demetrium habebat; quae, quia imperatoris et monarchae titulus adſcriptus non erat, nec acceptae nec reſignatae ſunt. Iis excuſandis acria nec Ruſſis ferenda verba a legato addita; iret, et Turcorum tyranno hos titulos eriperet: quae tamen caute Demetrius diſſimulavit, opes Polonorum jam ſalutareis expertus, et in poſterum neceſſarias judicans. Dies ſequentes inutiliter inter ludos et deſidiam conſumpti. Qui muneribus mercatorum pro more gentis accipiendis impenſus eſt, in Saturni diem incidit, feſto tunc inter Ruſſos maxime ſolemnem, et quem illi ſuperſtitioſe Paſchali praeferunt. Inde ad odium jam manifeſtum nova offenſio, cum viderent imperatorem ſuum et imperatricem coronatos in coenaculo pompa regali ſedenteis, acceptis donis nuptialibus, ſumptuoſum epulum tam ſuis quam exteris praebere. Aderat Polonus legatus, qui denunciari ante juſſerat, niſi locus in menſa principis, ſicuti Moſcico Cracoviae factum fuerat, ſibi daretur, ad convivium omnino ſe non venturum: quod enixe a Ruſſis primo negatum, ac tandem a Demetrio conceſſum. Multa in eo petulanter et licentioſe acta, ac fere inter rixas, Polonis quaſi victoribus in Ruſſos ſubjugatos intemperanter ac ſuperbe ſe gerentibus. Poſtridie in patinis deauratis fercula oſtiatim iis qui munera attulerant, circummiſſa: ſed ne quis munus munere compenſatum putaret, mox patinae repetitae. Inter tubarum clangores, et tympanorum ahenorum fragores, aliquot dies exacti; machinae etiam bellicae diſploſae, et ad caſtellum ligneum militari ſpecie ludicrum certamen commiſſum. Jamque conjurationis indicia undique afferebantur, ante novae

HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Margeret, de la Franche-Comté.* [b] *de drap d'or & velours.* [c] *Cnoetſen.* [d] *Lanti.* [e] *Halebardes.* [f] *de velours rouge cramoiſy.* [g] *de drap tanné avec des bords larges de velours.* [h] *Gonſenski Corvin.*

novae ſponſae adventum initae, ſed dilatae a Ruſſis, qui Polonorum ſpoliis inhiabant; qui et tantam de ea fiduciam ceperant, ut ne mora langueſceret, minime vererentur. Demetrius initio praefidens, tum demum metuere coepit, et Polonos, ut ſibi caverent, monuit; ipſe ſatellites novos omneis in aulam accerſivit. Jamque dies Veneris inierat; et cum hinc ad defenſionem Poloni, hinc Ruſſi contra eos ſe pararent; nam inter eos ſolum, non etiam contra principem, certamen futurum putabatur, ſub veſperam a proceribus populo denunciatur, ut poſtridie in armis praeſto eſſet: imperatrice interim ſecura, quae ingenti magnificentia epulum Dominica die celebrandum apparabat. Verum non ulterius cunctandum rati conjurati, Saturni die, qui in XVI Kalendas Junias incidebat, ſummo mane conveniunt, aggregante ſe ad eos non ſolum nobilitatis globo, ſed plebeia multitudine, moxque inter eos promiſcuus tollitur clamor ad Polonorum et Demetrii caedem ſe cohortantium. Alii praedae avidi confeſtim ad Polonorum hoſpitia properant, eaque obvallant, expugnant, diripiunt, caedibus cuncta permiſcent: alii ad arcem tendunt. Rari in ea ſatellites, quaſi mora in Demetrio ſecuritatem, in conjuratis alacritatem augeret, nec quiſquam praefectorum viſus. Margeretus ex morbo decumbebat, ſicuti mihi poſtea narravit, qui fuit illi [α] ſalutaris. Tanta celeritate ac furore res acta, ut plerique Ruſſi Polonorum more veſtiti, antequam agnoſcerentur, ſint interfecti. In arce cum pauci ſatellites arma corripuiſſent, moxque poſuiſſent, Petrus Buſmanius ad tumultum ſeminudus venientibus occurrit, et a domeſtico quodam ſuo confoſſus eſt. [a] Suiskius, qui agmen ducebat, altera crucem, altera gladium ſtrictum manu geſtans, ſub id majus tintinnabulum in incendii ſignum pulſari imperat, ut Demetrius excitaretur, et extra conclave procurreret; fama per urbem ad plebem accendendam ſparſa, Polonos in armis eſſe, et Ruſſos ad internecionem delere conſtituiſſe. Demetrius ſtrepitu excitatus, cum non jam incendium, ſed majus periculum inſtare cerneret, acinacem Turcicum corripit, et per feneſtram ſubito ſe demittit, praecipiti lapſu femore luxato, ex quo vix reſurgens, et claudicans ſtatim a circumfuſa turba capitur, et in majorem aulam, in qua oratores externorum principum audiuntur, Suiskii juſſu ducitur. Ibi cum quidam e Bojaricis proditionem, impoſturam, vitam ſceleratam ei injurioſe exprobraret; ille, ut erat ad iram promptus, acinacem, quem geſtabat, ſubito ſtrinxit, tantoque impetu libravit, ut hominem humi uno ictu ſtraverit. Inde ad proceres converſus humiliter rogavit, ut ſibi populum alloqui liceret, et quicquid erat, palam confiteri. Quod illi negatum. Alii aliter narrant, et cum ſe premi videret, a Suiskio contendiſſe, ut de impoſtura ſibi objecta per Joannis Baſilidae, quae in urbe erat, uxorem veritas exquireretur: nam ſi quidem illa ſe Demetrium non eſſe diceret, non recuſare, quin protinus morte afficeretur. Suiſkium autem foeminam e proximo monaſterio accerſi juſſiſſe, quae coram proceribus religioſe ſacramento adacta, Demetrium Joannis Baſilidae ex ſe genitum filium, ante plures annos inſigni Boriſſii perfidia immaniter occiſum eſſe affirmavit: ſe vero ad tantum populi favorem ac concurſum initio diſſimulaſſe, neque aegre vidiſſe et tuliſſe eum, quem teterrimo tyranno dejecto Demetrii veri ultorem a Deo ſuſcitatum putabat: quibus intellectis, cunctos in impoſtorem e veſtigio ruiſſe, cumque multis vulneribus confeciſſe. Haec ita in Petri [b] Paterſoni Upſalenſis, qui in Ruſſia tunc erat, relatione perſcripta ſunt: cum alii, qui de Demetrio adhuc dubitant, in conjuratorum invidiam torqueant, quod paucorum dierum princeps, cum ſuppliciter id peteret, publice non auditus ſit; et quicquid tandem confeſſus eſt, ab ipſis

caute

VAR. LECT. [α] ſalutaris; nam validus quid fidam ſed inutilem hero operam navaret, quid niſi potuiſſet contra tantam multitudinem? Et dum certam perniciem ſibi attuliſſet? Tanta *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Zchuiski.* [b] *Paterſon d'Upſal.*

caute ſit ſuppreſſum, et ſatellitem quidem Germanum qui aderat, cum herus interrogaretur, ne quid per illum emanaret, una interfectum fuiſſe. Ipſo autem crudeliter lancinato, funis per pudenda tranſmittitur, et corpus projectum per coenum ad forum trahitur, ubi miſerabili utique ſpectaculo, ut erat luto et ſanguine foedatum, per quatriduum in menſa extentum jacuit, et ſub ea Petri Buſmanii, qui fidem ſemel datam, conſtanter uſque ad exitum ſervavit, cadaver. Ad majus ludibrium ventri ſupino caeſi principis larva obſcoenae et prodigioſae deformitatis impoſita, inter gynaecei cimelia, ut aiebant, reperta, et fiſtula utricularis, qua Poloni ruſtici utuntur, ori inſerta, cum denario pro muſici cantus auctoramento, ſive ut alii interpretabantur, quem pro portorio tranſiturus ad inferos ſolveret. Haec crudelis laſcivia in mortuum exercita, quem vivum proceres nuper tanta veneratione coluerant. Sendomirienſem, quod diverſorium delectis firmatum haberet, inſeſſis aditibus claudere contenti, ad aliorum Polonorum domos diripiendas diſcurrunt. Multi ſe gnaviter defenderunt, nec inulta morte ad extremum numero victi ceciderunt. Unus [a] Viteneskius cum Ruſſorum impetus cum multa caede aliquoties repuliſſet, ubi machinas adduci vidit, vexillum album in deditionis ſignum extulit, pecunia per ſuos, qua patebat aditus, ſic enim juſſerat, ſparſa; cui legendae intento vulgo, ipſe cum ſuis gladio ſibi viam aperuit, magna ſtrage edita, et mox a Bojaricis ex arce ſupervenientibus in fidem eſt receptus. Miſera ſponſa non ſolum inaeſtimabili gaza, ſed mundo domeſtico ſpoliata, tantum de patre et patruo ſolicita, belle ſecum actum iri putabat, ſi, omni re exuta ceterum vita ſalva, in patriam, unde cum tanta pompa nuper venerat, reduceretur. Interea precarium ſpiritum ducens exigua ſpe, dum vulgi furor deſaeviret, ſine veſte qua ſe tegeret, ſine lecto cui incubaret, vili induſio velata exſpectabat. Nec militares tantum viri, et qui Demetrium ſecuti fuerant, ſed mercatores multi male habiti. Ambroſius [b] Cellarius praeter XXX aureorum CIↃ jacturam, in illo conflictu vitam amiſit. Jacobus [c] Winus proprio enſe capite truncatus. [d] Nathan vita ſalva CL florenorum CIↃ, [e] Nic. Limburgenſis L jacturam fecere. [f] Nemteſcius inſtitor Polonus, pridie quam caedes facta, Demetrio gemmas aliaſque merces pretioſas dederat. Duo Auguſtani ultra ducenties millium aureorum, quos Demetrio crediderant, debito defraudati. [g] Marcellius C florenorum CIↃ amiſit: alii in illo tumultu CIↃCC Poloni intercepti, plures a Bojaricis ſervati; CCCC Ruſſi deſiderati. Rabies tandem cum ſolis occaſu occidit, et nocte illa totis plateis altum ſilentium fuit. Vix a plebe furioſa impetratum, ut jacentium corpora, poſtquam in coeno per triduum volutata ſunt, in coemeterio Germanorum terrae mandarentur.

IX. SEDATO tam cruento tumultu, a Bojaricis in concilium itum; et prima ac inprimis feria de principe eligendo conſultatio fuit, ne vago imperio materia novis motibus ſubinde exorituris praeberetur. Ibi Suiskius, qui multorum favorem in ſe inclinare cerneret, quo ſibi magis eos conciliaret, et praeteritorum invidiam a ſe amoliretur, hac oratione uſus dicitur. Diriſſimi tyranni odio, proceres et cognati, et amici chariſſimi, multa a me admiſſa agnoſco, quorum piget poenitetve; ſed praecipuus erga principalem familiam cultus, et patriae charitas culpam excuſare debet, et jam in ea emendanda vobiſcum non parum elaboraſſe videor. Deus maximo huic inter Chriſtianos imperio principes antiqua origine et longa ſerie ductos dederat, quos Joannes Baſilides ordine ſucceſſionis excepit, qui quantumvis a multis injurioſe proſciſſus, tot regalis faſtigii, adjunctis ad imperium paternum regnis ampliſſimis, monumenta poſt ſe reliquit, ut quiſquis imperii amplificatione gaudet, non poſſit non magnopere ejus animi magnitudinem laudare. Ab eo olim miſſus pacem cum Stephano

INTERPR. [a] *Witeneski.* [b] *Cellari, Milanois.* [c] *Win.* [d] *Nathan, marchand d'Augsburg.* [e] *Nicolai, marchand de Lembourg Ruſſienne.* [f] *Niemetski.* [g] *Marcelli.*

Stephano Polonorum rege feci, ab eoque tempore ita in republica et pace et bello verſatus ſum, ut nemo ſtudium, curam, charitatem merito deſiderare poſſit. Vivis exempto Joanne, res labare coeperunt, Theodori infirmitate, ad quam et acceſſit fatalis orbitas, ut non tam virtute principis, ſicut antea, ſed alieno arbitrio imperium regeretur, uxore ſterili abdicata, uti per regni leges fieri oportuit et licuit; ne aliam duceret, qui impedivit, is, in imperio, ad quod jam tum aſpirabat, ſucceſſit, altero herede puero interim per ſicarios inſidioſe ſublato. Poſtea ſublato ipſo latentis veneni vi, ut creditum eſt, Theodoro, et occaſione adfinitatis Boriſſio, ad nominis inviſi mentionem horret animus, ad imperium evecto, quae non lamenta, gemitus, calamitates, ac deſolationes, toto, quo rerum potitus eſt, tempore, fuerunt? Itaque Demetrio, quiſquis tandem ille fuit, nam impoſtorem fuiſſe minime nunc ambigitur, venienti, et nos a jugo diriſſimi tyranni liberanti, fateor, manus dedi, et ut eum pro legitimo regni herede acciperetis, cum ſententiam meam rogaretis, ſuaſi et auctor fui. Sed mox ſubeunte poenitentia, cum pejora ab eo, quam quae nuper paſſi eramus, jure metuerem, religionem majorum periclitari, leges antiquas violari, exoticos mores invehi, libertatem patriam everti, externos homines cervicibus noſtris imponi cernerem, audacter reſtiti, et cultum qui legitimo principi debetur, huic novo tyranno cum vitae periculo deferre detrectavi. Dolet mihi ſummopere huic vitam debuiſſe, qui mortis jus in me non habuit; ſed debui, ut latroni, qui cum poſſet, non eripuit. Et tamen hic aliquandiu me ſcrupulus retinuit, dum plus famae, quam conſcientiae, et ſaluti publicae tribuo. Vicit tandem pietas, et patriae charitas; et cum vos viderem adeo bene animatos, me ducem vobis praebui, plus de regni incolumitate et magnitudine, quam de rumoribus ſolicitus. Itaque conſilium tam juſtum, tam honeſtum, tam neceſſarium ac ſalutare, atque utinam non tam cruentum, concordes una ſuſcepimus, quod Deus regnorum unicus diſpenſator exitu probavit. Nunc cum crudeliſſimum tyrannum a noſtris cervicibus depulerimus, nec ſit, qui praeſtigiis ſuis magicis, et impoſturis amplius Ruſſico nomini illudat, reſtat, ut extincta, proh dolor! antiqua principum ſtirpe, quem in familia non habemus, in republica quaeramus. Eum autem quaerere debemus, qui generis dignitate praecellat, et ante omnia majorum ſacra, ceremonias, ritus religioſe colat, cunctas virtutes ſublimitate regia dignas adjunctas habeat, experientia rerum per aetatem valeat, qui non pompa et faſtu majeſtatem regiam, ſed juſtitia et temperantia tueatur, qui firmas regnorum arces in ſuorum benevolentia ſitas putet, et populorum opes et divitias de aerario ſecurus proprias exiſtimet. Cum talem dico, fortaſſe me fingere putatis eum, qui non ſit, et vix eſſe poſſit? At boni et laudati civis votum eſt, eum optare principem, qui optimus ſit, aut ſi non ſit, qui talis eſſe a ſubditis exiſtimetur.

X. Quibus dictis miſſi in ſuffragia proceres protinus eum in principem delegerunt. Ille autem primo modeſte ſe excuſavit, et poſt gratias actas principatum concordibus votis honorifice delatum cupide amplexatus eſt. Id actum XIII Kalendas Junias. Ante omnia ſcripto publicato, ut jure caeſum Demetrium omnibus appareret; mortuo crimini datum, quod ex vili homuncione vitam monaſticam in coenobio, quod in arce eſt, profeſſo, ſe pro Joannis Baſilidae filio geſſiſſet; nam ei verum nomen Griskae, ſive [a] Gregorio Strepio fuiſſe; itaque nunquam coenobium illud intrare voluiſſe, ne a monachis agnoſceretur. Adoleſcentem autem bonis literis operam dediſſe, et hiſtoriarum lectione ſe exercuiſſe, muſices item peritum fuiſſe, eoque in genere miniſterii patriarchae aliquandiu inſerviiſſe; magiae itidem addictum fuiſſe, eoque maleficio multas victorias obtinuiſſe, et ad imperium perveniſſe, magna nominis Ruſſici infamia: objecta itidem haereſis, quod nec gentilitia jejunia aliosque

CIↃ IↃCVI.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Gregoire* ou *Grisky Strepy.* La relation de Paterſon met *Griska Trepija.*

alioſque dies feſtos, et ſolemneis in eccleſia Ruſſica ceremonias obſervet. Inſuper datam ab eo fidem pontifici Romano ad extirpandam majorum religionem; prolataeque pontificis literae, ſive verae ſive falſae, ut quod promiſerat, cito praeſtaret, et Jeſuitis templa, collegia, aliaque neceſſaria abunde ſubminiſtraret, adhortantis. Prolatae item et recitatae literae, quibus [a] Smoloſcienſem Palatino [b] Sendomirienſi ſocero, filiae uxori [c] Novogradienſem principatum, filiis vero ſoceri et affinibus [d] Dibirienſem praefecturam attribuebat. Objectum et quod de magnatibus et nobilibus interficiendis, et Polonicis familiis in eorum locum ſubſtituendis cogitaret: in id ſpecie certaminis ludicri tormenta muralia producta, quibus urbem oppugnaret, et in miſeram ſervitutem redigeret, et libertate Bojaricorum oppreſſa abſolutam in totum imperium poteſtatem uſurparet: querelae item cumulatae procerum et aliorum, quod nullus ad ipſum pateret aditus, multique non auditi a conclavis foribus per oſtiarios injurioſe repellerentur, cum Poloni intus admittebantur. Si qui audiebantur, jus petentibus minime reddebatur. Impenſae et nimius luxus mortuo exprobratus, quibus nullae opes, nulla vectigalia ſatis eſſe poſſent. Thronum ex argento inaurato ſibi fabricari juſſiſſe, cujus latera ſeni leones hinc inde gradibus diviſi ambiebant; quo faſtu nullus deceſſorum fuerat uſus; ut nec illo, quo ſceptrum et coronam ſibi tanquam regi praeferri voluit. Gemmis praeterea et unionibus aliiſque exoticis [α] mercibus coëmundis, tum immodicis in ganeones, paraſitos, moriones, citharoedos largitionibus aerarium exhauſiſſe arguebatur, magnam inſuper pecuniae vim in Poloniam miſiſſe, nullum interim benemeritis honorarium aut ſtipendium perſolviſſe. Additum horrendum crimen, quod Boriſſii filiae, cujus matrem et fratrem necari juſſerat, vitae gratiam feciſſet, ut eam poſtea ſtupro contaminaret; quodque monaſterium, in quo ſponſa diverſabatur, frequentans, indignis ſpectaculis, ſaltationibus, et impudicis cantiunculis profanaſſet, virginum devotarum aureis et oculos cum publica indignatione offendiſſet, pleraſque ex iis ſtupro itidem inquinaſſet. Monachos et alios devotos indignum in modum habuiſſet, quoſdam etiam flagris affeciſſet. Monaſteria ipſa rapacitate inaudita ſpoliaſſet, grandi pecunia ab iis mutuo ſumpta, quam nunquam erat redditurus. Omnium etiam damnorum, quae Poloni aliique milites dederant, culpa et odium in ipſum derivabatur. Ejus juſſu ſive praevaricante indulgentia [e] Aſtracam ſecundum Volgam late porrectam provinciam, ejuſque portus omneis, omni mercimonii e Perſia proxima advecti copia abundanteis, a piratis et praedonibus direptos. Poſtremo Polonorum tanquam in regno armis parto inſoleſcentium ſuperbia exaggerata, per quorum efferatam libidinem ne quidem licebat magnatum uxoribus in publicum prodire. Pleraſque etiam e domibus et quaſi e maritorum ſinu abreptas. Et cum frequentes querelae de hac inaudita protervia ad Demetrium deferrentur, nullum tamen in delinquenteis ſtatutum fuiſſe exemplum. Unum tanto tempore judicum ſententiis damnatum; ſed cum ad ſupplicium duceretur, occiſo carnifice a Polonis, quibus nihil non licebat impune, e lictorum manibus ereptum fuiſſe. Poſtremo ad plenam impoſturae fidem faciendam, cum ſub id inſolito his menſibus gelu fruges ubique aduſtae eſſent, plebs jam caedibus efferata id ad iram divinam [β] referens, miſeri Demetrii corpus, quod extra urbem loco profano conditum fuerat, ſubito refoſſum, et publico judicio igni conſumptum eſt, cineribus in aërem ſparſis. Verusne an falſus hic Demetrius fuerit, fama in ambiguo reliquit; quae ut eum nuper, diu poſtquam interfectus putabatur, blandiente primis auſpiciis fortuna ſuſcitaverat, ita rurſus poſtquam ab omnibus viſus mortuus

VAR. LECT. [α] profuſionis mercibus *MS. Reg.*
[β] referens, quae poena in votifragos tam viros quam foeminas lege regni ſtatuta expiata non eſſet, miſeri Demetrii *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *de Smolensko.* [b] *de Sendomir.* [c] *de Novogrod,* [d] *le pays de Dibirie: Fuverie* ſur la carte. [e] *Aſtracan.*

mortuus et creditus eſt, denuo per novum ludibrium ſuſcitavit, ſparſo rumore, alium rurſus pro Demetrio in arce occiſum eſſe; ipſum autem ſe cauta celeritate cum paucis in tutum ſubduxiſſe. Rumori ex eo fides acceſſit, quod in hippone XIV loca equis generoſis vacua in illo tumultu reperta ſunt, quos ille, ſicuti jactabatur, fugiens ſecum abduxerat. Itaque qui res turbatas in Ruſſia malebant, adjunctis ſibi Coſacis, genere hominum impacato, et ad praedas et violentiam militarem nato, cum [a] Suiſkium regno inauguratum minus patienter ferrent, hoc colore arma ſumpſerunt, et Demetrio nuſquam poſtea viſo, pro duce uſi, bellum cum Suiskio obſtinate gerentes, diu poſt Ruſſorum credulitati illuſerunt, fidemque primo Demetrio habitam hac nova impoſtura non mediocriter infregerunt.

CIƆIƆCVI.
HENRICUS IV.

XI. Post ſcriptum hoc ad leniendam facti invidiam publicatum, prima cura fuit, ut legatio in Poloniam decerneretur. Serius legati a Sigiſmundo admiſſi, cum motibus domeſticis in regno laboraretur, ineunte Januario. De [b] Sendomirienſi, qui interim arctiore cum filia cuſtodia tenebatur, praecipue querebatur novus princeps, illum clandeſtinis artibus, largitionibus ac promiſſis multorum in Ruſſia animos ſibi conciliaſſe, eorumque ope et auxilio maledictum illum monachum necromanticum et ſpurium, ſic Demetrium vocabat, in Ruſſiam cum filia traduxiſſe, qui nefarie occupato regno peregrinam religionem cultumque Dei his regionibus ignotum introducere, templa praecipua occupare, et tantas turbas dare auſus eſſet, ut CC amplius ſummae dignitatis proceres in iis perierint. Ceterum cum apud ipſum inventae ſint literae, quae fidem faciant, haec omnia conſiliis et ope Polonorum facta eſſe; itaque rogare ſuam majeſtatem Ruſſorum proceres, diſerte reſpondeat, an ipſe earum rerum particeps fuerit, et conſenſu ſuo probaverit: nam ſi juſſu ſuo facta ſunt, ſuam majeſtatem ſatis intelligere, pacem a deceſſoribus tam religioſe juratam eo facto violatam eſſe, et belli inter eos ſolam viam reſtare: praeterea petere, ut pecunia et alia ab impoſtore illo in Poloniam tranſmiſſa, ſi pacem malit, reſtituantur, et bona mercatorum a fiſco poſſeſſa veris dominis reddantur. Niſi faciat, decreviſſe bellum ipſi denunciare, ac in Poloniam cum potenti exercitu deſcendere, et conjunctis cum Carolo Sueco Sudermaniae duce copiis tantas injurias manu armata ulciſci. Ad haec Sigiſmundus, qui motibus inteſtinis regno laborante, gentem praeferocem nollet laceſſere, ſumma moderatione praeterita excuſavit, nihil ſe aut Sendomirienſem feciſſe, quo pacem inter Polonos et Ruſſos juratam violaſſe dici poſſent. Legitimum heredem, quem talem ſemper credidit, in regnum reductum: eo ſublato reſtare, ut damna utrinque accepta ſarciantur, et paci inter utramque gentem inſtaurandae rationes quamprimum ineantur. Ita ſine belli neceſſitate diſceſſum. Interea Poloni et Germani aliique ad CIƆ IƆ caute a Suiskio novo principe ad exonerandam Ruſſiam dimiſſi, XV Kal. Quintil. quibus, quia re omni ſpoliati erant, ſingulis veſtes ſingulae e panno vili donatae ſunt, cum exigua ſtipe, quae vix ad limitem deductis ſufficere potuit, ut per vias turpiter mendicare cogerentur. In tres autem turmas diviſa omnis turba, ne quid conjuncti in limite molirentur; CCC via, quae Smolenſcum ducit, IƆ in Livoniam, et IƆCC per [1] Vidim et [c] Ploſchoviam deducti ſunt.

JACOBI

INTERPR. [a] *Zchuiski.* [b] *le Palatin de Sendomir.* [c] *Pleskow.*

NOT. [1] Vidim. Il n'y a point de province de ce nom dans la Moſcovie; il faut que ce ſoit Vielika vers Pleskow. *Put.*

# JACOBI AUGUSTI THUANI
## HISTORIARUM SUI TEMPORIS
### LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS SEXTUS.

EPITOME.

*IN Polonia vaivoda Cracovienſis et Januſſius Ratzivilius turbas movent. Conventus invito rege indicunt. Rex armata manu in eos ducit. Concordiae rationes initae.* II. *Gedani monaſterio S. Brigittae, et Thorunae in Boruſſia majore urbis templo, Jeſuitae expulſi.* III. *Matthias Caeſaris frater poſt motus domeſticos in Hungaria compoſitos de pace cum Turcis ſerio cogitat.* IV. *Poſt Mechmetis obitum in imperio Turcico mutationes.* V. *Delegati de pace acturi ab utraque parte Camorram veniunt; re diſceptata* v *Eid. Nov. capita foederis conſcripta.* VI. *Boſtkaius moritur. Poſt ejus mortem in Dacia geſta.* VII. *Ad Brunſvicam in Germania res lente gerebatur. Tandem Julius obſidionem ſolvit.* VIII. *In Belgio Brevorda capitur et recipitur. Vehemens ventus. Spinola ex Hiſpania reverſo, de belli gerendi ratione conſultatur. Sluſae irrito conatu tentatae. Wouda et Hocſtrata moenibus nudantur. Spinola Lochumum caſtellum expugnat, Swollam verſus progreſſus repellitur. Grollam magna celeritate obſidet et expugnat. De Rinberca obſidenda ſerio cogitat. Loci ſitus. Cum Mauritius fruſtra ſuppetias ferre tentaſſet, obſeſſi cum hoſtibus tranſegerunt. Mauritius Venloam irrito conatu tentat. Poſt tot felices ſucceſſus ſeditio in caſtris Albertinis excitatur. Mauritius Lochumum capit. Poſtea tentata Grollae obſidio, ſed ſuperveniente cum exercitu Spinola ab ea diſcedit. Milites ab utraque parte in hyberna deducuntur.* IX. *Santacrucio marchione duce Hiſpani Dyrrachium, deinde Mahometam quoque in Africa occupant et diripiunt; ſed praedae intenti a Turcis caeduntur.* X. *Batavi claſſem ad infeſtandas Hiſpaniae oras, et intercipiendam claſſem Indicam mittunt; ſed fruſtra. Claſſis Indica in Hiſpaniam appellit. Batavicae claſſis ſubpraetoria navis perit.* XI. *Ex Joannis Uſſelingi conſilio ab Ordinibus in Americam navigatio ſuſcepta, et ſocietas in id inſtituta.* XII. *Infauſta Anglorum ad Guianam expeditio.* XIII. *Motus Embdanus rurſum pacatur.* XIV. *Philippi Hohenloi comitis, Joannis Naſſovii, et Joannis Andreae Auriae, obitus. Repoſita et a Caeſarianis inter Archiducem et Ordines pacis mentio.* XV. *Annus apud nos a pompis et choreis equeſtribus inivit. Regina Eidibus Februariis filiam enixa eſt. Max. Bethunius Ronius Sullii dux creatus.* XVI. *Rex ad Sedani obſidionem ſe parat. Duncherium tertio a Sedano milliari venit. Ibi de reconciliatione actum, et propoſitae pacis conditiones; in quas Bullionius facile aſſenſit. Diploma ea de re ad ſenatum miſſum ſine ulteriore diſceptatione promulgatum.* XVII. *Rex ad Germani-fanum aeſtate ineunte ſe contulit. Inde dum in urbem redit, ingenti periculo defunctus eſt. Gratiae Deo publicae actae. Regina Margarita Carolo Valeſio Arvernorum comiti de Catharinae matris ampliſſimis poſſeſſionibus litem movet. Cauſa in ſenatu magna contentione acta. Ad Blaudi-fontem Delphinus et ſorores ſolemni ceremonia ſacro lavacro abluuntur.* XVIII. *Senatus-conſultum Toloſanum in ſacerdotes qui in Miſſae canone orationem pro rege omittebant.* XIX. *Renovata et contra theſaurarios actio, et ſpecioſo Juſtitiae nomine Camera inſtituta.*

*inſtituta. Poſtulata ſacri Ordinis in regis conſiſtorio diſcuſſa ſunt. Concilii Tridentini promulgatio toties petita, a rege denuo eluditur.* XX. *Decretum antiquae libertatis pro tuenda regia auctoritate Burdigalae factum in cauſa Phil. Prenneti appellantis tanquam ab abuſu ad ſenatum a ſententia cardinalis Surdiſii urbis archiepiſcopi.* XXI. *Phil. Naſſovii cum Helionora Borbonia Condaei ſorore nuptiae celebratae.* XXII. *Virorum literis illuſtrium mortes, Sofredi Calignoni Navarrae cancellarii, Philippi Portae, Reginaldi Belnenſis archiepiſcopi Senonenſis, Juſti Lipſii, Heliae Putſchii.*

Ex auctoribus,

*Relatione Polonica*; *Pacis conventionibus inter Caeſarem et Hungaros, Turcam et eundem Caeſarem*; *Pompeio Juſtiniano, Imm. Meterano, Relatione Africanae expeditionis edita, Gaſp. Ens, Archivis curiae Pariſienſis, Papirii Maſſoni ſcripto publicato, Archivis curiarum Toloſanae et Burdigalenſis.*

# LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS SEXTUS.

SIGISMUNDUS Poloniae rex, confectis magna pompa et ſuis et Demetrii nuptiis, publica gaudia ſubito in anxiam ſolicitudinem verſa doluit; ſuis adverſos habuerat Joannem [a] Samoſcium cancellarium, et quoſdam e ſacro ordine, ac pleroſque e nobilitate. Sed praevalente Auſtriaca factione, quae a Jeſuitarum ſocietate adjuvabatur, parum eorum interceſſionem initio curare videbatur. Samoſcio regnum debere Sigiſmundum omnes ſciebant, qui alioqui auctoritate plurimum in eo valebat; ut qui nec a majorum religione unquam deſciverat, et ab omni factione alienus libertates regni ſumma fide ac conſtantia ſemper tutatus fuerat; verum eo ante annum vivis exempto, ceterorum offenſionem ſibi nequaquam extimeſcendam duxit, et ſus deque habere omnia, conſiliis cum altera factione captis, adverſantia prae ſe ferebat. Obfirmato ad ſuorum querimonias animo, ſero ſe in difficultatum nodos inextricabileis induiſſe ſenſit. Nicolaus [b] Zebrzidovius vaivoda Cracovienſis ea de re per literas cum rege expoſtulat, nullo exitu. Itaque in conventu [c] Corczinenſi, in quo [d] legati terreſtres, quos vocant, ad generalia comitia Warſaviae celebranda deſtinati eliguntur: ipſe qui praeerat, imminentia reipublicae pericula, ad quae rex, quantumvis ſuppliciter monitus, huc uſque clauſas aures habuerit, pluribus verbis oſtendit, et de vitio comitiorum cum pleriſque e nobilitate proteſtatur, iiſque abſtinet, et ſecum ſentientibus ad Stezicam publico diplomate univerſae nobilitati regni et magni principatus Lithuaniae conventum eodem tempore indicit. Rex cum paucis initio [e] [1] Viſlicam haud longe a Warſavia inter paludes ſubjectas ſaxo inacceſſo poſitam urbem conceſſerat, ibique collectis copiis ex occaſione conſilium capturus ſe continebat. Interim Cracovienſis communicatis cum Januſſio [f] Ratzivilio Pruſnae principe, primario e Lithuanica nobilitate viro conſiliis, foederatio pro regni tuenda libertate initur, et ipſe Januſſius ejus dux conſtituitur, titulo Mareſchalli, ſive aulici tribuni, eique [g] Stadniskius vicarius attributus, ambo Proteſtantium doctrinae addicti, et ipſe pugnacitate melior quam virtute, vitae licentioſae ultra modum deditus. Id regi ſignificatum cum eſſet, neque ad poſtulata reſponderet, rurſus alius conventus

CIↃ IↃCVI.
Henricus IV.

INTERPR. [a] *Zamoyski.* [b] *Zebrzidowicze Palatin de Cracovie.* [c] *de Corczin.* [d] *Nonçes des Terres.* [e] *Wiſlicza* ou *Wiſlicie.* [f] *Ratzivil duc de Prunski.* [g] *Stadniski.*

NOT. [1] Viſlica. C'eſt auprés de Cracovie au Palatinat de Sendomir.

CIↃ IↃCVI. conventus Lublinum indicitur, et juxta Sendomiriam convolat foederata nobilitas die conventus; qui demum [a] Rokoſſii nomine dictus, ab eoque foederati Rokoſſani poſtea denominati ſunt. Ibi confuſe et inſolenter res inter eos aguntur, ſparſa etiam voce, niſi rex poſtulatis ſatisfaceret, fore, ut de novo rege creando deliberarent, id quippe per juramenti clauſulam, qua rex inauguratione ſe obligat, licere. Quo cognito, rex a P. Sarga Hiſpano ex Jeſuitico ſodalitio, ſicuti jactabatur, perſuaſus, abrupto pacis negotio, eos armata manu invadere decreverat, niſi plerique milites proelium detrectaſſent; et inter eos quartani vulgo dicti, quod ex quarta vectigalium parte, quae a praefectis aerario infertur, ſtipendia illis procedant: ii ſuorum ſanguini parcendum, et a civili diſcordia abſtinendum vociferantes, res rurſus ad concordiam adducere conantur. Utrinque exercitus recedere juſſi; ſed longius Rokoſſani. Itaque ad locum condictum, quo per delegatos de pace ageretur, propter diſtantiam, ſuperveniente pluvia, convenire non potuerunt. Interim in IV ex iis, qui concordiae ineundae auctores fuerant, quod per eos factum diceretur, ut rei bene gerendae amiſſa eſſet occaſio, judicium inſuetum a belli incentoribus exercetur, et tres honoribus privantur, quartus in crucem agitur. Quo caſu irritati Rokoſſani, cum de pace cum rege deſperarent, rurſus aciem inſtruunt, et Cracovienſis cum Januſſio ſociatis viribus acrem in regios impreſſionem facit, ad CIↃ initio caeſis, et pluribus in fugam verſis. Verum quaedam admiſtae copiae aut pecunia aut promiſſis corruptae, cum ſuppetias laturae exſpectarentur, ſubito nec ulla vi coactae impetum primo inhibent, deinde ſe e proelio quaſi fugientes ſubducunt, magnaque perturbatione exercitum complent, et victoriam Rokoſſanis, ad quos inclinabat, ademptam in ambiguo relinquunt: denuo inde concordiae rationes initae, rege, ob recens periculum non abnuente, et Rokoſſanis ad eam ex neceſſitate compulſis. Heic rex ut Cracovienſi et Ratzivilio obviam progredientibus manum porrigeret, cum initio nulla ratione adduci poſſet, aliquandiu altercatum; tandem porrecta manu conventum, ut uterque proximis regni comitiis cum ſuis ad purganda crimina objecta, et ſeceſſionis ſuae rationes reddendas ſe judicio ſiſterent: fide data, ut neutri id fraudi eſſet. Stadniskius ſibi aliunde metuens, cum CIↃ delectis ſaluti conſuluit, ad quem perſequendum rex bis mille miſit, ſed nullo exitu. Hinc plus juſto ſoluta Polonorum licentia, hinc vehemens aſſerendae regiae majeſtatis in regno libero deſiderium, res exacerbabant: et quanquam ſaniores minime diffiterentur, publicae tranquillitatis intereſſe, ut nimia nobilitatis licentia adhibito temperamento reprimeretur, tamen Proteſtantes ſic judicabant, conſtituta regia poteſtate hoc agi ab iis, qui eam tantopere urgebant, ut libertas conſcientiis conceſſa labefactaretur; eoque magis id ſibi perſuadebant, quod Jeſuitae, qui conſiliis exoticis, ut illi aiebant, fere reguntur, auctoritate in illa aula pollebant; itaque per urbes Proteſtantium doctrinae addictas ex ea occaſione coitiones fieri, et querelas in aulam afferri. Poſtremo et decreta inconſulto rege contra eos facta.

HENRICUS IV.

II. [b] GEDANI inſigne monaſterium eſt devotarum virginum Sanctae Brigittae nomine, cujus patrocinium ad conſules urbis pertinet; in eo patres ſibi jus domicilii vindicabant, et ſacrificio celebrando, atque confeſſionibus audiendis attendebant, additis ad aurium oblectamenta ſymphoniacis et muſicis inſtrumentis. Moniti ut abſtinerent, cum ſemper pergerent, magiſtratus urbis auctoritatem ſuam interpoſuit, et VIII Kalendas Septembreis decreto in aedibus publicis facto patribus denunciandum curant, ut intra triduum e monaſterio demigrent, aſportata omni ſua ſupellectile: ni faciant, magiſtratum contra eos tanquam contumaces legum ſeveritate uſurum. Paulo poſt [c] Thorunae in Boruſſia proxima, conſules, ſenatus, judices, et civium delegati, decreto IV Eid. Octobreis facto, Petro [d] Laſſo et Valentino, aliiſque ex

INTERPR. [a] *Rokoſs.* [b] *Dantzick.* [c] *Thorn en Pruſſe.* [d] *Laſſez & Valentin.*

ex eodem ſodalitio collegis denunciant, ut majoris urbis templi, in quo, ut et in ſchola, ſpreto plebano, [a] Culmenſis epiſcopi auctoritate jus ſibi arrogabant, poſſeſſionem ipſis et plebano vacuam relinquerent: nam tranſactione cum plebano facta ita conveniſſe, ut jus patronatus integrum penes ſe maneret, templi cura et ſchola plebani adminiſtrationi commiſſa intelligeretur. Patres interim epiſcopi Culmenſis favore adjutos cum plebano connivente egiſſe, et, clam ordinibus urbis, ab eo obtinuiſſe, ut vicarii titulo contentus eſſet, ipſis baſilica cum domo paroeciali et ſchola cederet. Poſſeſſione vi decreti dejecti, ſuperveniente epiſcopo eam recuperant, et concionem publice in templo habent, omniaque curionum munia, ut antea, exercent; inde ortae inter ſenatum et epiſcopum, qui regium ea de re mandatum attulerat, contentiones, quarum is exitus fuit, ut proteſtationibus utrinque interpoſitis poſt epiſcopi diſceſſum ſenatus obtinuerit, et Jeſuitae domo paroeciali cedere iterum neceſſe habuerint. Ad injurioſam expulſionem additae contumeliae ſparſis libellis, et proſa rythmica, qua eorum ambitio, avaritia, et alieni invadendi cupido, verbis jocularibus ſugillabantur.

III. MATTHIAS, fratre Caeſare in otio ſuo ſegneſcente, cum diffidentia et procraſtinationibus ejus fieri cerneret, ut cuncta per Hungariam in praeceps ruerent, vicaria poteſtate ampliſſima, quam habebat, duo ſibi quamprimum facienda judicavit, ut motus domeſticos in regno ante biennium exortos componeret, et pacem, cujus jampridem mentio injecta fuerat, cum Turcis haberet. Res multoties agitata, antequam ad exitum perduci poſſet. Delegati a Matthia Paulus Sixtus [b] Traulſondus Falkenſtenii comes principatus Tirolenſis tribunus, Carolus [c] Liechtenſteinius per Moraviam ſupremus vicarius, Erneſtus [d] Mollarius liber baro inferioris Auſtriae item vicarius, Sigefridus Chriſtophorus [e] Brunerus liber baro inferioris Auſtriae camerae praeſes, Thomas [f] Ekbodius perpetuus Claudii montis Varadienſis comes, Georgius [g] Turſo ſupremus dapiferorum comes, Sigiſmundus [h] Forgatzius Nagradienſis comes regalium in Hungaria magiſter, et Ulricus [i] Krempurgus ab intimis Caeſareae majeſtatis conſiliis. A Boſtkaio Stephanus [k] Illiſhaskius comes, Thomas [l] Wichelius, Andreas [m] Oſtius, Paulus [n] Apponius Nagiaporius, ex nobilitate Hungarica viri primarii. Tandem capita conſcripta Viennae IX Kalendas Quintileis. Ante omnia de religione ante biennium factum decretum, quod extra diaetam adjectum fuerat, revocatur, et libera profeſſio cunctis regni ordinibus permittitur, abſque tamen praejudicio Catholicae Romanae religionis; ita ut ſacer ordo ſua templa integra et intacta retineat, et ſi quae turbarum tempore occupata fuerint, ſine mora reſtituantur. Pax cum Turcis quam aequiſſimis poterit conditionibus fiat. Tum conventum, ut Palatinus juxta ſtatuta per regis abſentiam electione ordinum conſtituatur, qui jus aequabile inter partes dicat, neque neceſſe ſit, magno regnicolarum damno ac vexatione jus a Caeſare longe in tribunali aulico petere. Interea is, qui a Caeſare conſtitutus, maneat, libera electione in poſterum ſancita. Petitum et ut corona, cum per tempora pacatiora licebit, cum bona Caeſareae majeſtatis venia Poſonium transferatur. Quaeſtoris item a Caeſare inſtituti nimia potentia coercita, ita ut neque ultra vectigalium, quae ad fiſcum principis pertinent, adminiſtrationem porrigi intelligatur. Libera nominandi epiſcopos poteſtas Caeſari relinquitur, addita clauſula, ne, qui epiſcopaleis ecclesias ejus beneficio habuerunt, in concilio admittantur, et ipſe homines ad eas dignitates e regno et nobili proſapia ortos,

INTERPR. [a] *de Culm.* [b] *Traulſon comte de Falkenſtein, mareſchal du comté de Tirol.* [c] *de Liechtenſtein gouverneur de Moravie.* [d] *de Mollar, libre Baron, gouverneur de la baſſe Auſtriche.* [e] *Breuner preſident de la Chambre de la baſſe Auſtriche.* [f] *Ekbodii comte de Mont Claud,* nunc *Oracimberg.* [g] *Turzo.* [h] *Forgatz comte de Nagradie.* [i] *de Krenburg.* [k] *Illiſchazki.* [l] *Wichelli.* [m] *Oſtie.* [n] *Aponi de Nagiporo.*

ortos, promovere teneatur. Cautum et ne Jeſuitae bona ſoli in regno poſſideant, et regum donationes juxta decreta regni et more ſolito fiant. Praefecturae Hungariae et annexae ei provinciae Sclavonia, Croatia, Dalmatia per Hungaros adminiſtrentur, eaeque a rege nullo religionis diſcrimine benemeritis attribuantur; in Trans-Danubianis duas arbitrio ſuo externis conferre poſſit. Novae per haec diſſidia conſtitutiones factae, quae motibus cauſam praebuerint, in proximis comitiis ad conſtitutiones annorum CIƆ IƆ L, LV, et LXIII exigantur. Tum coacervatae querelae de bonis a fiſco per has turbas poſſeſſis, et petitum, ut de iis amplius cognoſcatur. Thomae [a] Nadaſto, et Sigiſmundo [b] Ragotſcio [c] Balaſſae familiae heredi, quo minus legitima ſucceſſione bona delata poſſideant, impedimentum a fiſco non fiat: et hoc quantum ad bona ſoli; nam de mobilibus, ſeu direptis, ſeu donatis, ſive quavis alia ratione conſumptis, quoniam eorum reſtitutio facile fieri non poſſet, omnis in poſterum interdicta perſecutio: donationes item belli neceſſitate a Boſtkaio factae, ut in proximis comitiis retractentur, inſcriptionibus illis aut bonis, quae aut per Boſtkaium aut Stephanum Illiſhaskium oppignerata ſunt, eo uſque penes eos, qui illa poſſident, manentibus, donec ab Ordinibus de iis aliter decernatur; nullae in poſterum fiant inſcriptiones aut iſtiuſmodi bonorum conceſſiones. Privilegia nobilitatis ergo a Boſtkaio conceſſa et diplomata de ea re facta amplius diſcutiantur. Bona extraneis et arces attributas cum bona Caeſareae majeſtatis venia Hungaris luere liceat. Boſtkaio Tranſilvania, quae Sigiſmundi Bathorii fuit, cum arcibus annexis [d] Tocaio, Ugoska et Berega, [e] Zatmara oppido, item [f] Leiska, aliiſque Sigiſmundo Ragotſcio, et Sebaſtiano [g] Tekelio oppigneratis, quae illi redimere jus ſit, cedant. Decimas Agrienſes ultra [h] Tibiſcum Boſtkaius jure hereditario, intra Tibiſcum majeſtas Caeſarea poſſeſſum eat. Tituli iidem, qui Sigiſmundo Bathorio conceſſi. Quae ita locum habeant, ſi liberos in maſculina linea, et quamdiu ea durabit, ſuſcipiat; quae ſi non ſit, aut quandocunque deficiat, cuncta ei conceſſa ad regem legitimum Hungariae devolvantur, ita ut nullus conſanguineus vel affinis in iis ullo tempore jus ſibi vindicare poſſit. Si filiam relinquat, jure quartae, de qua cum Caeſarea majeſtate conveniet, ſit contenta. Baltazari [i] Kornicio, et Pancratio Senicio, qui propter fidem conſtanter Caeſari ſervatam in [k] Dacia proſcripti ſunt, bona reſtituantur. Corona a principe purpurato, qua de re ſupra dictum eſt, Boſtkaio donata, nullum regni Hungarici dignitati ac juribus praejudicium factum intelligatur. Poſtremo ad firmandum hoc inviolabile foedus et reconciliationem utrinque ſtabiliendam, praeteritorum ab Eidibus Octobribus anni CIƆ IƆ CIV ſancitur oblivio, ita ut nulla a quoque judice de iis in jure fiat, aut fieri poſſit perſecutio. De capite religionis, cum Caeſar poſtea tractatum ratum habuit, aliquandiu altercatum fuit; nec Hungari aſſentiri voluerunt, generali religionis nomine nequaquam contenti, quin ſpeciatim pontificiae, Lutheranae, et Calvinianae mentio fieret. Id actum XVIII Kal. Octobreis; ſtatimque admiſſi ad Matthiam legati ſancitam praeteritorum veniam, ſicuti convenerat, vicario nomine impetrarunt, atque e veſtigio ad [l] Serdarem purpuratum mittunt, qui eum de tota re certiorem facerent, ne quid hoſtile poſtea moliretur. Inter haec Boſtkaius qui Caſſoviae erat, ad pacem inclinans, homo miti animo, ſed credulo, et qui facile per ſuſpiciones incendebatur, et mente et corpore diſcruciabatur: [m] Pallantem Lippaium ſibi conciliatum, quem vicaria poteſtate exercitibus praepoſuerat, cum ex delationibus ſuſpectum haberet, quaſi de Caſſovia Baſtae tradenda conſilium in arcano iniiſſet, et tranſire ad Caeſarianorum partes cogitaret, comprehenſum, et ut ſe metu ſimul liberaret, judicio militari damnatum, ſupplicio

INTERPR. [a] *Nadaſdi.* [b] *Ragotski* ou *Rakoczy.* [c] *Balaſſa.* [d] *Tockay, Ugocha, & Beregs.* [e] *Zatmar.* [f] *Leiska.* [g] *Tekeli.* [h] *Theiſſe r.* [i] *Cornic & Senicii.* [k] *Tranſilvanie.* [l] *Serdar Baſſa.* [m] *Pallas Lippai.*

ſupplicio ante annum affecerat. Nec multo poſt veneno ſe petitum credens a [a] Cataio cancellario ſuo, qui ſibi morte principis principatum pollicebatur, et ipſum ex ſuſpicione comprehenſum ſecuri percuſſit; ejuſque loco Joannem [b] Jannuſſium ſibi fidum ſubſtituit, et Cataii dominio ad S. Jobum donavit. Ingraveſcente nihilominus morbo, etſi, quod ſumme expetebat, reconciliatum ſe cum Caeſare gaudebat, et cum Turcis in eo negotium eſſe, ut pax coiret, comitia ſuis Ordinibus ad Decembrem proximum indixerat; in quibus haec denuo, de quibus jam convenerat, proponenda decrevit, ut edicta ac conſtitutiones de Sectariis ignis ſupplicio adficiendis revocarentur, Palatinus in poſterum per regis abſentiam jus dicturus ab Ordinibus eligeretur. Rationes foederis nunquam violandi inter Hungariae regnum et Tranſilvaniae principatum percutiendi inirentur.

IV. HUNGARI Proteſtantes firmam cum Caeſare amicitiam habere ſe non poſſe providebant, niſi et Turci, a quibus per hos motus adjuti fuerant, cum Caeſare convenirent. Id multoties ante triennium tentatum fuerat, nullo exitu; hinc tumentibus in Pannonia animis, inde confuſis poſt Mechmetis obitum primis imperii auſpiciis in Porta Othomanica rebus. Achmeti filio puero pater moriens, quaſi tutorem Halim Aegypti purpuratum dederat, eumque Vezirem creaverat; qui in Hungariam ante biennium miſſus, non ſine veneni ſuſpicione Budae deceſſerat. Huic in munere [c] Remarinus ſuffectus, potius vicaria poteſtate, quam Veziris dignitate. Sub exitum anni Mechmetes paucorum dierum Vezir creatus, qui, dum ſarciendis a [d] Cicada acceptis damnis intentus cum ingenti exercitu ad bellum cum Perſis gerendum ſe parat, morbo fatali [e] Byzantii oppreſſus eſt. Hic ſucceſſorem habuit Derniſium hortorum praefectum, hominem juxta ſtrenuum et ſolertem, qui jam praefectura maris, ſpreto Cicada qui eam ambiebat et meritis ſuis deberi contendebat, a Sultano donatus fuerat. Is non tam de bello cum Perſis et Caeſare gerendo, quod intempeſtivum iſtuc temporis ſub principe puero judicabat, quam de pace cum utroque per aliquot annos habenda cogitabat; et cum praeſentia ſua principem gratiae locum melius ſe tueri poſſe putaret homo ambitioſus, aegre faciebat, ut quacunque de cauſa a Porta diſcederet. Dum cuncta ſolertia inſita moderatur, aeſtu abreptus, non ita ſibi moderari potuit, quin invidiae incendio correptus ſtatim conflagraverit, et artificioſis delationibus in illa aula traductus, principis, quem nuper tam indulgentem expertus fuerat, repente mutatam voluntatem ſenſerit, juſſu ejus clam ſummiſſis hominibus ſtrangulatus; qui tamen pedibus ſe manibuſque obſtinate defendentem non prius, quam crure vectis vi fracto humi ſtratum necaverunt. Huic ſuffectus Amurathes Serdar, qui deceſſoris ſui conſiliis ut imperio ſalutaribus in parte inſiſtens, cum res in oriente turbatas videret, ne ſimul cum duobus potentiſſimis hoſtibus, quod maxime Turci cavent, a tergo et a fronte bellum gerere cogeretur, eo diligentius ſibi faciendum cenſuit, ut pacem cum Caeſare haberet, et poſthabito Portae deſiderio ultro in Hungariam deſcenderet. Cicada, qui invictus bello dux in imperio Othomanico exiſtimabatur, poſt rem ſemel atque iterum contra Perſas infeliciter geſtam, cum ſe ad Erzirumum recepiſſet, reliquias ex ſtrage collecturus, ſive ut acceptas clades ulciſceretur, ſive ut eas inſigni facinore obſcuraret, [f] Gambolatum [g] Alepi praefectum ad ſe evocaverat. Ex [h] Curdis ille, qui utramque Euphratis ripam accolunt, praepotens opibus et clientelis, ne cum Perſis vireis ſociaret, a Mechmete conciliatus fuerat, et ampliſſima illa praefectura in confinio donatus; in qua cum ita verſatus per haec bella Cicadae videretur, ut potius ſuas res gerere, quam Turcici imperii amplitudini ſtuduiſſe videretur, evocatum, et tergiverſationis et pigritiae increpitum intempeſtiva ſeveritate necari juſſit: nec multo poſt ipſe moerore et ſuarum rerum

INTERPR. [a] *Catay.* [b] *Januſſi.* [c] *Remarin.* [d] *Cigala Baſſa.* [e] *Conſtantinople.* [f] *Gambolat.* [g] *Alep.* [h] *Curds* al. *Chourdes.*

CIↃIↃCVI. Henricus IV.

rerum deſperatione confectus, vitam cum morte commutavit, rebus admodum confuſis: unde occaſione ſumpta Gambolatus alter, ut patruum a Cicada perfidioſe, ut aiebat, interfectum ulciſceretur, copias cogit, et cum tumultuantibus per Aſiam conſilia et vireis jungit; cognitoque [a] Tripolitano, Damaſceno, et Gazareno purpuratis datum ab Achmete negotium, ut antequam Gambolatus majores vires colligeret, motus ab eo excitatos celeritate anteverterent, ipſe exercitum pari celeritate inſtruit, et Tripolitanum, qui Alepum verſus cum exercitu tendebat, antequam ſe cum Damaſceno conjunxiſſet, conſerto proelio fundit, ipſumque ingenti ſtrage edita, cum nuſquam tutum in terra perfugium haberet, per mare in Cyprum transfugere coëgit. Inde Tripolim profectus urbem diripit, et ad Damaſcum nuſquam comparente purpurato caſtra ponit, eo exitu, ut obſeſſi magna auri vi periculo ſe exemerint: et cum ſub id Tripolitanus collectis ex fuga animis in Syriam rediiſſet, non aliam praefecturae recuperandae, et res ſuas in provincia firmandi rationem reperit, quam ſi cum Gambolato ſe foederatione jungeret, et filia ejus ſibi deſponſata pro dote Tripolim amiſſam ab eodem acciperet. Hoc ſucceſſu Gambolatus cum praeter Alepum, etiam Damaſcum, et Tripolim et vicinos Arabas ad partes ſuas pertraxiſſe videretur, jamque ſub ſignis XL CIↃ bellatorum exercitum haberet, tamen cum animo provideret, belli Perſici praetextu mox totum imperii Turcici robur in ſe incubiturum, ut Sultanum placaret, ad Portam fidos miſerat, cum vectigali annuo, quod ex praefectura ſua aerario inferre conſueverat, qui juſtae ultionis neceſſitate factum excuſarent, et ſe in Sultani deinceps poteſtate futurum oſtenderent. Quod in praeſens diſſimulatum, minime tamen pro ſatisfactione acceptum eſt. Sub id et res incidit, quae Sultanum et purpuratos non mediocriter conturbavit, igne fortuito Conſtantinopoli, quod tamen praetorianorum occaſionem praedae captantium fraude factum multi opinantur, in Judaeorum regione accenſo, qui plus IↃCCC domos depaſtus eſt; jactura ad multa centena aureorum CIↃ aeſtimata.

V. Haec animo cum agitaret Serdar, pacis cum Caeſare negotium urgebat. Igitur delegati Georgius [b] Turſo, N. [c] Iſthuanius, Erneſtus [d] Mollarius, [e] Althemius Vienna profecti, quos Sigefridus [f] Colonitius cum delectis copiis comitatus eſt. Cum res adhuc in eo eſſent, ut a Turcis cavere ſibi deberent, [g] Camorram ſub Octobris initium venerunt, ubi parum res a tumultu abfuit, temulentia quorundam, qui in Auguſtanae confeſſionis concionatorem in ſuburbio populum alloquentem ſtrictis gladiis invaſerunt, et pueris ac foeminis, quae aderant, pedibus obtritis, cuncta periculoſo motu in illo templo miſcuerunt. Rei indignitate permoti ex delegatis quidam, et in iis Turſo Camorra ſe diſcedere paratum oſtendebat; vixque a Colonitio et Mollario retentus eſt, [h] Buchemio, [i] Kneveo, ac tubicine, qui cauſam ſeditioni dederant, in vincula conjectis; qui tamen re impunita poſtea dimiſſi ſunt. Adduxerant ſecum delegati Solimanum Budae purpuratum, qui jam ſeptem annis Viennae captivus attinebatur, et alterum Halim nomine, ut negotio majorem ex eo favorem conciliarent. Locus a Camorra ſeſquimilliaris ſpatio admodum opportunus repertus, in quo ab utraque parte delegati rapidiſſimis fluminibus ſeparati, de rebus ſuis ſeorſim conſultare, nec niſi navigiorum beneficio convenire poſſent. Eo cum Mansfeldicis, Hohenloicis, et Buchemicis equitibus Caeſariani, cum proceribus Hungaricis [k] Illiſhaskius, Turci cum XXIV navigiis egregie exornatis venerant, exeunte Octobri, et re diſceptata V Eid. Nov. in has conditiones tranſactum. Ab utraque parte loca munire, inſtaurare, denuo nova ſtruere, poſtquam limites ex partium conſenſu poſiti fuerunt, liberum eſto. In legationibus, conventibus, literis, actis imperator Romanus a Conſtantinopolitano pater, et hic viciſſim ab illo filius cognominator, cum hiſque

INTERPR. [a] *Baſſas de Tripoli, Damas, & Gazer.* [b] *comte Turſo.* [c] *Iſthuan.* [d] *de Mollar.* [e] *Altheim.* [f] *Colonich.* [g] *Comora.* [h] *Bucheim.* [i] *Knew.* [k] *Illiſchaski.*

hiſque titulis negotia ſine mora utrinque tractentur. Imperatoris titulus, regis, quod antea uſurpabatur, abolito nomine, utrique deinceps tribuitor. Tatari hoc foedere comprehenduntor, neque tempore pacis Chriſtianos infeſtanto. Pax in XV annos proximos fida eſto. Ea utriuſque imperii regna, provinciae, territoria, et univerſae domus Auſtriacae ditiones comprehendi intelliguntor. Si rex Hiſpaniarum cum Turcis convenire volet, ab utraque parte rei perficiundae rationes ineuntor. Depraedationes, incurſiones, latrocinia, utrinque prohibentor: ſi qui contra facere auſi fuerint, ab utraque parte ſevere puniuntor, et damna data ſarciuntor. Nullae coitiones aut clandeſtina conſilia ad loca per hoc tempus intercipienda, aut inſidias ſtruendas ineuntor. Maleficis receptus non praebeatur; ac praecipue in Hungaria ad tollendam omnem diffidentiae cauſam, mercatoribus et utrinque commeantibus a limitaneorum locorum praefectis literae ſecuritatis ultro ac ſine ulla exactione praebentor; et poſt tranſactum per eos negotium loca ex conſenſu partium, in quibus nundinae et fora exerceantur, pro libero commercio deſignantor. Penes [a] Javarini praefectum, et Budae purpuratum de controverſiis decidendis plenum jus eſto; qui, ſi res majoris momenti incidat, de qua convenire inter eos non poterit, ad principem remittunto. Captivi dimittuntor et permutantor, ſecundum ea, de quibus cum Caeſare [b] Gallo Budae convenit. Rodolfus Caeſar oratorem ſuum cum muneribus quamprimum [c] Byzantium mittito, et viciſſim ſuum ſtatim poſt illius adventum Achmetes Pragam itidem cum muneribus mittito. Singulis trienniis alter ad alterum legatum mittito cum muneribus; quantaque et qualia alterutri mittere libuerit, liberum eſto.

VI. MAGNA haec utrinque laetitia peracta, et poſtridie Budenſis purpuratus lautiſſimo convivio Caeſarianos et Hungaros excepit; et poſt convivium ſingulis generoſos equos donavit. Mora tamen Caeſaris Matthiae fratri invidentis, et fatali poſtremoque ipſi damnoſa procraſtinatione effectum, ut res diu poſt exitum non habuerit. Nec diu poſt Boſtkaius, qui tantopere cum Caeſare et Turcis pacem expetiverat, morbi vi incurabilis oppreſſus, fruſtra tentatis remediis, aerumnoſam vitam et brevem principatum exeunte anno aetatis LI finivit, Jannuſſio, quem nuper cancellarium creaverat, prius monito et rogato, ſicuti jactabatur, ut fidem Caeſari ſervaret. Nec ejus morte Hungarorum Proteſtantium cum Caeſare et Auſtriaca familia diſſidium quievit. Mortuo Boſtkaio Ciculi et Proteſtantes in [d] Dacia cum paſſim fremerent, proceres, qui tumultum vitatum cupiebant, [e] Claudiopoli conveniunt, et expeditum viſum, ne vacua rectore provincia ad arma civilia, ſicuti antea, deveniretur, ut principem ad tempus deligerent, cujus praeſentia et auctoritate motus in dies invaleſcentes componerentur: is fuit Sigiſmundus [f] Ragotſcius, vir in Dacia primarius, pacis cupidus, et ab omni ambitione alienus, quod exitus docuit; eique fidei ſacramentum in primario urbis templo dixerunt. Inde Viennam legatos ablegant, qui cum IV Eidus Martii [g] Poſonium veniſſent, religioſe teſtati ſunt, in conventu, quod feciſſent, non ad defectionem a Caeſare, quem ſupremum dominum ſunt ſemper habituri, ſpectare, ſed ut obviam iretur occultis Tranſilvaniae ac Hungariae procerum molitionibus, qui de novis motibus cogitantes huic principatui inhiabant. Quaeſitus color primum Auſtriacis viſus, qui Daciam quavis ratione in poteſtate habere ſatagebant; qui tamen excuſationem pro tempore in ſpeciem accepere in bonam partem. Ragotſcii illud praeclarum fuit ſummae moderationis et aequitatis documentum, quod cum Rokoſſani ab eo poſtularent, ut vireis ſecum, ac conſilia in cauſa communi conjungeret, ille praefracte reſpondit, ſemper ſe a bello civili abhorruiſſe, et ſummam impietatem duxiſſe contra principem ſuum arma ſumere; eoſque

INTERPR. [a] *Raab.* [b] *Gallo.* [c] *Conſtantinopole.* [d] *Tranſilvanie.* [e] *Clauſemburg.* [f] *Ragotski.* [g] *Presburg.*

CIƆ IƆ CVI.
HENRICUS IV.

eoſque qui id faciunt, indelebili apud poſteros infamia laborare: id quantum in ſe eſſet religioſe vitaturum; proinde ſi Deum placatum habere cuperent, principi ſuo ſe morigeros praeberent. Verbis poſtea fidem aſtruxit, cum ſe ſponte Daciae principatu abdicavit. Itaque Gabriel Bathorius, non e [a] Somlio, ex qua familia ſuperiores Bathorii, qui in Dacia et Polonia diu regnaverunt, orti ſunt; ſed ex Bathorio longe antiquiſſima ac nobiliſſima, in principem ab iis, qui libertatem et religionem, quam profitebantur, ſalvam cupiebant, delectus eſt. Verum haec ad annos ſequenteis pertinent. Severe et in eos, qui [b] Strigonii dedendi auctores fuerant, et belli duces vi ad id adegerunt, animadverſum. Leonardus Fridericus [c] Schlekerus Stugardianus ad patibulum damnatus, amputata prius dextra, et lingua extracta, interventu amicorum ſecuri percuſſus eſt. Eadem gratia, Mansfeldii comitis cui militabant interventu, Joanni Michaeli [d] Schorero Turingo, Joanni [e] Hopfio, Adamo Lindawero, Philippo [f] Duro, et Gaſpari [g] Zielhartero, facta. Joannes [h] Lantenbergerus in quatuor partes ſectus eſt, ſed capite prius truncato. Joannes [i] Biſchoffius cum XI obſcuri nominis laqueo vitam finivere. Jeremias [k] Strelinius, Paulus [l] Schmidius, Joannes [m] Schauberus, [n] Etingerus et [o] Bartenius Ferdinandi fuga elapſi, ad crucem damnati ſi comprehendi poſſent; interim ad patibulum nomina eorum affixa, ut et eorum, qui Strigonii remanſerunt, qui, ſi capi eos contingeret, haſtis objicerentur. N. [p] Valla Dampetrae comes ſub cuſtodia et aliquandiu detentus fuit.

VII. AD Brunſvicam proximam in Germania res lente gerebatur, Daniae rege ab obſidione digreſſo, et Hanſeaticis civitatibus copias ſtudioſe cogentibus, omnemque diligentiam adhibentibus, ut Julium a temerario conſilio averterent: itaque diploma Caeſareum in eum et [q] Danum ſororium tanquam [r] Holſatiae principem et imperii membrum, quo ambo citabantur, addita excommunicationis, ni parerent, denunciatione, [ſ] Francofurti ad Moenum, Gieſſae, Arnhesburgi, Suſati, Lippae, Lengoviae, Bremae, Hamburgi, Lubecae, Dreſenae, Lipſiae, Magdeburgi, Luneburgi, Hildeſhemii, Spirae Nemetum, publice proponendum curaverunt. Fruſtra propoſita a Julio capita, quae ut iniqua Brunſvicenſes rejecerunt. Tandem exeunte Januario Ordinum inferioris Saxoniae legati quatuor curribus vecti ad urbem venere, et quatuor hebdomadum inducias ſanxerunt; quibus durantibus, ſic enim Julius praefracte voluerat, ab utraque parte in opere minime ceſſaretur, idque a Julio additum, ut aggerem a ſe ſtructum ad immittendas in urbem aquas, in quo ultimi conatus fiduciam repoſuerat, per illud tempus inſtauraret. Demum VII Eidus Februarias ad urbem tubicinem mittit, et in urbis impreſſione captos praefracte dimitti petit. Verum ad induciarum conditiones a ſenatu remiſſus eſt, quibus cavebatur, ut dimiſſis prius quos ipſe detinebat, et perſoluto pro ſuis pretio, neque aliter dimitterentur. Accepto reſponſo, Julius poſtridie cum toto exercitu ad portam [t] Petrinam ſubſiſtit circa ſanctae crucis monaſterium, juſſu ejus, tempore obſidionis, flammis conſumptum, et miſſis in urbem tympaniſtis, quid de captivis facere decreviſſent, ſenatum rogat. A diſploſione tormentorum abſtinebatur, ſed quaſi induciae non eſſent, de cetero diligenter cuſtodiae obibantur. Idem quod prius cum reſponſum eſſet, ille in opere adſiduus ſe ad aliquot dies continuit. Interea advenere ab Hanſeaticis civitatibus collectae copiae, quae Danos auxiliareis vi facta male mulctarunt, captis aliquot curribus pulvere et armatura onuſtis, non ſine Julii gravi querimonia inducias violari clamitantis. Sub id a Caeſare delegati VIII Kalendas Martias in caſtra venere, qui cum Saxonicis urbi cum Julio reconciliandae ſedulam operam navarunt. Petebat ſenatus,

INTERPR. [a] *Somly.* [b] *Gran.* [c] *Schleker de Stutgard.* [d] *Schorer de Thuringe.* [e] *Hopffen & Landawer.* [f] *Duren.* [g] *Zielharter.* [h] *Lantenberg.* [i] *Biſchoff.* [k] *Strelin.* [l] *Schmid.* [m] *Schauber.* [n] *Etinger.* [o] *Barten.* [p] *Du Val comte de Dampierre.* [q] *le roy de Danemarck.* [r] *le duc de Holſtein.* [ſ] *Francfort ſur Mein, Gieſſen, Arnesburg, Zoeſt, Lippe, Lemgow, Breme, Hamburg, Lubeck, Dreſde, Leipſick, Magdeburg, Luneburg, Hildeſheim, & Spire.* [t] *porte de S. Pierre.*

ſenatus, ut Julius ante omnia mandato Caeſareo pareret, et copias dimitteret, deinde ut ſumptus refunderet, et ruinas in urbe et agro circumpoſito a ſuis illatas ſarciret: inſuper ſponſores daret, nullam ſe deinceps ex improviſo impreſſionem contra urbem tentaturum: ac poſtremo dimiſſis copiis, aggerem et alteras munitiones demoliretur. Interea obſtructo aggere, ſurgebant aquae; jamque III Eid. Martias ad eam altitudinem excreverant, ut in foro ſtaturam hominis exſuperarent, et per vicos niſi ſcaphis tranſiri non poterat, templis et inferioribus domorum ubique reſtagnantibus, et piſtrinis, furnis, molendinis corruptis, ut jam plebs famem perhorreſceret. Jamque complorationes puerorum et foeminarum egentium paſſim exaudiebantur, cum ſub horam noctis decimam tertio poſt die rumpi agger, et aquae diffluere coeperunt, et metu obſeſſos intra duarum horarum ſpatium omnino liberarunt. Irrito hoc ultimo conatu Julius cum nihil ſpei ſupereſſe cerneret, ex neceſſitate conſilium capit, et XVI Kal. April. incenſis ad [a] Olperam caſtris hora ſeptima matutina cum XIV ſignis [b] Wolfebutelum petit. Quo cognito, obſeſſi eruptionem, quantumvis contra pugnante magiſtratu, faciunt, et Conrado [c] Dogavio conſule cum XV abeunteis inſequi certi, imbre foedo ſuperveniente retro cedere coacti ſunt. Hic exitus obſidionis XXII hebdomadum fuit, in qua Brunſvicenſes grave damnum ab aquis, et infeſta ac continua tormentorum diſploſione acceperunt, domibus paſſim aut confractis aut disjectis, ceterum hominibus fere illaeſis. Non minor, quam Julianorum, recentium militum quos civitates auxilio miſerant, ſoluta obſidione intemperies fuit, ut Caeſareo mandato adverſus eos opus fuerit, quod Hamburgi, Lubecae, Magdeburgi, [d] Bremae publicatum fuit; eademque Brunſvicenſibus ad vindictam ubique ſaevientibus, denunciata proſcriptionis poena, niſi militem ſtatim revocarent, et ab omni maleficio abſtinerent. Tandem dimiſſis copiis Brunſvicenſes quievere, bis CIƆ ad cuſtodiam urbis, dum pomoerium reficeretur, ſervatis.

VIII. Philippus Hohenlous comes cum copiis auxiliaribus ab Bataviae Ordinibus venerat, qui morbo praepeditus cum officio fungi non poſſet, Erneſtus Naſſovius in ejus locum ſuffectus fuerat, ſicque XI turmas equitum, et [e] Dorpium, qui rei tormentariae praeerat, [f] Smeltſingum, et rei fabrilis peritos ſecum duxerat. Dum redit, Paterbornenſem ditionem miſere afflixit; morte Liborii [g] Wichardi conſulis ante annum epiſcopi juſſu indigne ſupplicio affecti repoſita, quam ultum ibant. Contra eos ducere credi voluerunt Hiſpani; ut magis fallerent, Oldenſeela cum IƆ equitibus, CIƆ CCCC peditibus delectis profecti, cum [h] Brevordam petere in animo haberent. [i] Lavicus loci praefectus Erneſtum, qui [k] Winterſvici et Beltae in dioeceſi Paterbornenſi pernoctabat, monuerat, Hiſpanos non procul abeſſe, ſui periculi interim ſecurus. Ludovicus Comburſerius [l] Terralius, qui injuſſu regis Alberto operam addixerat, expeditionis ducem ſe cum Gulielmo Verdugo praebuerat, et ſecum crepitacula cum omni inſtrumento attulerat. Ii dum adequitant pridie Eidus Martii, tanquam amici Grolla profecti intromitti petunt, quippe praeda graves, et Hiſpanos in propinquo eſſe, atque ut fidem facerent, captivum oſtentant. Dum conſultatur, crepitacula admoventur, et recedentibus Terralio et Verdugo portae effringuntur; vix a ſomno et vino excitati praeſidiarii poſt exiguum certamen, aut caeduntur, aut fuga in arcem confugiunt. Majus in arce negotium fuit, de qua expugnanda cum dubitarent Hiſpani, antequam auxiliares confluerent, praedam et captivos in tutum ſubducunt, intereaque vallo et loricis ſe contra arcem muniunt. Primus obſeſſis praeſto fuit [m] Batenburgus alae equitum praefectus, qui Lavico monito, ut bono animo

INTERPR. [a] *Olper.* [b] *Wolffenbuttel.* [c] *Dogaw.* [d] *Breme.* [e] *Dorp.* [f] *Smeltſingh.* [g] *Wichard.* [h] *Bredefort.* [i] *Lauwijck.* [k] *Winterſwijt & Belten.* [l] *du Terrail.* [m] *le Ritmaiſtre Batenbourg.*

CIƆ IƆCVI.

HENRICUS IV.

animo eſſet, ſe cum vicinis praeſidiis intra paucos dies auxilio venturum: ad haec generoſe a praefecto reſponſum, nihil temere aggrederentur aut praecipitarent; nam ut promiſſa auxilia non mittantur, ſibi ſatis animi eſſe, praeſertim loco tam firmo, ut mortem potius oppetere, ſicuti fortem decet militem, quam de deditione agere ſit paratus. Poſtridie [a] Warmelous [b] Salandiae praefectus, cum II equitum turmis, et V peditum ſignis, in iiſque uno Helvetiorum [c] Brevordam verſus profectus eſt, cui ad [d] Grollam Zutphanienſe [e] Dortio ductore, [f] Duisburgenſe, Grollanum ipſum et [g] Dotecomenſe praeſidium ſe conjunxerunt. Cognito Hiſpanos in oppido ab eſculentis et bellico commeatu laborare, auxiliares, ne quid inferretur, aditus omnes inſidunt. Tum [h] Haſſebrunius cum II equitum alis, quorum unuſquiſque ſcloppetarium majorem a tergo ſedentem vehebat, vim facere jubetur; qui per medios necopinato perrumpens caeſis obviis Hiſpanis ſcloppetarios ad CC in arcem immiſit, qui mox detonantes adjuncta duorum tormentorum fulminatione hoſtem graviter infeſtavere, ad C occiſis, et ceteris in cellas et loca ſubterranea compulſis. [i] Oldenſeela a [k] Torrenſi, et [l] Rurae ad confluentem propugnaculo a Ludovico Velaſco miſſi milites, qui pulverem ad Hiſpanos deferrent. Verum in itinere, ubi obſeſſum oppidum intellexerunt, abjecto pulvere pedem retulerant, a Thoma [m] Villero in reditu aut caeſi aut diſſipati. Jamque Henricus Fridericus Naſſovius [n] Haga-comitis advenerat cum juſto exercitu, et obſidioni principium fecerat, cum Hiſpani omni ſpe deſtituti matura deditione honeſtiores juſto conditiones tulerunt. Dimiſſus cum armis miles, fide data de captivis reddendis, et praeda cum III ſignis reſtituenda, quanquam P. Juſtinianus praedam penes Hiſpanos remanſiſſe ſcribat, L aureorum CIƆ aeſtimatam: commodati ad exportandos occiſos, vulneratos et aegros C currus; Verdugus donec bona fide omnia implerentur, obſes datus. Haec tranſacta XI Kal. Aprilis. Mauritius nimis clementer cum iis actum cenſuit, cum poſtea reſcivit, quid in oppido actum eſſet; nam nullo non libidinis genere in foeminas coram viris, et virgines coram parentibus ſaevitum; etiam interfecta paſtoris uxore, dum graſſatorum violentiae reſiſtit, et marito Oldenſeelam abducto. Illud vero Mauritium male habebat, quod Terralius, cui infenſum regem ſciebat, et quem ipſe ob perfidiam, ut aiebat, nam ſuperioribus annis cum ipſo fuerat, exoſum habebat, conditionibus eſſet comprehenſus, quem ſi in regis manus tradidiſſent, egregiam ab bene merito principe fuiſſent inituri gratiam. Sub id et foeda a ventis tempeſtas Belgio et aliis orbis partibus incubuit, vulſis ab radice ubique arboribus, et domibus in urbibus et oppidis quaſſatis, et turribus disjectis. Aggeribus itidem in Batavia boreali apertis, non ſine gravi agrorum ſubjectorum damno. Poſt ſolutam Brunſvicae obſidionem, eodem tempore Julius, III peditum CIƆ et IƆ equites dimiſſos in caſtra Albertina miſit, ducibus Joanne Embdenſi comite, Georgio [o] Locomanno, et Joanne Erneſto [p] Uſlero: nec multo poſt bis mille Hiſpani ex Italia Joanne [q] Bravo tribuno; et mox Scoti et Hiberni. Spinola ex Hiſpania, ubi ſummo cum honore exceptus fuerat, etiam in concilium belli cooptatus, poſt rem pecuniariam vix tandem explicatam in Belgium diſceſſit, facto per Genuam itinere, ubi febre correptus, non niſi, ineunte Junio Bruxellas appulit. Ibi conſultatum cum Alberto, et, referente P. Juſtiniano a Velaſco miſſo, propoſitum, ut diviſo in duas partes exercitu, cum parte [r] Sluſae aut Breda, cum parte [ſ] Meurſia peteretur, quo facto ex occaſione conſilium quid tentandum eſſet, caperetur, parte in [t] Pleumoſiis remanente, et majore exercitus robore in Friſiam ablegato. Secundum haec miſſus in Friſiam provinciae praefectus [v] Solreus comes, cum idoneis copiis ad ſecuritatem itineris, qui Rhenum tranſmiſit.

INTERPR. [a] *Warmelo.* [b] *Sallant en Overyſſel.* [c] *Bredefort.* [d] *Groll.* [e] *le colonel Dort.* [f] *de Doesburg.* [g] *de Doetecom.* [h] *le Ritmaiſtre Haſſebron.* [i] *Oldenzeel.* [k] *de Torres.* [l] *Roeroort.* [m] *Viller Ritmaiſtre.* [n] *la Haye.* [o] *de Loccoman.* [p] *Uſler.* [q] *Bravo maeſtro di campo.* [r] *l'Eſcluſe & Breda.* [ſ] *Meurs.* [t] *Flandre.* [v] *le comte de Solre.*

tranſmiſit. Venere et in caſtra ſub id Alfonſus [a] Pimentellus ex Italia, Sigiſmundus [b] Ateſtinus, Ferrantes [c] Bentivolius, et Marius Frangipanius; Alfonſi Lunae legio, qua ſe abdicaverat, Joanni [d] Meneſae ab Alberto attributa eſt: [e] Terralius Brevorda reverſus ad Sluſas explorandas miſſus, datumque negotium Friderico [f] Bergenſi comiti, qui Brugis erat, et copiis in provincia relictis praeerat, ut Terralio ad expeditionem praeſto eſſet. CIↃCC Gallo-Belgae et Hiberni huic attributi. Cum iis media nocte ſuperatis paludibus et agro aquis merſo [g] Sluſis propinquatum, VII Eidus Junias, eo ordine, ut [h] Formentus cum L delectis, qui ſcloppetos rotarios geſtabant, praecederet; quem CC fariſſophori ſequebantur, [i] Ghelingero et Crauckenburgo ducibus, et Hibernae legionis centurione; poſt eos incedebat Claudius [k] Rezorius comitis [l] Boſſuvii primarius centurio, cum IↃ partim ſcloppetariis majoribus, partim fariſſophoris. Ultimum agmen claudebat [m] Cabilonus legionis tribunus. Heic ad portam, ad quam, ut acceſſu difficilem, infrequentiores erant excubiae, XXV Galli, quos Terralius ſecum duxerat, et aliquot Hiberni foſſam natatu ſuperant; ponte penſili, reſeratis repagulis vi inſtrumentorum ad id fabricatorum, cum magno ſtrepitu adducto, ad arma in oppido conclamatum. Inter haec prima porta crepitaculo diſjecta, altera tantum perforata eſt, ut duos ad ingreſſum admitteret: per eam ingreſſus Formentus cum ſuis, et Hiberno centurione, ad primam ſtationem progreditur; ubi Formento et Ghelingero ad primum occurſum diſploſione ſtratis, ſequenteis tanta trepidatio invaſit, ut revoluti in ſuos de ponte eos praecipitarent; L circiter in foſſa aquis hauſti, ceteri confuſis ordinibus ad Cabilonum uſque in ultimo agmine perruperunt. Bergenſis ad Damam uſque proceſſerat eventum rei opperiens, cum bis CIↃ peditibus, ſi capi oppidum contigiſſet, cum iis arcem obſeſſurus: jam albeſcente die, cum nullum nuncium acciperet, retroceſſit. Sluſenſes periculo defuncti neglectam huc uſque portam propugnaculo novo, ſemilunari forma, muniverunt. Terralius aſtum non ſucceſſiſſe dolens, cum tormentariis graviter apud Albertum de ignavia quorundam conqueſtus eſt; ex ejuſque delatione Crauckenburgus, et praefectus vigilum inter Hibernos, et Rezorius ipſe veteranus miles, comprehenſi, et militari judicio XIII Kal. Quintileis Bruxellis capite luerunt, non ſine occulta Hiſpanorum et Italorum invidia; Belgis paſſim clamitantibus, ſuae gentis hominibus vel minima delicta capite eſſe expianda, cum illis interea cuncta impune ſine poenae metu liceant. Sane Terralius, qui ſe magno inter Belgas odio propterea flagrare ſciret, a rege revocatus ab Alberto diſceſſit. Sed ut erat inquieto ingenio, mox eadem levitate ex occaſione patrati in regis conſpectu homicidii e Gallia diſceſſit; et non jam ad Albertum, ſed ad Sabaudiae ducem tranſivit: cum quo turbida rurſus et ſibi poſtremo pernicioſa conſilia agitavit. Ut agriculturae proſpiceretur, et nimis frequentes utrinque praedationes prohiberentur, ex communi conſenſu [n] Wouda a Batavis, et [o] Hocſtrata ab Alberto, arces excurſionibus infeſtae, moenibus nudantur. Interea in Alberti concilio decretum, ut exercitus in Friſiam mitteretur, qui tranſmiſſo [p] Iſala in [q] Veluam tranſcenderet, et inde in [r] Betuam inſulam, et [s] Neomagum obſidione cingeret. Spinola mutuo ſumptis a Franciſco [t] Serra vicies centum aureorum CIↃ, nam a Philippo deſtinata pecunia jam conſumpta erat, [v] Trajectum Moſae cum CCC equitibus ac totidem peditibus venit, et III Nonas Quintil. ad [w] Rurae propugnaculum, ſubſequente [x] Melzio cum CIↃ equitibus, et IↃ carris, qui et VIII machinas [y] Venloa advexit; nec non et LX navigia ad pontem in flumine ſternendum, et

INTERPR. [a] *Pimentelli.* [b] *da Eſte.* [c] *Bentivoglio, & Frangipani.* [d] *Meneſes.* [e] *du Terrail.* [f] *de Berghe.* [g] *l'Eſcluſe.* [h] *il capitan Formento.* [i] *Ghelinger & Crauckenburg.* Meteren met *Cluyckenburg.* [k] *le Rezoir.* [l] *de Boſſut.* [m] *de Chalons.* [n] *Woude.* [o] *Hochſtrate.* [p] *Yſſel r.* [q] *la Veluwe.* [r] *la Betuwe.* [s] *Nimegue.* [t] *Serra.* [v] *Maeſtricht.* [w] *Roeroort* [x] *Melzi.* [y] *Venlo.*

CIↃ IↃCVI.
HENRICUS IV.

et triduo poſt ad Rhenum acceſſit. Luſtratis copiis, foeminae ad praeſidia edicto remiſſae, aſſignato viatico; ac biduo poſt Spinola cum VIII peditum CIↃ, bis mille equitibus, tormentis a Melzio advectis, bis mille IↃ carris commeatu onuſtis Rhenum tranſmiſit, ſed quo minus conſilia Bruxellis ſumpta exſequi poſſet, intempeſtivis pluviis prohibitus eſt, tam large per campos effuſis, ut pediti ad ſe ſiccandum nihil ſuppeteret; et carbones e ceſpite, quibus in illis locis uſus eſt, aqua madefacti, fumum non flammam admoti igni redderent. Ad haec ita excreverat Iſala, alioqui illo tempore vadoſus, ut tranſire ſpes non eſſet. Cum ad [a] Enſchedenam [b] Luppia amne tranſmiſſo XVIII Kal. Quintileis veniſſet, obvios habuit [c] Embdenſem comitem, et [d] Torrenſem, cum bis mille IↃ peditibus Lingena adductis, et CCCC Hibernis Oldenſeela. Tempeſtate tam adverſa factum, ut conſiliis omiſſis, ne nihil ageretur, ad [e] Lochumum in Zutfanienſi agro caſtellum non magni momenti, caſtra ponerentur. Inicus Borgia cum ſua legione locum cingere juſſus: ei adjuncti Torrenſis cum ſua, et Ferrantes Guevara cum IↃ equitibus. Spinola [f] Borcheloam cum reliquo exercitu venit, relicto [g] Goërae Luca [h] Cairo, et Joanne Medice cum ſuis equitum turmis, et CIↃ IↃ peditibus; quem locum ad annonam colligendam deſtinaverat. In altera Iſalae ripa Mauritius ſtabat, cum X CIↃ peditum, ſicuti Spinoliani jactabant, et bis mille IↃ equitibus, auxilio obſeſſis venturus. Huic oppoſitus comes Embdenſis cum ſua legione, et V machinis. In vallo ducendo laborabat Borgia, et aemulatione Itali cum Hiſpanis certabant: in opere, [i] Targo, qui rei tormentariae operam vicariam navabat, leviter ſauciatus. In colle qui loco imminet ab Hiſpanis munitio excitata. Jamque Hiſpani ſemilunulam portae vicinam ab obſeſſis relictam occupaverant, et Itali in labro foſſae ſtabant, cum poſt aliquam IV machinarum diſploſionem colloquium poſcunt, X Kalendas Sextileis, et locum cum V machinis dedunt, CCC cum armis, ſignis, fune accenſo, et impedimentis dimiſſi, etiam carris a Borgia commodatis. L ex Albertinis deſiderati. Centum tantum praeſidiarios Lochumi a Mauritio relictos alii ſcripſere; aliis alio, ubi plus metuebatur, tranſlatis. Inde Spinola Bronchorſtum et Duisburgum verſus progreditur, cymbarum multitudine ad [k] Almenloam coacta, eo conſilio, ſicuti jactabatur, ut nigra aqua tranſmiſſa [l] Swollam obſideret, et [m] Gelmudae caſtellum in auſtralis ſinus ripa occuparet. Inde cum a [n] Warmeloo loci praefecto poſt aliquot certamina repulſus eſſet, ad [o] Grollam quinque propugnaculis firmatam ad [p] Berkelam amnem, ſicuti et Lochumum, in Zutfanienſi comitatu ſitum oppidum III Nonas Sextileis caſtra ponit; miſſo Ludovico Velaſco cum CIↃ equitibus et CIↃ IↃ peditibus, qui obſidioni principium faceret. Locum tuebatur [q] Dortius junior cum CIↃ CCCC ſub XVIII ſignis. Septimo ab obſidione die II propugnacula ſemilunari forma ab obſeſſis cum caede multa amiſſa. In eo conflictu pugnatum utrinque obſtinatis animis, et duo Oſtfriſiae comites, Joannes et Chriſtophorus, [r] Rithbergi fratres, graviter vulnerati fuerunt. Obſeſſi etiam [s] Apeltium Schuram Dortii vicarium amiſerunt, intrepidum militem, et patre multorum ſtipendiorum centurione non indignum. Quarto poſt, cum cuncta ad oppugnationem inſtruerentur, die, oppidani priore impreſſione territi, cum foeminis et imbelli ſexu facta coitione Dortium circumſiſtunt, et per omnia ſacra obteſtantur, ne obfirmato ad vim ſuſtinendam animo ſe calamitate eadem cum ipſis involvat. Hic praefectus, haud ſatis conſiderate cum centurionibus habita deliberatione, deditionem citra magnam neceſſitatem fecit, eodemque illo die cum XVIII ſignis explicatis, in quibus mille circiter ducenti erant, praeter C ſauciatos, et XVI Batenburgicae alae equitibus oppido exceſſit. Inter praeſidiarios unum erat eorum ſignum, qui

quod

INTERPR. [a] *Enſcheden.* [b] *la Lippe r.* [c] *d'Embden.* [d] *de Torres.* [e] *Lochem.* [f] *Borckeloo.* [g] *Goher.* [h] *Cairo.* [i] *Targone.* [k] *Almenloo.* [l] *Swol.* [m] *Geelmuyden ſur le Zuyder-mer.* [n] *Warmelo.* [o] *Groll.* [p] *Berkel.* [q] *le colonel Dort.* [r] *de Redberg.* [s] *Appel de Scheuren.*

quod [a] Santandreanam munitionem in inſula Bommela prodidiſſe arguerentur, ſicuti et qui olim [b] Gertrudis-montem Hiſpanis vendiderunt, ab omni gratia excluſi intelliguntur. Ii, quamvis ipſis ut ceteris incolumitas eſſet promiſſa, diffiſi, lacerato ſigno aliis ſeſe immiſcuerunt. Oppidanis bimeſtre conceſſum, intra quod de rebus ſuis ſtatuerent. c fere ex Mauritianis occiſi, IↃ amplius ex Albertinis, quanquam minorem numerum edat Juſtinianus. Inter haec cum Carolus [c] Longovallus Bucoii comes cum numeroſo exercitu ab Alberto miſſus, ex [d] Pleumoſiis veniſſet, et [e] Wahalim tranſmittere ſemel atque iterum fruſtra conatus eſſet, ut ſe cum Spinola conjungeret, idemque tentaſſet ipſe Spinola haud feliciori ſucceſſu, aquis plus ſolito intumeſcentibus, et inſeſſis a Mauritio omni ex parte aditibus, intercluſo item ad [f] Hattemam [g] Iſalae tranſitu, ubi [h] Solraeus comes haud longe a Swolla vadum tentaverat, ut in [i] Veluam copias tranſportaret, non ſine damno utrobique ſuorum. Tandem ipſi Batavi cum CIↃ IↃ peditibus, et IV equitum turmis tranſmiſſo Wahali ſupra [k] Neomagum verſus [l] Genapum iter fecere, pabulatores intercepturi, qui fruſtra fuere; paulumque abfuit, quin dum ſe Neomagum recipiunt, a Bucoio ipſo magna clade fuerint affecti; tantum quidam capti. Cum, pluviis foedioribus quam antea poſt deditam Grollam ſupervenientibus, de Wahali et Iſala tranſmittendo ſpes omnis evanuiſſet, ad Rhenum reditum; et conſultatione ducum habita, cum de Neomago conſilium ab Alberto propoſitum non placuiſſet, de [m] Rinberca obſidenda ſerio cogitari coepit. Pagus eſt qui ad praeſulis Colonienſis ditionem pertinet, his bellis maxime memorabilis propter opportunum ſitum. In ulteriore Rheni ripa jacet, et in citeriore inſulam praetenſam habet propugnaculo a Batavis munitam, quae ponte ex navigiis fabricato cum altera ripa jungebatur, in qua et aliae munitiones ſtructae erant. [n] Bucoio ſtatim mandatum, ut omiſſo Wahali cum exercitu ſuo Geldriam verſus deſcenderet, et loca Rinbercae circumpoſita ab ea parte occuparet. Solraeus Grollae manere juſſus cum CIↃ IↃ peditibus, et Henrico Bergenſi comite cum ſuo equitatu; Spinola XII Kalendas Sept. profectus ad [o] Brevordam tendit, et inde ſub noctem [p] Simonem veteranum ordinum ductorem cum bis mille et IↃ peditibus ex omni natione, cum CC machinis, et IↃCC equitibus, et II pontonibus mittit, qui acceſſus a parte Friſiae mature inſideret. Bucoius, [q] Meneſae reliqui exercitus, quem ducebat, cura attributa, ipſe abductis ſecum tribunis legionum, et IV CIↃ peditum, IↃ equitibus, IV machinis, VI navigiis armatis, Reſam fere eodem tempore venit; ubi cum aliquot navigiis hoſtilibus conflixit, et unum tormentis quaſſatum cepit, alia incendit, et altero poſt die Rinbercam cum exercitu ſe conjunxit. Nec ſegnius Mauritius rem gerebat, ut ſuis ſubveniret, miſſo primum Henrico fratre, cum auxiliaribus, et e nobilitate Gallica delectis, qui ſponte huic militiae nomen dederant; in queis erat Benjaminus [r] Roanus Subiſius Henrici Roani frater. Oppidum tuebatur N. [s] Utenhovius, et propugnacula ultra Rhenum [t] Edmundus Scotus vir ſtrenuus. Ipſe acceptis a Brandeburgico [v] Onosbacenſi copiis caſtra inter [w] Weſaliam et Biſlicium metatur, et ad pontem in Rheno fabricandum magnam navigiorum copiam, et trabium ſtruem undique congerit, et Sextili exeunte [x] Embricam venit; ubi cognovit Spinolam eo loco ubi [y] Luppia in Rhenum influit, munitionem ſtruere, ut tranſitu auxiliareis prohiberet. Sub id crebris eruptionibus certatur, vario exitu; in altera repulſi Batavi, et [z] Flexiae comes ſuffoſſo equo captus. P. Juſtinianus ab ea parte quae [aa] Meurſiam ducit, ſe muniverat, cum ſua legione; et comitis Billii altera, CCC Hibernis, et CC Italis delectis Brancacianis, et CCC equitibus Ceſatenſibus: dum vallo

INTERPR. [a] *le fort S. André.* [b] *Gertruydenberg.* [c] *de Longueval comte de Bucquoy.* [d] *Flandre.* [e] *le Wahal.* [f] *Hattem.* [g] *Yſſel r.* [h] *de Solre.* [i] *la Veluwe.* [k] *Nimegue.* [l] *Gennep.* [m] *Rheinbergen.* [n] *le comte de Bucquoy.* [o] *Bredefort.* [p] *il capitano Simone.* [q] *de Meneſes.* [r] *de Rohan Sr. de Soubize.* [s] *Utenhove.* [t] *le colonel Edmonds Eſcoſſois.* [v] *le marquis d'Anſpach.* [w] *Wezel & Biſlick.* [x] *Emerick.* [y] *la Lippe.* [z] *Fleix.* [aa] *Meurs.*

CIↃIↃCVI.
HENRICUS IV.

vallo promovendo attendit, ad impedienda opera in eum ſit acris eruptio cum IↃCCC peditibus, et toto equitatu, quos [a] Brancaeius et Ceſates primo ſuſtinuere, et ad extremum, eum tota exercitus moles auxilio occurreret, Batavi ſe recepere; promoto interim haud ſegniter ubique ab Hiſpanis, Gallo-Belgis et Italis contra munitionem externam vallo, et intra quatriduum ad foſſae labrum perducto. Jam ſemilunae munitioni externae circumpoſitae, aliaeque ſuburbanae munitiones ab obſeſſis ſine magno certamine deſertae fuerunt, cum ad munitionem interiorem oppugnandam ſignum datur; dumque defenſores ad vim ſuſtinendam ſe parant, miſerabili caſu Edmundus Scotus qui loco praeerat, ictu ſcloppeti ſternitur, cujus morte animi ſtatim defenſoribus conciderunt; et quamvis in munitione vallum retro, v machinis in eo diſpoſitis, duxiſſent, ad quem ſe capto pomoerio poſſent recipere, mox incenſis caſis, et deſtructo vallo, ad pontem confuſis ordinibus ſine certamine perrexere: in tranſitu Spinolianis inſequentibus ponte abrupto, plerique fluvio hauſti. Reſtabat munitio in inſula, a qua tormentorum diſploſione multum infeſtabantur Albertini, multique initio deſiderati, et plures graviter vulnerati, ſed pluteis oppoſitis et machinis contra inſulam directis viciſſim inſulani infeſtati. Eodem tempore Bucoius ad [b] Rinbercam vallum ducebat, feſtinatis operibus, quae obſeſſi tentata eruptione nequaquam impedire conati ſunt. Tentatus et fruſtra Luppiae tranſitus IV Eid. Septembreis a Mauritio; inde cum damno repulſus eſt. Cuneis initio obſeſſi ſe tutati ſunt cum aliquo Albertinorum damno, ad extremum cedentes intra ruinas a ſe factas hoſtem recepere. Dum cunctatur Mauritius, promoto interea ab hoſte vallo, de ſuppetiis obſeſſi deſperare coeperunt; et ab eo tempore creditum, plus in periculoſa proelii alea detrimenti metum apud Mauritium valuiſſe, quam in ſervanda Rinberca emolumenti ſpem; in eaque opinione confirmati ſunt obſeſſi, poſtquam reſciverunt fratrem Henricum cum XI peditum ſignis ab eo Meurſiam ablegatum. Quanquam id aliter Albertini interpretati ſunt, quaſi conſilium ejus eſſet, a tergo Italos adoriri, et eodem tempore facta ab obſeſſis eruptione medios hoſtes intercipere. Per triduum preces publicae et jejunium in caſtris Mauritianis continuatum fuerat, quod conatus alicujus magni in argumentum traxere. Inter pabulatores interim certatum, et dum Hiſpani, jam palude ſuperata, munimentum ex doliis vimineis excitarent, eruptio ab obſeſſis facta VIII Kal. Octobreis: multique in ea aut vulnerati aut occiſi, et in iis [c] Amblifius; et cum [d] Torrenſis ad laevam incederet, fortuita eminus ſcloppeti diſploſi ejaculatione ſtratus eſt, relicto ſui ingenti deſiderio. Legio ejus Claudio [e] Lanoio Motteriae ab Alberto poſtea attributa. Tunc vero [f] Aſſincurius et Boſſuvius ſuam vicem obire juſſi. Meneſe in oculo ſauciato cum in vallo eſſe non poſſet, Didaeus Errera centurio major in ejus locum ſuffectus, qui propugnaculum oppoſitum cuneis actis occupavit; eodemque tempore, cum ab Italis duce Juſtiniano, Hiſpanis, [g] Gallo-belgis, quos Aſſincurius ducebat, premerentur obſeſſi; cum prius ſemel atque iterum Mauritium monuiſſent, et Ordines in caſtra delegatos miſiſſent, qui in rem praeſentem deſcenderent, et de re tota decernerent, Kalendis Octobribus ſigno dato deditionis leges propoſitae, atque in has tandem conditiones tranſactum, ut praeſidiarii cum armis, ſignis, ad tympani pulſum, impedimentis, et II machinis minoribus exirent; omnem apparatum navalem, qui ingens erat in oppido, relinquerent. CCC carri commodati, et III navigia, tria millia et CCC numeratos ſcribit Juſtinianus ſub LIII ſignis, CL equites, totidem navicularios, et IↃCCCC vulneratos, occiſos CCCC. Ex Albertinis non plus IↃ deſiderati, et in iis plures ordinum ductores, IↃCC circiter ſauciati. Pridie quam deditio facta, Mauritius qui videret Rinbereae ſuccurri non poſſe, et animo provideret, quantum

INTERPR. [a] *les ſieurs de Brancaccio & de Ceſate.* [b] *Rheinbergen.* [c] *d'Amblise.* [d] *de Torres.* [e] *de Lannoy Sr. de la Moterie.* [f] *le Sr. d'Hachicour, & le comte de Boſſut.* [g] *Wallons.*

quantum gloriae ex eo Spinolae accederet, tantum ſuae deceſſurum, aliquid conandum ratus, Gaſparem [a] Colinium Caſtellionaeum mittit, cum bis mille peditibus, et IↃ equitibus, qui [b] Venloam nocturno aſtu tentaret. Locum tuebatur [c] Ettenus, cui adjunctus fuerat Hieronymus [d] Alvarus legionis [e] Sangeorgianae dux, qui poſt admota crepitacula impetum ſuſtinuit, et ſuperveniente auxilio [f] Hermanno Bergenſi provinciae praeſide conatum irritum reddidit. Alii Caſtellionaeum non nominant, et eo Henricum et Erneſtum Naſſovios cum VI peditum CIↃ, CIↃ et CC equitibus miſſos pridie Kalendas Octobreis ſcribunt. Tot ſucceſſus ſeditio ſolemnis in caſtris Albertinis excepit, ſtipendio deficiente, et ſparſa fama, quaſi claſſis Indica partim aut naufragio periiſſet, aut a Batavis intercepta eſſet. Pauci initio a ſignis diſceſſere, et ad Revenſteinam arcem ſe contulere: plures in [g] Eburonibus imperia detrectantes [h] Helmontium petierunt, et mox loco diffiſi ad [i] Hocſtratam arcem in Brabantia conceſſerunt, Eidibus Octobribus, quo et alii ſe collegerunt; ita ut ex parva manu magnus numerus ſubito conſurrexerit. Inde electo creato, et muniis ut in nova republica diſtributis, ad Mauritium praeteriti memores ſcripſerunt; quem et blandientes militum parentem appellabant, Juſtini Naſſovii Bredae praefecti interventu, cujus et beneficio facile obtinuere, ut commeatum et cetera neceſſaria Bredae ſibi comparare poſſent. Ex Ordinum voluntate hactenus ſe continuerat Mauritius, Albertinorum conatus obſervare, et quantum in ſe eſſet impedire contentus, nihil ipſe tentare hoc anno jubebatur. Ex hac ſeditione conjectans Spinolam poſt ſucceſſus voto majores quieturum, et copias, ſicuti jam per [k] Juliacenſem agrum fecerat, dimiſſurum, IX Kal. Nov. caſtra Biſlico movet [l] Nadereltam verſus, praemiſſo Erneſto Naſſovio patrueli cum XII equitum turmis, et III vexillationibus ad [m] Lochumum obſidendum. Qui, vallo promoto et tormentis diſpoſitis, et continuata per biduum pulſatione praeſidiarios, quibus [n] Diazius praeerat, fere IↃ diverſarum nationum ad deditionem compulit, iiſdem fere conditionibus, quibus locus antea deditus fuerat. Poſtea tentata [o] Grollae obſidio, ſed ſerius, per moram colligendi exercitus facta Spinolae poteſtate; et jam aeſtate elapſa, quae ſolito ſerenior toto illo menſe fuit, ac ſubito pluviis ſupervenientibus, quae non mediocriter Mauritianos afflictarunt. III Kal. Nov. Mauritius ad Grollam, Erneſtus Naſſovius [p] Ecbergam venit. Re cognita Spinola, qui Lochumi jacturam parvi faciebat, Grollam ſitu et omni apparatu firmam omnino ſibi tuendam exiſtimabat, continuo Colonia, quo diſtributis arcium copiis venerat, movet, et [q] Rinbercam redit, et revocandis Simonis et Sangeorgii legionibus, quas ad reprimendos ſeditioſorum motus miſerat, Ruremunda item evocato Ludovico Velaſco, caſtrorum locum ad [r] Dorſtenum [s] Luppiae impoſitum condicit, quo III Non. Nov. ſuperato cum IↃCCC peditibus, CIↃ IↃ equitibus, et X machinis, et CCCC carris commeatu onuſtis, in viam ſe dat, et adventus ſui obſeſſis trium ictuum diſploſione eminus dat ſignum. Grollam tuebatur Henricus comes Bergenſis cum ſua equitum turma, et IↃCCC peditibus, multum per ſeditionem et alia incommoda imminuto praeſidio. A [t] Bucoio CCCC ſubſidiarii miſſi, qui partim caeſi, partim diſſipati ſunt, eodemque tempore Embdanus comes cum IↃC delectis Lingenam tendere juſſus. Re in caſtris diſceptata variabant ſententiae; cum multi expeditionem periculi plenam dicerent, et ſucceſſu dubiam, propoſitis in medium difficultatibus, numero ſe inferiores et feſſos praeteritis obſidionibus cum recentibus committi, pecuniam deeſſe, et claſſico ſeditionis pleroſque in dies a ſignis diſcedere. Alii non aperte repugnabant, ſed Lochumum verſus eundum ſuadebant; ſic enim fore,

INTERPR. [a] *de Coligny Sr. de Chaſtillon.* [b] *Venlo.* [c] *le Sr. d'Etten.* [d] *Alvaro.* [e] *San Georgio.* [f] *le comte Herman de Berghe.* [g] *le pays de Liege.* [h] *Helmont.* [i] *Hocſtrate.* [k] *le pays de Juliers.* [l] *Neder Elten.* [m] *Lochem.* [n] *Diaz.* [o] *Groll.* [p] *Ecberghe.* [q] *Rheinbergen.* [r] *Dorſten.* [s] *la Lippe.* [t] *le comte de Bucquoy.*

CIƆ IƆCVI.

HENRICUS IV.

fore, ut locum exiguo negotio reciperent, et commeatum, quo Mauritiani laborabant, ab ea parte averterent; interea Bergenſi ſatis virium ſupereſſe, ut ſe adverſus hoſtem defenderet. Inter haec Spinola, qui, quod dicebatur, minime ignorabat, nec minora in Mauritii caſtris incommoda ſubeſſe judicaret, omnino obſeſſis ſubveniendum decrevit, et capto longiore circuitu, quod breviores aditus ab hoſte egregie munitos intellexerat, Rechumum VI Eid. Nov. venit, leucae ſpatio a Grolla diſſitum, Oldenſeela a tergo relicta, et monito Solraeo comite, qui provinciae praeerat, ut deductis a Friſia praeſidiis ad ſe quamprimum contenderet; quod et ille ſedulo fecit, adductis ſecum CIƆCC peditibus et CCC equitibus. Hoc ordine inſtructa acies, ut relicta parte impedimentorum, velitarii CIƆ ex delectis cum II machinis, duce Simone, praecederent; hos duo agmina, alterum Hiſpanorum, quod Meneſes, alterum Italorum, quod Brancacius et Juſtinianus ducebant, cum IV machinis ſequebantur. Poſt eos rurſus Gallo-belgae et Germani incedebant duce [a]Aſſincurio, cui II machinae attributae, et copiae a [b] Solraeo adductae, quas [c] Embdanus comes ducebat, auxilio obſeſſis deſtinatas. Equitatus latera tegebat, et rurſus equitatum carri, cum ſcloppetariis majoribus; ſepoſitus in ultimo agmine ad fortuita delectus equitatus. At Mauritius quanquam aegre faciebat, ut ab obſidione diſcederet, tamen cum provideret, ut in ea perſeverans ad periculoſam proelii aleam, quam tentare vetabatur, neceſſitate compelleretur, mature caſtra movet, et Berkelo tranſmiſſo vallum et munitiones coeptas deſerit, et loco primum a ſe munito conſedit. Spinola cognito ejus diſceſſu munitiones deſertas occupat, ac ſtatim demolitur, Velaſco miſſo, qui cum equitatu recedenteis inſequeretur: levi certamine utrinque diſceſſum. Grolla mille militum praeſidio firmata, et [d] Franceſcino legionis tribuno Bergenſis rogatu impoſito, in caſtra redit Spinola, et inde Rinbercam proficiſcitur, cujus praefectura ab Alberto commiſſa fuerat Antonio Avilae. Ad ſeditioſos qui [e] Eindoviae erant, confluebat undique multitudo, jamque ad bis mille CC excreverant, quos ante omnia placandos Spinola cenſebat. Itaque poſt crebros itus et reditus, Marcelli [f] Judicis interventu tandem conventum, iiſque [g] Dieſta attributa, ubi manerent, quouſque promiſſa repraeſentarentur. Inſuper dato obſide Lucio [h] Denticio tribuno. Induciae et pactae pro [i] Meurſia, quae Mauritio patrimonialis erat, et bis mille militum praeſidio [k] Suichelio duce tenebatur, ut nec ad illam vis fieret, nec ab ea viciſſim excurſiones fierent, aut loca in comitatu illo ab Alberto occupata infeſtarentur. Quod utriuſque partis bono factum, Spinola in ſuum commodum vertit, Rinberca interim per otium inſtaurata, et inde diſtributo in hyberna milite, Bruxellas ſe contulit. Mauritius VII Kal. Dec. [l] Hagam-comitis venit, ubi Ordines exeunte menſe [m] Fuxii Bimbachii aliquot ſigna et aliorum qui Brunſvicenſi bello militarant, quod ſtipendio numerari ſolito non contenti eſſent, dimittunt; Anglorum etiam cohortes, quae ad exiguum numerum redactae erant, ſuppletae.

IX. SUB id de [n] Santacrucii marchionis Neapolitanarum triremium praefecti ſucceſſibus allatum. Is XIV triremium claſſe ad Italiae et Siciliae litus contracta, et VIII ſignis in eam impoſitis, ultro in [o] Hadriaticum provectus ad [p] Epirum oppoſitam VII Eid. Sextileis exſcenſionem fecit tertio a [q] Dyrrachio milliari; inde ſilentio per noctem ad oppidum profectus crepitaculis admotis binas portas disjicit; illudque ſine negotio capit, oppidanis ad arcem ſe recipientibus, cum quibus immiſti Santacruciani ad portam penetrant, qua et crepitaculo disjecta, arce potiuntur, Turcis praeſidiariis per poſticum elapſis: oppidum direptum, et abductae inde XIX machinae aeneae, et X ferreae, IV ponderis immodici clavis confixae. Inde igne in domos immiſſo,

INTERPR. [a] *d'Hachicour.* [b] *le comte de Solre.* [c] *le comte d'Embden.* [d] *il colonello Franceſchi.* [e] *Eindoven.* [f] *del Giudice* [g] *Dieſt.* [h] *Dentici.* [i] *Meurs.* [k] *Swickel.* [l] *la Haye.* [m] *le colonel Fox de Bimbach.* Meteren ne met que *Fox.* [n] *le marquis de Santa Cruz.* [o] *le golfe de Veniſe.* [p] *Albanie.* [q] *Durazzo.*

immiſſo, victores ad claſſem reverſi ſunt; tres naves, una Turcica et duae Venetae, quae in portu ſtabant, ad rei ſtrepitum tumultuario in altum vela fecerunt. Santa-crucius inde in [a]Africam curſum direxit, et exſcenſione haud procul a [b] Tunete facta Mahometam ante quadriennium direptam necopinato adventu opprimit, oppidanis fuga dilapſis. Loci amoenitate capti Hiſpani, dum corpora curant, et ſecurius otio indulgent, fructum prioris expeditionis amiſerunt, inſigni clade affecti, Mauris haud magno numero cum oppidanis ſupervenientibus, qui CCC fere e nobilitate, et in iis XXXIV equites Melitenſes obtruncarunt: Hiſpanus quoque Adelantadus in fuga ad claſſem tendens periit, cadavere penes ſuos manente; quod in Siciliam ad ſepulturam aſportatum fuit.

X. Allatum tunc de ſucceſſu claſſis Batavicae, ad infeſtanda Hiſpaniae litora, et claſſem Indicam intercipiendam, hoc anno miſſae. Hiſpani libertatem fecerant Batavis [c] Oliſſiponae negotiandi, qua ex occaſione multi allecti male poſtea mulctati ſunt, ad uſum belli ab invitis dominis navibus extortis, et odio religionis pleriſque Belgis remo mancipatis. Itaque Ordines qui hoc anno nihil terra aggredi, tantum ſe a vi hoſtili tueri decreverant, quo vires Hiſpanorum diſtraherent, claſſe in hoſticum immiſſa bellum gerere decreverunt; prius condito edicto, quo omne cum Hiſpanis commercium ſuis interdicebant. Claſſis inſtructa XXIV navium, in quam praeter pecuniam ab Ordinibus exſolutam, multi Angli et Belgae operam ſuam et apparatum bellicum contulerunt. Huic praeeſſe juſſus Gul. [d] Sutus Altainius, maris Zelandici praefectus, cui vicarius Renerius [e] Nicolai filius Amſterodamenſis, adjunctus. Navarchi praecipui fuere [f] Legerius Petri filius, Joannes [g] Valius Cruquius, [h]Lambertus cognomento Moius, [i] Gerbrandus Joannis filius, alii: qui exeunte Januario ſolventes vento adverſo navigatione lenta uſi, et praedam aliquantulum in itinere nacti, quam in Zelandiam miſerunt, tandem in [k] Gallaecia exſcenſione facta, aliquot ignobilia oppida diripuerunt; plus terroris, quam damni hoſti illato. Dein cognito, quod artificioſe ab Hiſpanis diſſeminatum, claſſem eo anno ex India non venturam, ipſi annonae penuria coacti retro vela fecerunt, et XVI Kal. Jul. in Zelandiam appulerunt, relictis VII navibus; quibus poſtea Joannes [l]Hadriani filius ſe conjunxit, qui infeſtam navigationem huc illuc diſcurſantes Hiſpanis facerent. Digreſſa claſſe Ludovicus [m] Faſciardus, qui Hiſpanae claſſi praeerat, Oliſſipona ſolvit cum XXXIV triremibus, et obviam Havana venientibus octo onerariis cum theſauro regio profectus, eas in tutum deduxit. Vulgata dein fama de claſſis Indicae adventu, quanquam ejus intercipiendae exigua ſpes eſſet, tamen ut ſumptuum novorum neceſſitatem Hiſpanis imponerent, ab Ordinibus denuo Altainio mandatum, ut claſſem alteram XXI navium, et duarum celocium inſtrueret, quod illis minore ſumptu licet quam Hiſpanis, quippe quibus materia, ex qua navalia fiunt armamenta, e longinquo, atque adeo e Livonia et Norvegia ſit petenda; et inprimis nautae, quorum praecipue penuria laborant, magno pretio ſint comparandi. Huic militiae, ut priori, plerique item Angli et Belgae nomen dederunt, qui deinde partim in Fortunatas inſulas, partim in Braſiliae litora effuſi magnas praedas fecere. Altainius Kalendis Septembribus ſolvit, cum XIX tantum, nam duae reliquae nondum parata ad expeditionem neceſſaria habebant, Joanne [n] Valio Vliſſingenſi vicario, ac reliquis navarchis fere Zelandis, et poſt XVIII dierum ſecundam navigationem haud longe a [o] Montego Luſitaniae promontorio abfuit. Paulo poſt cum litus legerent Batavi, VIII Hiſpanicas majores eminus conſpexere, quarum V in altum, III litus petebant.

INTERPR. [a] *Barbarie.* [b] *Tunis.* [c] *Lisbonne.* [d] *de Soete Sr. de Haultain, amiral de Zelande.* [e] *Renier Claſſen vice-amiral.* [f] *Legier Pieterſſen.* [g] *de Wale-cruye.* [h] *Moy Lambert.* [i] *Gerbrant Janſſen.* [k] *Galice.* [l] *Adrianſen.* [m] *Fajardo.* [n] *de Wale de Fleſſingue.* [o] *cap de Montego.*

CIↃ IↃ CVI. HENRICUS IV. petebant. In has invecti duas in ſcopulos egerunt, ad quos eliſae perierunt. Tertia ad [a] Penichae caſtelli portum evaſit. Inde in altum reflexo curſu cum reliquas diu fruſtra veſtigaſſent, tandem in [b] Tagi oſtium ingreſſi promontorium S. [c] Vincentii retro converſo curſu petierunt; ubi Hiſpanam claſſem opperiri conſtituerant, ſex majoribus in illo itinere amiſſis navibus. Inde circum oberrantes, miſſis ſpeculatoriis, quae de Indicae adventu cognoſcerent, poſtremo [d] celocem ad Tagi oſtium miſere pridie Eidus Octobreis; cum XIII, quae reſtabant, eminus XVIII navium claſſem Indicam conſpiciunt, quae a IX triremibus, duce Faſciardo deducebantur. Deliberatione habita placuit cum ea belli fortunam tentare; ſed adverſo vento Batavorum iniquior fuit conditio, et vix tandem ſubductis periculo tribus navibus, in quas totum robur Hiſpanarum incubuerat, verſa omnis vis in Renerium vicarium, quem undiquaque cinctum poſtremo Altainius deſeruit. Ille vero cum totum biduum contra totam claſſem hoſtilem obſtinate pugnaſſet, nave ictibus perforata, ita ut ſi hoſtis longe abfuiſſet, non tamen ſervari poſſet, cum tamen Hiſpani propius accedere non auderent, in quorum manus venire morte pejus exiſtimabat, audax ex neceſſitate capit conſilium, et aſſentientibus LX circiter claſſiariis, inque omnem partem vulneratis, poſt fuſas ad Deum preces ignem pulveri admoveri jubet, quo navis jam fatiſcens momento correpta, et cuncti in ea vectores abſumpti ſunt. Duo tantum nautae ab Hiſpanis poſt caſum ſupervenientibus tabulae inſidentes capti, qui fulmine afflati vix duas horas ſuperfuerunt: qua re ſummam invidiam poſtea Altainius inter ſuos ſuſtinuit. Mox binae liburnicae ex India venientes ad Oliſſiponam in brevia impegerunt, mercibus ſalvis ſed humore corruptis; nec multo poſt tota claſſis L navium, duce Alfonſo [e] Ocampo Gallaeco, quae interea Mauritaniae oram legerat, ad Hiſpalis [f] aeſtuarium appulit, undecies centena circiter talerorum pro rege portans CIↃ: pro mercatoribus, atque aliis privatis ſeptuagies centena CIↃ, praeter magnam vim precioſiſſimarum mercium: quod non ſolum Hiſpanorum res, apud quos magna erat argenti penuria, ſed aliorum toto orbe, atque adeo in Belgio, (ubi decoquente Hiſpano metus erat, ne ceteri inſtitores in Itala aliiſque locis decoquerent,) ſuſpenſos animos recreavit.

XI. Hoc anno Joannes [g] Uſſelingus Antuerpianus, qui diu in Hiſpania et Occidentalibus Indiae inſulis fuerat, Ordinibus auctor fuit ſuſcipiendae in Americam navigationis; nec minores ex ea utilitates futuras, quam ex orientali, quae hactenus feliciter ſucceſſerat, multis rationibus oſtendebat, eoque majores, quod illa ad opulentiam potius ſpectabat, haec ad ſecuritatem, quippe averſis ad ſua tuenda per eam Hiſpanis, et infracta ac diſtracta illorum, quam totam contra Batavos vertunt, potentia. Id cum ſcripto amplius comprehendiſſet, eoque lecto plerique inſtitores conditionibus propoſitis privatim aſſentirentur, ipſe Amſterodamenſeis primum, qui paulo ante Paulum [h] Cardanum ad maritimas Americae oras luſtrandas miſerant, prenſat; dein et Zelandiae primarios mercatores, qui legationem ab eo inducti Hagam miſere. Itaque re cum ſupplici libello ad Ordines delata, et mature diſceptata, tandem fit decretum, quo et Uſſelingi conſilium, ſuppreſſo ejus nomine, comprobabatur, et ſocietas in id inſtituta; additis privilegiis, immunitatibus, ut nulli niſi ex ea ad Americam navigare deinceps liceret. Quatuor collegia in id inſtituta, unum Amſterodami, alterum in Zelandia, tertium Roterodami, quartum in ſeptentrionali Batavia; et ita totius negotiationis rationes putatae, ut ſemis totius ſummae capitalis penes Amſterodamenſeis, quadrans penes Zelandos, dodrans octava pars penes Roterodamenſeis et ad Moſam poſitas civitates, alter dodrans penes Nortlandos eſſet. In eam ex aerario praeter ſingulorum collationes, promiſſa decies centena florenorum CIↃ

INTERPR. [a] *Peniche.* [b] *Tajo.* [c] *cap S. Vincent.* [d] *brigantin.* [e] *Ocampo de Galice.* [f] *la rade de S. Lucar.* [g] *Uſeling marchand, natif d'Anvers.* [h] *le Caerden.*

cIↃ proximo quinquennio numeranda. Inſuper et XVI navium claſſis, quarum minima CL amphorarum capax ſit, et IV celoces omni re inſtructae, praeterquam nautis, milite et annona, quae a ſocietate ſuppeditari debebant; et ſi accidat, ut Hiſpani, quod ſperatur, in ſocietatem totas vires vertant, et inde levamentum foederatae provinciae in ſuo ſentiant, eo caſu ad priorem ſummam Ordines tantam ſe pecuniam adjecturos recipiunt, quantam communis aerarii et reipublicae rationes ferre poterunt. His et aliis conditionibus decretum factum. Verum ſecutis poſtea induciis inchoatum potius quam confectum negotium, exeuntibus illis aliquando renovandum pro tempore fuit ſuſpenſum.

XII. Britanni ſuſceptam, Eliſabetha regina, a Waltero [a] Raleigho et Laurentio [b]Keimiſhio equite in Guianam, de qua ad annum cIↃ IↃ XCV et ſequentem diximus, expeditionem, malis avibus ante quadriennium reſumpſerant; et Carolus [c] Leighus e nobilitate Anglicana, homo ſtrenuus de colonia ad [d] Viapogum deducenda conſilium inierat, et inſtructa claſſe viris et foeminis plena cum ad regionem habitandam profectus eſſet, inclementia coeli morbo cum tota pene colonia abſumptus eſt. Ejus audita morte [e] Olivarius frater, cujus ille ſumptibus expeditionem ſuſceperat, non tam territus, quam ad conſilium perſequendum animatus, alteram claſſem inſtruit, impoſitis in eam utriuſque ſexus numeroſis capitibus. Militi praeerat [f] Catalina tribunus, nautis Richardus [g] Chamberius. Coloniae deducendae princeps [h]Santionius cum Alexandro fratre XVIII Kal. Maias Anglia ſolvit anno ſuperiore, et Album promontorium praetervecti inſulam Maiam tenuerunt; in eaque exſcenſionem fecere. Poſtea per S. Jacobi inſulam itinere facto, ad S. Luciae inſulam appulere. Dein orto inter coloniae duces et navarchos diſſidio, ita conventum inter eos, Ut hi in Zelandiam diſcederent, expoſitis in terram novis colonis; nec citra certamen utrinque diſceſſum. Tandem navarchi Sextili exeunte in altum vela dederant. Qui remanſerunt ad numerum LXXX cum Santionio duce, imprudentia ſua an fato incertum, morbis, inedia, naufragiis, miſere perierunt; tantumque unus per tot caſuum diſcrimina evaſit Joannes [i] Nicolaus qui calamitoſae navigationis narrationem ſcriptis mandavit.

XIII. Hoc eodem anno inter Orientalis Friſiae comitem et civitatem [k] Embdanam controverſia, vi potius quam jure huc uſque diſceptata, interventu arbitrorum compoſita eſt, et Hagae-comitis facta tranſactio, et altera Embdae confirmata, ac perſcripta capita, ad juriſdictionem inter partes ordinandam: reſtituta comiti erepta tormenta, et vinarium vectigal cum ſemiſſe omnium mulctarum, venatione et piſcatione integra penes eum manente. Viciſſim is liberam negotiationem civibus relinqueret, de eaque literis traditis idonee caveret, et bona fide in omnibus, atque adeo boni magiſtratus ſive domini officium praeſtaret. Arbitri fuere Rodolfus [l] Winwoodus Magnae Britanniae regis apud confoederatas Provincias orator, Joannes [m]Bielius, Jacobus [n] Boliſenus, Abel [o] Cunderus, Vitus [p] Caminga admodum ſenex, et diu in adminiſtratione reipublicae per hos motus Belgicos verſatus; ex quo et ſaepe auditum, neutiquam fore, ut ſicuti eorum initium, ita finem viſurus eſſet: et fidem vaticinio morte ſua ſub id fecit; nam longo poſt coenam ea de re ſermone habito cum ſe cubitum contuliſſet, mane mortuus in lectulo inventus eſt.

XIV. Ante eum III Non. Martii, Iſſelſtenii fato functus eſt Philippus Hohenloi comes, militari virtute inſignis, et in quo nihil merito deſiderare poſſes, niſi in praecipiti ac feroci natura moderationem. Is Annam Gulielmi [q] Arauſionenſis filiam ex Anna Maximiliani [r] Burani filia ſuſceptam in uxorem duxerat, ex qua nullos liberos

INTERPR. [a] *Raleigh.* [b] *Keymis.* [c] *Leigh.* [d] *Wiapago r.* [e] *le chevalier Olave Leigh.* [f] *le capitaine Cataline.* [g] *Richard Chambers.* [h] *le capitaine Nicolas S. John.* [i] *Jean Nicol.* [k] *Embden.* [l] *le chevalier Ralph Winwood.* [m] *Biel.* [n] *Boeliſſen.* [o] *Coenders.* [p] *Camminga.* [q] *le prince d'Orange.* [r] *d'Egmond comte de Buren.*

CIↃ IↃCVI.
HENRICUS IV.

liberos ſuſcepit. XXXIV annos Ordinibus Belgii ſumma fide ac conſtantia militavit, et poſt ſocerum nefario ſcelere interfectum, puero adhuc Mauritio vicarias operas, donec adoleſceret, eadem fide implevit, ſicuti amplius in ſuperioribus demonſtratum; ubi tam crebra ejus geſtorum mentio, ut ſuperfluum ſit nunc plura addere. Eodem anno Dillinburgi deceſſit VIII Eid. Oct. Joannes Naſſovius Gulielmi Arauſionenſis frater, admodum numeroſa ſobole tantae familiae firmandae relicta; quam Deus ſummae hodie in orbe Chriſtiano potentiae, ne magnitudine ſua plus juſto inſoleſceret, videtur oppoſuiſſe. Ipſe Geldriae praefecturam aliquandiu adminiſtravit, et poſt Gandenſem pacificationem ſublatam, Ultrajectinae unionis praecipuus auctor fuit. Gul. Ludovicus filius Friſiam magna virtutis et integritatis laude adhuc adminiſtrat; Adolfus non procul a [a] Santonum pago ante paucos annos ab Hiſpanis oppreſſus. Philippus ad [b] Biſlicum caeſus occubuit. Ludovicus [c] Guntherus poſt multas expeditiones feliciter confectas, Ulrici Falkenſtenii comitis vidua in uxorem ducta, Sluſis ex morbo defecit. Erneſtus caſtrorum praefecti munere nunc in Mauritii caſtris fungitur, in quibus Joannes et Georgius adhuc juvenes militant. Sub id et Joannes Andreas [d] Auria Janetini [e] Fliſcana conjuratione anno CIↃ IↃ XLVII occiſi filius Genuae in ſuis aedibus fato conceſſit, admodum ſenex, primariae familiae illius princeps, qui quantum Andreas ante XLVI annos defunctus illi per militarem virtutem et charitatem erga patriam gloriae contulit, ipſe magnis honoribus tota vita defunctus, at non parem in expeditionibus felicitatem expertus, tantum immenſis opibus et fidem ſuperantibus eandem auxit, et magnitudinem a propatruo acceptam in ea firmavit, relictis quatuor filiis. Repoſita et nunc a Caeſarianis inter Archiducem et Ordines Bataviae pacis mentio, antea ſemper obſtinate rejecta; quae ob recenteis ac proſperos Spinolae ſucceſſus, quibus victrix huc uſque Ordinum fortuna tantundem infracta eſt, tandem alicujus reconciliationis viam anno ſequenti invenit.

XV. ANNUS hic apud nos, ut ſuperiores poſt pacem, a feſtis pompis inivit, cum IV Eid. Febr. regina filiam enixa eſſet: non intermiſſa nocturna ſpectacula. Equeſtri chorea, quae [f] Borboniis aedibus exiens, inde ad [g] Luparae aream ad faces tendebat, quatuor elementa mundi repraeſentabantur, in IV turmas diſtributa. Primam, quae aquam referebat, Rogerius [h] Sanlarius Bellogardius hipparchus ducebat, cum inſtructa ſeirenum et deorum maritimorum pompa; et XII equites egregie ornati ſequebantur. Secundam Henricus [i] Roanus Leonii princeps, quae ignem, cum Vulcani et Cyclopum ignem undiquaque artificioſe verſata incude ejaculantium pompa, ac totidem equitibus. Tertiam Carolus [k] Emmanuel Lotharingus Sommarivius, quae aërem, Junone, aquilis et volucribus omnis generis huc illuc volitantibus, cum totidem equitibus pompam pulchro ordine ſequentibus. Quartam denique Carolus [l] Gonzaga Clivius Nivernii dux, quae terram, cum elephantis turritis, quibus ſymphoniaci inſidebant, et totidem equitibus Mauris quaſi ultimum agmen claudebat. Ii cum per aream arena ſtratam coram rege de feneſtris ad ſpectaculum et omni gynaeceo ſedente ordine ſe oſtentaſſent; dein ludicro certamine concurrerunt, confractis in terram haſtis, et ſagittis ad clypeos ſine laeſura eliſis; poſtremo tam ingenioſo flexu in equis ſe miſcuerunt, ut vere quaſi pedibus choreas ducere viderentur. Id actum V Kalend. Martias. A ludicris certaminibus ad ſeria ventum, exercitu ad Sedani expeditionem inſtructo, cura et diligentia Maximiliani [m] Bethunii Ronii, aerario et rei tormentariae praefecti, qui ſub id Sullii dux, et regni patritius creatus eſt, condito

diplomate

INTERPR. [a] *Santen.* [b] *Biſlick.* [c] *Gunthier.* [d] *Doria.* [e] *de Fieſchi.* [f] *au petit Bourbon.* [g] *le Louvre.* [h] *de S. Lary de Bellegarde grand Ecuyer.* [i] *de Rohan prince de Leon.* [k] *Charles Emmanuel de Lorraine comte de Sommerive, ſecond fils de Charles duc de Mayenne & d'Henriette de Savoye comteſſe de Sommerive fille unique de Honorat de Savoye* II *du nom marquis de Villars.* [l] *de Gonzague de Cleves duc de Nevers.* [m] *de Bethune marquis de Roſny duc de Sully.*

diplomate, quod magna procerum pompa, cui Caeſar [a] Vindocini dux, Henricus CIↃIↃCVI. [b] Momorantius equitum magiſter interfuerunt, in ſenatu recitatum fuit VII Eidus Martias. Eo decora familiae Bethuniae commemorabantur, et ipſius Maximiliani merita minime tacebantur.



XVI. Secundum haec rex longa quatuor annorum contumacia [c] Bullionii irritatus, qui ad famam et exemplum pertinere exiſtimabat, ne tali vir dignitate victoris ubique principis ſui imperia impune detrectare videretur, quanquam invitus faceret, ut eum, quem tot beneficiis et honoribus ob merita cumulaverat, ad exitium perſequeretur, profectionem ad x Kalend. April. pronunciavit, vocato prius ſenatu, cui ejus cauſas aperit, et explicatis brachiis eo ſe proficiſci dicit, ut ſupplicem in gratiam recipiat, ſi modo ea ſe minime indignum praebeat. Itu et reditu ſaepius repetito Odeti [d] Lanovii, et Netencurii, qui poſtea arci Sedanenſi fuit impoſitus, de reconciliatione actum fuerat, et propoſitae conditiones. Bullionius cuncta ſe ad plenam obedientiam neceſſaria facere, regem intra oppidum et arcem ipſam cum omni aulico comitatu accipere, ſeque qua juberet ratione ſupplicem ſiſtere, et praeteritorum veniam petere, paratum oſtendebat; verum ut arcem, antequam ſibi accepta regis gratia cautum eſſet, ſicuti jubebatur, traderet, nulla ratione adduci poterat. Inter has altercationes rex [e] Duncherium venit tertio a [f] Sedano milliari, non ſolum cum exercitu, ſed cum aulico omni comitatu, et regina ipſa nuper partu levata, quae Bullionio in arcano favebat; nam antequam Lutetia diſcederet, per fidos clam ei ſignificandum curaverat, bene ipſi velle, ut cum ſe occaſio offerret, minime officio defuturam; tantum duraret, neque ex deſperatione ultima conſilia caperet. Tanta temporis intercapedine rex certo compererat, Bullionium, quamvis omnibus iis, quae ſupra memorata ſunt, oneratum, potius conſcientia quam voluntate peccaſſe, communicatis curioſe cum Birono et Arverno conſiliis, quae prima ſpecie tantum eo tendebant, ut ſe efferenti contra [α] leges, procerum libertatem ac dignitatem, unius potentiae, is erat Ronius, opponeret; ceterum conjurationi cum externis atque adeo Hiſpanis clam initae nunquam participaſſe; et nuper cum ex Lucemburgenſi principatu proximo et a [g] Fontano ipſo ſolicitaretur, conditiones ab iis oblatas ſumma conſtantia repudiaſſe. Itaque potius hominis alioqui ſibi chari pertinacia quam crimine offendebatur, et honorificam reconciliationis occaſionem, cum ſe offerret, minime recuſaturus videbatur. Nec deerant in aula aemuli, qui de ſucceſſu metuebant, ne videlicet is, cujus odium obtendebatur, nimios ex eo ſpiritus ſumeret, et regia deinceps auctoritate ad multorum injuriam abuteretur. Itaque dum Sullius, ſic enim jam vocabatur, qui obſidionem tantopere urgebat, abeſſet, ad machinas et apparatum bellicum adducendum profectus, repetitae conditiones, et [h] Torcii pago fide accepta Bullionius venit, eodemque a rege miſſus [i] Villaregius. Nec multis verbis opus fuit, quippe ubi de bono regis reginaeque erga ſe animo per Villaregium certo cognovit Bullionius, in ceteras conditiones facile aſſenſit, et ultro traditurum arcem promiſit; quibus perſcriptis et ſubſignatis poſtridie Duncherium ad regem adhuc in lecto decumbentem ſupplex venit, et coram regina, petita praeteritorum venia et impetrata, ceteris demiſſi obſequii officiis defunctus eſt. Diploma mox ea de re obſignatum, et ad ſenatum per diſpoſitos equos miſſum, cum ſigillaritiis regis literis, quibus promulgationem ejus ſine mora imperabat; et ne ad eam petendam comparere teneretur, gratiam eidem faciebat. Qua celeritate illud ad ſenatum allatum, eadem ſine ulteriore diſceptatione promulgatum fuit, omnium ordinum

VAR. LECT. [α] leges, et per unius ſuggeſtionem, is erat Ronius, procerum libertatem ac dignitatem potentiae opponerent. *Ed. Gen.* 1620.

INTERPR. [a] *Vendoſme.* [b] *le conneſtable de Montmorency.* [c] *le duc de Bouillon.* [d] *de la Noüe & le Sr. de Netencourt.* [e] *Donchery.* [f] *Sedan.* [g] *le comte de Fuentes.* [h] *Torcy.* [i] *de Villeroy.*

CIƆIƆCVI. HENRICUS IV.

ordinum prono favore, quippe qui quam Bullionio bene vellent, tam a belli neceſſitate alieni eſſent. Id actum VIII Eidus Aprileis. Eadem praeteritorum gratia facta Petro [a] Rignaco, et Gedeoni [b] Vaſſiniaco, Jo. Jacobi [c] Memmii ſententia per contumaciam [d] Ratiaſti Lemovicum damnatis, ſicuti ſuo loco diximus, qui ſe judicio ſtiterunt, et ſupplici libello diplomatis a rege conceſſi promulgationem audito cognitore regio petierunt. Conditionibus perſcriptum fuerat, ſic enim rex ad famam voluerat, ut arx Sedanenſis ab eo quem juberet, totum quadriennium cum praeſidio teneretur; iſque [e] Netencurius deſignabatur, qui eam poſt menſem, rege ita jubente, Bullionio reſtituit. Sedanum rex cum pompa ingreſſus, ab urbis ordinibus ſumma gratulatione exceptus eſt, tanquam patronus, et publicae libertatis vindex, proque ejus incolumitate vota publica concepta, et poſt feſtam tormentorum diſploſionem in laetitiae ſignum, accenſi ubique ignes. Ipſe in arce hoſpitium ſumpſit, in qua per triduum moratus, et rebus pro tempore ordinatis Lutetiam modicis itineribus repetiit; datis, cum inde diſcederet, ad Aloiſiam [f] Coliniam Arauſionenſis principis viduam, quae pro Bullionio interceſſerat, literis, quibus, ſucceſſu exultans, ſe veniſſe, vidiſſe, viciſſe aiebat, eo in gratiam recepto, quem ipſius generum vocabat, quem perdere noluerat. Ubi Lutetiam venit, eadem coram ſenatu ad gratulandum admiſſo teſtatus, non tam expeditionem ſe ſuſcepiſſe dixit, ut Sedanum, quam ut dominum ejus in poteſtate haberet, cujus manu et conſilio porro in rebus magnis utiliter uti decreviſſet. Ipſe Bullionius paulo poſt regem ſecutus eſt, et priſtinum in aula dignitatis, quaſi nunquam abfuiſſet, gradum, eandem apud populum Pariſienſem quam prius gratiam recuperavit, ubique libentiſſime conſpectus.

XVII. INDE rex cum toto aulico comitatu ad Germani-fanum aeſtate ineunte ſe contulit, unde dum V Eid. Jun. ad urbem revertitur carruca, qua vehebatur, cum regina, [g] Monpenſerio, Vindocino, et [h] Contia, ad [i] Nuellium portum, dum [k] pontonem ingreditur, biga a ceteris equis deerrante, everſa eſt, et univerſi, qua profundiſſima aqua, ſummerſi. Ad quem caſum, qui in equis ſequebantur per imbrem copioſum, ſe in aquam palliati, et gladiis accincti, et ocreati, ſubito demittunt, et regem primum alioqui natandi peritiſſimum periculo eripiunt. Andreas [l] Vivonus Caſtignereus reginae et Vindocino in tempore ſubvenit; Monpenſerius et Contia non tam alte merſi aliorum ope ſervati ſunt. Qui dum ſupernam pluviam vitatam cupiunt, nec deſcendere, uti ſemper in pontonibus tutius eſt, in animum inducere volunt, aqua ſubjecta copioſius madefacti, vitae periculum paulum abfuit adierunt. Gratiae Deo publicae actae, et Caſtignereus grato gemmarum dono a regina remuneratus, qui poſtea ſtipatorum ejus [m] dux ut eſſet, aſſiduitate ſua meruit. Sub id et Margarita regina, quae ſuperiore anno ad urbem venerat, litem de Catharinae matris ampliſſimis poſſeſſionibus Carolo [n] Valeſio Arvernorum comiti, qui in Baſtilia captivus attinebatur, et eorum, titulo donationis Henrici III beneficio, poſſeſſionem nactus fuerat, creditoribus item ipſius, et Valeſii jus impugnantibus, movit. Jam ante dum adhuc [o] Uſſonii in Arvernis eſſet, ante quinquennium [p] Toloſae, in cujus territorio [q] Laureacenſis comitatus ex eadem ſucceſſione ſitus eſt, Valeſio de eo litem moverat, et quaſi ſubſtitutione poſt fratres ad eam vocata obtinuerat, praejudiciali judicio, ut niſi creditores interveniſſent, quantum ad Valeſium, idem de ceteris bonis in Pariſienſis ſenatus territorio ſitis judicium ſequi neceſſe eſſet. Cauſa magna contentione acta, et tabulae dotales anni CIƆ IƆ XXXIII prolatae; tandem ſenatus exeunte Maio de juribus partium ampliore deliberatione ſibi ſervata, interim cenſuit, ut teſtamentum Catharinae executioni demandaretur, et vi ſubſtitutionis, aſtipulante

INTERPR. [a] *de Rignac.* [b] *de Vaſſignac.* [c] *de Meſmes.* [d] *Limoges.* [e] *de Netencourt.* [f] *de Coligny princeſſe d'Orange.* [g] *les ducs de Monpenſier, & de Vendoſme.* [h] *la princeſſe de Conti.* [i] *le port de Neuilly.* [k] *le bac.* [l] *de Vivonne de la Chaſtaigneraie.* [m] *capitaine des Gardes.* [n] *de Valois comte d'Auvergne.* [o] *Uſſon.* [p] *Toulouſe.* [q] *le Lauraguais.*

aſtipulante cognitore regio, pro quo Ludovicus Servinus loquebatur, bonorum poſſeſſionem Margaritae adjudicavit. Altero poſtea ſenatus-conſulto xv Kalendas Quintil. a Valeſio eorundem bonorum poſſeſſionem avocavit, et libere ea frui Margaritam juſſit. Ea bona mox Margarita, titulo donationis inter vivos, in regem delfinumque contulit, ea lege ut patrimonio regio, quod vulgo Domanium vocant, unirentur; nec ullo caſu, ullamve ob cauſam, alienari et ab eo avelli poſſent. Id actum vi Eid. Martias; primum retento uſufructu, quem rurſus penſione grandi accepta, itidem remiſit. Henricus iii ante aliquot annos in [a] Sammarcelliano ſuburbio domum [b] Charitatis nomine inſtituerat, cellulis et hortis egregie inſtructam: quo mortuo et ſupervenientibus bellis laudabile illud inſtitutum diu intermiſſum fuerat, domo ipſa paene collapſa, quam rex nobilibus ad inopiam redactis, militibus mutilatis, ſenio effoetis, quibus impenſe favebat, hoc anno attribuit, et ex noſocomiorum, elephantiaeorum, xenodochiorum reſiduis rationibus, quas delegatis ad id judicibus exacte diſcuti et exigi jubebat, eam locupletavit, diplomate ea de re condito Nonis Quintilibus, et ad magnum concilium cum plena poteſtate de iis ſtatuendi directo, quod ſenatum interceſſione ſua moram rei allaturum putaret. Quod tamen diu poſtea et multoties repetitis diplomatis agitatum, cum multi ſe opponerent, poſt magnos et inutiles ſumptus ad extremum exitu caruit. Jamque dies luſtricus inſtabat, quo delphinus et ſorores ſacro lavacro jam ablutae ultima ceremonia impoſitis nominibus conſecrari debebant. Apparatus in id magno ſumptu Lutetiae, contagione per aeſtatem graſſante, inde ad Blaudi-fontem tranſlatus eſt. Invitatus, ut pro delphino fidejuberet, Paulus v, vices ſuas Franciſco a Jouſa ſanctae Romanae eccleſiae cardinali epiſcopo [c] Sabinenſi, breviculo ad eum miſſo, tranſcripſit. xviii Kalend. Oct. S. Crucis die, res in area veteris arcis, a Philippo Pulchro beati Ludovici nepote olim ſtructae, peracta; nam conclavia quantumvis ſpacioſa, tantam multitudinem capere non poterant; ſacra peragente Petro Gondio cardinali epiſcopo Pariſienſi. Helionora ſereniſſimi Vincentii Mantuae ducis conjux, reginae ſoror, quae Margaritam filiam ad [d] Barrenſium ducem maritum adduxerat, matrinae munere defuncta eſt, et puero Ludovici nomen inditum, renovata beati Ludovici, qui olim ea loca incoluerat, et deſerta ſua ac ſolitudines vocare conſueverat, memoria; a quo et ſtirps ea, quae hodie feliciſſime in Francia regnat, ordine legitimo propagata eſt. Filiae grandiori natu Diana Engoliſmenſis, Eliſabethae Clarae Eugeniae infantis Hiſpaniae vices gerens, Eliſabethae nomen impoſuit; pro minore Carolus dux Lotharingiae, et Joannes Medices Chriſtiernae Lotharingieae magni Etruriae ducis viduae nomine fidejuſſerunt. Peractis ceremoniis, lautiſſimo convivio rex univerſos excepit. Poſtridie equis pernicibus ad annulum decurſum, et caſtello tumultuario opere a [e] Sullio peracto, oppugnatio inde tentata, inde obſeſſi cum ſe gnaviter defenderent, tormentorum crebra diſploſione et artificioſis ignibus ad aliquot horas procerum oculos gratiſſimo oblectamento detinuerunt. Obſervatum a curioſis, ante et poſt peractas ceremonias, inſolitos in coelo viſos igneis, qui ab occaſu in auſtrum et ortum deſinebant, quos currus ignivomi confuſo ordine ſequebantur, haſtas, fariſſas, et brachia armata in altum ejaculantes. Iidem ignes triduo poſt viſi, et concurrere equitum et peditum armatorum in coelo acies, multaque utrinque ſtrage edita ad extremum evanuiſſe. Nunc ſingularia fere ſuperant, quae et ad rem publicam pertinent.

XVIII. Tolosa cum allatum eſſet, in Miſſae canone, paſſim a ſacerdotibus per cunctas dioeceſes celebrantibus, orationem pro rege omitti, et in ipſis Miſſalibus libris,

INTERPR. [a] *Faxubourg S. Marceau.* [b] *la Charité.* [c] *l'evêque de Magliano.* [d] *Bar.* [e] *le duc de Sully.*

CIƆ IƆCVI. HENRICUS IV.

libris, [a] Lutetiae, Burdigalae ac Lugduni cuſis eam non inſertam, cognitor regius de ea re in ſenatu graviter expoſtulavit, et auctoritatis publicae opem imploravit. Ad cujus petitionem ſenatus decrevit, ut ſacerdotes in ſolemni ſacrificio pro rege orationem antea ſemper uſurpatam deinceps adhibeant, librorum iis in urbibus cuſorum, in quibus inſerta non eſt, uſu prorſus interdicto; inſuper addita ſanctione contra inſtitores et typographos, qui hujuſmodi libros, in quibus illa inſerta non erit, aut cudent aut ement; quibus et injungitur, ut folium, in quo illa inſeri debet, ſine mora recudendum curent; ni faciant, librorum amiſſione, et arbitraria corporis poena mulctentur. Id actum VII Eidus Junias.

XIX. Renovata et Septembri ſequenti contra theſaurarios, qui nimium quam multi ſunt apud nos, et quotidie certatim multiplicantur, intolerando aerarii et plebis, in quam damnum ſemper recidit, onere, actio; et ne contra gratiam nuper factam iri videretur, expreſſum falſi crimen, de quo tantum quaereretur, quod ſemper exceptum intelligitur. Rei inſtigatores erant Iſaacus [b] Coſta Barjous, et Joannes [c] Bellofortius, homines ſine lare, ac nullis facultatibus; quorum hic ante biennium cum falſi poſtulatus fuiſſet, abolitionem a rege impetraverat, diplomate ad praetorem Pariſienſem et inferiores judices directo, quod merito ſibi a ſenatu metueret. Ii montes aureos pollicebantur, et pronis auribus in aula audiebantur, multum repugnante Sullio; quem illi propterea in invidiam adducebant, quaſi aerarii expilationibus in occulto faveret. Perſcripta ab illis capita, et ſumma impudentia in conſiſtorio recitata, ac primum probata, quibus et fiſci procuratorem in ea cauſa, et judices delegatos a ſe nominari petebant. Itaque ſyndicatu facto, qui petebantur, libellum ſupplicem ſenatui porrigunt, et inſtituta de perverſo judicii ordine querimonia, ad juris normam et regni leges rem revocari, auctoritatemque ut ſuam ampliſſimus ordo interponeret, petunt. Pudor ex eo cunctos inceſſit, quaſi iidem et delatores et judices in ſua cauſa ſederent, et ad leniendam invidiam ſpecioſo juſtitiae nomine camera inſtituta, quae de falſi crimine cognoſceret; quae, quia res minus ex voto quadruplatorum procedebant, promiſſa grandi pecunia, et vix poſtea exſoluta, tandem fuit revocata. Tunc et poſtulata ſacri ordinis CVI articulis diſtincta in conſiſtorio diſcuſſa ſunt, et cum primo capite ante omnia concilii Tridentini promulgatio toties petita, et toties ſive rejecta ſive eluſa denuo inſtantius reponeretur, diſerte a rege reſponſum fuit, ob eaſdem, ob quas deceſſores ſui ſaepius interpellati eam diſtuliſſent, cauſas, ſe quoque retineri quominus in illam conſentiat; praecipua concilii capita in regias conſtitutiones ad ipſorum petitionem inſerta; praeterea per oratores ſuos antea cum Clemente VIII ea de re ſedulo egiſſe, qui pium ac devotum ſuum in religionem affectum, et juſtas excuſationes in bonam partem acceperit.

XX. Pro clauſula rerum noſtrarum hujus anni, addetur decretum antiquae libertatis pro tuenda regia auctoritate, Burdigalae factum in cauſa Philippi [d] Prenneti appellantis, tanquam ab abuſu ad ſenatum, a ſententia cardinalis [e] Surdiſii archiepiſcopi urbis: nam re publica diſceptatione agitata, cum ſecundum appellantem XIV Kal. Januarias eſſet pronunciatum, decreto per apparitorem Surdiſio inſinuato, ille contumelioſa multa in ſenatum et contra juriſdictionem regiam cum minis pro reſponſione effutivit; quibus ad curiam per apparitorem relatis, ſenatus prudentiſſime duos e ſuo numero, Jacobum [f] Guerinium, et Joannem [g] Bernetum delegavit, qui Surdiſium adirent, et de reſponſione ſua illum benigne admonerent; in qua nihilominus ille non ſolum perſeveravit, ſed eam ſanguine proprio, ſi opus eſſet, obſignare ſe paratum oſtendit. Cognitum praeterea ex Andrea [h] Coſturio ſacri collegii ſodali poenitentiario indiculum ab eodem ipſi porrectum, nomina praeſidum et conſiliariorum,

INTERPR. [a] *Paris, Bourdeaux, & Lyon.* [b] *la Coſte Barjot.* [c] *Beaufort.* [d] *Prennet.* [e] *de Sourdis.* [f] *de Guerin.* [g] *du Bernet.* [h] *de la Couſture chanoine de l'Egliſe de S. André, penitencier.*

conſiliariorum, qui judicio interfuerant, cognitoris item regii, qui in cauſa pro rege intervenerat, et patroni partis adverſae complectentem, qui omnes extra communionem eccleſiae cenſura ſua poſiti erant, curionibus urbis, aliiſque quibuſcunque inhibitis, ne abſolutionis beneficium cuiquam eorum impertirentur; ea ſibi ac poenitentiario ſuo ſervata. Viſo indiculo a Coſturio tradito, et auditis Simone [a] Priore S. Petri, Franciſco [b] Charronio S. Simonis, et Joachimo [c] Joreto Podii Paulini curionibus, Matthaeo item [d] Granderio Franciſcano, repetita ad extremum decreti ante IV annos contra eundem archiepiſcopum facti memoria, quo vetabatur cenſuris uti contra regios magiſtratus munere ſuo defungenteis, ſi contra faceret, X aureorum CIↃ mulctaretur, ſenatus declaravit, interdictionem abſolutionis in indiculo denominatis impertiendae a Surdiſio factam, et ejus ſibi ac poenitentiario ſuo ſervatam facultatem, abuſivam, offenſionis plenam, et contra regis ac curiae auctoritatem per contemptum factam. Injungit curionibus, ſacerdotibus, religioſis aliiſque ejus rei poteſtatem habentibus, ut nulla cenſurarum illarum habita ratione, indiculo comprehenſos ad ſanctam confeſſionem admittant, eiſque abſolutionis beneficium impertiant: ni faciant, in eos tanquam quietis publicae perturbatores animadvertatur; verba contumelioſa in regem curiamque reſponſione ſua comprehenſa, indiculum item memoratum, induci et aboleri juſſit; et ob idque ipſum mulctam XV librarum CIↃ, regi et xenodochiis exſolvendarum, commiſiſſe pronunciavit, curiae ingreſſu interdicto. Inſuper verbis hujuſmodi contumelioſis et cenſuris abſtinere in poſterum jubetur; ſi contra faciat, XXX librarum CIↃ mulctetur. Et quia Podii Paulini curioni permiſerat, ut in triviis et plateis publicis extra baſilicas conciones haberet, quia id ad plebem concitandam ſpectare videbatur, enixe eodem decreto prohibitum, ne quid hujuſmodi in poſterum fieret, ullaeve coitiones extra baſilicas, locis et diebus minime fieri ſolitis, injuſſu magiſtratus celebrarentur; qui contra facerent, in regia edicta commiſiſſe et pacem publicam turbare cenſerentur. Moniti item concionatores, ut populum alloquendo nihil dicant, quod ad diſſidium, contemptum, aut regiam auctoritatem imminuendam, et ſeditionem in populo excitandam ſpectet; poena in eos, ſi contra faciant, ſancita. Ad extremum decretum, ut a curia delegati anquirere in eos qui in regia edicta commiſerunt, aut deinceps committere audebunt, porro inceſſanter pergant. Id actum III Kalendas Januarias. Nuncio rei accepto, rex ejus cognitionem ſibi ſumpſit, ulteriore executione prohibita, et poſtea mulctam remiſit, manente in ceteris decreto.

XXI. Inter haec Philippus Gulielmus Naſſovius tot annorum in Hiſpania captivus, et priſtinae libertati ac bonis reſtitutus, Helionoram Borboniam Condaei ſororem in uxorem accepit; ultra dotem hanc a rege gratiam conſecutus, ut in antiquam Arauſionenſis principatus poſſeſſionem, a qua per haec bella dejectus fuerat, reſtitueretur. Arcem tenebat [e] Blaconus ex Allobrogica nobilitate vir primarius, Proteſtantium religioni addictus, quem vix tandem, nam initio tergiverſabatur, ſcripto milite juſſu regis [f] Diguierius ad conditiones accipiendas compulit.

XXII. Nunc viri literis illuſtres, qui hunc annum funeſtum morte ſua fecerunt, memorabuntur. Ac primus inter eos Sofredus [g] Calignonus Navarrae cancellarius, [h] Gratianopoli in Allobrogibus natus, ingenio, doctrina, rerum uſu, et in iis explicandis ſolertia, ac morum ſuavitate cum paucis comparandus. Olim mihi a puero et in ſcholis arcta cum eo familiaritas fuit, quae per bella, locorum diſtantiis, et variis caſibus aliquandiu disjuncta, poſtremis temporibus coiit, et in edicto [i] Namnetenſi

condendo

INTERPR. [a] *Prieur de S. Pierre.* [b] *Charron curé de S. Simon.* [c] *Joret curé de Pui-Paulin.* [d] *Grandier Religieux du convent de la Grande Obſervance.* [e] *de Blacons, gentilhomme Dauphinois.* [f] *de Leſdiguieres.* [g] *de Calignon chancelier de Navarre.* [h] *Grenoble.* [i] *de Nantes.*

CIↃ IↃCVI. HENRICUS IV.

condendo cum eo communem operam per triennium integrum [α] navavi. Quinquageſimum ſextum annum aliquot menſibus ſupergreſſus fuerat, cum in lethalem morbum incidit; tota vita jucundiſſimus, quae ſubito in moerorem vertit, et gravedine primum tentatus, cum ad meam vocem ſe excitaſſet, vocem mihi funeſtam ſtatim reddidit, non tam viris bonis vitam eſſe optabilem; triſti non ſolum morbi ſui ſed etiam rerum noſtrarum in poſterum [β] augurio. Philippus [a] Porta [b] Autrici Carnutum natus ad [c] Boni-portis coenobium, cui antiſtes erat, haud longe ab [d] Arcuenſi ponte ad Sequanam, pridie Nonas Octobreis, ad Deum migravit, cum LXI aetatis annum ageret. Is vitam placidam, et ad bene de cunctis merendum inſtitutam, in poëtica noſtra exercuit, in qua excelluit, ut ſecundum Ronſardum, [e] Bellaium, et [f] Bellaqueum, principatum in ea obtinuerit; neque minus propterea rebus maximis gerendis par: nam dum Annas [g] Jouſa Henrico III rege quaſi rerum in aula potiebatur, ipſe in Jouſae ingenio regnavit, et eo ſublato ad priſtinam ſtudiorum conſuetudinem rediit; in illo otio Gallicam Pſalmorum paraphraſim omni laude dignam meditatus. Nec multo poſt Reginaldus [h] Belnenſis Senonum archiepiſcopus, quem adoleſcens et vir ſenem et grandaevum aſſidue colui, optime meritam de rege et nomine Gallico animam Deo, a quo acceperat, reddidit; paene octogenarius. Hic vir conſtantiſſime regias partes calamitoſiſſimis temporibus tutatus eſt, ſicuti illuſtri illius ubique in ſuperioribus mentione vidimus; cum diceret, religioni, niſi ſalva republica, conſuli non poſſe: ſalvam autem rempublicam ſervari non poſſe, niſi legitima ſucceſſione ſervata: ob idque cum ſublimiore dignitate eſſet digniſſimus, ab ea ſemper excluſus fuit. Cetera quae de ingenio ejus, comitate ac miro temperamento addi poſſent, commodius alibi [γ] dicentur. Nunc Juſtus Lipſius venit commemorandus, de quo pauciora dicenda ſunt, cum ipſe victuris ad omnem poſteritatem ſcriptis ſatis ſe illuſtrem toto orbe praebuerit. [i] Iſcanio tribus a Bruxellis milliaribus natus honeſta et antiqua familia, moribus et eruditione ſe ipſum magis nobilitavit, et Lovanii hoc anno aetatis LIX continuis pro re literaria laboribus finem impoſuit. Tota vita Joſephum Scaligerum coluerat, ab eo viciſſim redamatus; qui exemplo ſuo alios ad celebrandam ejus memoriam provocavit, ut nullum a ſuis cum quibus vivebat, illuſtrius monumentum hodie extet, quam quod illi Scaliger Lugduni

VAR. LECT. [α] navavi: quo in negotio eandem quam in adoleſcente, in ſene fidem et candorem expertus ſum; ut cum poſtea inde in ſenatu jus dicerem, ille in conſiſtorio principis primarium locum teneret, nos tamen officioſe inviſeremus, et communicatis conſiliis antiquae amicitiae fomitem in dies quieſcentem inter nos ſuſcitaremus. Cum aegrotare coepit, quamvis tempore ſuſpecto, nec morbus ejus contagionis periculo careret, ei amice aſſedi, donec circumvallatis, lue graſſante, quas habitavi avitis aedibus, urbe migrare, cum uxore et tota fere familia coactus ſum: quod non tamen prius feci, quam eum poſtremo inviſi. Cum morbus remiſiſſe videretur, et Joannes Martinus praeſtantiſſimus medicus, qui nobis pueris in ſchola Burgundica olim praelegerat, de ſalute ejus anxium me bene, niſi quid inopinati accideret, ſperare juſſiſſet; ea ſpe plenus urbem reliqueram, et in Petrocorios ad inviſendam Bordelliae vicecomitiſſam ſororem meam cum uxore tendebam; cum Rupella diſcedens, triſtiſſimum de ejus morte nuncium accepi, ex eoque graviſſimum dolorem concepi: quippe ſingulari amico et ſapientiſſimo viro orbatus, qui me domi in hiſtorico noſtro opere, foris in conſiliis pro republica capiendis, plerunque titubantem ſuſtinebat, et filo prudenti ac ſua quaſi manu deductum errare non ſinebat. LVI annum *MS. Reg.*

[β] augurio. Reliquit duos filios paterna indole, ſi in meliora tempora incidiſſent, et matrem foeminam lectiſſimam diutius ſuperſtitem habuiſſent, quae paulo poſt virum dilectiſſimum ſecuta eſt. Haec de viro clariſſimo, pro amicitia quae mihi cum eo interceſſit, dixiſſe ſufficiat, quem alioqui obſcurum non ſinit eſſe crebra ejus et honorifica in rebus noſtris ubique facta mentio. Dum a contagione abeſſem, a triſtitia minime toto itinere abfui, amiſſis aliis duobus amicis viris egregiis. Philippus Porta *MS. Reg.*

[γ] dicentur. Nec praeteriri debet Renatus Chopinus in Andibus natus, et famoſus in curia advocatus, jurium regni et praeſertim conſuetudinarii, item antiquitatum monaſticarum, quae laborioſis ſcriptis illuſtravit, valde peritus. Eum, quod ſe per bella civilia turbis temere immiſcuiſſet, multis ob id inviſum, cum ſuſpecti urbe exigerentur, et ille memoriam patris mei, ſub quo ſtipendia toto vicennio fecerat, appellaret, quantum in me fuit, ab injuria vindicavi, et ut ſecure domi manere poſſet, impetravi. Tandem aetate gravis, turbata nec ſatis ordinata familia, hoc anno defecit, poſtridie Kalendas Februarias, aetatis LXX. ad S. Benedicti ſepultus. Nunc Juſtus *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Des Portes.* [b] *Chartres.* [c] *Abbaye de Bonport.* [d] *Pont-de-l'Arche ſur Seine.* [e] *du Bellay.* [f] *de Belleau.* [g] *de Joyeuſe.* [h] *de Beaune archevêque de Sens.* [i] *Eſſen.*

[a] Lugduni Batavorum a ſe, Hugone Grotio, Dominico Baudio, Daniele Heinſio, aliis, ſtructum erexit. Huic addetur Helias Putſchius domo Antuerpianus, [b] Auguſta Vindelicorum oriundus antiqua familia, qui poſtea cum patre et matre Stadae celebri Saxoniae urbe haud longe ab Hamburgo conſedit; ibique literarum tirocinio facto, poſtea patre elato, a vitrico benigne educatus, Lugdunum Batavorum conceſſit, et auctore Scaligero Grammaticorum Latinorum editionem aggreſſus eſt; quam et ad exitum perduxit: ſed cum notas ad eam pararet, [c] Stadam reverſus morbo fatali prohibitus eſt, qui eum vix XXV annum aliquot menſibus ſupergreſſum, cum plura ab ejus egregia doctrina exſpectarentur, intra paucos dies [α] abſumpſit.

CIƆ IƆCVI.

HENRICUS IV.

VAR. LECT. [α] abſumpſit. Mortuum laudavit intimus ejus amicus Conradus Riterhuſius. Et hic annus ultimus fuit Laurentio Rodomanno. *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Leyde.* [b] *Augsburg.* [c] *Staden.*

JACOBI

# JACOBI AUGUSTI THUANI
## HISTORIARUM SUI TEMPORIS
## LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS SEPTIMUS.

### EPITOME.

*DISSIDII inter pontificem et rempublicam Venetam exorti origo et ſeries. Pro legibus patriis et juribus pugnabant Veneti; pontifex libertatem eccleſiaſticam his infringi dicebat.* II. *Cum Delphinus et Valerius cardinales rem ad concordiam adducere tentarent, Hiſpanae factioni addicti, et Philippicus orator nutantem pontificem ad praecipitandum negotium impellunt. Miſſi a pontifice ad nuncium ſuum duo libelli, ut eos ſenatui traderet.* III. *Grimanus dux ſub id decedit, et in ejus locum electus Leonardus Donatus. Petrus Duodus extra ordinem ad pontificem a ſenatu miſſus fruſtra fuit. Reſerati interim libelli. Senatus ad eos reſponſum.* IV. *Pontifex, diplomate ſuo ad praeſules Venetae ditionis miſſo, principem, ſenatum, et totam Venetam ditionem excommunicat et interdicto ſubjicit. Pauci epiſcopi huic detulerunt, et coetus eccleſiaſtici more ſolito celebrati. Contraria ad ſuos praeſules mandata ſenatus.* V. *Jeſuitae et novorum ordinum fere cuncti devoti Venetias relinquunt. Cum res ad bellum inclinare videretur, ſenatus triremeis inſtruit, et novas copias conſcribit.* VI. *Rationes, quibus Veneti cenſuram contra ſe publicatam oppugnarunt. Jo. Gerſonis ſententia pro fundamento poſita.* VII. *Antonii Quirini ſenatoris populare ſcriptum, quo et legum controverſarum promulgatio ſive renovatio multis verbis defenditur. Aliud et eodem tempore contra Pauli* V *interdictum.* VIII. *Fratris Pauli Servitae reipublicae theologi conſiderationes. Ejus ſcripti ſumma. Bellarminus, Jo. Gerſonis opuſculis ſub id cum praefatione anonymi editis, in auctorem anonymum et opuſcula ſtylum ſtrinxit. Huic a Jo. Marſilio ex ordine Seraphico reſponſum. Fr. Paulus Venetus, qui praefationis auctor credebatur, Gerſonis defenſionem prolixa et accurata apologia ſuſcipit. Duo vota Aſcanii Columnae et Caeſaris Baronii cardinalis ſub id edita. Multa alia ſcripta ab utraque parte publicata. Jo. Marſilius Romam ad ſanctae inquiſitionis tribunal citatus, ſe defendit. Citatus et Fr. Paulus per literas comparet, deque innocentia ſua proteſtatur.* IX. *Rebus exacerbatis pontifex exercitum inſtruit. Hiſpaniae regis ad pontificem literae artificioſe ſcriptae. Fr. Caſtrenſis ab eo Venetias extra ordinem miſſus. Fontanus copias conſcribit.* X. *Cardinalis Jouſa ad componendum diſſidium a rege miſſus Venetias venit. Ejus in tractandis negotiis ſolertia.* XI. *Senatus contra Jeſuitas exaſperatur. Tandem decretum factum quo exilio perpetuo mulctantur.* XII. *Jouſa conditionibus per bimeſtre cum ſenatu agitatis Romam venit; ad audientiam admiſſus conditiones a Venetis oblatas, et quid illi viciſſim peterent, exponit. Pontifex, niſi Jeſuitae reſtituantur, omnes concordiae ineundae rationes reſpuit. Quibus rationibus Perronus cardinalis pontificis animum expugnaverit. Aliae in peragendo negotio ſubortae difficultates ſuperantur.* XIII. *Hiſpanorum artes ad diſturbandam negotiationem. Jouſa accepto diplomate Venetias revolat. Quae ab eo in interdicti revocatione et abſolutione geſta. Diſſidio compoſito Fontanus cum copias ex ea occaſione ſcriptas non dimitteret, ſuſpenſi omnium et maxime Venetorum in Italia animi.* XIV. *Nefarius contra Fr. Paulum conatus.*

Ex auctoribus,

*Actis et libris utrinque publicatis, Cardinalis Perroni epiſtola, Philippi Canaii Fraxinei literis, Cardinalis Jouſae brevi relatione, Decretis ſenatus Veneti.*

LIBER

## LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS SEPTIMUS.

CIↃIↃCVI.
HENRICUS IV.

LUSTRICO regiorum puerorum ſacro peracto, Franciſcus a Jouſa cardinalis a rege in Italiam Novembri proximo miſſus eſt cum ampliſſimis mandatis, ut ipſe ſacri collegii primarius [a] epiſcopus auctoritate regia partes ſuas interponeret, ad componendum graviſſimum, quod inter pontificem et Venetorum rempublicam nuper exortum fuerat, diſſidium; quod non ſolum Italiam, ſed omneis Chriſtiani orbis provincias etiam longe poſitas, non mediocriter turbabat: cujus repetita origine narrationem nunc continua ſerie ad exitum pertexemus. Pro legibus patriis, juribus, libertate publica pugnabant Veneti; quibus contra pontifex libertatem eccleſiaſticam convelli, et ſuam auctoritatem infringi clamitabat. Tandem a verborum jactatione et ſcriptorum hinc inde publicatione res in eo erant, ut utrinque ad arma deveniretur. Origo haec fuit. [b] Brixianum ex monaſterio S. Auguſtini ſodalem, qui virginem undecennem ſtupraſſe, et poſtea, ne res emanaret, occidiſſe convictus fuerat, collegii illius ſodales ſumma indulgentia ad triremeis damnaverant; cum ſenatus rei atrocitate commotus, in hominem e monaſterio raptum denuo ſententiam fert, eumque morti addictum in partes ſecari jubet. Quidam et Dominicanus nomine [c]Antonius, quod obſoleto habitu fratrem exulare juſſum comitatus eſſet, et ipſe, decreto ſenatus, exilio mulctatus fuerat. Poſtea et Scipionem [d] Saracenum ſacri Vicentini collegii ſodalem, hominem impudica vita infamem, qui non contentus matronam ſibi [α] cognatam ſolicitaſſe; cum nihil obtineret, etiam ejus aedeis tanquam impudicae injurioſe conſpurcaſſe arguebatur; quod id ad publicam ſecuritatem et honeſtatem pertineret, carceri anno ſuperiore decemviri mancipaverant: ſicuti et Brandolinum Valdemarinum [e] Forolivienſem Nerveſiani coenobii antiſtitem, quod latrociniis in [f] Tarviſino territorio graſſari, multos veneno locis vicinis ſuſtuliſſe, in iiſque ſacerdotem devotum, proprium parentem et fratrem, multos item per ſicarios interfeciſſe, et rem cum propria ſorore habuiſſe, ac poſtremo magicis artibus, ut libidinem expleret, nihil non impie feciſſe, confectis probationibus argueretur. Praeterea ante triennium Senatus decreverat rectores civitatum in toto Veneto ſtatu viderent, ne quis ſive religioni, ſive ſacris addictus, ſive ſchola, ſive collegium, aut alius quiſquam ſolutae conditionis, ſacras aedeis, coenobia, xenodochia in ſuae juriſdictionis territorio aedificaret, inconſulto et non conſentiente ſenatu; qui ſecus feciſſet, extra ſtatum deportaretur, aedificiis et fundo ipſo in fiſcum addictis. Proximo item anno in cauſa Franciſci Zabarellae [g] Patavienſis profeſſoris, qui aliquot jugerum particulas, quae cenſum Benedictino coenobio [h] Pragienſi S. Juſtinae congregationis pendebant, confinii jure a [i] Corſato quodam vindicaverat, cum [k] Pragienſes jure dominii in iis ſibi praelationis jus tribuerent, cognitione rei ad ſenatum devoluta, contra Pragienſes pro Zabarella pronunciatum fuerat, facto decreto, quo cavetur, ne ipſi aut alii quicunque e ſacro ordine nunc aut deinceps in bonis, quae a ſolutae conditionis hominibus poſſidentur, cum alienantur, jure praelationis aut alio quovis titulo aut colore, ad ea vindicanda admitti poſſint. Eodem et anno decreverat, Ut quod Venetiarum urbis ratione anno CIↃIↃXXXVI ſtatutum fuerat, ad univerſum ſtatum et ſingulas ejus civitates interpretatione porrigeretur; videlicet,

VAR. LECT. [α] cognatam honeſtis moribus ſolicitaſſe *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Doyen des Cardinaux.* [b] *Breſciano religieux de S. Auguſtin.* [c] *Antoine Jacobin.* [d] *Saraceno chanoine de Vicenza.* [e] *de Forli abbé de Nerveza.* [f] *de Treviſo.* [g] *docteur de Padoue.* [h] *monaſterio di Sta. Maria di Praglia.* [i] *Corſato Corſati.* [k] *Padri di Praglia.*

CIↃ IↃCVI.

HENRICUS IV.

videlicet, ne cuiquam ſolutae conditionis bona relinquere, donare, aut in perpetuum oppignerare ſacro ordini jus ſit; ſi quae relicta et donata fuerint, intra biennium diſtrahantur, et pretium eorum ad quem de jure pertinet, cedat. Additum, ne cui qualicunque de cauſa bona ſoli vendere, donare, alienare in ſacri ordinis favorem liceat, niſi permiſſu ſenatus, qui id ſit conceſſurus, ſervato eodem, qui in juris publici bonorum alienatione uſurpari ſolet, ordine. Alienationes aliter factae nullae declarantur, et fundus ipſe fiſco addictus, et in actuarios publicos poena ſancita. Quae omnia fere ſe ſuperſtite acta cum Clemens VIII, ſapientia ac moderatione clarus, prudenter diſſimulaſſet, ſucceſſor ejus Paulus V minime ferenda cenſuit; et ſtatim initio pontificatus de iis in arcano cum oratore Veneto graviter expoſtulavit, et querimoniam publice Octobri exeunte inſtituit, Quod reſpublica, dum ſedes vacaret, legem ſciviſſet, qua eccleſiaſticis interdicebatur, ne quid ſoli et immobilium bonorum poſſent acquirere, quod concilio adverſatur; addebatque etiamſi idem altera lege antea ſcitum eſſet, tamen hanc expreſſiorem eſſe, et canonum auctoritate tam veterem quam novam legem prorſus abrogari. Itaque velle, ut abrogaretur, et orator Venetus ea de re ad ſenatum ſcriberet. Menſe proximo orator acceptis a ſenatu mandatis ad pontificem redit, et nihil illa lege contra libertatem eccleſiaſticam decerni multis verbis oſtendit; nam legem ad ſubditos ſolutae conditionis directam, de quorum bonis principi, qui neminem in temporalibus praeter Deum ſe ſuperiorem agnoſcit, ſecundum jura ac leges ſtatuere licet. Nihil eccleſiaſticis imperari aut injungi illa lege; non illis auferri rei donatae aut in favorem eorum quomodocunque alienatae pretium, ſed poſſeſſionem rerum ſoli, ne tractu temporis ſubditi, qui onera ordinaria et extraordinaria imperii ſuſtinent, bonis illis omnino ſpolientur, et impares tandem ad ea ſuſtinenda imperium infirmum et omni ope deſtitutum deſerant. Idem alios reges ac principes in ſuis ditionibus ſemper ſtatuiſſe: et Caeſarum quidem Valentiniani, Valentis, et Gratiani extare ea de re conſtitutiones; nec B. Hieronymum in epiſtola ad Nepotianum, eam licet ſeverius ſcriptam legem improbare. Idem olim Carolum Magnum in Saxonia, Francorum reges a B. Ludovico ad Henricum III ſciviſſe: idem Edvardum III in Anglia; Carolum V in Belgio ſanxiſſe, et principis ſanctioni [a] Lovanienſium theologorum auctoritatem acceſſiſſe. Idem in [b] Luſitania et Tarraconenſi Hiſpaniae provincia obſervari: [c] Genuae item et Mediolani; idque quotidie in illo principatu executioni demandari, et pleroſque magni nominis juriſperitos, imo majorem eorum partem, ita cenſere, nihil illa prohibitione laedi eccleſiaſticam libertatem. Quibus, et aliis rationibus et exemplis, cum non permoveretur pontifex; etiam ſubjecit, apud ſe ſtatuiſſe, hortatorium libellum ad ſenatum ſuper ea re mittere, et quo majorem oratori terrorem incuteret, excuſum ſimilem contra Genuenſeis, qui ſacerdotum oratorii congregationes prohibuerant, ei oſtendit, et praefracte ſignificavit, omnino velle ſe, ut ſenatus ſine mora obediat. Tum de Saraceno et Valdemarino, qui diutino carcere attinebantur, querimoniam adjecit; et ſi quidem ſenatus ea re aliquo niteretur privilegio, onus probandi ei incumbere. Perveſtigatione dein facta duo in pontificiis archivis brevicula reperta, Clementis VII, et Pauli III, quibus juriſdictio quae a ſenatu in cauſis gravioribus contra eccleſiaſticos in urbe exercebatur, diſerte comprobatur. Sed replicabat pontifex, breviculis illis ſenatus juriſdictionem reſtringi, et amplius per bullam in Coena Domini omnino revocari; et poſtremo alterius legis, quam neſciverat, notitiam ad ſe perveniſſe dixit, de non exſtruendis ſine ſenatus permiſſu ſacris aedibus; quam item abrogari petebat. Heic orator, quantum ad juriſdictionem contra eccleſiaſticos ſic diſſerebat, illam laudabili conſuetudine et peculiari privilegio antiquiſſima obſervatione firmato niti. Nam exemptionem eccleſiaſticorum

INTERPR. [a] *de Louvain.* [b] *Portugal, & Arragon.* [c] *Gennes, & Milan.*

eccleſiaſticorum a foro principis in criminibus minime eccleſiaſticis, quae Juſtinianus civilia vocat, non eſſe de jure divino, ſed benignitate principum. Ab anno cccc ſalutis, tractu temporis, gratiam ſacro ordini factam, uſque ad annum cIↃ ccxx invaluiſſe, ejuſque rei teſtimonia in Theodoſiano et Juſtinianeo codicibus paſſim occurrere; non tamen eos a ſuprema, quam in eos principes habent, exemptos, ſed tantum a jurisdictione principalis magiſtratus. Intermedio tempore, ab anno cIↃ clx uſque ad annum cIↃ ccxx decreta de ſacri ordinis exemptione a pontificibus facta. Atqui rempublicam Venetam ab anno ccccxx juriſdictionem in eccleſiaſticos exercuiſſe, cui Caeſarum gratia ac privilegiis ſacro ordini conceſſis derogari nullo modo potuit; quippe cum Caeſarum imperio nunquam ſubjecta fuerit: ipſam vero in cauſis levioribus eandem exemptionem ordini eccleſiaſtico conceſſiſſe. Uſum illum et conſuetudinem ad annum cIↃ ccccLXXIV, magno pontificum conſenſu tenuiſſe; ab illo tempore brevicula Sixti IV, Innocentii VIII, Alexandri VI, et Pauli III extare, quae talem conſuetudinem approbant. Ea quantum ad loca, ad omneis ditionis Venetae terras porrigi: quantum ad delicta, ad cuncta gravia extendi, in iiſque furtum ſpeciatim nominari. Quantum ad perſonas, neminem e ſacro ordine non illis comprehendi, non ipſas Mendicantium, qui tot privilegiis gaudent, perſonas; non illam conſuetudinem legi ſuperveniſſe, quae tempori, quod omnem memoriam ſuperat, praeſcripſerit; quanquam juriſconſultorum conſentiente ſententia conſtet, talem conſuetudinem proculdubio juriſdictionem tribuere, et legi ac privilegio pontificio aequiponderare; verum conſuetudinem illam eſſe libertatem naturalem, omni eccleſiaſtica exemptione antiquiorem, cui proinde nulla pontificum ſuperveniente conſtitutione, quippe non acceptata, derogari potuit. Nullo in regno, nulla in ditione pontifices tenere potuiſſe, ut exemptio decretis ſuis ſancita locum haberet in crimine laeſae majeſtatis; nam ſemper ordinarium magiſtratum de eo cognoviſſe, ſicuti de controverſiis quae ex oneribus a principe aut republica ſacro ordini impoſitis, oriuntur. In Francia autem cunctorum regnorum antiquiſſimo, ita juriſdictionem a regibus eorumque magiſtratibus contra ſacras perſonas exerceri, ut jus prehenſionis cuivis judici, etiam ſuccincto quaeſitori, competat; reum autem in ſella ignominioſa poſitum fori ſe tueri praeſcriptione, et ad judicem ſuum remitti petere debere, quod illi in delicto communi ſine conditione conceditur; in atroci, quod vulgo privilegiatum vocant, adjecta lege, ut judex regius judicio cum eccleſiaſtico interveniat, et poſt pronunciatam ab utroque ſententiam reus dimitti non poſſit, niſi litis actis prius cognitori regio communicatis; cujus et conſenſus debet accedere, ne ſi ab ea forte appellet, elapſo reo, juriſdictioni regiae illudatur. Multis item locis in Italia clericos etiam non monitos a judice ordinario puniri, ſi in amictu non ſuo deprehenſi ſint, neque eo caſu exemptionem et decreta pontificia valere. Idem in Hiſpania uſurpari, quando de vi publica et armata agitur. Et quanquam multoties pontifices in Veneto ſtatu tentaverint in delictis item atrocibus exemptionem introducere, ſereniſſimam rempublicam conſtanter juriſdictionem ſuam conſervaſſe. Principi ſiquidem a Deo ordinato, ſi jus animadvertendi in ſuos delinquenteis, cujuſcunque ſint conditionis, cum expedire bono publico viſum, adimatur, una et regium nomen tolli. Proinde nihil ſenatum in ea re feciſſe, in quo poteſtatem ſuam migraſſe merito dici poſſit; tantum naturali libertate uſum, ſemper antea legitime uſurpata, et adprobata, initio pontificum tacito, dein et expreſſo conſenſu. Quibus rationibus cum inflecti aliquantiſper videretur pontifex, ad tria capita querimonias contraxit, quibus omni ratione ſatisfieri petebat, videlicet de lege anni cIↃ IↃCIII, quae novas templorum conſtructiones ſpectat, et lege anni cIↃ IↃCV, de bonorum immobilium acquiſitione; item de juriſdictione in eccleſiaſticos, qua ſenatum abuti dicebat.

CIↃ IↃCVI.
HENRICUS IV.

II. Inter haec Joannes[a] Delphinus cardinalis, cum Auguſtino [b] Nanio oratore, et Franciae item regis legato, denique cum Auguſtino Valerio cardinali, viro juxta pio et docto, et veneranda canitie ſene, ultro citroque commeabat, ut rem ad concordiam adduceret; ſed obſtabant in conſiſtorio plerique cardinales, qui, ſicuti tunc in aula illa vulgo jactabatur, non tam de libertate eccleſiaſtica certabant, quam pontificis ingenium quieti innutritum intricato negotio implicari gaudebant; ex quo cum ſe non facile expedire poſſet, moerorem ex eo mortiferum contraheret. Incendebant praecipue cum Páulus Sfondratus, audacia quam ingenio melior, homo factionis Hiſpanae, et Pompeius [c]Arrigonius cardinales, qui ſcriptis etiam faces ſubdebant, ſed omnium maxime Ferdinandus [d] Paceeus Aſcalonae dux, Philippi apud pontificem orator, qui per hoc diſſidium, ad belli neceſſitatem compulſo pontifice, de ſenatu Veneto, cum quo antiquas ſimultates exercebat, ultionem ſumebat; et pontificem per ſe contra Venetos imparem ad opem ſuam locandam, quam paratam oſtendebat, eadem opera adigebat: eoque conſilio, ut ſi res tandem ad pacem inclinaret, cum pontifex nihil ſe inconſulto poſſet facere, rei decus integrum, a quo ſe alioqui per Galliae regem, cui Veneti multum tribuebant, omnino excluſum videbat, aut partem ejus ad ſe traheret. Valerius et Delphinus vix tandem obtinuiſſe ſibi videbantur, ut tantiſper negotium ſuſpenderetur, donec nova legatio a ſenatu ad pontificem placandum adornaretur; eique obeundae deſtinatus fuerat Leonardus [e] Donatus, integritate, gravitate, et longo rerum uſu primarius reipublicae ſenator, cum belli incentores nutantem pontificem ad praecipitandum negotium impulerunt: miſſis duobus libellis ad legatum ſuum Venetias, ad Marinum [f] Grimanum ſereniſſimum ducem directis, ut eos ſenatui traderet; qui per errorem ejuſdem exempli reperti ſunt, cum adhortatorius alter, qui cenſuram complectebatur, adjunctus crederetur.

III. Ii oblati natalitio die cum Marinus Grimanus animam ageret. Itaque non reſerati illi, et poſt obitum ejus feſtinata comitia, ne per interregnum aliquid detrimenti reſpublica acciperet; in iiſque Leonardus Donatus magno omnium conſenſu in principem electus eſt. Itaque ejus loco Petrus [g] Duodus eques multis legationibus ſumma ſolertiae laude obitis clarus, extra ordinem a ſenatu ad pontificem mittitur: reſerati interim libelli ejuſdem exempli, quibus de legibus antiquis renovatis, et ad totam ditionem Venetam porrectis acerbiſſime conquerebatur pontifex, caſque ſub poena excommunicationis latae ſententiae revocari et induci, atque earum revocationem per totam ditionem publicari jubebat; additis minis, niſi ſine tergiverſatione obediretur, fore, ut ſine citatione ad alia remedia deveniret. Ad ea a ſenatu reſponſum, diſcuſſis diligenter illis antiquis et novis legibus: nihil ſe repperiſſe, quod pontificiam auctoritatem poſſit offendere, aut quod non ipſe ſtatuere auctoritate principali potuerit; quippe qui ſuperiorem non habeat, et ad quem pertineat videre, quae aedificia in ſuis civitatibus ſtruantur, et qui homines ex eorum occaſione in eas introducantur. Quantum ad alteram legem quae alienationem in favorem eccleſiaſticorum a ſolutae conditionis ſubditis fieri prohibet, nihil niſi de bonis mere temporalibus decerni, tantumque per illam proſpectum, ne per eorum alienationem imperii robur debilitetur; quod eſt veluti praecipuum Chriſtiani orbis propugnaculum contra infideleis a Deo oppoſitum. Proinde non credere in cenſuras incidiſſe, neque perſuadere ſibi poſſe, ſuam ſanctitatem pietatis et prudentiae plenam ſine ampliore cauſae cognitione velle ulterius minis denunciatis inſiſtere.

IV. Accepto reſponſo, quod et coram oratore Veneto lectum eſt, pontifex ultra modum excanduit, quod non alter libellus, quod per errorem accidiſſe diximus, de captivis ſacerdotibus miſſus eſſet; ceterum frivolas a ſenatu adductas rationes; ſtare

INTERPR. [a] *Delfino.* [b] *Nani.* [c] *Arrigone.* [d] *Pacheco duc d'Eſcalona.* [e] *Donato.* [f] *Grimani.* [g] *Duodo.*

ſtare ſibi, quando minime ſatisfieret, extrema remedia tentare, injecta etiam bonorum emphyteuticorum, quae per omnia patrimonialibus exaequata ſunt, mentione, quanquam de iis leges controverſae nihil ſtatuant. Itaque et de iis deinceps altùm fuit ſilentium. Jamque Februarius iniverat, neque Duodus adveniebat, qui vix tandem exeunte menſe in urbem appulit. Interim miſſus alter libellus, et a legato pontificio ſenatui IV Kalend. Martias porrectus, ad Marinum Grimanum, qui ante duos menſeis deceſſerat, directus; quo captivos ſacerdotes ante omnia minis iiſdem adjectis tradi petebat, qui conſuetudinis ac privilegiorum vi a ſenatu in eos juriſdictionem contra ſacras conſtitutiones ſibi vindicante detinebantur. Conſuetudinem in iis rebus non valere. Quantum ad privilegia attinet, ad ſe mitti, ut ea examinaret, debuiſſe; iis diſcuſſis comperiſſe, rempublicam juriſdictionis ſibi conceſſae fineis exceſſiſſe. Proinde jubere ſub poena excommunicationis latae ſententiae, ut captivi in manus legati ſui ſine mora tradantur. Ad ea rurſus a ſenatu reſponſum, tradere captivos perinde ſibi eſſe, ac juri ſuo renunciare, quo ſemper antea legitime reſpublica, conſentientibus et probantibus ſummis pontificibus, uſa eſſet. Eam poteſtatem primis imperii fundatoribus a Deo datam, inde ad eos qui nunc rempublicam prudentiſſime adminiſtrant, derivatam fuiſſe, et ſumma moderatione exercitam, nunquam legitimos juriſdictionis terminos exceſſiſſe, ac proinde confidere, ſuam ſanctitatem in bonam partem accepturum, quicquid ea in re ad Dei gloriam, tranquillitatem publicam, et delinquentium caſtigationem, ſervato juris ordine, a ſenatu ſit factum. Interea Duodus advenit, quem animi cauſa, et ut ipſi privatim gratificaretur pontifex, ad auditionem admiſit, et re infecta dimiſit; quippe jam typis excuſo excommunicationis exemplo. Fruſtra ille univerſos cardinaleis officioſe ſalutavit, et rei magnitudine propoſita, reipublicae periculo, quod ad cunctos orbis Chriſtiani principes ſpectabat, praecipitem pontificem ſiſtere, aut ad tempus inhibere, dum rationes concordiae ab utraque parte inirentur, conatus eſt; cum nihil niſi bona verba a ſingulis reportaret, poſt excommunicationis exemplar locis publicis affixum: id actum XV Kalendas Maias. Abducto ſecum Nanio, et inſalutato pontifice Venetias repetiit. Pontifex antea aliquoties ea de re in conſiſtorio egerat, ſed non rogatis ſententiis; quippe cui ſatis eſſet, quis animi ſui ſenſus eſſet, collegio cardinalium oſtendere. Tunc vero re deliberata conſilium ſuum aperit, et poſtea ſententias rogavit, minime a ſua diſſidenteis. Diploma ad praeſules Venetae ditionis ſingillatim miſſum, ut publicaretur, quo memoratas leges abrogabat pontifex; et niſi intra XXIV dies a republica abrogarentur, et captivi traderentur, jam nunc principem, et ſenatum, qui nunc eſt, et deinceps erit, et totam Venetam ditionem ſubjiciebat interdicto. Pauci epiſcopi metu an ſpe huic detulerunt; et M. A. Barbaro [a] Aquileienſi patriarchae illud in ſua dioeceſi volenti promulgare, Donatus novus dux, gravi oratione praeſens exilium, ſi pergeret, interminatus eſt: dein et ex pergula populum allocutus, non de religione, ſed de reipublicae ſalute et libertate publica agi alta voce pronunciavit. Inde contraria ad ſuos praeſules mandata mittunt, et ubique ſacrum ſolemne templis apertis peragi, et coetus eccleſiaſticos celebrari more ſolito jubent. Quod et toto diſſidii tempore obtinuit. [b] Vendraminus electus patriarcha Venetiis [c] Patavium ſe contulit.

V. [d] Barisonius Jeſuitarum provincialis Venetias cum ſuo ſodalitio reliquit, et novorum ordinum fere cuncti devoti. Antiqui cum praeſulibus domi quieti remanſerunt, officio ſuo, ut prius, defungentes. Et cum a verborum jactatione res ad arma inclinare videretur, eodem tempore ſenatus XXV triremeis denuo inſtruit, quae [e] Palatinae dictae ſunt, quod ad Palatii cuſtodiam excubarent; VI item tormenta cum

INTERPR. [a] *de Aquileia.* [b] *Vendramino.* [c] *Padoue.* [d] *Bariſoni.* [e] *Galeres Palatines.*

CIↃ IↃCVI. cum apparatu bellico ex armamentario educta. VIII CIↃ [a] Rhaetorum conduxerunt, et ad Franciſcum [b] Lotharingum Valdemontium copiarum terreſtrium ſupremum ducem mittunt, et per [c] Perdellum equitem Cremenſem ſignificant, IↃC equites, VI peditum CIↃ ſecum adduceret. Qui tamen in hac cauſa, cum bellum contra pontificem geri videret, tergiverſatus eſt: idque in cauſa fuit, ut renunciatam ab illo ex ea occaſione praefecturam ſenatus in alios poſtea tranſtulerit. Ad [d] Soncinum copiae convenire juſſae in finibus Mediolanenſis principatus; quo jam Cordubenſis legionis tribunus ex Hiſpania venerat, et novos delectus habebat.

HENRICUS IV.

VI. PUBLICATA cenſura, dum cuncta ad bellum parantur, omiſſis legibus et captivis, de ea agi coeptum, et Veneti, ut populos et ditionis ſuae ordines in officio continerent, illam oppugnabant; Primum ea ratione maxime, quod ſine citatione facta eſſet, quae quia jure nititur naturali, cum omittitur, eam invalidam et nullam reddit. Nec enim citationis loco cenſeri debere, libellos illos duos IV Eid. Dec. ad ſenatum miſſos, quippe qui non litem praeparent, ſed definiant, et leges controverſas nullas jam tum pronuncient. Multa inſuper omiſſa in ea et diſſimulata, quae fulminationem illam irritam faciunt, de qua cum poſtea tot ſcripta utrinque divulgata ſint, ab iis qui cauſam Venetorum tuebantur, pro fundamento iis Joannis Gerſonis cancellarii Pariſienſis et famoſiſſimi ſua aetate theologi ſententiam ſubſtraverunt. Is Caroli VII temporibus regius ad Conſtantienſe concilium orator auctoritate ſua et doctrinae opinione pervicerat, ut multa in eo ſalutaria et memorabilia decreta insererentur; indeque re bene ad Dei gloriam et decus regni geſta reverſus, doctoris Chriſtianiſſimi non ſolum apud nos, ſed inter exteras nationes ſummo conſenſu nomen meruerat; quod tamen tunc primum in dubium revocari coepit, quod formidandam cenſurarum auctoritatem et vim, ſententia ſua paulum elevare videretur. Sic enim de ea diſputabat, Clavium eccleſiaſticarum contemptum cenſuras parere, et efficere, ut a regula, qua pietatis diſciplina continetur, homines exorbitent; inde apud beatum Matthaeum dici cap. XVIII. 17. *Si peccaverit in te frater tuus, dic eccleſiae; ſi ille eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus et publicanus.* Contemptum autem multipliciter intervenire, aut certo conſilio et voluntate, aut per contumacem inobedientiam, aut per ſolam praecepti tranſgreſſionem citra conſilium et contumaciam. Primo et altero caſu incurrere in cenſuras qui claveis contemnunt, tertio non item: nam licet, qui in Deum peccat, apud eum ſit excommunicatus, non ſemper tamen per eccleſiaſticam ſanctionem excommunicatum intelligi. Itaque ſi quid contra praeſulis, qui manifeſte ſua abutitur poteſtate, praeceptum fiat, eum, qui dum hoc ſcit et cognoſcit, non obedit, non propterea clavium contemptum qui ad offenſionem vergat, in ſe vel aliis generare, non illum clavium poteſtati inobedientem eſſe, ſed erroneo clavium abuſui; majorem adeo, quantum ad culpam, in praeſule, qui poteſtate ſua abutitur, clavium contemptum eſſe, quam in eo qui non obedit. Itaque bene de eccleſia mereri et honorare illam, qui ejuſmodi praeſuli in faciem reſtiterunt, modo cum moderamine inculpatae tutelae; quomodo Paulus reſtitit Petro. Contemptum debere aeſtimari ex poteſtate legitima; alioqui praeſules poſſe inducere qualemcunque vellent ſuper alios ſervitutem, ſi ipſorum ſententiis iniquis et erroneis ſemper eſſet obediendum. Proinde illud beati Gregorii, *Sententiam praeſulis vel judicis etiam injuſtam timendam eſſe*, egere interpretatione: nam in genere minime verum eſſe, ſi timenda dicatur, propterea ferendam, nec repellendam: imo accidere poſſe, ut obedientia illa in patientiam aſininam, et timorem leporinum et fatuum evadat. Contemptum autem clavium in pontifice plus periculi habere, quippe ad quem, cum quis inferior ſua abutitur poteſtate, per

INTERPR. [a] *Griſons.* [b] *de Lorraine comte de Vaudemont.* [c] *Perdel cavaliero Cremaſco.* [d] *Soncino.*

per appellationis ſubſidium eatur: a pontifice deinde ad concilium generale; nam cum ante concilium Piſanum aliter obſervaretur, nunc expreſſe per Conſtantienſe ita aſſeri, et contrariam ſententiam tanquam Sectariam damnari. Verum hanc cautionem adhibendam, ut in levibus cauſis concilii generalis celebritas minime ſit imploranda, verum ad pontificem ſupremum epiſcopum appellationis beneficio eatur; ceterum contemptum clavium multis caſibus non contrahi, cum pontificio mandato non obeditur. Nam ſi enormiter et cum offenſione, poteſtate, quae illi ad aedificationem data eſt, ad deſtructionem abutatur, veluti ſi theſauros eccleſiae diripere, hereditates uſurpare, aut in ſervitutem abjectam ſacrum ordinem redigere in animum inducat, quis ea tolerari debere diceret? Quis non cenſeret poſſe dici pontifici, Cur ita facis? Quis non aſſentiat, illi in faciem reſiſtendum? Neque inobedienteis cenſeri debere, qui contra hujuſmodi iniqua decreta, poteſtatem magiſtratus ſaecularis implorant. Nam lege naturali inſtrui omneis ad vim vi repellendam, et homini libero et ingenuo contra talem cenſuram minime juridicam impune ſe tueri licere. Poſtremo tenendum eſſe, contemptum clavium, ex eoque quae ſequuntur, excommunicationem, aut devium a regula errorem, non incurri a juriſperito ſive theologo, dum juxta conſcientiam ſuam hujuſmodi ſententias timendas non eſſe aut tenendas aſſerit, praeſertim ſi prudenter caveatur, ne propterea puſillis et infirmis offenſionis cauſa praebeatur; quippe ex iis complures eſſe, qui pontificem exiſtimant Deum eſſe, omnigenam in coelo et in terra habentem poteſtatem, eorum ſtultitiam idonea inſtructione depellendam; qui ſi inſtructionem non admittant, illos haberi debere offenſionis non datae, ſed acceptae reos, hoc eſt, Phariſaicae ex malitia innata prognatae, non autem offenſionis puſillorum, quae ex ſimplicitate et ignorantia proficiſcitur. Ea in re ſciſſuras ſummopere vitandas eſſe, quibus contemptus clavium fovetur potius quam tollitur, dum per ſtultitiam vel ignaviam, homines ſe mutuo concurſu impediunt, ne communi conſenſu in domo Domini ambulent, aliique abuſibus favent, alii tollere volunt. Verum, quantum in nobis eſt, cum ſummo pontifice viam humilitatis et gratioſae demiſſionis tentandam eſſe, ut quas per ſe vel ſuos injuſtas fert ſententias, melius inſtructus revocet et emendet. Sed ſi nihil humilis ſedulitas proderit, arripiendam eſſe virilem et animoſam libertatem. Hinc altius altero ſcripto inſurgit Gerſo, ex occaſione cujuſdam a pontifice tunc temporis delegati, qui aiebat, ſententias vice ſacra latas, etiamſi eſſent injuſtae, et timendas et tenendas: in quo tria quaerebat; an propoſitio illa falſa eſſet et erronea; deinde, an judicio fidei reprobanda: poſtremo, an ejus aſſertor ad fidei judicium juris via vocari deberet. Beati Gregorii ſcitum eſſe, ſententiam paſtoris, ſive juſtam ſive injuſtam, timendam eſſe. Idem Urbanum aſſerere, ſententiam ſcilicet epiſcopi valde timendam eſſe, licet injuſte liget. Atqui pontificem non ſolum paſtorem et epiſcopum, ſed ſupremum paſtorem et epiſcopum eſſe. Contra beatum Hieronymum ſentire, et ejuſdem beati Gregorii illud ſcitum eſſe ex homilia XXVII: *Eum ſe ligandi et ſolvendi poteſtate privare, qui hanc pro ſua voluntate et non pro ſubditorum juribus exercet.* Et illud, *tunc eſſe veram praeſidentis abſolutionem, cum interni judicis ſequitur arbitrium.* Poſtremo et illud, *non debere poenam ſuſtinere canonicam, in cujus condemnationem non eſt canonica prolata ſententia.* Atqui injuſtam ſententiam et multis caſibus evenire, ut nec paſtoris, nec pontificis, vel ejus delegatorum ſint tenendae, imo nec timendae; veluti ſi ſententia lata ſit poſt appellationem legitimam; ſi contineat errorem intolerabilem: nam paſtorem in terris degentem, quin ipſum pontificem non ſine peccato eſſe, et poſſe abuti ſua poteſtate, quippe cum circumdatus ſit infirmitate. Exempla in id adducta, ſi contra fidem et ſacram ſcripturam, licet implicite, pronunciet. Si quid in veritatis et juris et vitae praejudicium quidquam decernat, veluti

ſi volens rapere ſponſam alterius, in obnitenteis excommunicationis ferat ſententiam. Item in praejudicium juſtae libertatis, veluti ſi volens civitatem invadere alicujus principis, cenſuris in tradere eam detrectanteis agat. Item in eos qui ſuo regi et ipſius edictis, prout ratio poſtulat, obediunt. Hujuſmodi cenſuras timeri poſſe, juxta Innocentium III in epiſtola ad archiepiſcopum [a] Senonenſem, at non ex eo ſequi obſervandas, quippe tyrannicam iniquitatem timeri, at non teneri debere; imo licere eam contemnere vel perſequi. Eam proinde ſententiam tanquam erroneam et falſam fidei judicio exagitandam, et illius aſſertorem, tanquam in fide ſuſpectum, ad judicium trahi poſſe, ut amplius ſe explicet, aut errorem in fide revocet, quem ſi pertinaciter tueatur, juſtitiae ſaeculari puniendum relinqui debere. Subjicit dein illuſtrius exemplum. Chriſtianiſſimum regem Francorum in ſua inauguratione, ſolemni jurejurando ad jura et libertates eccleſiarum regni ſui tuendas fidem obligaſſe, dein pluries praeſulum concilium atque univerſitatem ſui regni XX annorum ſpatio celebraſſe, in iiſque poſt ſeriam deliberationem ad ipſorum petitionem, per curiae ſuae ſupremae, parlamentum vocant, placitum decreviſſe, Ut eccleſia Gallicana in ſe et in membris ſuis, ad antiquas ſuas et legitimas libertates reduceretur, nominatim in ſacerdotiorum per ordinarios diſpenſatione et in electionibus faciendis. Eundem [α] regem, et Carolum VII ejus filium quadriennio poſt idem feciſſe, et placitum illud ſolemni promulgatione cum adjectione poenarum in rebelleis publicandum mandaſſe. Si nunc accidat, ut paſtor aliquis, aut etiam ſummus pontifex aut per ſe aut per ſuos contrariam ferat ſententiam, procuIdubio eſſe eam injuſtam, et errorem non ferendum contra jus publicum continere, atque adeo uſurpationem indebitam, nec proinde obſervari debere; praeſertim cum coram patribus Conſtantiae convocatis, ſicuti reges alii, ſe pro parte ſua operam daturum promiſerit, ut ſummi pontificis ſtatus ordinetur: neque vero timeri debere; et ſi quidem a meticuloſae conſcientiae hominibus aliquo pacto timeantur, at non propterea obſervari debere. Ex eo ſequi licere regi, contra eos, qui talia contra ipſum et ejus ſubditos tentabunt, tanquam contra regni ſui uſurpatores, ſe defendere, et ſubditos eo caſu, praeſertim eccleſiaſticos ei praeſto eſſe debere, et omnem praeſtare obedientiam, juxta praeceptum apoſtolicum, quo jubentur obedire regi tanquam praecellenti, praeſertim cum ad juriſjurandi ſui obſervationem, et eccleſiaſticae libertatis defenſionem legitima poteſtate ſua utatur. Viciſſim regem ad ſuos protegendos obligari, ſi quid propterea ob obedientiam ſibi praeſtitam injuriae patiantur, et in ſe eorum cauſam ſuſcipere: hoc ſub patrocinio et eccleſiaſticos, et cunctos alios ſolutae conditionis ſubditos acquieſcere debere, non plus ſapienteis quam oportet. Jure autem ac merito de ſuis regem conqueri poſſe, ac praecipue de eccleſiaſticis, ſi in memorata libertatum inſtauratione ſe tepidos, et tergiverſatores ac claudicanteis praebeant, et poſſe ab iis per ſe aut per ſuos rationem exigere, cur contra decreta non ſolum concilii, ſed etiam ſuorum praeſulum et univerſitatum ire et facere praeſumant. Ceterum de poenis in eos ob id infligendis, quo minus pronunciet, eccleſiaſtica prohiberi modeſtia. Haec Gerſo, cujus nomen in ſcholis ac collegiis noſtrorum theologorum ſemper perceIebre fuit: ſcripta tempore obſoleverant, quae tunc Lutetiae forte recuſa ſunt, cum Ludovici Almaini archidiaconi Senonenſis et aliis in eadem materia Ludovico XII rege publicatis libris.

VII. Hoc ſubſtrato fundamento, multa a Venetis ad cauſam ſuam tuendam ſuperſtructa. Primarius ſenator Antonius Quirinus populare ſcriptum plenum vehementis affectus ante omneis evulgavit, quo et legum controverſarum promulgationem ſive renovationem, multis verbis defendit, et nihil niſi ex neceſſitate et honeſte et juſte

VAR. LECT. [α] regem, cum filio legitimo nunc regnante noviſſime, quadriennio *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *de Sens.*

juſte a ſenatu in ea re factum contendit. Sacrum ordinem in ditione Veneta decies centena aureorum CIↃ annui reditus poſſidere: ſi ea per donationes et novas acquiſitiones amplificare pergat, cum tempore futurum, ut qui ex eo ordine pauci, et ab omni onere ſunt immunes, ſuperfluis divitiis abundent, reliqui omnes, qui onera imperii ſuſtinent, ad inopiam redigantur: quo quid injuſtius? Igitur neceſſitatem ſenatui, ad cujus prudentiam pertinet, ut ſuorum commodis invigilet, impendentem ruinam ab iis avertat, impoſitam, ut tanto malo in tempore occurreret. Nec minore prudentia factum, ut novorum templorum ac monaſteriorum conſtructio, niſi ex ſenatus conſenſu, prohiberetur. Jam CL aedeis ſacras in urbe aedificatas, et metum ſubeſſe, ne religionis praetextu novi et incogniti homines paulatim in ditionem ſuam irrepant, et novis motibus, machinationibus, ſeditionibus, inſidiis, praeſertim tempore hoc ſuſpecto, cauſam praebeant. Id cum ad publicam ſecuritatem ſpectet, ſenatum ſui officii duxiſſe, partes ſuas interponere, et videre, ne quid detrimenti ex eo reſpublica caperet. Quantum ad jurisdictionem pertinet, mirum videri, pontificem primis ſuis auſpiciis in dubium non ſolum revocaſſe, quod, videntibus conſentientibus ac probantibus deceſſoribus ſuis, Veneti tam diu rite et recte fecerunt; ſed etiam propterea ob id in ipſos inauditos edictorum ſeveritate vindicandum exiſtimaſſe: nam ſenatum in levibus criminibus jurisdictionem integram eccleſiaſticis reliquiſſe, atrocium criminum cognitionem ſibi ſemper ſervaſſe; nam et hoc publicae itidem ſecuritatis intereſſe, ne facinoroſorum, cujuſcunque ſint conditionis, delicta impunita maneant: et ad contemptum ſupremae poteſtatis ſuae pertinere, ſi ſuorum injurias negligere cogantur. In illa civitate, in qua tot crimina horrenda a duobus illis carceri mancipatis admiſſa ſunt, multam et generoſam bellicisque ſtudiis innutritam et injuriae omnis impatientem nobilitatem florere, quam niſi auctoritate ſua ab injuria ſenatus defendat, proculdubio ſit, ut quiſque privata ſibi ultione ſatisfaciat. Quod quam mali exempli, quantumque periculi, in omni bene ordinato imperio ſecum trahat, videre omneis. Libertatem eccleſiaſticam non in eo conſiſtere, ut ſacris initiati immunitate ſibi conceſſa ad libidinem et aliorum injuriam impune abutantur, ſed potius in plena rerum ſacrarum adminiſtratione, verbi divini praedicatione, et ſacroſancti muneris libera functione, quae cum minime a republica impediatur, immo omni cultu ac reverentia juvetur ac foveatur, non eſſe quod pontifex de ea legibus et decretis illis labefactata jure conqueri poſſit. Proinde confidere, ut Deus juſtam cauſam ſuam minime deſerat, in cujus patrocinio reſpublica, quae alioqui tot inſignibus devotae ſuae obedientiae et meritorum monumentis ſanctam ſedem obſtrictam habeat, libentiſſime acquieſcat, et non ſolum pleraeque in Italia civitates, quarum ſalus in eadem hac cauſa vertitur, ſed etiam extera regna, quae eodem jure utuntur, periculum commune minime negligant: ac poſtremo ſperare, ut pontifex pro paterna bonitate ſua melius inſtructus et animatus, de rigore aliquid remittat, et cenſuras praecipiti conſilio emiſſas mature re perpenſa tandem revocet. Huic ſcripto ſupremum decemvirorum concilium ſubſcripſit, poſtquam a VI theologis ſuis, et IV juriſconſultis adprobatum fuit. Aliud et eodem tempore contra Pauli V interdictum evulgatur, teſtimoniis Petri Antonii Ribetti archidiaconi vicarii generalis, [a]Fratris Pauli Veneti reipublicae theologi ex Servitarum ordine, F. Bernardi [b]Jordani, Michaëlis [c]Angeli Bonicelli, F. M. Antonii [d]Capelli Franciſcanorum, F. [e]Camilli Auguſtiniani, F. [f]Fulgentii item Servitae firmatum, quod XIX propoſitionibus abſolvitur; quo et exemplis et rationibus ac teſtibus recentibus ex jure Canonico petitis convincitur, eccleſiaſticos in ditione Veneta non teneri obſervare interdictum, et principem poſſe ac debere citra peccatum prohibere ejus obſervationem.

CIↃIↃCVI.
HENRICUS IV.

VIII.

INTERPR. [a] *Fra Paolo de Veniſe de l'Ordre des Servites, theologien de la Republique.* [b] *Giordano.* [c] *Agnolo Bonicelli.* [d] *Capello.* [e] *Camillo.* [f] *Fulgentio.*

CIↃ IↃ CVI.
HENRICUS IV.

VIII. PARTICULARE et ſuum ſubjecit, conſiderationum nomine, Paulus Servita in hac cauſa nominatiſſimus, et reipublicae theologus. Id inter omnia moderatione et prudentia ſumma exaratum, quo origo prima et ſeries rei repetitur, et quid utrinque aut praecipitanter aut officioſe actum geſtumque, plene explicatur. Leges quae impugnantur, tanquam aequiſſimae a legitimam habente poteſtatem latae defenduntur, et juriſdictio principum in ſubditos, atque adeo ſacrum ordinem, ex Dei verbo per beatiſſimos Petrum et Paulum ſancita aſſeritur, et patrum teſtimoniis confirmatur, exemptiones clericorum beneficio principum conceſſae probantur, libertas eccleſiaſtica amplius diſcutitur, ac demum tota diſputatio B. Leonis papae hac ſententia concluditur, Manere Petri privilegium, ubicunque ex ipſius fertur aequitate judicium, nec nimiam eſſe vel ſeveritatem vel remiſſionem, ubi nihil erit ligatum vel ſolutum, niſi quod B. Petrus ſolverit aut ligaverit. Prodiit dein liber anonymo auctore, cujus VIII capita, quo probatur, principes nullo interjecto medio, poteſtatem, qua utuntur, a Deo derivatam habere ſine ulla exceptione. Chriſtum noſtrae ſalutis auctorem, quanquam Patri, qui Rex regum, et Dominus dominantium, aequalem; tamen carne humana et exuviis mortalibus circundatum, ſicuti nec ante mortem, ita neque poſt reſurrectionem regnum terreſtre in hoc mundo exercuiſſe, et Petrum ejus vicarium, majorem, quam ipſe exercuerit, poteſtatem ſibi vindicare non poſſe. Poteſtatem nomine clavium beato Petro a Chriſto promiſſam mere ſpiritualem eſſe. Exemptionem ſacri ordinis a principum juriſdictione, et in perſonis et in bonis, non divini ſed humani juris eſſe. Venetorum principem, qui poteſtatem a Deo conceſſam habet, neque ſuperiorem in temporalibus, quae vocant, agnoſcit, dum leges circa bona eccleſiaſtica in ſuis ditionibus ſita, condit, et in facinoroſos et atrocium criminum ex illo ordine reos animadvertit, de bonis item, quae nondum ad eccleſiaſticos pervenerunt, poteſtate a Deo conceſſa, ſtatuit, minime peccare. Proinde, nihil peccante republica, ſi a Paulo V nihilominus cenſuris publicatis feriatur, et ſacra templa interdicta ſint, ſententiam contra eam latam jure communi, atque etiam divino, nullam et invalidam cenſendam, neque obſtare quod ex B. Gregorio affertur, ſententiam paſtoris ſive juſtam ſive injuſtam eſſe metuendam. Heic quippe non de injuſta, ſed nulla agi ſententia: nam nullam non eſſe metuendam, et Dominicum a Soto et Navarrum doctorem conſtanter tenere. Hunc libellum ſuppreſſo nomine evulgatum Fr. Paulum ſcripſiſſe Romae creditum eſt, et ab eodem duo Joan. Gerſonis opuſcula cum praefatione edita. Itaque Robertus Bellarminus cardinalis, ſummo vir in controverſiis diſcutiendis acumine praeditus, et tot polemicis ſcriptis editis clarus, omiſſis conſiderationibus, quibus Fr. Paulus nomen ſuum praeſcripſerat, in auctorem anonymum et opuſcula ſtylum ſtrinxit, et ante omnia graviter expoſtulat, quod contra ſancti Tridentini concilii decretum, Veneti, qui illud ſolemni deliberatione ſine exceptione anno CIↃ IↃ LXVII probarunt, in ſuis ditionibus libros de rebus ſacris ſine auctoris nomine typis mandari patiantur; nam vel eo ſolo in cenſuras incurrere. Telum hoc potentiſſimum toto hoc diſſidio adverſus ſereniſſimam rempublicam fuit, quod concilium Tridentinum probaſſent; quippe quo cunctae conſtitutiones et decreta pontificia, quibus ſuprema illa poteſtas aſſeritur, vi ſacri oraculi rata et firma habentur, et denuo ſanciuntur, et quorum auctoritate quicquid contra nuperas cenſuras objiciebatur, confeſtim ſine negotio diluebatur; haecque veluti praeſcriptione plerique in circulis, ſine alia diſputatione, os loquentibus obſtruebant, et ſcribentibus diſceptandi libertas praeripiebatur. Bellarminus ſuo ſcripto octo illas propoſitiones plane confutat, et Navarri doctoris male acceptam atque adeo male adductam ſententiam evincit. Tum horrendis ad ſervanda interdicta exemplis cunctos adhortatur; Boleſlai Poloniae regis a Gregorio VII devoti, qui deſpectus a

ſuis

ſuis et inviſus exteris, rebelliones magnas et diſſenſiones in regno paſſus eſt, et ad extremum extra ſe poſitus, et vecors per ſylvas ferino more cum canibus venaticis errans, cum repentino caſu exſpiraſſet, ab ipſis devoratus eſt: dein Lodoici [a] Baioari Caeſaris, qui Joannis XXII et Benedicti XII ſpretis cenſuris, tandem lapſante equo, ſubita morte correptus fuit, non facta poenitentia, nec a peccatis per confeſſionem expiatus. Haec ex S. Staniſlai epiſcopi vita, et Joannis [b] Villanii commentariis a Bellarmino prolata. Cum aliquandiu poſtea altum fuiſſet ſilentium, et ad ſcriptum ſuum non reſponderi diceret Bellarminus, multique ea de re Romae exultarent, ecce Joannes [c] Marſilius Neapolitanus ex ordine [d] Seraphico, qui tractatui de interdicto a decemviris probato ſubſcripſerat, prodiit, qui contrario ſcripto anonymum defendendum ſuſcepit: et in adverſario alios erroris inſimulante, innumeros, ut fert ſcriptum, errores notat, Navarrum pro ſe facere oſtendit, et ex ejus enchiridio aliquot propoſitiones elicit cum Gerſonis doctrina conſentientes, inprimiſque illam, excommunicationem eſſe nullam et invalidam, quando continet errorem intolerabilem; cujuſmodi eſſe eam, quae contra aliquem decernitur, qui aliquid recte fecerit; proinde principem, qui recte fecit, cum prohibuit, ne interdictum ſervaretur, quippe cum illud vergeret in periculum divini cultus et religionis, non peccaſſe, ſed potius Navarri ſententiam diſerte ſecutum eſſe. Deinde exempla illa elevat, nam Boleſlaum non ob pontificis cenſuras, verum ob impietatem et vitam ſceleratam miſere periiſſe. Lodoicum autem Caeſarem non morte ſubita, ſed veneno ab inimicis propinato, quod multis bonis principibus evenit, vitam finiſſe, idque ita tradere Luitprandium, et Platinam inſignem pontificiae hiſtoriae ſcriptorem. Tum alia duo exempla ex eadem hiſtoria in contrarium adducit, Joannis XII, qui epiſcopos, quod mandatu Othonis I cauſam ſuam diſcuſſiſſent, diris devoviſſet; illos autem minime interdicto detuliſſe, neque tamen fama conſtare, quemquam eorum propterea morte miſera periiſſe; alterum Bonifacii VIII, qui, verba ſunt Platinae, 'imperatoribus, regibus, 'principibus, nationibus, populis, terrorem potius quam religionem injicere, quique 'dare regna et auferre, pellere homines et reducere conabatur, aurum undique con'quiſitum plus quam dici poteſt ſitiens: diſcere hujus exemplo debere principes om'nes tam religioſos quam ſaeculares praeeſſe clero ac populo non ſuperbe ac contume'lioſe, ſed ſancte et modeſte, ut Chriſtus rex noſter, ejuſque diſcipuli ac veri imitato'res; et malle a populis amari quam timeri, unde tyrannorum pernicies oriri merito 'ſolet:' ad extremum concludit, ſummum pontificem nudum a donariis et privilegiis principum, jure pontificatus nullam habere laicam poteſtatem, neque ſupremam, neque mediam, neque infimam, neque actu, neque habitu, idque ex Navarri ejuſdem ſententia, quam ex B. Bernardo tranſcripſit. Artificium Bellarmini notat, in eo, quod non ante ſuum ſcriptum evulgaverit, quam a congregatione cardinalium, cujus ipſe ex numero eſt, exiit decretum, quo lectio librorum in defenſionem cauſae Venetae ſcriptorum, poena cenſurae addita, prohibita eſt, ne quis eſſet, qui ad illud reſponderet: quod verba auctoris aliter, quam ipſe ſentiat, plerumque interpretetur, ut ex pravo ſenſu multa colligat, quae Sectarium malum et ſciſſuram redoleant. Quod res confundat, ut ex ea confuſione contra mentem auctoris multa confingat. Quod aſſerat omnis logicae ignarum eſſe VIII capitum auctorem, ut hac praejudicata opinione quod ex ſuprapoſitis in fine colligitur, lector tanquam abſurdum rejiciat. Quod in typoghraphicis erratis immoretur, ut ex ſcripturae erroribus auctorem in erroris opinionem apud lectorem trahat. Quod multa ponat, tanquam confeſſa, quae ſunt in quaeſtione, et iis opiniones ſuas et cavillatorias reprehenſiones ſuperſtruat. Quod denique

INTERPR. [a] *de Baviere.* [b] *Villani.* [c] *Marſilio.* [d] *de l'Ordre de S. François.*

CIϽ IϽCVI.
HENRICUS IV.

denique prohibitae lectionis ſcriptores plerumque in teſtimonium adducat, et ſententias ex iis minime damnatas proferat, ut ſi ſimileis in iis, quos exagitare nititur, reperiat, ilicet eos tanquam Sectarii mali et ſciſſurae ſuſpectos ac reos faciat. Scripſerat et contra Gerſonis opuſcula Bellarminus, ipſique eo ſcripto dum in praefationem et ejus auctorem invehitur, Chriſtianiſſimi doctoris nomen, quod non ſolum apud nos, ſed magno conſenſu inter exteras gentes huc uſque meruerat, auctoritate ejus elevata, adimebat; quippe hominis, licet pii et docti, tamen ut per ſciſſurae tempora in ſcholis Galliae, ubi pontificia dignitas in arctum cogebatur, educati, et erroneas opiniones in calore illo ſecuti; proinde non eſſe, cur Veneti ſe talis theologi nomine in cauſa non bona tueantur. Septem primas conſiderationes leviter et molli brachio tractat. In octava, ubi de concilio Conſtantienſi, et concilii in genere ſupra pontificem auctoritate agitur, diutius haeret, et manifeſto errore peccaſſe Gerſonem dicit: nam in eo patres haud diſerte pronunciaſſe, haereſim eſſe negare concilium eſſe ſupra papam; et quanquam Martinus v decreta in eo facta confirmarit, id tantum de iis intelligendum, quae ſervata forma et poſt examen, et rem diſceptatam facta ſunt, ſicuti ea, quae Wiclefi et Huſſi doctrinam damnant; at non illud de concilii ſupra papam poteſtate ejuſmodi eſſe, quod ſchiſmatis tempore factum, non ut in poſterum valeret; itaque Pium II in concilio Mantuano diris eos devoviſſe, qui a pontifice ad concilium appellabant. Eandem cenſuram a Julio II poſtea renovatam, et quotannis in Coena Domini ritu ſolemni repeti. Dein et id ipſum ſacrae ſcripturae teſtimoniis, antiquorum canonum, et conciliorum auctoritate amplificat; et poteſtatem ſupremam non corpori, ſed capiti ejus, hoc eſt, Petro in eccleſia conceſſam evincit, quam ille ad ſucceſſores ſuos legitimo ordine tranſmiſerit. Id continua conciliorum ſerie liquere, ac poſtremo Lateranenſi ſub Leone X celebrato, cujus XI ſeſſione ſuprema pontificis ſupra quodvis concilium poteſtas verbis diſertis aſſeritur, ac proinde licere ipſi ſoli cogere, transferre, et dimittere concilium. Cum igitur concilia ipſa ſe pontifici tanquam inferiora ſubjiciant, quam temeritatem et impudentiam eſſe, privata ſingularium hominum opinione ſupremae a Deo ordinatae poteſtati velle ſuperiorem imponere? Inde deſtructis ceteris Gerſonis conſiderationibus priore ſcripto comprehenſis, ad alterum tranſit, quo doctoris Gallicani, de delegati pontificii dicterio, quod errore non carere minime inficiatur, ſententiam tanquam nimis rigidam ſugillat, et potius interpretatione adjuvari illud debuiſſe contendit. Tum adductum de tyranno exemplum tanquam leve et imaginoſum rejicit, tandemque colligit, totum Gerſonis argumentorum robur in eo verti, quod putaret pontificem non habere poteſtatem mutandorum antiquorum Canonum, in quibus Gallicana eccleſia tunc libertates ſuas reponebat: nam cum ii a conciliis facti ſint, proinde mutari non poſſe ab eo, qui concilio ſit ſubjectus. Atqui demonſtratum prius hoc principium eſſe falſum, et Lateranenſi concilio memorato pragmaticae tanti a Gerſone factae, et quam eccleſiae Gallicanae tuebantur, expreſſe derogatum fuiſſe, et nunc per concordata inter Leonem X et Franciſcum I facta, non amplius libertatem Gallicanam adverſus pontificem opponi ac nominari, ſed regem Chriſtianiſſimum et Galliae epiſcopos pacem et unionem cum matre ſua, quae eſt eccleſia Romana, et ipſorum patre, qui eſt pontifex vicarius Chriſti, et beati Petri ſucceſſor, colere. Verum hoc ultimum Bellarmini ſcriptum adverſus Gerſonis opuſcula, et praefationem iis praefixam, minime reſponſo caruit; et cum finem ſcribendi factum omnes putarent, Fr. Paulus, qui auctor praefationis credebatur, et opuſculorum edendorum, quae diſputationi contra cenſuras inſtitutae pro fundamento, ſicuti antea diximus, ſubſtraverat, jam renudato animo, et nomen ſuum profeſſus, illius et Gerſonis defenſionem prolixa et accurata apologia ſuſcepit: qua quae ſubtili ingenii felicitate ille tranſcurrerat, fortius pedem figens, ſingulas ſcripti particulas examinat, et non tam in

adverſarii

adverſarii rationibus confutandis, quam in Gerſonis ſententia confirmanda immoratur, falſumque non eſſe et erroneum, quod ille ponit et oſtendit, concilium eſſe ſupra papam, ſed a Franciae ſacris collegiis et ſcholis theologorum id conſtanter teneri. Poſt pragmaticam vero Lateranenſi, ut ille ait, concilio abrogatam, quod una libertates in Francia ſublatas dicat; quod libertates pragmatica ſola niterentur; puerile plane eſſe, cum nemo neſciat diu ante pragmaticam illas libertates in Francia et ab omni antiquitate uſurpatas fuiſſe, quae ne figmenta putentur, ad certa capita redacta in opuſculo Lutetiae cuſo, anno CIↃ IↃ XCIV referuntur, quorum haec praecipua: Ne quid pontifex jubere aut decernere valeat, quod regiam poteſtatem ſpectet; ſi quid jubeat, non teneri ſubditos ei obedire. Pontifex etiamſi in ſpiritualibus ſupremam poteſtatem habeat, tamen in Francia abſolutam et infinitam poteſtatem locum non habere, ſed canonum limitibus et antiquorum conciliorum in regno receptorum deciſionibus circumſcribi; in eoque conſiſtere libertatem eccleſiae Gallicanae. Item, etiamſi concilia cogi non poſſint ſine pontifice, clave non errante, qui caput et princeps totius militantis eccleſiae, et parens communis omnium Chriſtianorum habetur, neque in iis quidquam decerni debeat, niſi interveniente ipſius auctoritate; tamen nunquam obtinuiſſe, ut is ſupra concilium poteſtatem haberet, verum ipſum ad decretorum et placitorum ſynodi obſervationem teneri, tanquam praeceptorum eccleſiae, quae univerſali illo conventu repraeſentatur. Proinde Fr. Paulus colligit, verum non eſſe, quod adverſarius dicit, libertatum eccleſiae Gallicanae amplius in Francia nullam mentionem fieri. Contra ejuſdem Fr. Pauli conſiderationes non ſcripſerat Bellarminus; verum eas peculiari libro impugnavit Jo. Antonius [a] Bovius Novarienſis Carmelitanus, contra quem longo et aeque accurato ſcripto diſputavit Fr. [b] Fulgentius Brixianus Servita, quod et tunc editum eſt. Et cum quaedam pro cauſa Venetorum Lutetiae, licet ſuppreſſis aut incognitis nominibus, fuiſſent publicata, legatus pontificius, ne vinci videretur, card. Bellarmini reſponſum ad tractatum contra interdictum a VI theologis ſubſcriptum, in Gallicam linguam transferri, et Lutetiae item recudendum curavit. Et alia inſuper duo vota et ſub id evulgata ſunt cardinalium Aſcanii [c] Columnae epiſcopi Praeneſtini, et Caeſaris Baronii nobiliſſimi Annalium eccleſiaſticorum ſcriptoris, qui cenſuras non ſolum ſummopere laudabant, ſed etiam pontificem ut earum executioni ſtrenue inſiſteret, pleno affectu hortabantur. Columna ſevere admodum in epiſcopos ſenatui nimis morigeros perorabat. Baronius, quod locum de gentium vocatione et baptiſmo ex Actis, *occide et manduca*, ad cauſam Venetorum, atque adeo ad excommunicationem traxiſſet, a Jo. Marſilio, qui contra illa vota ſcripſit, reprehenſus eſt; quod tamen illi licuiſſe per alluſionem Gerardus [d] Lopperſius Friſius, opuſculo mox Romae edito, confirmavit. Ad votum ſuum Baronius paraeneſim ad Venetos addiderat, qua centonibus e ſacra lege more ſuo conſutis aculeate eos carpebat, et repetitis quaſi per tranſennam controverſiae capitibus ſine ampliore diſceptatione rempublicam ad obedientiam hortatur; nulla praemiſſa initio ſalutatione, quia cum devotis ageret, et in fine tantum adjecta e beato Auguſtino contra Donatiſtas clauſula, ut ‘ haec epiſtola ſit, ſi velint, correctio; ſi nolint, teſtis.’ Cum res huc uſque a primariis illis cardinalibus, Baronio et Bellarmino, geſta eſſet, cum quibus paria illa Fr. Paulus et Fr. Marſilius commiſſa fuerant, quibus et ſuccedaneus Fr. Fulgentius acceſſit, poſt obſtinatum in ampliſſimo orbis theatro ſuper re maxime ſeria certamen; plerique, ut olim inter gladiatores interdum accenſis animis fieri aſſueverat, promiſcua caede gregatim et catervatim concurrere [α] coeperunt. Interea citatus Romam ad ſanctae inquiſitionis tribunal primum Joannes

Marſilius,

VAR. LECT. [α] coeperunt. Pro Venetis conſilium grande et verboſum ſcripſit Ventura Vicentinus Caeſarei juris profeſſor, cui et inſeruit Leodicenſium epiſtolam contra Paſchalem II

pro

INTERPR. [a] *Bovio de Novara.* [b] *Fulgentio de Breſcia Servite.* [c] *Colonna evêque de Paleſtrine.* [d] *Lopperſius de Friſe.*

CIϽ IϽCVI.

HENRICUS IV.

Marſilius,qui praefatus verbum Dei non eſſe alligatum,v propoſitiones ex libris paſſim editis ſelectas, tanquam de Sectario veneno ſuſpectas, erroneas, temerarias, offenſionis plenas,

pro Henrico IV imperatore, anno CIϽ CVII ſcriptam, de qua alias diximus. Eodemque tempore prodierunt reſponſa clariſſimorum juriſconſultorum M. Ant. Peregrini, M. Antonii Othelii, et Joachimi Scaini, ex primariis gymnaſii Patavini profeſſoribus; qui inter alia praecipue defectum citationis urgebant, et eo fieri dicebant, ut cenſura nulla eſſet et invalida. Aſſertiones et propoſitae ab Hieronymo Vendrameno Spalatenſi theologo, et S. Mauritii plebano, contra Venetae Reip. detrectationes: ac ab eodem Vendrameno poſtea ſcriptae diſquiſitiones controverſiarum inter papam et Venetos, in quibus acerrime cauſam Venetam et magna cum pontificis invidia tuetur. Eadem et majore vehementia Fulgentius quidam Thomaſcellius, philoſophus Epirota, contra Joannem Philotheum Aſtenſem ſcripſit, et mentiri eum in libri fronte dicit. Cum vero quidam ſuppoſitis literis, ſine nomine et die, quaſi a Veronenſibus ad Brixianos ſcriptis, rumores maledicos ſparſiſſet, quibus eos ad defectionem exemplo ſuo excitabant; magiſtratus urbis publico diplomate, cui ex decreto majoris concilii M. Antonius Corſinius cancellarius urbis ſubſcripſit, declaravit, ſcelerate mentitum literarum illarum fabricatorem; de ſua fide erga ſereniſſimam rempublicam proteſtatur,et decernit ut oratores e ſuo numero ad ſenatum mittantur, qui ad principis pedes projecti, ore ſuo idem profiteantur; II aureorum CIϽ praemio ei, qui literarum auctorem denunciatione ſua indicaverit, conſtituto, et totidem ei, qui ſceleratum hominem judicio ſtiterit. Id actum XXV Septembris. Item cum Laelius Medicinus Placentinus ex Seraphico ordine et Florentiae inquiſitor, de eadem re pro pontifice ſcriptum edidiſſet, M. Antonius Capellus ex eodem ordine ad illud per particulas accurate reſpondit, et ſeorſim aliud ſcriptum ſuper eadem controverſia publicavit, in ſex partes tributum, quod decemvirorum decreto probatum fuit: mutuae et Antonii Poſſevini et ipſius Capelli adjunctae literae. Poſtremo antiparaeneſis ad illuſtriſſimum Baronium cardinalem ſcripta, Nicolai Craſſi junioris nomine,pro ſereniſſima Veneta republica, cui ſex illi memorati theologi ſubſcripſere: et quia Baronius Venetis invidioſe exprobraverat, quod ex Aquileiae cineribus, graſſante Attila, et incendio late ſpargente, orti eſſent; ipſis proinde cavendum, ne ex eadem cauſa in cineres revertantur; mordaciter reſponſum, nihil eſſe, cur id vereatur, quippe cum urbs in mari ſita, ab incendio minime periclitetur: videndum ipſi potius, ne urbs Roma in cineres redigatur, cui exitum ab igne Sibylla olim apud Lactantium praedixerit, idque XIV Apocalypſeos manifeſte ſignificari. Dein, ſed ſerius, anno ſequenti reſponſum Nicodemi Macri civis Romani nomine, vermiculato, ut ipſe ſcriptor ait, opere, Monachii in Vindelicia excuſo, cujus auctor putatur Gaſpar Schioppius. Sententiam et edidit Hannibal Crancius, Dalmata philoſophus, ſuper quaeſtione, *An injurias a Paulo* V *papa Venetae reipublicae illatas liceat bello et armis propulſare?* Patavii anno ſequenti editam. Scripſit et extra Italiam (ut puto) pro Venetis ſuper *libertate Eccleſiaſtica* Simo Sardus, qui ſe Venetum profitetur, et papam ad monarchiam monarchiarum aſpirare multis rationibus oſtendere conatur. Parte alia pro pontifice et ejus jure ſcripſerunt, primum Theodorus Eugenius Famaguſtanus contra Antonii Quirini *paraeneticum* ad principes et populos. Dein et contra tractatum VI theologorum Bartholomaeus Ugolinus J. U. D. diſputationem ſcholaſticam emiſit. In id et edita a Friderico Surdo juriſconſ. Bononienſi *repetitio* in cap. *Sacris* extra, *De his quae vi metuſque cauſa fiunt*: ubi inter alia fuſe agitur de metu circa cenſuras. Recanati et editae Rutilii Benzonii R. epiſcopi Lauretani diſputationes duae de juriſdictione et immunitate eccleſiaſtica contra errores in Veneta republica obortos, et de juſtitia pontificii interdicti: Bononiae excuſa ejuſdem argumenti defenſio a Fr. Gregorio Servantio Dominicano Trevici epiſcopo de poteſtate et immunitate eccleſiaſtica, et ſacri ac venerandi J. U. collegii Bononienſis reſponſum pro libertate eccleſiaſtica. Contra VIII anonymi propoſitiones, grande et volumen ſcholaſtico more a Joan. Beltrano Guevera J. C. Hiſpano conſarcinatum, cui titulum fecit, *Propugnaculum* eccleſiaſticae libertatis et pontificiae poteſtatis adverſus leges Venetiis latas et earum defenſores: necnon et Ferdinandi a Bajada e ſodalitio Jeſuitico antidotum contra venenatas Fr. Pauli conſiderationes, quo principes, reges, imperatores ipſos pontifici ſubjicit, omnemque juriſdictionem tribuit, ita ut illos deponere, regnis privare, leges eorum abrogare, et ad obedientiam non ſolum per cenſuras, ſed etiam armorum vi poſſit compellere; idque auctoritate cardinalis a Turrecremata et Ludovici Molinae confirmat. Prodiere et Fr. Auguſtini Vigiani Florentini de immunitate eccleſiaſtica diſputationes VI, quibus ex collegio Bononienſi plerique collegiati, ad calcem appoſitis nominibus, ſubſcripſere. Ingolſtadio et prodiit reſponſio nomine Joannis Pedrezzani J. U. D. Cremonenſis adverſus VIII propoſitiones ab anonymo propoſitas, cujus auctor putatur Jac. Gretzerus: et Colonia Fr. Matthaei Torti ſacerdotis et theologi Papienſis admonitio pia et ſincera ad ſubditos Venetianos, ex Italico in Latinum verſa, ut quidem fert titulus, qua reſpondetur epiſtolae Jo. Baptiſt. Palmerii Eremitae nomine ſe venditantis. Pro voto et illuſtriſſimi Baronii editum Moguntiae Scrutinium F. Felicis Millenſii Eremitae Auguſtiniani; contra votum Jo. Marſilii apologia et apud nos edita, adverſus duos libellos heic itidem editos, quorum alteri titulus, Conſultatio ad clariſſimum Venetum, alteri Gallofranci adverſus Philaenetum pro libertate ſtatus Veneti ad V. Philaenetum epiſtola, qua uterque libellus exacte diſcutitur et exagitatur; addita et Aſcanii Torrii theologi R. pro libertate eccleſiaſtica ad Gallo-francum apologia modeſte et diligenter ſcripta. Inter haec incaleſcente ſcripturientium prurigine (nam nuſquam tot libri tam brevi tempore publicati) epiſtolae ſingulares aculeatae exilierunt, ut Gregorii Bonajuli Spilimbergenſis, Fr. Bartholomaei Cambii Soluthii ex ordine Seraphico Mantuani, Joan. Bertoloti Bononienſis, Hieronymi Delbenii a Monte S.; libellus Calogiae nomine ad ſenatum Venetum Bononiae. Haec fere omnia excuſa, plus ad irritandos animos quam ad alterutrius cauſam adjuvandam. Quibus ſucceſſere ex alia parte Chriſtianorum reipublicae Venetae civium et amicorum ad Anti-Chriſtianam cardinalis Baronii paraeneſim reſponſio, cum Nic. Viguerii diſſertatione de Venetorum excommunicatione: vulgatae,ementito Fr. Fulgentii nomine, ad epiſcopos Venetae ditionis, et Zefirielis Thomae Bovii Veronenſis ad Paulum V item epiſtolae. Reſponſio M. Paſquilli civis Romani ad gibboſum Ripallenſem ſuper cenſuris, eaque de re diſputationibus cardinalium Baronii et Bellarmini. Piſſanii Pizzonis piſcatoris ad Paulum V epiſtola. Sermo Venetiarum ad Paulum V, cum cantico lingua Bergomenſi ad ludibrium ſcripto: quod

quantumvis

plenas, ſeditioſas, manifeſto falſas, quarum contrariae difertis verbis expreſſae in ſacra leguntur ſcriptura, dum in cauſa Venetorum pro utilitate eccleſiae diſcutit, allatum ſibi dicit, ſchedulam contra ſe Romae affixam, inſtante Lodoico [a] Bodoido fiſcali, qua

quantumvis a ſenatu enixe prohiberetur, tamen accenſis ſemel animis invaleſcebat indies licentia, ut jam in re maxime ſeria indigniſſime luderetur. Gravioris momenti publicata ab iis qui Venetorum cauſae favebant ſcripta, in cauſa Sigiſmundi archiducis Auſtriae, et Gregorii Hamburgenſis ſua aetate doctiſſimi J. C., nunc primum edita. Nic. Cuſanus cardinalis epiſcopus Brixinenſis, quae urbs eſt in Auſtriacorum ditione, cum multa contra conſuetudinem et Germaniae libertates, ſicuti Sigiſmundo videbatur, ſecundum uſum in Italia receptum ordinaret, in gravem cum Sigiſmundo contentionem incidit; et, poſt acerbitates verborum, vis addita; et cardinalis in cuſtodiam datus eſt: quo cognito, pontifex, is tunc erat Pius II, execratione et maledictis archiducem inſectatur: itaque ad pontificem ab eo mittitur Gregorius Hamburgenſis, qui factum excuſaret; qui quod arctam cum pontifice olim in Germania coluiſſet amicitiam (ſiquidem ejus honorifica mentio adhuc in Aeneae operibus habeatur) ardentius cauſam ſuam tueri pontifici viſus eſt, qui utrumque, et archiducem et ejus oratorem, execrationibus diris devovit; a quibus Hamburgenſis appellationem interpoſuit, eamque in urbe publicavit. Inde, dum pontifex archiducem inſequitur, ipſe in Bohemiam conceſſit, et uxore ducta execrationes contemnere prae ſe tulit. Sic res ab Alberto Crantzio in Vandalia, et aliis narratur. Ejus rei tunc acta publicata ſunt: epiſtola Pii II ad epiſcopum Baſileenſem, nam ipſum cenſurae exemplum non extat, Romae datum anno CIƆ CCCC LXI; qua increpat eum quod communionem cum Sigiſmundo diris devoto ſervaret, et ut eum in poſterum devitet, enixe mandat, et interdictum obſervari jubet: ſequitur libellus appellationis Sigiſmundi ad futurum pontificem et generale concilium inſtituendum vel inſtitutum: appellatio et pro ſe ab Hamburgenſi adjecta: contra quam cum Theodorus Laelius epiſcopus Feltrenſis vehementi ſcripto replicaſſet, Hamburgenſis apologiam copioſam publicavit, qua et appellationem ſuam tuebatur, et contra Conſtantienſis ſynodi decreta facere eum dicebat, qui libertatem illic ſancitam impediebat. Adjecta et ejuſdem Hamburgenſis admonitio de injuſtis uſurpationibus paparum R. ad imperatores, reges, et Chriſtianos principes, tempore Eugenii IV ſcripta. Eo ſcriptum illud majorem Romae offenſionem peperit, quod ab eodem papa qui appellanteis ad concilium diris tam ſevere devoviſſet, magnus princeps et ejus orator appellaſſe probarentur. Eodem tempore recuſus Franciſci Zabarellae cardinalis Florentini, qui anno CIƆ CCCCVI tempore ſchiſmatis vixit, tractatus, olim Argentorati anno CIƆIƆXLV a Luca Schroteiſeno juris ſtudioſo editus, quo conciliorum auctoritas validis argumentis aſſeritur: "Ex eorum omiſſione, nec aliunde, eruen-" "dam radicem omnium malorum, quae per or-" "bem hodie graſſantur; nec aliud ſubeſſe remedi-" "um, citra Dei manum, quo deperdita eccleſiae" "diſcerptio inſtauretur: concilia ad fidei conſerva-" "tionem ordinata, eorumque formulam in Apoſto-" "lorum actis praeſcribi, quam ſequi debemus. Pe-" "trum licet principem Apoſtolorum, tamen ple-" "nitudinem poteſtatis non in eo ſolo fuiſſe; imo" "Petrum tanquam unum in congregatione cum" "aliis principatum tenuiſſe, et poſt ipſum Jacobum" "apoſtolum; nec reſponſum fuiſſe datum ſub per-" "ſona Petri, ſed congregationis; hinc morem an-" "tiquum tenuiſſe, ut omnia difficilia per concilia" "terminarentur, eaque crebro celebrarentur: ve-" "rum pontifices, qui magis terrenorum principum" "quam apoſtolorum inſtar eccleſiam rexerunt, tam" "laudabilem morem inſuper habuiſſe; plenitudi-" "nem poteſtatis in univerſitate eſſe tanquam in fun-" "damento, hoc eſt, in eccleſia, in papa tanquam" "in principali miniſtro, ſed non ſolo, per quem po-" "teſtas illa explicetur; et ita juxta Innocentium III," "ut diſcretionis clavis praecedat, et clave non er-" "rante poteſtas exerceatur, plenitudinem poteſtatis" "per ſingulos in univerſitate exerceri, ſed prae-" "cipue per Petrum: proinde papam non poſſe impe-" "dire ſynodorum congregationes; alioqui, ſi quod" "apoſtoli docuerunt deſtrueret, erroris convincere-" "tur; eccleſiam non poſſe ita poteſtatem ſuam in pa-" "pam transferre, ut penes ipſam eſſe deſinat; papam" "legibus ſuis ſolutum eſſe, ſed non legibus Dei, qua-" "les ſunt, quae Spiritu ſancto ſuggerente in con-" "ciliis promulgantur: ſi papa eorum celebratio-" "nem incuria negligat, ad Caeſarem pertinet, qui" "pars concilii eſt, advocatus et defenſor eccleſiae," "et jure ſuo, non ex gratia, ejus intereſt ea con-" "vocare. Sic Conſtantinum, Juſtinianum, Caro-" "lum, alios feciſſe; Conſtantinum ipſum in Ni-" "caeno praeſediſſe; niſi ipſi liceret et non ſoli papae" "ſynodum cogere, periclitaturam detrimentoſe ec-" "cleſiam; quippe accidere poſſe, ut papa in hae-" "reſin cadat, et cardinaleis ſui ſimileis creet: tunc" "jus eſſe Caeſaris ut ſynodum cogat, et ab eo fidei" "ſuae rationem poſſit exigere: imo et eo caſu, ſi" "in errore perſeveret, deponere; imo et conſtare" "papam de quolibet crimine notorio poſſe apud" "Caeſarem accuſari; et ſi ad potentiam tempora-" "lem confugiat, coerceri debere: quod ſi et papa et" "cardinales, et Caeſar concilia convocare negligant," "ad praeſules majores jus devolvi, qui unus vel plures" "facere convocationem poterunt, etiamſi papa pro-" "hibeat; nam ei obediendum non eſſe, cum con-" "tra neceſſitas urget, et utilitas publica, et alioqui" "eccleſiae ſtatus periclitatur: per aſſentatores huc" "uſque factum, ut omiſſa veterum canonum reve-" "rentia pontifices multa ſibi arrogaverunt, et om-" "nia ſe poſſe exiſtiment, et quicquid liberet, etiam" "illicita; ſicque ſupra Dei praeceptum poteſtatem" "illam extendiſſe: inde ſecutos innumeros errores," "et inferiores praeſules pro nihilo habitos; et, niſi" "Deus eccleſiae ſuccurrat, ſummo eam in periculo" "verſari. In proximo concilio ita circumſcriben-" "dam pontificis poteſtatem, ut deinceps non poſſit," "niſi quod licet; et cum ei ſuus honos debeatur," "tamen videndum ne plus ei juſto aut aequo tri-" "buatur, ut Deo: honorandum eſſe pontificem" "non adorandum, quod de ſe fieri minime paſſus" "eſt beatus Petrus. Papam tunc eſſe ſuperiorem in" "eccleſia, cum eam bene adminiſtrat; benene an" "male adminiſtret, judicium penes univerſitatem" "eſſe." Tractatui huic tempore Innocentii VII, et Benedicti XIII papae, ſcripto, quod libertatem in eo nimis rigidam, et quae, ut ſunt tempora hodie, ferri non poſſet, excuſat, adjectum eſt Petri Ferrarienſis coaetanei ſcriptum, quo ille conqueritur "de papae" "ambitione, qui manu armata juriſdictionem in" "terris,

INTERPR. [a] *Bodoido.*

CIↃIↃCVI.

HENRICUS IV.

qua excommunicatus denunciatur, et non ſolum eccleſiae communione, ſed omni bonorum tam mobilium quam immobilium poſſeſſione, et ſacerdotiorum fructibus privatur. Eam ut legit, ſtatim pro nulla et invalida, ſalva, quae debetur ſedi Apoſtolicae, reverentia, tenuiſſe, habuiſſe, et nunc habere et tenere, et paratum defendere; quippe cum in eo tribunali Bellarminus adverſarius ſederit, contra quem ille ſcripſit; nec excuſationes, proteſtationes, exceptiones, defenſiones, coram Venetiarum inquiſitore factae v Eid. Sept. et a publicis notariis ſubſcriptae et traditae, ut Romam tranſmitterentur, viſae fuerint. Ceterum VIII propoſitiones ſine auctoris nomine, ex ea occaſione publicatas, quod ſtatim poſt interdictum, quaedam documenta ſive inſtructiones, ſine auctore ac minime ſubſignatae, ad ciendos animos per manus volitarent; in quibus cum multa in Deum contumelioſa, atque adeo haereſim redolentia eſſent, ut etiam ipſi qui pontificio interdicto favebant fateri cogebantur, ideo contrarias illas propoſitiones ſine nomine auctoris, eis oppoſitas, quas poſtea tuendas ſuſcepit,

“ terris, civitatibus, quae et natura et ab omni aevo
“ Imperii ſunt Romani, retinet; ipſum quinetiam
“ Caeſarem ſibi ſubjicere, quod ridiculum eſt dicere,
“ et abominabile audire; nam a principio cunctos
“ cujuſcunque conditionis ſive ordinis, etiam ſacri,
“ ſub poteſtate et juriſdictione Imperii fuiſſe. Ve-
“ rum Caeſares benignitate et indulgentia jus in ſa-
“ crum ordinem a ſe abjeciſſe, et in papam tranſtu-
“ liſſe; quod beneficium illi ingrati male agnoſcunt.
“ Bene proinde et caute facturum papam, ſi totam
“ temporalem juriſdictionem Caeſari, a quo accepit,
“ remittat: non aliter unquam rempublicam, et
“ maxime Italiam, quieturam; non aliter finem
“ ſchiſmati, quod nunc orbem Chriſtianum turbat,
“ imponi poſſe, aut porro impoſitum iri.” Poſtremo et apologia prodiit pro eccleſiae et concilii auctoritate, adverſus Joannis Gerſonis doctoris Chriſtianiſſimi obtrectatores, LIII axiomatis abſoluta; quae e Gallia profecta Venetiis excuſa eſt. Ejus haec prima, Eccleſiam eſſe politiam Monarchicam, ad finem ſupra naturam inſtitutam, concilio oecumenico, velut regimine ariſtocratico temperatam. Et pro coronide examen de iis omnibus ſcriptis et diſceptationibus, quae huc uſque contra ſereniſſimam rempublicam Venetam excuſae ſunt, a Joanne Marſilio compoſitum, et in duas partes tributum. Dum ultro citroque ſcriptis ac libellis certatur, pontifex, cognito ſereniſſimum principem, diplomate locis publicis paſſim affixo, pridie Nonas Maias, demandaſſe praeſulibus et aliis per totam Venetam ditionem, ut in fide et obſequio ſe continerent; eodemque proteſtatum eſſe de cultu erga ſanctam ſedem, et fide, quam a matre eccleſia Romana hauſerat, conſtanter ſervanda; denuo XII Kal. Octobreis, diris devovet qui illud legent ac penes ſe habebunt, aut alia ulla ſcripta pro Venetorum diris devotorum defenſione contra cenſuras vulgata. Id duas epiſtolas ad pontificem delicuit, plenas vehementis affectus, imo vero praefidentis audaciae, velut in impatienti dolore et praeſenti reipublicae diſcrimine, “ Nunquid et oculi tui car-
“ nei ſunt, et tu vides ſicut videt homo? Paras nova
“ fulmina contra legenteis literas ſereniſſimi principis,
“ quibus ſe Catholicum et ſanctae ſedis Apoſtolicae
“ Romanae obſervantiſſimum profitetur. Bone De-
“ us! benediceresne ſi contraria audires? In libera
“ republica liberas linguas eſſe debere. Audi quid de-
“ ceſſores tui de legibus principum dixerint, Leo IV
“ et Gelaſius. *Quis leges principum dicat debere*
“ *contemni? quae irrefragabiliter ſunt cuſtodien-*
“ *dae; et ſi quis aliter dixerit, vel vobis dicturus*
“ *fuerit, ſciatis eum mendacem.* Audi Miltiadem
“ pontificem deceſſorem tuum, *Primo ſemper ante*
“ *omnia diligenter inquirite, ut cum juſtitia et cha-*
“ *ritate definiatis, neminem condemnetis ante verum*
“ *et juſtum judicium, nullum judicetis ſuſpicionum*
“ *arbitrio, ſed primum probate, et poſtea cum cha-*
“ *ritate ſententiam proferte; et quod non vultis fieri*
“ *vobis, alteri facere nolite.* Non hanc in ſen-
“ tentiis nuperis veterum pontificum regulam ſer-
“ vatam: jactatur jam totum per orbem eccleſiaſti-
“ cos his gradibus ad Monarchiam tendere, et po-
“ teſtatem a Deo diſtinctam totam ad ſuum tribu-
“ nal trahere, quod eſſet admodum tyrannicum, et
“ contra expreſſam mentem divinam: proinde vi-
“ deat ne his injuſtis conſiliis claves vim perdant et
“ rubiginem contrahant, et ad extremum Babylo-
“ nica confuſio inducatur: ſicque exiſtimet, cum
“ res reducitur ad affectum, omne perire judicium.
“ Reſpublica nunquam deficiet a religione Catho-
“ lica, et a communione ſanctae eccleſiae Apoſto-
“ licae Romanae; ſed nec patietur libertatem ſuam
“ et conſuetudines ſuas ſibi eripi, aut ſuorum facul-
“ tates exhauriri. Stat ſimul, reſiſtere praecepto
“ pontificis omnia turbanti, et non deſerere commu-
“ nionem eccleſiae Romanae et Catholicam reli-
“ gionem. Ignatium olim patriarcham Conſtan-
“ tinopolitanum, qui anathemate injuſto a Joanne
“ VIII vulneratus non paruit, poſt mortem nihilo-
“ minus miraculis inclaruiſſe, et in Sanctorum nu-
“ merum relatum fuiſſe. Audire operae pretium eſſe
“ verba Richecomii e ſodalitio Jeſuitico, ex libro a
“ ſocietate probato, nuper ad Henricum IV miſſo:
“ Si adeo iratum Numen haberemus, ut ad ſe Cle-
“ mentem accerſeret, et Bonifacios VIII, Benedictos
“ XIII, Julios II induceret, quid ageremus? nempe
“ paucis dicam, quod in illo tempore probos et bo-
“ nos Francos, quod moderatos et frugi eccleſiaſti-
“ cos cum rege Philippo Pulchro, cum Ludovico
“ XII accepimus feciſſe; qui jus ſuum ac regni cum
“ mordicus tuerentur, nunquam propterea a ſancta
“ ſede Apoſtolica deſciverunt, officii Chriſtiani po-
“ tiſſimas partes deſeruere nunquam, Chriſti vica-
“ riam majeſtatem ſunt omni ſtudio, omni fide et
“ obſequio, proſecuti; de quo ne dubitari poſſet,
“ fecit Philippi Pulchri a Joanne Tilio ex archivis
“ regiis deſcripta, et ad poſteritatem tranſmiſſa re-
“ ſponſio. Haec Richecomius, ante ſodalitii ſui in
“ Gallia reſtitutionem. Si res ad arma deveniat,
“ quae deſolatio per totam Italiam! exteri eam
“ confundent, et haereſes ſerpent; deturpabitur
“ ſancta ſedes; et exhauſto aerario, et populis omni
“ re ſpoliatis, in caput ipſius pontificis tota faba cu-
“ detur.” Interea Romae ad ſanctae Inquiſitionis tribunal citatus primum Joannes Marſilius. *MS. Reg.*

ſuſcepit, et defenſionem judicio ſanctae Catholicae eccleſiae ſubjeciſſe. Proinde de denunciatione coram Deo et hominibus proteſtari; et cum nullo ſe conſcientiae dente remorderi ſentiat, et a communione eccleſiae ſe nunquam ſeparaverit, neque a charitate Chriſti et eccleſiae ſeparari potuiſſe: quinimo pro Sectariis habere, qui dixerunt, poſſe aliquem a Chriſto aut communione eccleſiae Catholicae ſeparari, niſi ſe prius ipſe ſeparaverit; aut aliquem ſine ſua culpa excommunicatum, et tantum ob id, quod non auditur pontifex, vel ejus miniſtri non audiuntur, cum audiri nec poſſunt nec debent, vere et valide excommunicatos eſſe. Citatus et Frater Paulus Venetus, per literas ad cardinaleis [a] Pinellum, Aſculum, Givrium, Blanchetum, Arrigonium, Bellarminum, Sapatam, Bubalum, Monopolitanum, generaleis inquiſitores nuncupatos, VII Kalend. Dec. comparuit; et exceptionibus propoſitis, ob non tutum acceſſum excuſari petiit: tum [α] de innocentia ſua, et obſequio erga eccleſiam proteſtatus, quae pro ſereniſſimae reipublicae, in qua natus fuit et educatus, cauſa, et pro Jo. Gerſonis Chriſtianiſſimi doctoris ſententia tuenda ſcripſerit, enumerat; et excerpi ex iis, quae cenſura digna videantur, ac notari, cupere ſe dicit; ut ea vel ipſorum judicio, rejecto ſemper Bellarmino, quibus ſemper multum tribuerit, ſi minus clara ſint, exponat, vel amplioribus argumentis communiat: id ni fiat, quae ſcripſit, ſi cum aliis ſine ſpeciali expreſſione et cum ambiguo adverbio damnentur, jam nunc obteſtari, nihil reprehenſione dignum in illis inveniri. Eodem die F. Fulgentius, qui ſe gente [b] Manfredum dicit, longo ſcripto non ad inquiſitores, ſed ad archiepiſcopos, epiſcopos, religioſos ordines directo, itidem proteſtatur; et praecipue fiſcales minas de privatione bonorum, quae nulla poſſidet, ridet.

IX. SCRIPTORES Veneti, proteſtationibus et expoſtulationibus contenti, ab appellatione abſtinuerunt, ut placatiorem tunc et in poſterum pontificem haberent: verum is rebus exacerbatis, exercitus ubique, ac praecipue in Umbria, inſtrui juſſerat, atque imperatorem dixerat Ranutium Parmenſium ducem; et eodem tempore Alexandrum [c] Montanum, ſub id ab Alberto archiduce, cui in Belgio militabat, dimiſſum, qui vicarias partes obiret, ei adjunxerat. Copiae omnes circa Ferrariam convenire juſſae. Philippus, qui per cardinaleis factionis ſuae, alioſque emiſſarios, clam faces irritato pontificis animo ſubjecerat, cum videret res ad bellum, quod ſemper ab initio optaverat, ſpectare, et regem Chriſtianiſſimum aemulum componendo diſſidio ſtudere, et neutri opes ſuas deferre, occupandum ratus literas artificioſe ſcriptas VII Eid. Quintil. ad pontificem mittit, hoc argumento: Sanctiſſime pater, mihi non mediocrem attulit moleſtiam diſſidium cum Venetis nuper exortum, et, utcunque ſit res, cuperem ne proceſſiſſet; ejus cauſas amplius conſiderandas relinquo. Cum tamen videam ſanctitatis veſtrae et ſedis Apoſtolicae auctoritatem in eo negotio tantopere periclitari, decrevi tanquam filius vere obediens ei et perſonam meam et omne imperii robur ultro deferre: idque oratori Veneto, qui in aula mea verſatur, ſtatim ſignificandum curavi; meis item proregibus ac procuratoribus in Italia mandavi, ut per eos ceteri principes qui mea ſunt in clientela, id pariter intelligant; ſicut amplius [d] Aſcalonae dux, qui has tibi reddet, expoſiturus eſt. Interim rogo ſanctitatem veſtram, ſibi perſuadeat, in iis quaecunque ipſam tangent, me ſemper ad latus ei praeſto futurum. Iis, dum diſſidii cauſas in ambiguo relinquebat, quod factum erat, infectum malle oſtendebat, eo magis pontificem per ſe ſuſcepto bello imparem et alienum, atque adeo ſuis opibus egentem, ſibi devinciebat, cum ei nihilominus ſe praeſto futurum declarabat; et jam tum apud Venetos, ſi res ad concordiam deveniret, excuſationem parabat, cum diſſidium illud minus ſibi placere dicebat. Statim

et

VAR. LECT. [α] de ſua innocentia, gravamine, et injuria proteſtatur *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Pinelli, Aſcoli, Givry, Bianchetti, Arrigone, Bellarmin, Sapata, Buffalo, & Monopoli.* [b] *Manfredo.* [c] *di Monte.* [d] *d'Eſcalona.*

CIↃ IↃCVI.
HENRICUS IV.

et Franciſcum [a] Caſtrenſem Venetias extra ordinem miſit, (nam [b] Inicus Cardenas jam ordinarii oratoris officio apud ſenatum fungebatur) qui pridie Nonas Novembreis ad urbem magno et ſplendido comitatu venit, ſummo cultu a ſenatu exceptus; eo conſilio, ut ſi res, quod jam praeſentiebat, ad pacem inclinarent, ipſe belli ab initio incentor, compoſiti diſſidii gloriam regi, ſi poſſet, praeriperet, aut interventu ſuo magna ex parte delibaret. [c] Fontanus interea Mediolani prorex, famam ad faſtum ſpargendam curavit, VIII CIↃ Hiſpanorum, totidem Neapolitanorum, parem [d] Inſubrum numerum, V CIↃ Helvetiorum, totidem Germanorum, ſe brevi ſub ſignis habiturum, et Caſtrenſi praeſto futurum. Sic autem in aula Romana vulgo jactabatur, Philippum diſciplina a majoribus accepta hujuſmodi diſceptationes de [1] ſuprema pontificis in ceteros principes, etiam in iis, quae ad civilem adminiſtrationem ſpectant, paſſim atque in Hiſpania ipſa agitari non invitum audire, et praemeditato conſilio diſſimulare, quod eas ad ſe minime pertinere exiſtimet; quippe praepotentem, et qui pontificum molitiones in ſuis ditionibus, facto, non verbo, revincere ſit ſolitus; et cum hoc facit, ſciat pontifices mutire non auſuros; quod inſigni exemplo in Sicilienſi negotio aliquot poſt annis patuit: imo Hiſpanos profunda ambitione aeſtuanteis bella inde nata et ſeditiones in privatum ſuum emolumentum vertere; quippe qui interim in inſidiis armati ſedeant occaſionem opperientes, ſi qui minores principes proſcribantur, ut eorum ditiones invadant, ſicuti in regni Navarrae occupatione parentum noſtrorum memoria [α] accidit.

X. SERIUS cardinalis [e] Jouſa, nec niſi exeunte anno, in Italiam venit; ut cardinalis, minus Venetis gratus, ut a rege miſſus, pontifici ſuſpectus, et Hiſpanis inviſus, inſita prudentia, ut inde gratiam ſibi conciliaret, hinc invidiam, purgatis ſuſpicionibus, leniret, aliquandiu Ferrariae ſubſtitit, quouſque cum bona pontificis voluntate et conſenſu Venetias, ſicut a rege jubebatur, ſe conferret, et negotio, per Carolum [f] Neovillam Allincurium Romae apud pontificem oratorem, et Philippum [g] Canaium Fraxineum Venetiis item regium oratorem jam inchoato, finem optatum imponeret.

CIↃ IↃCVII.

Ineunte anno cum Venetias veniſſet, re cum oratore regio communicata, ſic comperiebat, Senatum nunquam adductum iri, ut auctoritatem ſuam, abrogatis majorum legibus, et juriſdictionem, traditis, qui carcere attinebantur, eccleſiaſticis, violari et enervari pateretur. [h] Donatum prudentiſſimum principem, oratori pontificio palam dixiſſe, pontificem juvenem et rerum inexpertum, dum pravis conſultoribus aurem praebet, temere feciſſe, ut ſe negotio iniquo immiſcuerit: id ſibi dicere licere, qui per aetatem parens ejus eſſe poſſit, erat quippe ſeptuagenarius; non mirum videri debere, ſi, cum juvenis eſſet, et male de Venetorum rebus inſtructus, conſilium ſibi probroſum, et poſtremo damnoſum ſecutus eſſet; potius prudentiam et moderationem deceſſoris ſui imitari debuiſſe, qui cum minime ignoraret, quae Veneti ea in re feciſſent, nihil tamen tale toto principatu ſuo aggreſſus eſt. Pontificem in [i] Lauretano collegio in Umbria, quod nunc epiſcopali praerogativa praefulget, idem ſanxiſſe, ne ſcilicet in terris pontificiae ditioni ſubjectis liceat res ſoli poſſidere. Id poteſtate principali a pontificibus cum ſit decretum, non videre, cur Veneti non eadem poteſtate in ſuo uti, et jus idem uſurpare poſſent: ſummo id conſenſu a ſenatu decretum, et cum CCC patricii intereſſent, nullo diſſentientis in tanto numero reperto calculo; ut quod tanta votorum concordia ſcitum eſt, minis et oſtentato armorum terrore per injuſtum interdictum tolli poſſe non appareat. Pontificem vere dixiſſe, Venetis non licere in ipſum cenſuram exercere: ſed et hoc verum eſſe, non

licere

VAR. LECT. [α] accidit: et ita tractu temporis immenſam illam monarchiam, quam tamdiu parturiunt, impune aliena ſemper invadentes, ad extremum conſtituant. Serius cardinalis *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *de Caſtro.* [b] *Inigo de Cardenas.* [c] *le comte de Fuentes, gouverneur de Milan.* [d] *Milanois.* [e] *de Joyeuſe.* [f] *de Neufville d'Allincour.* [g] *de Canaye Sr. de Freſnes.* [h] *Donato.* [i] *de Loretto nella Romagna.*

NOT. [1] ſuprema poteſtate

licere pontifici Venetis, dum leges et jura condunt, et poteſtate a Deo conceſſa utuntur, per cenſuras ſacrorum uſum interdicere. Proinde ipſos potius vitam quam libertatem et leges ac majorum jura amiſſuros.

XI. Eos vero contra Jeſuitas admodum exaſperatos, quod ipſos ad inflammandum pontificis contra rempublicam animum ſuggeſtione ſua nihil reliqui feciſſe perſuaſum haberent; fiducia etiam injecta, ſi conſtanter in propoſito perſtaret, fore, ut quem Ferrariae nuper cenſurae publicatae, eundem Venetiis proculdubio effectum ſortirentur. Itaque cum ipſi initio ad primam interdicti famam per literas, miſſo Antonio Poſſevino, cum Claudio Aquaviva generali ſuo egiſſent, ut quid ſibi agendum eſſet, ab eo edocerentur, ille praefracte cenſuris obediendum eſſe reſpondit. Idque ad ſenatum patres retulere, hoc addito, ſe clauſis templis domi, ſi principi placeret, manſuros, et confeſſionibus et puerorum inſtitutioni interim vacaturos. Quod cum ſuſpectum videretur, et ſenatui relatum eſſet, ceteros ordines ad defectionem eos ſollicitaſſe; cum abirent, vix ab injuria temperatum fuit, plebe eos tanquam exploratores ab Hiſpanis ſubornatos inſectante, et ſtipatores propterea iis a ſenatu attributi ſunt. Inde legibus in ſocietatem agi coeptum; et confectis probationibus decemviri conſtare dixerunt, permultos patres et maritos conqueſtos eſſe, quod a filiis et uxoribus ſolita obſequia non praeſtarentur, quia Jeſuitae ipſis affirmaſſent, eos extra eccleſiae communionem poſitos eſſe: literas et cujuſdam ex illa ſocietate interceptas, quibus pontificem certiorem faciebat, in urbe CCC praecipuae nobilitatis pueros eſſe, totidem devota, quicquid juberet, ſuae ſanctitatis mancipia. Praeterea ad ſenatum delatum, eos per confeſſiones ſecreta familiarum rimari; bona, facultates, et ita totius imperii robur et vires perſpectas habere, clientelas cujuſque cognoſcere; ea de re commentarios ab ipſis confici, et ſingulis VI menſibus per viſitatores ſuos, quos vocant, ad generalem ſuum mittere; [a] Bergomi et Patavii, feſtinato eorum diſceſſu, multas chartas repertas ab iis non corruptas aut exuſtas, quibus ejus rei fides fiebat: multa et ad odium invidioſe cumulata. Vulgata ſub id Staniſlai [b] Przouskii Lublinenſis, qui in gymnaſio [c] Patavino literis operam dabat, nomine epiſtola, ad Antonium Poſſevinum illius collegii primarium [α] ſodalem, qua ſocios nimia ſatagendi cura, non ſua ambitione, non ſolum in illis ad ſeptentrionem poſitis regionibus, ſed et aliis, multa infeliciter peccaſſe, et turbis ubique cauſam dediſſe arguit; recenti ante omnia Demetrii crudeliter occiſi exemplo propoſito, quem illi inſtaurandae religioni ad imperium provexiſſe gloriabantur. Nam ſi verus fuit Demetrius, imprudentiſſime feciſſe illos, qui principem nondum bene in regno avito confirmatum, praefervidis ſuis conſiliis ad manifeſtum exitium expoſuerint, et tot proceres Polonos et nobilitatis florem eadem calamitate involverint: ſin ſuppoſitus, peſſime feciſſe, qui bonam cauſam ad ſui tutelam inſigni et deteſtando plagio egere exiſtimaverint. Quid enim veritati, cui religio innititur, cum mendacio? Quid luci cum tenebris? Quid arcae Dei cum Belial? Scenam ab iiſdem vere tragicam infelicis Luſitaniae regis inſtructam, et in Africa ad miſerabile ſpectaculum expoſitam, ut regnum ad Hiſpanos devolveretur. Repetitis toties conjurationibus nomine Chriſtiano indignis contra Eliſabetham, effeciſſe, ut foemina a fundendo ſanguine primum aliena, porro ſeverius ac durius cum majorum religioni addictis in regno ſuo agere ſit coacta. Notum et nunc eſſe omnibus, quomodo nunc ſub rege novo poſt nuperam conjurationem cum miſeris Catholicis agatur. Nequedum memoria hominum excidiſſe, quid illi in Francia Henrico III rege moliti ſunt, [d] Henotica factione ad regni perniciem excitata,

VAR. LECT. [α] ſodalem, et legationibus per Poloniam et in Moſcovia non mediocri ſolertiae laude obitis clarum, qua ſocios *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Bergame, & Padouë.* [b] *Przowski de Lublin.* [c] *l'univerſité de Padouë.* [d] *la Ligue.*

CIƆ IƆCVII. excitata, et Caroli cardinalis Borbonii effoeti ſenis impotenti ingenio facibus praepoſ-

HENRICUS IV. terae ambitionis ſubjectis, ut legitimum regni heredem ab ejus ſucceſſione excluderent, et regem a Sectariis ſumme alienum vivum videntemque ſepelirent, ac tandem infando paricidio mactarent. Quid non nuper feciſſe illos, ut [a] Daciam et circumpoſitas provincias, antea quietas et pacis felicitate gaudenteis, damnoſiſſimo bello involverent? Ruptam cum Turcis pacem contra Stephani patrui ſapientiſſimi principis conſilium, et ceteris Bathoriae familiae proceribus cum proprio exitio contradicentibus, ac Baltazare cardinali, qui miſere inter illas turbas periit. Nam auctores fuiſſe imprudentiſſimo juveni Sigiſmundo, cujus ingenio [b]Alfonſus Carillus impudentiſſime abutebatur, ut ſe bello detrimentoſo immiſceret, nec agnatorum ſuorum, quod ille ſumma perfidia fecit, ſanguini parceret; et nunc ille, quem Alexandro Magno, ſi Deo placet, comparatis ad adulationem verbis, parem faciebant, probroſa ac damnoſa ipſi ac toti Tranſilvaniae tranſactione, ad vitam privatam, et vix gregario dignam milite, redactus, in vili Bohemiae hypocauſto conſeneſcit. Nec feliciora fuiſſe conſilia, quae Poloniae regi ab initio dederint; quibus effectum, ut ille cum vitae periculo regnum avitum adiverit, et reliquerit, et poſtremo amiſerit, Carolo patruo in ejus locum a Sueciae ordinibus electo. Nec feliciores fuiſſe illi ſecundas nuptias nuper ab ipſis procuratas; poſt quarum celebrationem, regnum, quod antea quieſcebat, ſtatim inſolitis motibus quaſſatum fuit; et in poſterum periculoſiore caſu quaſſatum iri apparet. Quid vero profuiſſe Ferdinando [c] Graecii archiduci eorum familiaritatem et ſuggeſtiones, niſi ut ſe inexplicabili cum ſuis odio implicaret, et praecipuo adverſus Turcos tam vicinos hoſteis ſe praeſidio privaret? Gulielmum [d] Baioariae ducem, dum illis auſcultat, ſenſim quaſi omni re ſpoliatum, non ſine ipſius populorum fremitu, ac publica querela. Monarchiam illos in eccleſia Catholica moliri, etiam pontificis potentiae, quem in ſpeciem tantopere extollunt, ſi occaſio ferat, fraenum imponere paratos, ut eam pontifici ablatam in ſe transferant. Gregorio XIII optimo et indulgentiſſimo ſeni tota vita impoſuiſſe, et largitiones immodicas ab eo emunxiſſe, ac poſtremo pro tot benefactis ridiculo legationis Japoniae choragio morienti illuſiſſe. Moſcovitas urſos albicanteis dirae magnitudinis et ferocitatis [e] Mutinam primum, dein et ad urbem ipſam, tanquam a circulatoribus et agyrtis adductos, ut ſpem magnarum rerum in provinciis illis longe poſitis excitarent. Pari impudentia Clementi VIII cordatiſſimo et moderatiſſimo pontifici operam ſuam venditaſſe, mentione injecta de Silveſtro Aldobrandino, qui poſtea in cardinalium collegium cooptatus eſt, Boſniae creando rege; et jam tum habuiſſe homines paratos, qui Sclavicam linguam ipſum edocerent. Nuper et crebras conſultationes habitas, de rationibus in Perſarum regis ad fidem converſione, quod ſubornato uno ejus e tribus legato de induſtria ſpargi curaverant, ſervandis, et delegatis e ſuo ſodalitio ad ipſum mittendis. Novatores in regnis, in religione etiam, in qua per novationes periculoſius peccatur, nuper et obſoletas et inutileis diſputationes, ut majorem in dies ſui famam excitarent, cum Dominicanis de gratia inſtituiſſe; quarum is exitus fuit, ut ſapientiſſimus pontifex, ut pudori illorum parceret, cum ſecundum eos minime pronunciaſſet, eorum tamen ſententiam aperte non damnaverit. Sed omnem fidem ſuperare, quod nuper tentaverint; ut confeſſiones et abſolutiones per epiſtolas explicarentur, et acciperentur. Quo ſemel recepto inſtitoriam tabernam aperiri, qua ſacerdotes, ſicuti Placentiae nummularii hodie de pecunia, ſic de peccatis contrahant; et, diſcuſſo trajectitiarum confeſſionum Kalendario, delegatae abſolutionis fidem turpiſſima nundinatione cauponentur; cumque ubique adeſſe non poſſint, omne conſcientiarum forum etiam abſentes ambitioſe occupent. Moniti et ab aliis Veneti, ut deinceps ſocietatis mores, doctrinam, et converſationem diligenter inſpicerent.

INTERPR. [a] *Tranſilvanie.* [b] *Alonſo de Carillo.* [c] *Gratz.* [d] *Baviere.* [e] *Modene.*

inſpicerent. Ante L annos in Francia vix unum reperiri potuiſſe, qui doctrinae de ſuprema pontificis ſupra concilium auctoritate aurem accommodaret. Nunc plures eam imbibiſſe. Quid igitur facturos Venetos numero paucos et viribus impares? Habere in ea ſocietate omnium vitiorum genera patrocinium et excuſationem. Habere avaros, quo ſe tueri poſſint, quo ſine ullo conſcientiae morſu ſpiritualia bona nundinentur. Apud ſuperſtitioſos, imaguncuIae exoſculatione omnium virtutum Chriſtianarum exercitationem ſuppleri. Gloriae cupidis, quibus ob fortunae humilitatem niſi per ſcelera non licet innoteſcere, quamlibet ſumma facinora ſanctitatis ſupparo velari. Deſides habere, unde ſalutis ſuae incuriam excuſent, et aliqua in ipſos largitione redimant. Qui nullo Dei metu tanguntur, habere viſibile Numen, cujus cultu dum defunguntur, in religione prae ceteris gloriari poſſunt. Nullum adeo eſſe perjurium, ſacrilegium, paricidium, nullum inceſtum, rapinam, fraudem, dolum, quae diſpenſationis velo pietatis ſpeciem non induant. Itaque mirum non videri, ſi tantos progreſſus ea doctrina faciat, multoſque fautores habeat, quae multorum vitiis et cupiditatibus ſervit. Haec ad invidiam contra ſocietatem tunc in urbe amarulenter jactabantur. Sub id et allatum, quod non mediocriter animos exacerbavit, Jeſuitam quendam Parmae concionantem in profuſos laetitiae apparatus, qui in [a] Bacchanalibus fieri ſolent, graviter invectum eſſe; melius quippe eos ſumptus impendi potuiſſe in bellum, quod pontifex cum Venetis gerebat: qua re offenſum principem, qui aderat, et ſe ſugillari ſentiebat, concionatorem continuo terris ſuis excedere juſſiſſe. Quae propius Venetos tangebant, haec erant, quod arcana imperii et familiarum per confeſſiones eos rimari perſuaſum haberent; quod pueros in ſcholis, adoleſcentes in republica, ab obſequio ſenſim alienarent: nam hoc ſe animadvertiſſe dicebant, ex quo illi Venetiis domicilium fixerant, candidatos, qui magiſtratus ambientes ſenatoribus ſe ſemper antea oſtendere et commendare ſoliti erant, ſenſim cultum illum et demiſſae obedientiae officium intermiſiſſe, et per prenſationes crebraſque per domos itationes ac ſecretas commendationes factioſe rem geri, magno cum ſenatus contemptu et reipublicae periculo; quippe gratia et favore ſingulorum ſibi conciliato, aliquando majus aliquid contra univerſam rempublicam auſuros. Itaque jam tum in decemvirorum conſeſſu, qui totum ſenatum alligat, decretum; Ut ſi, re ad concordiam inclinante, in aliis conditionibus aliquid pro tranquillitate publica remittere cogerentur, in hoc conſtantiam ſervarent, et illorum reſtitutionem, de qua acerrime propugnaturum pontificem apparebat, omnino a pacis negotio ſepararent; rati ſe magnum operae pretium feciſſe, ſi, cum in ceteris ad pontificis voluntatem conſilia ſua inflexiſſent, in eo ſolo vincerent. Itaque probationes de aliis criminibus contra eos confectae, ut haberet ſenatus, quo ſe de negata reſtitutione apud pontificem excuſaret; et eos, quos belli jam accenſi auctores, et porro novarum diſſenſionum ſemper incentores fore putabat, intra viſcera habere non cogerentur. Itaque viſis actis ac probationibus, menſe Junio decretum tandem factum, quo patres exilio perpetuo mulctantur; addito, ne poſthac poſſint reſtitui, niſi ex univerſi collegii ſententia, et acta primum ac probationes in decemvirorum conſeſſu coram CCXXX recitentur, excluſis iis qui pontificiis partibus favere in occulto putantur, et, ex ſex partibus, quinque admittendos illos concordibus ſuffragiis cenſeant. Poſtea et a decemviris ſcitum XV Kalendas Septembreis, ne qui cujuſcunque conditionis, ne quidem foeminae, a quoquam ex illo ſodalitio literas acciperent: ſi quae ad ipſos mittantur, eas continuo, ſi in urbe, ad collegium; ſi extra, ad praefectos deferre teneantur; interdicto omni cum illis commercio, exilii, triremium, mulctationis bonorum additis poenis. Moniti et patres et tutores, aliique, ſi quos in poteſtate habent pueros, qui extra ditionem Venetam in ſcholis Jeſuitarum literis dent operam, ut eos ſine mora domum

INTERPR. [a] *Carneval.*

CIϽIϽCVII. HENRICUS IV.

domum revocent; ni faciant, eaſdem poenas ſe ſciant incurſuros. Adverſus ſocietatem quantum caute reſpublica in poſterum ſe muniebat, tantum in eo laborabat ut patres Capucinos ſanctitate vitae perſpectos, et ab omni ambitu alienos, apud ſe [α] retineret.

XII. Haec male Jouſam habebant, qui in arcano patribus Jeſuitis favebat, arctamque cum quibuſdam ex illo ſodalitio familiaritatem colebat; qui praeterea ſciret, pontificem nunquam in pacem conſenſurum, ſi, cum omnes, qui e ſacro ordine a Venetae ditionis terris, aut ſponte interdicto parentes diſceſſerant, aut dimiſſi fuerant, reſtituerentur, ſoli Jeſuitae ab hoc beneficio excluderentur: nam ad famam et dignitatem ſanctae ſedis et ſuam pertinere, ne qui prae aliis pontificiam cauſam exemplo, voce, ſcriptis, propugnaverant, a pontifice deſeri viderentur. Cum tamen intellexiſſet, pertentato per [a] Fraxineum principis ad concordiam maxime omnium inclinantis animo, potius omne pacis negotium abruptum iri, quam inpraeſentiarum, et quo uſque ſuſpiciones utrinque purgatae eſſent, in reſtitutionem ſenatus aſſentiretur, neceſſitati cedendum ratus, in eo laborabat, ut pontifici perſuadere poſſet, reſtitutionem non tam nunc negari, quam in commodius tempus, cum ſuſpiciones utrinque purgatae eſſent, differri. In ceteris ita conventum, ut Veneti legibus controverſis, de bonis emphyteuticis, in quibus ſacer ordo jus praelationis ſibi vindicabat, de bonis ſoli in favorem ſacri ordinis non alienandis, et de nova templorum conſtructione, non uterentur, quo uſque de iis inter partes conveniſſet; [b] Saracenus et Nerveſae antiſtes, qui carcere attinebantur, in manus delegati pontificii traderentur; edicta contra interdictum facta revocarentur; cuncti ordines qui aut ſponte aberant, aut dimiſſi fuerant, reſtituerentur; a quo beneficio Jeſuitae excluſi intelligebantur: viciſſim pontifex interdictum revocaret, et pacem cum republica coleret. Ea de re Jouſa et [c] Allincurius regii procuratores ſcripto tradito, et ab ipſis ſubſcripto, pontifici reipublicae nomine cavere debebant; et pontifex eodem tempore, quo ſchedulam a procuratoribus acciperet, Jouſae cardinali traditurus erat, qua interdicti revocandi plenam ei poteſtatem faciebat. His conditionibus per bimeſtre cum ſenatu agitatis, Jouſa XVI Kalend. Aprilis Romam venit ſub noctem, ut haberet, quo ſe a ſalutando pontifice eo die excuſaret; et interim cum Allincurio et cardinalibus regi addictis conſultaret, et de ratione conditionum, quas afferebat, inſinuandarum cum iis ageret. Jam res eo devenerat, ut utramque partem diſſidii taederet, et pontifex honeſtam ab armis diſcedendi, non minus quam Veneti, occaſionem quaereret. Itaque Baronius ab initio, ſicuti jactabatur, belli incentor, eodem die, auctore [d] Perrono cardinali ad pontificem alia de cauſa iverat; et mentione adventus [e] Jouſae injecta monuerat, ut benigne ipſum audiret, et ad accipiendas conditiones a rege, qui utiliter ſe huic negotio immiſcuerat, propoſitas ſe componeret; nam publicae exiſtimationis intereſſe, ut cum grati animi teſtificatione regis in hoc diſſidio componendo officioſam curam, et ipſius procuratoris ſedulam diligentiam, pontifici acceptam eſſe cuncti intelligerent. Secundum haec Jouſa poſtridie ad audientiam admiſſus, quid in ea re poſt multas altercationes actum eſſet, quas conditiones a Venetis regis interventu oblatas afferret, quid illi viciſſim peterent, exponit: de Jeſuitarum reſtitutione ſermonem ſuſtinuit, tantumque eam non omnino deſperatam eſſe reſpondit; ceterum ſe viam inveniſſe, quae, ſi ita ſuae ſanctitati placeat, ad eam obtinendam iniri poſſit; quam, cum de reliquis pro prudentia ſua ſtatuerit, ei ſit explicaturus. Noctem inquietam habuit pontifex, et ſummo mane Jouſam et Allincurium ad ſe accerſi jubet,

ut

VAR. LECT. [α] retineret. Et initio Provincialis ad eos reſcripſerat, ut in omnibus reipublicae audientes eſſent, niſi XII fidei articulis; quorum numero comprehendi qui ſupremam pontificis poteſtatem ſpectat, cum Romae minime dubitetur, injecta ipſis neceſſitas ad extremum interdicto parendi. Haec male Jouſam *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *le Sr. de Freſnes.* [b] *Saraceno, & l'abbé de Nerveza.* [c] *de Neufville d'Allincour.* [d] *Du Perron.* [e] *de Joyeuſe.*

ut de ratione reſtitutionis plenius cognoſceret. Sic autem Jouſa ſibi videri dicebat, ſi diploma de revocando interdicto et abſolutione impertienda fidei ſuae committeretur, fore, ut illo Venetiis oſtentato, qui pacis cupidi erant, et numero vincebant, in reſtitutione ſe tractabiliores redderent: nam a temulentis paſſim jactari, pontificem a pacis conſiliis prorſus abhorrere; et dum de pace lente agitur, cuncta ad vim parare, ut Venetos tandem ope Hiſpanorum opprimat. Itaque moderatiſſimos inter eos nullas conditiones, dum per eas ſe ludificari arbitrantur, admittere; qui ſi videant ſerio ſecum agi, in reſtitutionem proculdubio ſint conſenſuri. Non tamen pontifici conſilium Jouſae placuit, et omnino ſtare ſibi dixit, cum Venetis non tranſigere, niſi reſtitutione impetrata; eaque de re patribus fidem ſuam obſtrinxiſſe; nam, quicquid contra obtendatur, non aliam ob cauſam, quam ob ſtrenue ſibi navatam operam, a republica proſcriptos eſſe; itaque velle, ut ante omnia reſtituantur: tum ſi quas habent contra ipſos accuſationes, eas ſervato juris ordine inſtituant. Hoc reſponſo attonitus Jouſa cum ſuis iterum conſultat; et placuit, ut cardinalis Perronus, intermiſſa, quam inchoaverat, diaeta, quod vix ſine valetudinis diſpendio facere poſſe putabatur, ad pontificem ſine mora ſe conferret, et haec capita ab eo impetraret, ut ſi reſtitutio Jeſuitarum, ea, quae a Jouſa propoſita fuerat, via, obtineri non poſſet, mentio ejus in praeſens omitteretur. Si quidem ille Hiſpanos negotio participare vellet, id Venetiis fieret, non Romae; cenſurae Venetiis non Romae revocarentur, ejuſque rei executio Jouſae diplomate committeretur; Allincurius Romae regius orator, ſenatus nomine revocationem cenſurarum peteret, non [a] Fraxineus, qui eodem officio Venetiis fungebatur: formulam, qua Jouſa et Allincurius regii procuratores ſenatus nomine pontifici cavere debebant, pontifex benigne acciperet, et nihil in ea mutaret; quae eodem momento, nec prius, traderetur, quo diploma revocationis interdicti et abſolutionis impertiendae in manus Jouſae conſignaretur; jam nunc declararet pontifex conditionibus his ſe acquieſcere paratum, ſine ulla ulteriore, quae periculum negotio afferre poſſet, in conſiſtorio deliberatione. His autem fere rationibus ad expugnandum pontificis animum nitebatur Perronus; ſocietatis unius ratione totum Chriſtianorum corpus in ſummum diſcrimen adduci, cujus reſtitutio non tam prorſus negabatur, quam in aliud tempus rejiciebatur; in eo laborandum, ut ante omnia pontificia auctoritas Venetiis reſtituatur; quo facto facile futurum, ut Jeſuitae in illo imperio priſtinum locum recuperent. Regem Conſtantinopoli eos primum introduxiſſe; non plus negotii fore in iis per ditionem Venetam reſtituendis. Debere ſuam ſanctitatem prudentia ſua videre, in eodem res ſtatu nunc concurrere, in quo tunc erant, cum Leo x in Germania, Clemens VII in Anglia, religionis cauſam perdidit; in quo erant cum nuper Clemens VIII eandem ſalvam in Franciae regno fecit: in manu ſua eſſe nunc alterutrum in Italia facere, rejectis aut acceptis, quae a rege ferebantur, conditionibus. Per xx annorum immenſos ſumptus, et ſanguinem humanum totidem procliis effuſum, vix per tot caſus et belli pericula conſecuturum, quod jam nunc citra pulverem et cruorem offertur. Eam optimam et ſanctiſſimam fiduciam eſſe, quae a cauſae juſtitia ſumitur; ſed Deum mandaſſe diſcipulis, ut ad ſimplicitatem etiam prudentiam adjungerent. Clementis VII cauſam contra Henricum VIII Angliae regem juſtiſſimam fuiſſe, nec non Leonis x adverſus Germanos; neque tamen eventum reſpondiſſe, et utrobique religionem ſumme labefactatam. Imperſcrutabili divinae providentiae judicio accidere, ut propter populorum peccata, bona cauſa ſaepius periclitetur. Nemini vero notum eſſe, an Deus Catholicam religionem in Italia, et in meliore Europae parte, opprimi ſit paſſurus, ſicuti in Africa et Aſia accidit, ut inde ad Indias [α] transferatur. Tempore popularium morborum ſuſpecto

VAR. LECT. [α] transferatur: hoc abſit a ſanctitatis ſuae principatu. Tempore *MS. Reg.*
INTERPR. [a] *de Freſnes.*

CIↃ IↃCVII. ſuſpecto omneis febreis in peſtem degenerare; ſic per ſciſſuras tempore Sectariae contagionis, in haereſim malum abire. Niſi occaſione utatur pontifex, non unum, ſed

HENRICUS IV. xx ex uno bello per Italiam exoritura, iiſque ſe Sectarios ex Germania rebus turbatis immiſturos. Tunc et eruptura caeca, quae in viſceribus latent, ulcera, et contagione per totum corpus graſſatura; inde Hiſpanos ambitione ingenita, et ipſos tempore uſuros; ac futurum ut ſua ſanctitas hinc inter Sectarios, inde inter Hiſpanos, qui ſe pro auxiliaribus venditabunt, miſerrime et periculoſiſſime conflictetur. Experimento apud nos compertum, in cauſa religionis bellum non niſi cum ſumma difficultate et diſcrimine geri. Henricum III religioſiſſimum principem, qui pace religionis cauſam prudentiſſime promovebat, cum ad infauſta arma capienda compulſus eſſet, non Sectarios tantum, ſed majorem regni partem hoſtilem habuiſſe; ac poſtea eos ipſos infeſtiſſimos expertum eſſe, qui belli incentores fuerant. Ab Hiſpanis proinde intutum, atque adeo exiguum, praeſidium fore; eos fere amicis oneroſos et importunos eſſe. Nec decere bella ſacerdotalem pietatem. Minus igitur prudenter facturam ſanctitatem ſuam, ſi, cum de ceteris convenerit, Jeſuitarum cauſa tantis ſe anguſtiis et detrimentoſis difficultatibus involvat. Eaſdem ſe obtuliſſe, cum primum ad urbem venit, cum Clemente VIII de regis reconciliatione acturus, eaſque ille contemptis infeſtorum ventoſis artificiis et minis prudentiſſime eluſit, quae poſt rem confectam ſtatim evanuerunt. Nunc inter parturiendi dolores ſuam ſanctitatem conflictari, quos ſemel partu levata in laetitiam vertet. Tandem poſt multos ultro citroque non ſine altercatione habitos ſermones pontifex eo devenit, ut, cum Jeſuitarum reſtitutio pro tempore obtineri non poſſet, aliqua clauſula apponeretur, qua minime eorum cauſam neglectam fuiſſe appareret. De loco, quo revocatio interdicti fieri debebat, non minus altercatum, cum pontifex omnino vellet, ut Romae potius quam Venetiis ea fieret; alioqui Hiſpanos, quos ab hac actione minime excluſos volebat, nullam in ea partem habituros; nihilominus adductis in contrarium rationibus victus ad extremum de diplomate Jouſae, ſicuti petebatur, tradendo aſſenſit; quo tamen ille non prius uteretur, quam omnia ſumma feciſſet, ut Jeſuitarum reſtitutionem impetraret. De formula ſchedae quae a regiis procuratoribus ipſi tradenda erat, tandem aſſenſit, ut nihil in ea mutaret. Ad ultimum ſtare ſibi dixit, de toto negotio in conſiſtorio mane agere, ita tamen ut nihil in eo decernatur; tum ſe ſingulorum cardinalium ſententias poſt prandium in privato conclavi exquiſiturum; quas tamen ſequi non teneatur: quod poſtridie et diebus ſequentibus actum. Sub id [a] Caſtrenſis ad pontificem Venetiis dat literas Kalendis Aprilibus, quibus ſe certo compertum habere ſignificabat, ſi in cauſa Jeſuitarum animum obfirmaret, fore ut reſtitutionem a ſenatu extorqueret. Id, paulum abfuit, totum negotium abrupit, niſi Perronus in tempore adfuiſſet, et labantem pontificis animum denuo ad pacis conſilia erexiſſet.

XIII. SED et mox non minor difficultas ab Hiſpanae factionis cardinalibus invecta, an epiſcopi, qui interdictum non ſervaſſent, cenſuris ſublatis ab ea gratia excludi necne deberent: nam ad dignitatem ſuae ſanctitatis pertinere, ut ea comprehenſi non intelligantur, ſed abſolutionem ab ipſo pontifice, ad urbem venientes, petere teneantur. Itaque Perronus tertio ad eum redit, et difficultates illas ab iis, qui turbas quam pacem malunt, moveri multis verbis oſtendit; ac periculum ſubeſſe, ſi epiſcoporum cauſam a reliquo ſacri ordinis corpore dividat, ne ipſi in cenſuras incidiſſe pertinaciter negent; quod ſi accideret, minime ſenatum eos deſerturum; et ita ex ſciſſurae laicae cineribus eccleſiaſticae ſciſſurae incendium exoriturum. Ad haec pontifex aſſenſit, ut Jouſa eos in conſcientia poſſet abſolvere; ceterum diſcedentibus aliquid in aurem inſuſurraturum, quod illos de plena abſolutione ſecuros faciat. Neque propterea Hiſpani quieverunt, ſparſo ſtatim rumore, quem falſo a noſtris aiebant profectum

INTERPR. [a] *de Caſtro.*

profectum, quaſi in traditione captivorum facienda ſenatus proteſtationem interpoſiturus eſſet, eaque in re procuratores regios non ſatis idonee pontifici caviſſe: ſed et hic nodus facile a Jouſa ſolutus eſt, qui ſe non aliter diplomatis beneficio uſurum recepit, quam traditio prius pure et ſimpliciter ſecuta eſſet; eaque de re praemoniturum ante omnia principem, diſcuſſis negotii conditionibus. Poſtremo Hiſpani immodicam ambitionem ſuam renudarunt; cum illud amplius diſturbare non poſſent, quo decus rei, quam omni ratione impediverant, ad ſe traherent, a pontifice petierunt, ut cardinalis Sapata, qui initio diſſidii dignum pontificem, quo magis eum incenderet, aurea ſtatua pronunciaverat, Jouſae comes in executione diplomatis pontificii adjungeretur. Quod Jouſa ſe paſſurum praefracte negavit; potiuſque ab omni actione deſtiturum; neque commiſſurum, ut quiſquam in partem negotii praecipuo regis ſtudio ac diligentia confecti ſecum veniret: ſuam cum regis injuria in hac re eſſe conjunctam. Ceterum nequicquam Jouſam tantopere laboraſſe, et Perronum eloquentiam ſuam in cauſa Jeſuitarum fatigaſſe, poſtea compertum; quippe clam ab Hiſpanis jam re confecta. Leonardus [a] Donatus, obitis pleriſque in Hiſpania legationibus, a Philippo prudentiae et aequitatis ratione ſummo in pretio habitus fuerat, adeo ut in iis quae ad rempublicam minime ſpectabant ejus conſilio interdum uteretur, et multos ſimiles conſiliarios ſibi optaret. Inde occultam erga nomen Hiſpanum contraxerat benevolentiam. Et alioqui reipublicae intereſſe exiſtimabat, ut praepotentem ac vicinum principem placatum haberet. Itaque Hiſpanos huic negotio participare cupiens, cum provideret, ceteris diſcuſſis conditionibus, pro Jeſuitarum reſtitutione acerrime pugnaturum pontificem, et ſenatum nunquam adductum iri, ut in eam conſentiret, ab initio Inicum [b] Cardenam, et poſtea [c] Caſtrenſem in arcano monuerat, apud benevolum pontificem inſtarent, ut haec conditio omitteretur; quod ſi obtinerent, non minores ipſorum in hoc negotio partes quam regis futuras. Quod et illi ſedulo fecere: ſed tecta re, cum omni ratione a regiis procuratoribus pontifex tentari vellet, an ea a ſenatu impetrari poſſet. Regis opera ut neceſſaria utebatur pontifex, in Hiſpanos prono affectu propendebat; quippe qui Philippum vires et opes ſuas in hoc bellum obtuliſſe meminerat, regem tantum rei arbitrium ſibi ſumpſiſſe, et alioqui ad Venetos occulta benevolentia inclinare. Itaque facile ab initio Hiſpani a pontifice impetrarunt, ut haec in gratiam ipſorum conditio remitteretur. [d] Jouſa ſolus accepto diplomate Venetias revolaverat; quo principi oſtentato rurſus, ſicuti juſſus erat, pro Jeſuitarum reſtitutione inſtat, aliter interdictum non revocatum iri. Poſt aliquot altercationes, cum cetera extra controverſiam poſita viderentur, inſtante denuo Jouſa, ſubridens princeps, non eſſe, dixit, cur tantopere de ea re laboraret, quam Hiſpani diu antea confectam dediſſent, et ſibi ea lege ſignificaverant, ne a Jouſa reſciretur; nunc hoc rerum ſtatu ut finis altercationibus imponatur, nihil periculi ſubeſſe, ut id a ſe ſciret; neque ultra pertenderet. Quae ut ab ipſo Jouſa, quicum mihi arctiſſima fuit neceſſitudo, poſtea accepi, ita ſcribo. Igitur poſt traditos ſine proteſtatione captivos, condicta dies ad XI Kalendas Maii, ubi coram principe et XXV primariis ſenatoribus, Jouſa, adducto ſecum [e] Fraxineo, valvis clauſis, voce praeconis interdictum revocavit, et ſenatum, univerſoſque ſubditos et ordines, qui in cenſuras incurrerant, ab iis abſolvit; frementibus pleriſque, qui ſe alios et mutatos mirabantur ab iis qui fuerant Sixto IV pontifice, quo tempore poſt biennii bellum nunquam adduci potuerunt, ut ſe abſolutioni ſubjicerent. Parte alia ſacerdotes, qui tempore interdicti nunquam celebrationem intermiſerant, impartito abſolutionis beneficio, dum de conditionibus eos, qui praepoſiti erant, conſulunt, tam diu a celebratione abſtinuerunt, et ex poſt facto in parte ſatisfeciſſe interdicto viſi ſunt. Id praeſentibus teſtibus actum, et inſtrumentum ea de re a Jouſa confectum, ſicuti et traditionis captivorum, quae ſine ulla proteſtatione facta eſt: quae ille ſtatim ad

INTERPR. [a] *Donato.* [b] *de Cardenas.* [c] *de Caſtro.* [d] *de Joyeuſe.* [e] *de Freſnes.*

ad pontificem miſit. Poſt rem confectam januis reſeratis admiſſus Caſtrenſis, qui de reconciliatione ſenatui gratulatus eſt; qua de re et literas ad pontificem miſit, quibus in Jeſuitarum cauſa, et Jouſam et ſe omnia ſumma feciſſe ſignificabat; ſed rem non tam negatam quam dilatam, quo uſque ſuam ſanctitatem de re omni per oratores ſuos edocuerint, et rationes repugnationis ab interdicti cauſa longe diverſas ipſi approbaverint. Addebat multoties ſenatui oſtendiſſe formulam ſcripti, quod regis ſui nomine pontifici traditurus eſſet, et illud ab ipſis approbatum eſſe; quod ſumma vanitate jactabat: nam conſtat ſcriptum illud ex noſtro, quod a Jouſa et Allincurio pontifici traditum eſt, tranſcriptum, quippe iiſdem verbis conceptum, et ad Caſtrenſem, re cum Hiſpana factione communicata, miſſum, ut pari paſſu in hoc negotio Philippici cum regiis procuratoribus ambulaſſe dicerentur, nihilque in eo rex praecipuum haberet. Poſtremo addebat, ſe et Jouſam conjunctis votis apud principem et ſenatum inſtitiſſe, ut probatoria forma ſcriptum ad pontificem mitterent, quo de confecti negotii ratione ex ipſorum teſtimonio apud omneis conſtaret. Verum illi ſe excuſarunt, cum id a majorum inſtituto alienum dicerent, qui nihil, quod aliquando contra ſe editum interpretatione, vel alio ullo pacto, ipſorum rationibus praejudicare poſſet, ſcripto dare conſueviſſent. Eodem die exiit a principe decretum verbis temperatis conceptum, ad patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos totius ditionis Venetae, vicarios, abbates, rectores eccleſiarum parochialium, et alios praeſules eccleſiaſticos; quo et cenſurarum ſublatarum, et revocatae proteſtationis contra eas ante a ſe factae, fidem faciebat, et de bona inter pontificem et rempublicam concordia, et peculiari principis ac ſenatus tanquam obſequentiſſimorum filiorum erga ſanctam ſedem cultu, eos certiores reddebat. Exeunte menſe in conſiſtorio lectae Jouſae literae, et inſtrumenta ab eo miſſa; ubi et de decreto principali acriter altercatum, quo non ſatis expreſſe ſuperius contra cenſuras factum revocari conquerebatur pontifex; quod alia atque alia ratione excuſatum. Compoſito diſſidio non quievit [a] Fontanus Mediolani prorex; qui copias numeroſas ex ea occaſione ſcriptas cum non dimitteret, ſuſpenſos omnium animos in Italia, quaſi aliquid auſurus, toto reliquo anno retinuit. Nec Veneti ceſſabant, quamvis jam compoſito diſſidio, qui videbant, in regno Neapolitano magnas copias navibus imponendas circa [b] Hydruntum et Tarentum a Philippo ſcribi. Itaque Paulo [c] Scoto comiti Placentino militiae Italicae praefecto datum a ſenatu negotium, ut III peditum CIↃ ad exercitum mitteret, ex mediterraneis praeſidiis veteranos educeret, quae novo milite ſupplerentur: qui omnes, quid aeſtate in viciniis fieret, obſervarent, et ad omneis caſus praeſto eſſent; dein ſub autumnum [d] Cretam portarentur. Claſſi creatus ſummus dux Philippus [e] Paſchalicus, vir expertae prudentiae ac virtutis, qui jam ſuam peculiarem triremem egregie inſtruxerat: cum ſummo item imperio praepoſitus [f] Zacyntho, Cephaleniae, et Corcyrae, ac ceteris in [g] Aegeo inſulis, Hieronymus [h] Capellus.

XIV. Interim nefarius contra Fr. Paulum Servitam conatus exitu caruit. Ex probationibus poſtea factis conſtitit [i] Rodolfum Pomam, Michaëlem [k] Vitum ſacerdotem, qui Venetiis in aede S. Trinitatis ſacra faciebat, Alexandrum [l] Parraſium Anconitanum, conjurationis auctores fuiſſe; conſilio primum Venetiis, dein et Romae [α] cum quibuſdam communicato, ſed ignaro pontifice: ſic enim ſenatus dici et credi volebat, nec non et ipſe Fr. Paulus. Ii vero [m] Joannem Pauli filium Florentinum, qui in cohorte Bartholomaei [n] Nievi Vicentini militaverat, navibus in Syriam et Alexandriam Aegypti profecturis deſtinatum, et Paſchalem [o] Bitontium, qui aliquandiu [p] Patavii ſub Joanne [q] Trogliono Anconitano meruerat, ſubornant, qui caedem patrarent.

VAR. LECT. [α] cum cardinali Borgheſio communicato, *MSS. Reg. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *de Fuentes, gouverneur de Milan.* [b] *Otrante, & Tarente.* [c] *Scoti.* [d] *Candie.* [e] *Paſqualigo.* [f] *Zante, Cefalonie, & Corfou.* [g] *l'Archipel.* [h] *Capello.* [i] *Ridolfo Poma.* [k] *Viti.* [l] *Parraſio d'Ancone.* [m] *Jean de Florence fils de Paul.* [n] *Nievo Vicentino.* [o] *Bitonto.* [p] *Padoue.* [q] *Troglioni.*

patrarent. Cum igitur Fr. [a] Paulus cum [b] Fr. Marino ex ponte [c] S. Fuſcae deſcenderet III Nonas Octobreis, ſole ad occaſum vergente, ſuum ad monaſterium pergens, ſicarii acinacibus et ſcloppetis armati in nihil tale cogitantem irruunt; Marinoque prehenſo, ne opem ferre poſſet, tribus graviſſimis ictibus in facie et in collo feriunt, et acinacem unum in vulnere relinquunt; ſcloppetis ad ſummovendam turbam, quae undique ad facti atrocitatem concurrebat, diſploſis. Quo facto, ad ſocios, qui eos in navigio x remorum ad id inſtructo in litore opperiebantur, ſumma celeritate ſe conferunt, et inde citato curſu in Ferrarienſe territorium deſcendunt. Poma jam antea ſuos liberos e ditione Veneta deduxerat, et obſides Jeſuitarum ſocietati et Poſſevino dederat; per eoſque, ſicuti jactabatur, ſceleſto homini ſpes facta [α] fuerat, ut debita ſua in [d] Apulia reciperet. Nec mirum, cum libris editis reges extra eccleſiam poſitos impune interfici poſſe doceant, ſicuti in Gallia ante aliquot annos accidit, ſi homines ingenio infirmo ad monachi caedem ſuaſionibus ſuis auctoraverunt. Decemviri ſexto poſt die decretum fecere; quo Poma, dein Vitus et Parraſius, extra territorium deportantur, ſine ſpe ex quacunque occaſione reſtitutionis; et praemium IV ducatorum CIↃ, ei qui illos, ubicunque nactus, occiderit, idem de Joanne Florentino et Paſchali Bitontio additum, et praemium CIↃ ducatorum propoſitum. Poſtea ſenatus IV Kal. Nov. Rev. Patr. Pauli Servitae sereniſſimae reipublicae theologi, cum inſigni pietatis doctrinae et vitae inculpatae elogio, patrocinium ſumit; et ſi qui auſu nefario tale quid, quale nuper, tentaverit, quiſque ad opem ferendam praeſto eſſe jubetur; et qui ſicarium occiderit, duorum millium ducatorum pretium, qui vivum ſtiterit ſumma duplo major, ex bonis occiſi aut capti, aut, ſi in bonis non habeat, ex aerario ſtatim exſolvatur. Id publico praeconio in urbe et tota ditione promulgatum. In aſſerenda Fr. Pauli ſecuritate ſenatus caute ſervavit, ne quid diceretur, fieretve, quod pontificem poſſet offendere, et recenti adhuc vulnere, cicatricem, quo minus coiret, impedire; ſevere prohibitis, qui de ea re ſpargebantur, et porro ſpargi poterant, libellis. Et ſane ſummae prudentiae fuit, poſt compoſitum diſſidium, in poſterum proſpicere, ne novis ſubinde ſcriptis, dum alii cenſurarum gravitatem et poteſtatem verbis ad terrorem compoſitis extollunt, alii ad cauſam ſuam tuendam earundem praecipitem atque adeo injuſtam violentiam ad contemptum elevant, animi irritarentur, et cineris vix tandem ſopiti fomes denuo ſuſcitaretur: ceterum tanti negotii, ubique ſparſis rumoribus et libris utrinque editis diſſeminati, quod totum biennium ſuſpenſos omnium animos toto Chriſtiano orbe tenuit, ſilentium imperare, et oblivionem velle inducere, humanae poteſtatis eſſe nemo dixerit. An divina vice prohiberi potuerit, viderint, qui ſciunt Deum rerum a conditu mundi geſtarum fidem primum per prophetas, dein et per alios, incorruptam, quantum fieri potuit, ad poſteros tranſmitti voluiſſe; et ita cuncta ad ſuam gloriam diſpoſuiſſe, ſtatuiſſe, et imperſcrutabili ſapientia ordinaſſe, ut rerum quas evenire permiſit veritatem taciturnitate obrui, et oblivionis tenebris ſepeliri, noluerit. Ut mihi vitio verti non debeat, qui nunquam ſciſſuram in orbe noſtro jam nimis multipliciter ſciſſo fovendam exiſtimavi, et res ad concordiam adduci quotidianis apud Deum precibus ſemper optavi; ſi pro neceſſitate muneris, quod mihi ad publicam utilitatem impoſui, contentionis in luce et publico hominum theatro tamdiu agitatae ſeriem bona fide expoſuerim, quam cum alii exacerbatam mallent, rex anxia ſolicitudine componendam curavit; ut vel ea ratione tantae rei memoriam extingui non oportuerit, ne rex ſua laude defraudaretur.

CIↃIↃCVII. HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *Fra Paolo.* [b] *Fra Marino.* [c] *ponte de Sta Foſca.* [d] *la Pouille.*

VAR. LECT. [α] fuerat, ut commendatione cardinalis Borgheſii debita ſua *MSS. Reg. Put. & Rig.*

JACOBI

# JACOBI AUGUSTI THUANI
# HISTORIARUM SUI TEMPORIS
## LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS OCTAVUS.

### EPITOME.

*MAGNI Etruriae ducis auſpiciis ad intercipiendam Hipponam in Africa expeditio ſuſcepta. Urbis ſitus. Locus, quod ſervari non poſſet, direptus: et ingens praeda parta.* II. *Bellum in Mauritania inter Mule-zidanum et Abdalam geſtum.* III. *Marochenſes, Mule-zidani et Abdalae jugum pertaeſi, Mahametem magno conſenſu regem proclamant.* IV. *Gambolatus in Aſia res turbat. Serdar purpuratorum princeps in eum ducit.* V. *In Polonia periculoſe tumultuatum. Multa inter Proteſtanteis ſeditioſe acta. Contra comitia Warſaviam indicta proteſtantur. Querimoniam in Jeſuitas ſuperiore anno inſtitutam renovant. Ordines regni ad Warſaviam conveniunt. Proteſtantes, qui in armis erant, a regiis magna clade affecti.* VI. *Carolus Suecus in Livonia Wiſſenſteinium munitiſſimam arcem deditione capit.* VII. *In Hungaria ob legationem Byzantium deſtinatam, et huc uſque retardatam, res in incerto. Naveſela a Colonitio recepta. Heiducorum et Tatarorum excurſiones.* VIII. *Legati Perſici ad aulam Hiſpanicam adventus. Idem legatus Pragam ad Caeſarem venit, ut eum a pace cum Turcis facienda dehortaretur.* IX. *Comitia per has turbas Poſonium indicta. Habitus et eodem tempore ab Auſtriae proceribus Viennae conventus. Heiduci rurſus turbas movent. Budnocum expugnant. Ab Homonaio male mulctantur. Inſtigatu Budenſis et Agrienſis purpuratorum ad Filecum irrito conatu caſtra ponunt.* X. *In Franconia Herbipolenſes ex levi occaſione praeſulis ſui auſpiciis contra Wertheimicos, qui Jo. Theodoricio comiti Lovenſtenio ſubſunt, bellum movent.* XI. *Sub id et Donaverdae majore mole tumultuatum. Suevici circuli principes et urbes Ulmam conveniunt.* XII. *In Anglia rex novam jurisjurandi formulam perſcribendam curat. Pontifex ad Catholicos in Anglia ſcribit, et monet, ne jusjurandum ullatenus praeſtarent. Bellarmini et Blackwelli archipresbyteri contraria ſcripta. Magnae Britanniae rex apologiam pro juramento fidelitatis ſcripſit: ad quam a Bellarmino reſponſum. Prodigioſae in Anglia inundationes.* XIII. *Infelix navigatio ad Virginiam in India Occidentali ab Anglis ſuſcepta. Rex, poſt tot clades nihil deterritus, novas rurſus ſocietates inſtituit.* XIV. *Pugna navalis in freto Gaditano, in qua Jacobus Hemskerkius occumbit.* XV. *Duae Batavorum naves ex India Orientali revertuntur. Decennalis mercatorum ſocietas claſſem* XIII *navium egregie inſtructam, in Indiam ablegat.* XVI. *In Belgio nova ſeditio in caſtris Albertinis excitata. Henricus Mauritii frater in Sicambros deſcendit, et Herclenium oppidum vi captum crudeliter diripit.* XVII. *Interim pacificationis fundamenta jaciuntur. Miſſi in Bataviam ab archiducibus qui Ordinum animos pertentarent. Haud multo poſt, Jo. Neius, generalis Franciſcanorum ordinis curator, itidem venit. Eorum mandata, et ad ea Ordinum reſponſum. Induciae pactae. A regibus Galliae et Angliae aliiſque principibus legati, qui huic negotio intervenirent, miſſi.* XVIII. *In formula renunciationis et ratihabitionis Philippi Hiſpaniarum regis magnae difficultates ſubortae.*

EX AUCTORIBUS,

*Expeditionis Africanae relatione, Inſulani literis, Rerum Polonicarum et Germanicarum relatione MS. Libris de juramento fidelitatis publicatis, Gaſpare Ens, Pompeio Juſtiniano, Imm. Meterano, Dominico Baudio de induciis belli Belgici.*

LIBER

# LIBER CENTESIMUS TRICESIMUS OCTAVUS.

EX inſtituto magnus Etruriae dux Ferdinandus expeditionem in [a]Africam ſuſcepit, ad intercipiendam et vaſtandam [b] Hipponam. Urbs eſt unius aut paulo amplius diei itinere hinc a [c] Tunete, hinc a [d] Julia Caeſarea diſſita, quae valido praeſidio Turcico tenetur: colli amoeno inſidet, mare verſus aſſurgenti, et ſcopulis horridis contra fluctus vallato; et turreis crebras ab ea parte habet, ut ad eam vis facile fieri nequeat. Qua terram reſpicit, montibus et ſubjectis campis expoſita eſt. Seſquimilliare in circuitu patet, valido muro crebris turribus firmato circumdata; et tribus portis intratur: ad arcem haud hinc longe urbi imminentem una ducit, ſecunda mediterranea reſpicit; tertia mare et planitiem. Parvae in ea domus, numero non minus bis mille, tecto plano conſtratae, ita continuo, ut per illud de domo in domum itari poſſit, viis anguſtis et anfractuoſis pro foſſa infra vallatae, ut perpetuum munimentum appareat, ac proinde expugnatu difficile. Nullus ad explicandas copias in urbe locus; tantum ad Moſcheam breve quoddam ſpatium relictum, cetera domibus tota occupatur. In urbe VI CIϽ capita numerantur, fere inopes inquilini, moribus horridis, ſine cultu ac diſciplina, et ex ferocitate ſtrenui, ac vitae contemptores; tantum pecore, equis, et camelis abundant; rarum aurum, ac gemmarum minus inter eos; ciſternas complures habent. Cum luſtrant copias, ex urbe et circumpoſitis locis IV armatorum CIϽ comparent, partim Turci, partim Afri. Ager laetus et hortis ac fructibus fertilis: inter urbem et arcem IϽ paſſuum ſpatium interjacet, quod ſepulchris Turcorum huc illuc ſparſis conſitum eſt. Arx urbem ſupra poſita a pulcherrimo proſpectu mare deſpicit, ſpatioſa, et validiſſimo muro turribus crebris itidem diſtincto firma, quae ab LXXX Turcis praetorianis ſervabatur: domus in ea humiles, ut Hipponae, et CC in ea capita. Praefectus domum amplam et periſtylio ornatam habitat, cui optimae aquae ſubeſt ciſterna. Urbs olim beati Auguſtini natalibus et epiſcopatu nobilis; cujus reliquias, poſtquam a Vandalis tandem capta eſt, aliquandiu poſſedit. Expeditio ſuſcepta Coſmi principis auſpiciis, eique praepoſitus [e] Silvius Picolomineus, vir expertae virtutis, et militiae S. Stephani coneſtabilis. Thalaſſiarchi munere fungebatur Jacobus [f] Inghiramius Volaterranus. Bis mille ad eam delecti, qui triremibus et V citerioris noſtrae [g] Britanniae navibus, quibus Gul. [h] Guadagnius eques Hieroſolymitanus imperabat, portabantur. Ultra eos CC circiter ex primaria nobilitate [i] volones et veterani, quibus praeerat [k] Fabritius Coloredus Lunigianae prior; et univerſae militiae vexillum geſtabat Aeneas Picolomineus Silvii filius. Ii [l] Liburno ſolverunt III Kalendas Septembreis: et ante omnia a Ferdinando mandatum, ut Amurathem, qui vicinum litus cum IX biremibus diſcurſans cuncta infeſta faciebat, diligenter indagarent, et ad perniciem perſequerentur. Itaque primum ad [m] Ilvam, et in ea [n] Portum-ferratum facta exſcenſio. Ubi de Amurathe, miſſis circum, qui de eo cognoſcerent, nihil compertum; impoſito in claſſem milite, Sardiniam verſus curſum tenuerunt, et ad [o] Cavum Pullae appulerunt: cognitoque haud hinc longe XX naveis in anchoris ſtare, ad eas miſſa [p] ſpeculatoria; ex qua reſcitum, Belgicas eas eſſe, quae ante tres menſeis [q] Caralim venerant, ut inde ſalem exportarent. Eidibus Septembribus

INTERPR. [a] *Barbarie.* [b] *Bonne.* [c] *Tunis.* [d] *Alger.* [e] *Silvio Piccolomini Sienois conneſtable de l'Ordre de St Eſtienne.* [f] *Inghirami de Volterra amiral de l'Ordre.* [g] *Bretagne.* [h] en Ital. *Guadagni.* Il eſt François, mais la maiſon eſt originaire de Florence. [i] *venturieri.* [k] *Fabrizzio Coloredo priore della Lunigiana.* [l] *Livorno.* [m] *Elba.* [n] *Porto-Ferrajo.* [o] *Cavo della Polla.* [p] *felouque pour eſpier.* [q] *Cagliari.*

CIƆIƆCVII.

Henricus IV.

Septembribus inde digreſſi, ſub tertiam vigiliam [a]Galitam felici curſu venerunt; quo ante triduum Britannicae naves appulerant, et reliquam claſſem opperientes in anchoris ſtabant. Poſtridie, habito belli ducum concilio, coneſtabilis militem navibus impoſitum ad triremeis tranſire jubet, relicto in iis idoneo praeſidio: tum, ordine rei gerendae expoſito, munia inter tribunos et alios belli duces diſtribuit: tum, quod minus ſperabatur, coelo admodum ſereno, poſt ſacrum celebratum, ſumma cum animi alacritate, et certa ex ea victoriae fiducia, Galita ſolvunt hora duodecima. Sub veſperam hora XXII teſſeram belli ducibus dat ſancti Auguſtini nomen, cujus et nunc templum ſemidirutum ſupra urbem memoriam ſervat. Inghiramius ſic curſum inſtituit, ut ad locum exſcenſionis, qui putabatur, hora noctis ſexta, appulerit: verum a ducibus viae deerratum fuerat; itaque duae horae loco reperiendo inſumptae, tam humili in eo vado, ut per ſcaphas et celoces exſcenſionem fieri oportuerit: qua in re rurſus multum temporis effluxit; ut non prius quam albeſcente die res confieri potuerit; quod ut noctu fieret, ab initio convenerat. Quod aliquam perturbationem primo occurſu attulit, quod de ſucceſſu plerique deſperarent. Verum coneſtabilis, qui rem quavis ratione tentandam cenſebat, meticuloſis, gradum ſi accelerarent, in tempore venturos affirmabat, audentioribus, etiam in luce aperta vim faciendam certa vincendi ſpe ſuadebat: et, ſi ex voto conatus non ſuccederet, errorem nautarum pro excuſatione habituros. Itaque XVI Kal. Oct. in prima acie incedebat Guadagnius cum [b] Caſtoviello, Langlado, et tormentariis, qui crepitacula portabant, cum [c] Santandreano, quem ſequebantur [d] Agliottus et Digaronus cum III ſcalis; quibus ſingulis L delecti ex omni numero deſtinati erant. Pone eos agmen [e] Viminius regulus ducebat, cui adjunctus Aſcanius [f] Baldellus cum ſua cohorte: qui omnes IƆXL delectos efficiebant. Ubi ad bivium inter urbem et arcem ventum, Guadagnius, cui arcis expugnandae cura commiſſa fuerat, ad dextram deflexit, reliquae copiae ad urbem iter perſequuntur; in quarum fronte Joannes [g] Brancadorus jam incedebat, cum [h] Guidobaldo fratre, et tormentariis qui crepitacula portabant, et Petro [i] Guiſcardo harum rerum perito; iiſque adjunctus [k] Hugolinus Bariſonius exercitus curator cum XVI delectis. In media acie erat coneſtabilis cum ſuis, et Ambroſio [l] Bindio tribuno, qui centurionis majoris munere fungebatur. Poſt eum Flaminius [m] Colleſcus cum ſua cohorte, et iis qui crepitacula admoturi erant; [n] Carolus Penna ſequebatur cum ſua ſcala, et poſt eum Franciſcus [o]Aliſanus cum ſua altera. Tum ordine incedebant cum ſuis cohortibus Aurelius [p]Paſſerinus et Hieronymus [q]Gualterus, qui ſecum trahebant tormentarios apparatum neceſſarium portanteis; iiſque pro centurione erat Jo. Andreas [r] Ricchelmius. Ultimum agmen claudebat [s] Coloredus cum equitum turmis et volonum, cui adjunctae Franciſci [t]Nelli et M. Antonii [v] Placidi cohortes, quibus pro centurione inſerviebat Petrus [w] Jacobus Fratta. Ordine incedentes jam clara luce non omnino ignaros et imprudentes oppreſſerunt, quippe ante XX dies ſparſa fama de adventu claſſis Chriſtianae, et moniti a [x] Biſertino quodam navium fabro [y]Hipponenſes, ut ſibi caverent. Guadagnius eodem tempore admotis crepitaculis ad arcis portam, tribus aliis locis per ſcalas ſuos jubet aſcendere: quod feliciter utrobique factum. Quo conſpecto a noſtris ad urbem tendentibus alacritas addita; et ſubito pro muris et ad portam obviam defenſores in armis comparuerunt, jam ſignis in arce erectis territi. Tormentis initio res acta; tum, propinquantibus et S. Auguſtini nomen et victoriam ingeminantibus, Brancadorus primus muro ſuccedit, dum Guidobaldus ad portam crepitaculum admovet: qua aperta, ipſe cum



INTERPR. [a] *alla Galita.* [b] *Caſtovielli, Langlado, & i bombardieri.* [c] *il capitan di S. Andrea.* [d] *Agliotto, & Digaron.* [e] *Barone di Vimini.* [f] *Baldelli.* [g] *il capitan Brancadoro.* [h] *il cavalier Guidobaldo.* [i] *Ghiſcardo.* [k] *Ugolino Bariſoni commiſſario.* [l] *Bindi.* [m] *Colleſchi.* [n] *Carlo della Penna.* [o] *Alſani.* [p] *Paſſerini.* [q] *Gualtieri.* [r] *Ricchelmi.* [s] *il cavaliero Coloredo.* [t] *Nelli.* [v] *Placidi.* [w] *P. Giacomo della Fratta.* [x] *de Biſerta.* [y] *ceux de Bonne.*

CIƆIƆCVII. HENRICUS IV.

Antonio [a] Ricciardello, Octavio [b] Adamo, et Tuſcanio irrumpit; et poſt acre certamen, Brancadori fratris cohorte ſuperveniente, ſauciatus, tamen ſuos retinuit, quouſque [c] Colleſcus, qui ad portam mediterraneam crepitaculum admoturus incepto aberraverat, per eandem portam intravit, et laborantibus praeſto fuit. Tum per ſcalas vis facta, et mox confractae ſcalae, ne hoſti uſui eſſe poſſent, [d] coneſtabili ubique interim diſcurſante et praeſentia ſua animos militi faciente; qui per [e] Guiſcardum, quem volones ſequebantur, ad portam mediterraneam crepitaculum admoveri juſſit: qua aperta et praeſidio firmata, idem Guiſcardus ad portam marinam tendere juſſus cum tormentariis, per quam jam plerique Mauri et Turci natatu evaſerant, aut aquis hauſti fuerant. Turci reliqui ad turrem in mare deſpicientem ſe contraxerant, ex qua jam ingreſſis noſtris ſe ſtrenue defendebant. Itaque a coneſtabili [f] Inghiramio mandatum, ut totam claſſem ad murum, proxime quam fieri poſſet, admoveret, et inde diſploſione repetita Turcos infeſtaret; quod et ſubito factum; et tandem Turci intus et extra petiti locum deſeruere. Tunc et Joſephus [g] Cardinalinus triremem Liburnenſem ad eam partem, ad quam ſe Mauri et Turci jam magno numero aggregaverant, admovit, ut eos infeſta diſploſione diſſiparet. Interim, poſt non exiguum certamen, in quo praefectus arcis ipſe interfectus eſt, Guadagnius loco potitus ſtatim tormenta e muris dejici jubet, omni apparatu flammis conſumpto; quae inde per nautas juſſu coneſtabilis ad naves deducta ſunt. Ad [h] Moſcheam adhuc ſtrenue a defenſoribus in urbe certabatur. Eo miſſus Julius Caeſar [i] Machiavellus cum [k] Aliſani cohorte; qui tandem inde eos dejecit. Marcellus [l] Cavaceppius [m] Caroli Pennae vicarius per anguſtos calleis eodem vadens, ut ſe cum Brancadoro conjungeret, ex domibus circumpoſitis infeſtatus, ex ſuis Julium Caeſarem [n] Ranerium centurionem amiſit: ex ſuis et Brancadorus Herculem [o] Pavam, et Antonium [p] Velium. [q] Paſſerinus ad portam mediterraneam praeſidio idoneo firmatam ſubſtitit. Equitum et volonum, qui per portam marinam intraverant, agmen ſe cum [r] Nellio conjunxit. Heic [s] Bindius tribunus [t] Placidum, qui magnum virtutis ſuae ſpecimen eo die dederat, portae ſecundae praefecerat; et Jacobum [v] Caponium Nellii vicarium, et [w] Bettinum Ricaſolium centurionem, ad locum deſignatum tuendum amandaverat: Colleſco item et [x] Gualterio ſuum locum aſſignaverat. Inde per urbem diſcurſans non ſine aliquo locis pleriſque certamine, quod et idem coneſtabilis cum ſuis fecit, averſis hoſtibus aut in domos compulſis plena victoria potiti ſunt. Graviter ſauciati in illa diſcurſatione Flaminius [y] Ubaldinus, Coſinus [z] Roſſia, et [aa] Politianus Soares, ordinum ductores. Portis praeſidio firmatis noſtri poſt ſex horarum certamen ad praedam verſi; et qui in arce erant, ea depraedata et abductis captivis, ad urbem venerunt. Interfecti in urbe circiter CCCC, in arce LXX. Ex noſtris perierunt Carolus [bb] Gabrielius Romanus, Vincentius [cc] Pallerius et Panhormitanus equites, Franciſcus comes [dd] Brancalconius Piobbicus, Gaſpar [ee] Alemannus, Aſcanius [ff] Baldellius, Simo [gg] Amicius, Thomas [hh] Thomaſſius Anconitanus, ordinum ductores, [ii] Santoſemius, Muſanus. Capta XII ſigna et V aenea tormenta, nam reliqua feſtinato diſceſſu relicta ſunt: captivorum omnis ſexus et aetatis capita numerata ſunt CIƆ IƆ, quae Britannicis noſtratibus navibus impoſita ſunt: eodemque die, quod locum ſervari ſpes non eſſet, hinc [kk] Tunete, hinc [ll] Algeria tam vicinis, et diuturnior in eo mora periculo non careret, cum tota claſſe ſolvit, et V Kal. Oct. [mm] Liburnum appulit,

INTERPR. [a] *Ricciardello.* [b] *Adamo, & Toſcani.* [c] *Colleſchi.* [d] *Piccolomini grand conneſtable.* [e] *Ghiſcardo.* [f] *Inghirami.* [g] *Giuſeppe detto il Cardinalino.* [h] *la Moſquée.* [i] *Machiavelli.* [k] *il capitan Alſani.* [l] *Cavaceppi.* [m] *Carlo della Penna.* [n] *Ranieri.* [o] *il cavalier Pave.* [p] *Veli.* [q] *Paſſerino.* [r] *Nelli.* [s] *Bindi.* [t] *Placidi.* [v] *Capponi.* [w] *Bettino Ricaſoli.* [x] *Gualtieri.* [y] *Ubaldini.* [z] *Roſſia.* [aa] *Polizziano Soarez.* [bb] *Gabriello Romano.* [cc] *Palleri, & Pallermitano.* [dd] *Brancaleoni del Piobbico.* [ee] *Alemanno.* [ff] *Baldelli.* [gg] *Amici.* [hh] *Tommaſi di Ancona.* [ii] *de St. Offeme, & de Mouſan François.* [kk] *Tunis.* [ll] *Alger.* [mm] *Livorno.*

CIƆIƆCVII. appulit, diſploſis in plenae victoriae ſignum in appulſu tormentis; et mox in majore
HENRICUS IV. urbis templo divorum Ambroſii et Auguſtini hymnum decantari juſſit, et mortuis in ea expeditione publicis precibus parentavit.

II. DUM haec agerentur, res in utraque Mauritania maxime turbabant, quindecim menſium ſpatio, tribus cruentiſſimis proeliis commiſſis inter Mule-Zidanum Feſſae regem, cui reliqui fratres Hametis filii ſe conjunctis conſiliis et viribus opponebant, et [a] Abdalam Mule-Muhametis Checi filium, qui patris auſpiciis bellum gerebat, vixque tunc XXIV annos natum, virtute annos ſuperante. Zidanus cladis anno proximo exeunte V Eid. Dec. ab Abdala acceptae cauſam errori tormentariorum imputabat, qui fere Angli et Batavi erant. Nam inſtructa utrinque acie, cum Zidanus in fronte L machinas collocaſſet, in quibus praecipuum rerum ſuarum robur impoſuerat, bombardarii e tumulo editiore non bene collimantes, diſploſionem ita inſtituerant, ut ictus ſepties et octo vicibus repetiti hoſtilem aciem ſupervolarent, et paucos laederent. Quo animadverſo Abdala cum duobus equitum agminibus per medios ruit, et noſtros, qui ad machinas ſtabant, primo impetu ſternit, et agmen majorum ſcloppetariorum a tergo poſitum per latera vi facta ſolvit, nam ſariſſophoris carebat; et ceteros nec opinato caſu territos in fugam conjicit. Nox ſtatim praecipitans, quippe jam proxima bruma, ulterius perſequendi hoſtis victori commoditatem eripuit, et Zidano tutum receptum praebuit, qui ad Nomadas ſuos in montana inter [b]Atlantis confragoſas crepidines cladem ſuam per otium ſolatus eſt; occaſionem opperiens, quo erat infracto ad calamitates animo, conſilia et coepta repetendi: quae non diu tardavit, alternante fortuna, et a victore ad victum tranſeunte, aliena potius quam propria Abdalae culpa. Poſt ſuperiorem ſucceſſum, junior princeps erga militem indulgentior, ſatrapas habebat, Alcaidas vulgo vocant, et belli duces plus ſe inſoleſcenteis, qui nihil non praerogativa aetatis in conſpectu principis audebant et faciebant. Ipſe ab iis perſuaſus XI ex primariis provinciae et magnis clientelis ſubnixos de medio tollendos curaverat. Tam diri jugi impatientes Marochenſes, ex deſperatione conſilium capiunt, et clam Zidanum victum auxilio advocant, eique portas urbis VIII Eid. Mart. aperiunt. Ingreſſus cum IƆC delectis equitibus ope Marochenſium, domos Feſſanae factioni addictorum diripit; et, quos comprehendere potuit, ad unum omnes jugulat. Ad hunc ſtrepitum Abdala, qui in propinquo exercitum habebat, ſubito in caſtra pergit, optime munita: utrinque latera canali profundo tegebantur; a tergo arcem, quam adhuc tenebat valido praeſidio, habebat; frontem XX machinarum objectu firmaverat. Verum irae impotens, ſive hoſtis contemptu, ad urbem deſertis caſtris ducit, cum XVI CIƆ majorum ſcloppetariorum, quatuor equitum CIƆ, et omni machinarum inſtrumento; et callem anguſtum oblongum inter moenia et foſſas hortorum locis illis crebras cum peditatu ſubit, equitatu ad latera juxta locis impeditis incedere juſſo. Ubi ad callis, leucam integram longi, exitum perventum eſt, cum ſeriatim adhuc incederent, nequedum patente loco ſe explicuiſſent, in CIƆ delectos recenteis incidunt, qui inordinatos acri impreſſione fundunt: tum, ex moenibus detonantibus tormentis, rurſus confuſi in callem anguſtum compelluntur, et vix ſe fuga multis occiſis in caſtra receperunt. Equitatus, crebra tormentorum clavis et ferreis quiſquiliis oneratorum diſploſione infeſtatus, cum in fugam ſe ſubito dediſſet, in ſuos revolutus non minore clade peditatum quam hoſtis afflictavit. Zidanus ſtricto gladio eos perſecutus eſt, dum interim inde ab urbe, inde ex hortis, in quibus majores ſcloppetarii ſepibus et muris tecti latebant, quaſi undique circundati ad exitium exponerentur. Itaque plerique ſcloppetos abjecerunt, et vix ex toto illo numero VI CIƆ ſuperfuerunt, ex quibus tria CIƆ ad arcem receptum habuerunt,

INTERPR. [a] *Muley Abdala.* [b] *Montagne d'Atlas.*

habuerunt, quae jam bis CIↃ tenebatur. Abdala cum equitatu, quem colligere potuit, Feſſam ſe contulit. Victor Zidanus cum totis viribus ad arcem vim facturus, deditionem praeſidiariis, vitam et res ſalvas pollicitus, imperat; qui cum recuſaſſent, admotis mox XL machinis, proditione ejeratorum per locum negligentius cuſtoditum irrumpit. Quo cognito, obſeſſi arma ſubito abjiciunt, et ſupplices in templum, regum ſepulchris religioſum et inviolabile creditum, confugiunt. Zidanus arcis potens, ſicuti jactabatur, in memoriam revocans, ſe ante aliquot annos in ſummo diſcrimine ab iiſdem deſertum, injuriam antiquam ultus eſt, quaeſito tamen ex alia cauſa colore, quod illi virgines, foeminas, per vim ſtupris foedaſſent. Itaque coacto judicum concilio, ut erat in diſciplina ſeverus, et in publica adminiſtratione juris et aequi obſervantiſſimus, eos morti addicit: totoque XV dierum tempore cuncti carnificis manu, ſpectantibus Marochenſibus et oculos vindictae avidos paſcentibus, vitam amiſerunt. Quod ſive ſeveritatis, ſive potius immanitatis exemplum, non tantum aequat, ſed illud ſuperat, quod [a] Albani juſſu a Friderico filio [b] Harlemi in Batavia patratum eſt, quod odium irreconciliabile plus re alia omni contra Hiſpanos in animis popularium accendit; de quo ad annum CIↃ IↃLXXII diximus. Poſtea Zidanus cum Abdala, qui interim exercitum novum inſtauraverat, ſecundo infeliciter pugnavit; et Marochum rurſus deſerere coactus, et ad ſuos Nomadas confugere. Victor, dum errorem aliorum emendare conatur, et Marochenſium ſibi benevolentiam conciliare, fruſtra implorata Checi patris, matura aetate et profunda prudentia viri, praeſentia, tandem improbitate ſuorum victus, bona Marochenſium ſuſpectorum in urbe et in agris inter belli duces dividere coepit. Qua nova injuria illi irritati denuo, ut ſunt mobilia Afrorum ingenia, de defectione conſilia inierunt; et non Zidanum toties victum, ſed Muhametem Hametis abnepotem, qui in montanis proximis latebat, et ſpectator uſque ſederat, clam ſolicitant. Ille, cognito Abdalam matri ſuae Marochi manus injeciſſe, et a captiva grandem pecuniam efflagitare, delatae Marochenſium benevolentiae occaſionem minime ſibi negligendam cenſuit; et qui hactenus quieverat, collecta manu ſub portas urbis ſpecie repetendae matris quotidie excurrebat. Eum inſecutus Abdala primo congreſſu profligavit. Nomades, ad quos ſe Muhametes receperat, Abdalae incurſiones et praedas continuas pertaeſi, denuo Muhameti novas vireis ſubminiſtrant. Is igitur, reſumptis viribus et animis, palanteis hoſteis et in praedas effuſos, qui ter mille numerum explebant, cum ſuis locorum gnaris intercipit, et fundit. Qua re irritatus Abdala cum robore exercitus contra Nomadas ducit, relicta ſine praeſidio urbe.

III. VIX ille IX leucas progreſſus fuerat, cum clandeſtinae cum Muhamete conjurationis duces populum alloquuntur; et vana ſpe humanitatis Abdalam Marochenſibus poſt victoriam illuſiſſe dicunt, cum militem extra urbem in caſtris tenuit; nam non minus propterea Alcaidas et belli duces graſſari, qui novas ſubinde agrorum diviſiones ab adoleſcente licentiae aſſueto impetrant: nunquam miſeriarum finem fore, quamdiu ipſe et Checus pater rerum potientur: tempus veniſſe, quo ſe in libertatem vindicent: adeſſe in propinquo Muhametem, cujus parentem injuſtiſſime Abdala detinuerat, qui Nomadas, quos placatos habere publicae tranquillitatis intereſt, ſecum conſentienteis et amicos trahit; eum auxiliatorem et liberatorem a Deo oblatum proinde amplectantur. Ad quae verba populus ſubito arma capit, et munimenta tumultuaria e materia et terra per vicos excitat, magnoque conſenſu Muhametem regem proclamat. Ad quem nuncium, omiſſa contra Nomadas expeditione, e veſtigio Abdala ad urbem revolat, et Alcaſovam, quae eſt primaria arx urbis, intrat; ſtatimque praeconis voce edici jubet, cuncti ſuis partibus addicti intra quatriduum

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.* [b] *Haerlem.*

CIƆ IƆCVII. quatriduum ſe parent, ut ſe Feſſam profecturum ſequantur. Quo tempore tormenta

HENRICUS IV. aenea omnia et bellicum apparatum foras educit, et, omni pretioſa ſupellectile ſecum aſportata, poſt IV dies inſtructis ordinibus ad iter ſe accingit, nullo hoſtilis animi indicio aut injuria oppidanis facta; quod aliter atque aliter multi interpretati ſunt. Nam generoſum principem poſt tot proſperos ſucceſſus in aetatis aeſtu, qui toties Zidanum invicti animi imperatorem viciſſet, ad inexperti juvenis adventum ſubito recedere plerique admirabantur. Alii denuo acrius pugnaturum ad novas copias comparandas domum abire dicebant. Alii rurſus, ut praeſentia ſua, quod hactenus precibus et per literas fruſtra tentaverat, a patre impetraret, ut Marochum ſecum veniret; et, repreſſa ſatraparum et belli ducum inſolentia, benevolentiam civium recuperaret. Sed ſuperſtitio Checum ab itinere revocabat, quod illi ab aſtrologis, quibus multum Afri tribuunt, praedictum eſſet, ſi [a] Taſouti amnem, qui utrumque regnum dividit, et trium dierum itinere a Marocho abeſt, tranſiret, fore, ut intra annum moreretur. Quod idem et Hameti parenti praedictum fuerat; nec exitu caruerat. Haec ex [b] Inſulani, qui Marochi tunc erat, ad me literis, et aliis, quas, poſtquam in Hiſpaniam venit, ad regem dedit.

IV. Nec minus res interea in Aſia turbabant, ubi Gambolatus, qui [c] Alepi erat, cognito Amurathae [d] Serdaris purpuratorum principis, qui cum C armatorum CIƆ exercitu ad Perſicum bellum proficiſcebatur, in Aſiam proximo adventu, veritus ne haec tempeſtas in caput ſuum recideret, ad defenſionem quam melius poterat ſe parabat; et, ultionis de regulo quodam Perſa in Euphratae confinio ſumendae colore, exercitum inſtruit, excurſioneque illac facta, totum agrum vaſtavit: inde Alepum ſe recepit, tantum XX bellatorum CIƆ penes ſe retentis, et reliquis ad vitandam ſuſpicionem per loca idonea diſpoſitis. Jamque Serdar Conſtantinopoli profectus propinquabat, et non recta ad Euphratem, ſed, flexo ad dextram itinere, Alepum tendebat. Ipſe officioſe ad eum mittit, et, ſenſu injuriae et patrui indigna caede, quae fecerit excuſat; ceterum ſe Sultano ſemper obſequentiſſimum fuiſſe, ac porro in poteſtate ipſius futurum: neceſſitate extrema coactum, ut inimicorum conatibus praeverteret, milite armato latus tegere; cum quo paratus ſit pro Sultano quo jubebit tendere, et vitam ac ſanguinem pro ejus imperio profundere: tantum hoc tempore ſuſpecto purpurati ad ſe adventum deprecari; in ceteris jubeat, imperet, decernat quod velit, ſciatque ſe ad omne obſequium Gambolatum paratum ſemper habiturum. Eadem ſemel atque iterum, cum non reſponderet Serdar, deprecatio repetita, copioſo commeatu cum grandi pecunia et equis ad purpuratum miſſis, quae ille accepit; neque propterea iter intermiſit. Itaque Gambolatus, ex ſuperioris anni ſucceſſu fiduciam capiens, ad extrema ſe parat, et cum rebellibus in Aſia, quibus ſe [e] Calenderus Oglius ducem praebuerat, foedus init; convenitque inter eos, ut non vireis jungerent, ſed ad [f] Tauri radices a tergo Serdaris, cui Alepum tendenti montes illi neceſſario ſuperandi erant, cum toto robore ſubſiſterent, commeatus ſubvectionem impedientes: ipſe ab adverſa parte aditus inſidere et tranſitu prohibere venientem decreverat; et ubi in planitiem deſcendiſſet, quod cum tanto exercitu non niſi confuſis ordinibus facere poterat, protinus cum recenti et ordinato milite cum eo confligere: periculum ſuum totum futurum; ipſos qui a tergo ſequebantur, ad partam victoriam venturos, et decori ac praedae participaturos. Hoc conſilio cum XV equitum CIƆ et V CIƆ peditum Alepo exit, et ad pedem montis, qua Serdar venturus putabatur, caſtra metatur. Quo cognito Serdar alium exſcenſioni locum quaerit, cui rurſus Gambolatus caſtris relictis ſubito occurrit; et cum parte exercitus jam deſcendentis feliciter primo conflixit, fuſoſque hoſteis in montana compulit. Fatigatos certamine diurno

INTERPR. [a] *Taſout.* [b] *de l'Iſle.* [c] *Alep.* [d] *Serdar premier Viſir.* [e] *Calender-Ogli.* [f] *Mont Taurus.*

diurno ſuos ut reficeret, paulo longius conceſſerat, unde poſt noctem exactam ſummo mane inſtructis ordinibus ad hoſtem vadit, quem jam magna ex parte deſcendiſſe comperit; et in planitie aciem inſtruentem nactus, magnis animis aggreditur, et poſt acre proelium multis occiſis fundit fugatque: tanto ſucceſſu ſive inflatior ſive negligentior redditus, quippe qui crederet totum robur exercitus profligatum, tantumque miſeras reliquias ſupereſſe, quas poſtridie nullo negotio deleturus eſſet. Igitur nox inter luſus et militarem laſciviam exacta, milite genio indulgente, et quaſi parta plena victoria ſecuro. Verum die ſequenti albeſcente longe alia facies apparuit, toto exercitu in planitie ad pugnam inſtructo; in quo Serdar, qui [a] Aſiaticum equitatum parum ſtrenue rem geſſiſſe ſuperioribus diebus, et multum numero imminutum, animadverterat, eo amoto et in poſteriores ordines rejecto, Europaeum, atque adeo Thracicum, in fronte conſtituit, praeter Turcorum inſtitutum, qui in prima acie equitatum provinciae, in qua pugnatur, ſemper locare conſueverunt: delectos circa ſe retinuit, cum praetorianorum [b] praefecto et quatuor circiter mille ad fortuita ſepoſitos. Heic Gambolatus minime ſe deſeruit, et poſt acre cum Europaeis et poſtea cum Aſiaticis certamen, illoſque ad extremum diſſipatos, dum feſſis ſuis ad colligendos ſpiritus ſpatium capit, incumbente praetorianorum praefecto, et mox Serdare, cum ſuis recentibus, cum nullum ſtrenui ducis officium omiſiſſet, poſtremo caeſus, et in fugam conjectus eſt. Ad Alepum cum receptum habuiſſet, arcem novo milite et commeatu firmavit; et ſub auroram cum ter mille, qui ſe eadem ex ſtrage aggregaverant, in tutum ſe ſubducit, deviis itineribus, ut de eo victor Serdar pleriſque ad inſequendum miſſis vix diu poſt cognoſcere potuerit. Praeſidiarii, quos in arce reliquerat, ex heri ſui calamitate occaſionem captantes, in ſubjectam urbem vim faciunt, eamque per triduum diripiunt; quod indigne ferentes oppidani, jam remittente praedonum furore, arma capiunt, et praeda onuſtos in arcem compellunt, et Serdarem victorem ad ultionem vocant, patentibus portis. Admiſſus ille continuo praeſidiarios obſidet; et ad extremum deditione capit. Calenderus, qui ad alterum Tauri latus eventum rei opperiebatur, caſu cognito, ſenſim cum ſuis in Aſiam ſe recepit, nullo terroris aut infracti animi ſigno dato; et in Bithyniam deſcendens [c] Pruſiadem haud longe a regia urbe intercipit et vaſtat: quod adeo Sultanum percuſſit, ut omne ſtatim robur tam praetorianorum, quam aliorum, quos penes ſe habebat, eo miſerit duce Ageno purpurato, ut injuriam ſub oculos acceptam inſigni ſeveritatis exemplo ulciſceretur. Verum is ſubito ſe ſubduxit, urbe non ſolum direpta, ſed magnam partem ignibus cremata, et cum Gambolato vireis et conſilia ex foedere conjunxit.

V. In Polonia et hoc anno periculoſe tumultuatum, renovato ſuperioris anni Proteſtantium et aliorum ad libertatem proclamantium cum rege Sigiſmundo diſſidio, et ſuſpicionibus ex recenti matrimonio auctis. Nam cum [d] Rokoſſani, quos vocant, quibus duces ſe praebuerunt [e] Januſſius Ratzivilius, et diſpar moribus, ſed virtute bellica clarus, [f] Statniskius, viderent comitia ſuperiore anno promiſſa differri, regem in armis eſſe, et ipſi in armis comparuerunt, ſed milite utrinque male inſtructo. Ad [g] Proſlovicum IV a Cracovia milliaribus cum conſediſſent Proteſtantes, rex Cracoviam, cui illi inhiabant, novo praeſidio munit, et machinas ex armamentario extractas per loca idonea urbis diſponit. Multa inter Proteſtantes tumultuario et ſeditioſe acta; eoque furor uſque crevit, ut de novo creando rege ſit injecta mentio; et Vincentius Mantuae dux tantum gratia inter eos valebat, ut, ſi res ad electionem deveniſſet, in eum nobilium ſuffragia concurſura plerique crediderint. Interim contra

INTERPR. [a] *cavallerie de la Natolie.* [b] *Aga des Janiſſaires.* [c] *Bourſe.* [d] *Rokoſchains* ou *Malcontens.* [e] *le duc Januſch Ratzivil.* [f] *Stadniski.* [g] *Proſznowice.*

CIϽ IϽCVII.
HENRICUS IV.

contra comitia Warſaviam indicta proteſtati ſunt, ea illegitima eſſe, neque quenquam decretis, quae in iis fierent, teneri ſtare: contra [a] Rokoſſum, ſive nobilium conventum, legitimum eſſe, et ſumma prudentia coactum, et continuatum: foederationem religionis cauſa initam, invito ſacro ordine conſtituendam ac firmandam: ex bonis eccleſiaſticorum, qui opibus confiſi ceteros pedibus calcant, partem delibandam, et inter nobileis diſtribuendam; ipſos vero, ſicut alii ſolutae conditionis, oneribus regni ſubjici debere. Repoſita inter haec in Jeſuitas ſuperiore anno inſtituta querimonia, prolixo ſcripto, quo in Jeſuitarum praefervidam ſatagendi in rebus civilibus diligentiam, omnium turbarum, quae multis abhinc annis regna turbarunt, invidiam rejiciunt, repetita a concilio Tridentino mali origine: illo nihil ad doctrinam, quam Catholici toto terrarum orbe tenent, adjectum; nihil ad diſciplinam, niſi ex ſuperiorum ſynodorum ſanctionibus petitum; cetera ad pontificis et curiae Romanae potentiam in majus amplificandam, et nuperas ea de re conſtitutiones, quae nuſpiam terrarum receptae ſunt, ejus auctoritate firmandas, ſpectare. Promulgationem proinde ejus tantopere urgeri, inſtigantibus Jeſuitis, qui in cauſa religionis plus conſiliis humanis, quam providentiae divinae, tribuunt; in eam rem foederationes fieri, adfinitates contrahi, et ex numeroſa Auſtriaca familia filias principibus, quos ſibi conciliare cupiunt, elocari; jamque totam Poloniam et [b] Vindeliciam his artibus in poteſtate habere patres, ſed ad illas cuneum addi viſum illis neceſſarium, aut Hiſpanicam inquiſitionem, aut aliquid huic ſimile. Id autem concilio Tridentino contineri: ex quo, tanquam ex fatalis hoc aevo Pandorae pyxide, his libri ſcriptor verbis utitur, cunctae calamitates inteſtinae evolantes per Europam ſe effudere. Neque tamen tantum in ipſo concilio mali latere, quam in exemptionis ratione et modo, quem ſibi Jeſuitae ſumunt, et prae aliis arrogant; tantoque artificio in ea laborant, ut illorum diligentia ac ſolertia formidabilis merito Polonicae nobilitati eſſe coeperit, et omnibus populis qui leges patrias ſervant, et in avita libertate conquieſcunt. Hinc, nec aliunde, turbarum in regno excitatarum materia praebita; ſiquidem ſic illi adfectata comitate, et in procerum tractandis ingeniis accommodata diſciplina, ſe gerunt, quo eos ad obedientiam ſuam inflectant; ut cum toti in Polonia eſſe, neque praeter illam aliud cogitare videantur, acuti gladii et ancipitis, quo utuntur, tantum laminam in vaginam heic reconditam habeant, ceterum capulum Romana aula, et Hiſpanus, a quibus dependent, manibus ſuis teneant. Hinc tot indulgentiis et extraordinariis [α] conceſſionibus a ſancta ſede donatos eſſe; hinc, cum cuncta large polliceantur, cuncta ubique ſe poſſe glorientur, in regias invadere, a ſacris confeſſionibus eſſe, ac poſtremo regum mentes ac voluntates pro libidine circumagere, plerumque infelici ſucceſſu. Illos Henricum primo Poloniae regem, cum ad regnum ſucceſſione delatum reverſus eſſet, regno et vita tandem exuiſſe. Sic ſereniſſimo regi regni aviti amittendi cauſam extitiſſe: ſic miſerum Bathorium ad nefanda contra ſuos conſilia incitaſſe, et ad vitam privatam tanto faſtigio indignam poſtremo adegiſſe. His auctoribus tot initas regina Eliſabetha in Anglia conjurationes, tot rurſus horrendas Jacobo rege; quarum is exitus fuit, ut, exaſperatis principum ingeniis, latentium Catholicorum, et in patientia libertatem ſervantium, duriorem conditionem reddiderint. Nuper et pontifici conſilium dediſſe, qui [c] Venetiis, Patavii, et aliis in Venetae ditionis urbibus, ſcholas et collegia habebant, ut ſereniſſimam rempublicam diris devoveret, ſolicitatis ad defectionem ceteris ſacris ordinibus. Nunc tot ſcholas, tot collegia vectigalibus ampliſſimis ditata, in Polonia cum poſſideant, merito verendum eſſe, ne quod in Italia, Gallia, et apud multos principes minus cautos illi conati fuerint, idem apud nos aggrediantur. Prudentiſſime

feciſſe

VAR. LECT. [α] conceſſionibus, ſupra quam ceteri ſacri devotorum ordines, a ſancta ſede *MSS. Reg. Put. & Rig.*

INTERPR. [a] *Rokoſch.* [b] *Baviere.* [c] *Veniſe & Padoue.*

feciſſe Samoſcium virum et virtute praeſtantem, et charitate erga patriam inſignem, et literarum amantiſſimum, qui, cum academiam in urbe cognomine fundaret, Jeſuitas non admiſit; quippe qui eos ad juventutem in patriae diſciplina formandam et literis inſtruendam non idoneos judicaret. Cum hoc vir ſapientiſſimus fecit, nobis reliquiſſe documentum, quod ſequamur; et cum eo perſuaſum habeamus, literas, contra quam a pleriſque magno errore creditur, his hominibus carere poſſe. Eos proinde ut reipublicae noxios, ad inſtitutionem puerilem in literis inutileis, ſi pacate vivere cupiunt, Polonos decreto publico ejicere debere; et ampliſſima vectigalia, quae poſſident, ſcholis antiquis et xenodochiis aſſignare; ejectis autem cavendum, ut nullo caſu aut occaſione rurſus admittantur. Hoc ex eo praeterea conſecuturos, ut ſacrum ordinem in regno praepotentem, et qui artificioſe illorum factione ac prenſationibus in nobilitatem concitatur, placatiorem deinceps ſint habituri. Haec et alia tunc invidioſe in eos diſſeminata; atque in conventu nobilium agitata magno opinionum aeſtu: et cum etiam ex iis quidam non ita erga Jeſuitas male animati eſſent, poſt longas altercationes inter tumultuanteis convenit, ut non regno prorſus ejicerentur, ſicuti ab aliis petebatur, ſed intra ſcholas coercerentur, ut juventutis inſtitutioni, in qua utilem operam navare videbantur, deinceps vacarent: unus tantum in aula, qui regi a ſacris confeſſionibus eſſet, retineretur. Jamque Maius inſtabat, et regni ordines Warſaviam ad comitia undique conveniebant. Eo legatos ſuos miſit Joachimus Brandeburgicus ſeptemvir, Boruſſiae dux; qui a IƆ Heiducis, quos illis rex ad ſecuritatem attribuerat, deducti, inter [a] Soldaviam et Radzivicam haud longe a [b] Thoruna a diſcurſante nobilitate Rokoſſani conventus male mulctati ſunt, equis curribuſque indigne ſpoliati. In iis comitiis Brandeburgico Boruſſiae principatus ſucceſſio confirmata, ſalvis provinciae libertatibus et privilegiis, ac regi ſuo jure. Heic et agitatum de Rokoſſanis negotium, qui cum ſub Warſaviae conſpectum in armis veniſſent, dum ultro citroque commeant, et rex ad pacem inclinare videretur, et, niſi eccleſiaſtici obſtitiſſent, ſicuti jactabatur, multa Proteſtantibus concedere paratum oſtenderet, regii inſcio rege in ſecuros nobileis movent, et nihil tale cogitanteis magna clade afficiunt, tormentis et curribus eorum magnam partem captis, ceteroſque in fugam conjiciunt. Magna fiducia illi arma ceperant, et in caſtris XVI Kalendas Junias inſignis magnitudinis vexillum erexere, cum hac inſcriptione, Aut Deo et patriae cum univerſis libere victuri, aut, relictis ſub ſervitutis jugo transfugis, adulatoribus, et mancipiis, ſoli ſe ſuoſque in libertatem vindicaturi; aut, ſi Deo ita viſum, in libertate morituri, quae utroque vitae et mortis caſu ſemper pia et juſta eſſet futura. Tanto in ſpeciem pietatis et libertatis ſtudio inflammatis, clade ad Warſaviam accepta animi ſubito conciderunt; nihilque ab eo tempore tale moliti ſunt, et quiſque domum, libertate antea in regno permiſſa uſuri, conceſſerunt.

VI. DUM Sigiſmundus domi angeretur, in finibus a Sueco patruo grave damnum accepit, Wiſſenſteinio amiſſo, quod ante quinquennium a Samoſcio captum, Poloni ab eo tempore tenuerant, et egregie muniverant: ſitus ipſe, coenoſae circum paludes, fluvii et reſtagnantes aquae, locum primo aſpectu inexpugnabilem reddebant: arx vero propugnaculo, turribus, alto vallo, pomoerio lato, muris praealtis, et tormentorum numero, intus firmata; ad haec accedente valido praeſidio, praefecto ſolerti juxta ac ſtrenuo, et oppidanis erga Polonicum nomen bene affectis. Haec omnia fiduciam regi fecerant, ut Suecus, qui infeliciter hucuſque obſidiones tentaſſet, ab ea cum damno repelleretur. Verum ille occaſione captata, de ſuppetiis a rege ſeditionibus domeſticis implicito ferendis ſecurus, per otium res ſuas ordinat, et producto per vias ſtratas vallo, et notato loco, verſus ſeptentrionem, ubi agger humilior erat, ad eum verberationem dirigere ſtatuit; munitaque probe ad illum via, ut ſibi videbatur,

INTERPR. [a] *Soldaw*, *&* *Radzivich*. [b] *Thorn*.

CIↃ IↃCVII. videbatur, eo tormenta deduci jubet: ſed, cedente ob paludes voraginoſo ſolo,
HENRICUS IV. inanis labor fuit, quippe cum per illud jumenta veſtigium figere non poſſent. Sed rurſus per otium, nemine foris impediente, caeſa multa ac congeſta materia, et ramorum ac foliorum multitudine ad iter complanandum, quaſi per pontes tormenta ad eam partem, quod minime praeſidiarii rebantur, ad vallum deduxit; eoſque inopinata et arcta preſſos obſidione, cum nulla auxiliorum ſpes eſſet, ad extremum ad deditionem compulit. Quo facto Suecus res ſuas, in Livonia valde labefactatas, non mediocriter in ſpem melioris in futurum ſucceſſus, pro tempore erexit. Jam ante, cum videret Sigiſmundum domeſtica ſeditione implicatum, ad ordines regni Poloniae literas dederat XVI Kal. Aprilis, quibus ſignificabat tandem, et poſt rem omni exquiſita mora protelatam regnum ab ordinibus Sueciae delatum accepiſſe; neceſſitate ad id et charitate erga patriam compulſum feciſſe, cum Sigiſmundus nullas conditiones toties ipſi oblatas acciperet, et ſpreto avi teſtamento, et in regni comitiis interpoſito a ſe jurejurando violato, multa feciſſet, multa conatus eſſet, ob quae Sueciae ordines ipſum regno abdicaſſent; ejus abſentia factum, ut multa confuſe, multa contra leges in Suecia admitterentur; pravorum, qui circa eum ſunt, conſiliariorum aſtu ſcire cunctos id fieri, qui et in ipſo Poloniae regno res in ſummum diſcrimen adduxerint: ſe vero nihil antiquius, nihil magis in votis habere, quam colere pacem cum vicinis, ut a fundendo Chriſtiano ſanguine deinceps abſtineatur: eam offerre; quam ſi recuſent, proteſtari de calamitatibus inde ſecuturis, et Deum ardentiſſimis precibus obſecrare, ut non ſibi, qui ab iis abhorreat, ſed belli auctoribus et incentoribus imputentur. Cum ad has literas non reſponderetur, alteras III Nonas Maias dat, quibus ſuperiores ab infeſto ſacro ordine, qui eas nobilitatem artificioſe celaverit, ſuppreſſas conqueritur; denuo ſe pacem exoptare et offerre dicit, et exemplum priorum mittit. Ad ipſum Sigiſmundum quoque ſcripſit, et Eidibus Martiis extrema neceſſitate victum, tandem regni inſignia ſolemni inauguratione ſumpſiſſe ſignificat; neque tamen putare, ea re quidquam factum quo jura amicitiae et conſanguinitatis violaſſe merito dici poſſet. Optaſſe ſe ſemper ab initio, ut ipſe regno paterno pacate frueretur, illudque adminiſtraret juxta pacta cum Sueciae ordinibus conventa; quibus ipſe propria manu ſubſcripſerat, et ſigillum majus apponendum curaverat. Cum tamen iis ſtare nollet, idem ipſi eveniſſe quod pleriſque principibus, qui, cum plus pravis conſiliis quam fidei datae tribuerent, in calamitates inextricabileis ſe tandem induerunt. Id periculo ſuo nuper expertum eſſe in ipſa Polonia, ubi, dum plus juſto eccleſiaſticis auſcultat, periculoſas in ſe turbas concitavit. Proinde hortari eum, ut deinceps melius conſultus ad pacis conſilia animum inflecteret, et fundendi humani ſanguinis cunctas occaſiones devitaret. Iis literis et ſuas adjunxerant ordines Sueciae, ad regem et Poloniae ac Lithuaniae ordines; quibus regis culpa, et eorum qui circa eum ſunt, factum conteſtabantur, cum pacta Lincopiae conventa et ſolemni jurejurando firmata minime ſervaret, et e regno intempeſtive diſceſſiſſet, Polonos, Lithuanos, et Livonos contra Suecum armaſſet, ut de rege creando cogitaverint, et Carolum patruum elegerint: nihilominus ſe pacem velle, et, ut conditionibus conveniatur, petere ut delegati ab utraque parte ad utriuſque regni fineis mittantur; id ſi recuſent, orare Deum, ut piaculum tam diri belli in caput eorum recidat, qui excitandi cauſa exſtiterint. Cum neque ad has literas reſponderetur, Carolus VII Kalendas Septembreis diploma emittit, quo de latore ſuperiorum literarum intercepto conquerebatur, quibus Sigiſmundum et ordines Poloniae et Lithuaniae ad pacem hortabatur: nunc notum cunctis eſſe cupere, ſe pacem denuo velle, et antiquas utriuſque regni foederationes paratum renovare: ſi ipſi delegatos ſuos ad locum ditionis imperialis, de quo convenerit, cum plena poteſtate mittant, ſe quoque ſuos miſſurum,

ut

ut de pacis conditionibus quamprimum tranſigatur, et fundendo ſanguini finis imponatur.

VII. In Pannonia proxima propter legationem Byzantium deſtinatam, et inſita ſeu ſegnitie ſeu livore Rodolfi Caeſaris in fratrem Matthiam proximum heredem huc uſque retardatam, res in incerto erant; Heiducis, qui Germanorum jugum impatienter ferebant, ſemper aliquid interea moventibus; quibus illorum odio, et ut vireis noſtras per diſſenſionem dividerent, Turci in occulto favebant, et obſides noſtros ea de cauſa durius habebant. [a] Naveſela ſub id ſecreta pactione, et pecunia numerata, a Sigefrido [b]Colonitio recepta III Eid. Februarias. Crebrae inter haec et infeſtae excurſiones; de quibus primi Turci, qui occaſionem captabant, per [c] Budenſem purpuratum apud Matthiam conquerebantur, [d] Leovenſeis et Setſchinenſeis praeſidiarios, etſi induciis cautum eſſet, ut ab excurſionibus abſtineretur, in Peſtanos inſtitores irruiſſe, multos ex iis interfeciſſe, magnamque pecuniae vim ereptam, CC equos, et pecudum magnum numerum abegiſſe; ad Caniſam vero, et medio inter [e] Hatvanam et Budam itinere, aliquot Turcos ſpoliatos, et poſtea trucidatos. His rationibus ſuas depraedationes excuſabant. Nam ſub id Tatari nullo injuriae genere temperabant; et, cum Budenſis purpuratus, qui ſe a pace non alienum oſtendebat, obſides noſtros antea in cuſtodiam datos liberius expatiari ſineret, praetoriani ipſum circumſiſtunt, vixque ſeditione ab ipſis excitata ſe extricavit, comprehenſis quibuſdam, et per noctem in Danubio ſuffocatis. Interim Tatari multos equos in paſcuis ad Vaciam, ipſis oppidanis qui exierant trucidatis, abegere. Ex [f] Ratſciis et CCL, qui Georgio Baſtae ſuperioribus annis militaverant, ſub id ad Turcos defecere; agrorum aliqua parte circa [g] Strigonium accepta, quam colendo et exercendo ſe ſuſtentarent,

VIII. Causas autem affectatae a Caeſare procraſtinationis, praeter eas quas memoravi, indaganti una occurrit e tempore nata, legati Perſici ad aulam Hiſpanicam adventus. Is literas ad Philippum attulit, quibus Perſa, oſtentata imperii ſui magnitudine, poſt receptum Tauriſium, quod fruſtra Turci repetunt, et [h]Adenum emporium famoſiſſimum in ſinu Arabico, quod Solimanus olim per proditionem occupaverat, recuperatum, decreviſſe ſe dicit bello irreconciliabili reliquias perſequi, et nomen Oſmanicum omnino delere; nec prius quieſcere, quam ſedem Iſmaëlis et [i] Inchelis majorum ſuorum in [k] Babylonia et [l]Alcairo armis ſtabilierit, et ſe Damaſci, atque adeo Aegypti, dominum effecerit. Ad id foedus cum ipſo et ipſius familia potentiſſima expetere, ut, quamvis religione diſſideant, contra communem hoſtem vireis et conſilia ſua conjungant. Jam ad ſuos in mari Orientali praefectos mandaſſe, ut Chriſtianos qui [m] Goae, Ormucii, et aliis locis ſunt, eadem praerogativa, ac privilegiis, quibus ſubditi ſui gaudent, porro uti frui ſinant. Literis adjuncta munera, imagines Iſmaëlis, Inchelis, et ſua ipſius auro fuſa, pretioſiſſimis gemmis et unionibus diſtinctae; menſa lucubratoria Perſica inſignibus gemmis ornata; IV canes rubri, flavi ac coerulei coloris punctulis ab alvo materna mirum in modum variegati; tapetes bini auro et gemmis ac margaritis magni pretii intertexti, qui res geſtas magni Tamerlani oculis ſpectantium exhibent; cornua IV venatoria admodum levia ac nitentia, ex materia nobis incognita; criſtae XII ex variarum avium multicoloribus plumis eleganter concinnatae; pocula item vitrea ſex ex vitro quod frangi nequit; ac poſtremo lectuli ex tapetibus mirando artificio ſellae formam referentes, qui proelia inter Uſſancaſſanem et Chas-Murathem pugnata ob oculos repraeſentabant. Idem legatus ex Hiſpania Pragam venit cum literis ut Caeſarem a pace cum Turcis facienda dehortaretur, cum Philippus jam ſuarum exemplum ad ipſum miſiſſet; iiſque

INTERPR. [a] *Neuſol.* [b] *Colonich.* [c] *le Baſſa de Bude.* [d] *ceux de Lewa, & Setzchin.* [e] *Hatwan.* [f] *Raſciens.* [g] *Gran.* [h] *Aden.* [i] *Inkel.* [k] *Bagdat.* [l] *le Caire.* [m] *Goa, & Ormuz.*

CIↃIↃCVII. | HENRICUS IV.

iiſque factum plerique arbitrabantur, ut ille, ad tarditatem naturalem accedente nova hac remora, profectionem legatorum tamdiu diſtulerit, quod ipſi ad extremum in exitium vertit.

IX. Comitia Hungariae per has turbas [a] Poſonium indicta fuerant, quo regni proceres magno numero convenerant ineunte Septembri; ubi cum aliquandiu Matthiam non venturum reſciviſſent, non ſine fremitu de diſceſſu cogitare coeperunt, vixque tandem ab archiepiſcopo [b] Coloſſenſi retenti ſunt. Dum Poſonii haerent, res incidit [c] Troppaviae in proxima Sileſia, quae eorum animos non parum commovit; [d] Gisbergico milite a Caeſare in ſuburbium immiſſo ſe intemperanter gerente: nam oppidani cum ad arma concurriſſent, etiam conducto milite, tandem hoſti potentiori cedere coacti ſunt, et certis conditionibus deditionem fecere; cumque menſeis aliquot in eo fuiſſent ſine ſtipendio, indignatione an per laſciviam incendium immiſerunt, quo fere totum oppidum arce excepta miſere depaſtum eſt. Habitus et eodem tempore ab Auſtriae proceribus Viennae conventus, in quo Caeſareus orator multa ad provinciae defenſionem neceſſaria propoſuit: inprimis, ut [e] Javarino proſpiceretur, a quo Viennae et ceterorum Auſtriae propugnaculorum ſalus dependeat; et ratio ineatur, ut pecuniae, ſicuti accidit apud nos, valorem augendi invaleſcens licentia cohibeatur; Hungarica Polonicaque moneta, aliarum omnium uſu abolito, retineantur. Cum nec adhuc poſt longam moram compareret ad comitia Matthias, proceres Poſonio tandem diſcedunt; primum proteſtati coram majoris templi ſodalibus, non temerario auſu, ſed extrema neceſſitate compulſos, domum abire; redire quamprimum paratos, ubi certa dies comitiis condicta fuerit; et decretis, quae in iis fient, ſtare, modo nihil contra capita anno ſuperiore IX Kalendas Quintileis probata decernatur. Solutis comitiis non propterea Heiduci quieverunt; et, licet Budenſi et Agrienſi enixe a Sultano a bello Perſico ſibi metuente mandatum eſſet, ne quid hoſtile molirentur, clam iis inſtigantibus et animos facientibus, ut poſtea ex literis interceptis conſtitit, arma denuo capiunt; et dum ſuperioris [f] Pannoniae ordines Eidibus Octobribus in conventu deliberant, de [g] Tocaia ſuae ditioni inſerenda, et tormentis huc illuc ſparſis ad idonea loca transferendis, atque adeo de Heiducorum excurſionibus fraenandis, ipſi contra Germanos et Gallo-Belgas furtivam conjurationem ineunt; repetita ab Homonaio corona, qua Boſtkaium olim inſigniverant, eam aut ipſi, aut cuivis alii imponere parati, qui jura regni, libertates et privilegia, quae Auſtriaci ad arbitrium quotidie violabant, conſtanti fide tueretur. Cum Homonaius ſe excuſaret, et juxta Boſtkaii, cum in extremis ageret, praeceptum, in Caeſaris ſe poteſtate futurum oſtenderet, illi ad [h] Santandreanum caſtrum profecti, cum non admitterentur, ad Budnocum deflectunt, locumque expugnant, tanta ſaevitia ubique graſſati, ut nec ſuarum partium hominibus parcerent. Inde infeſtae ad Tocaiam excurſiones; in quibus ab Homonaio male mulctati ſunt, graſſatoribus inter anguſtias deprehenſis, atque ad unum fere trucidatis, et captis duobus vexillis Turcicis: capti et ex iis quidam qui ſtipitibus impoſiti ſunt. Ipſi Heiducorum duces, cum facti ſuppuderet, ne latrociniis publicis indulgere viderentur, in duos ordinum ductores, qui ſe ex Homonaii manibus extricaverant, ſevere animadverterunt, altero in crucem acto, altero per medios ſuorum gladios militari ſupplicio membratim diſſecto. Poſtea et ipſi cum exercitum X CIↃ coëgiſſent, inſtigatu Budenſis et Agrienſis purpuratorum, a quibus et pecunias in ſtipendium acceperant, ad [i] Filecum caſtra ponunt V Kal. Dec tormentis ope Turcorum Agria advectis. Eo enim veſaniae devenerant, cognito Proteſtanteis male Poſonii habitos, et concionatores ſolo cedere coactos, ut nihil non ſibi faciendum putarent, etiam traditis, quae capturi erant, in Turcorum manus propugnaculis,

INTERPR. [a] *Presbourg.* [b] *de Colocza.* [c] *Troppau.* [d] *les Soldats de Geisberg.* [e] *Raab.* [f] *Hongrie.* [g] *Tockay.* [h] *chaſteau de S. André.* [i] *Filleck.*

propugnaculis, ut, vindicta de tanta injuria ſumpta, in libertatem priſtinam ſe vindicarent. Verum conatus eorum irritus fuit, Thoma [a] Boſmaco, qui Filecum valido praeſidio tenebat, gnaviter ſe defendente, et adverſa tempeſtate, quae tumultuanteis ab obſidione diſcedere coegit.

X. NEC Germania vicina ſuis motibus caruit: nam [b] Herbipolenſes in Franconia ex levi occaſione praeſulis ſui auſpiciis contra [c] Wertheimicos, qui Joanni Theodoricio comiti [d] Lovenſteinio ſubſunt, moverunt, equitum peditumque exercitum cum campeſtribus tormentis ſecum explicatis ſignis trahentes, ineunte Julio; et [e] Dordingam cum poſtridie veniſſent, deditionem per tympaniſtam imperant. Recuſantibus Theodoricius praeſto cum ſuis fuit; quibus, quantum per feſtinationem licuit, locis idoneis ad portas, templum, et in coemeterio diſpoſitis, ad defenſionem ſe parat. Herbipolenſes, poſt trium horarum diſploſionem ſive impreſſionem, ab altera porta rejecti, per alteram irruperunt, incendio ſtatim ad terrorem excitato. Ad templum Theodoricius ſe contraxerat, quod dum alii oppugnant, alii ad praedas diſcurrunt, ſupervenit Wolfangus Erneſtus alter comes; qui per eandem, per quam Herbipolenſes, portam ingreſſus, ingentem clamorem per ſuos ciet; quo audito, Theodoricius eruptionem e templo facit, conjunctiſque viribus hoſtem a fronte et a tergo premit, et cum tormentis et praedae parte in fugam compellit. Homburgum pro receptu fuit. Praeda a Wertheimicis inſequentibus recepta: de equis ab iis abactis certamen erat; quos cum reſtituere recuſarent, comites monaſterium proximum armata manu ingreſſi, totidem inde abducunt. Itaque quinto poſt die Herbipolenſes rurſus copias majore numero inſtruunt, et Wertheimium verſus ducunt. Comites ſerius moniti tamen minime ſibi defuere; nam et ipſi aciem inſtruunt, et in conſpectu utrique nulla re geſta totum diem conſtiterant; et illi, [f] Remblingenſi vico tantum direpto, retro domum reverſi ſunt; ne redirent ſuperſtitione prohibiti, quippe paucis poſt diebus ingenti terrae motu juxta Herbipolim hora VI matutina ad [g] Ebertsklingenum pagum facto, et mox terra tanto hiatu ſubſidente, ut profunditatem voraginis LX orgyias excedere aliqui ſingulari artificio poſtea deprehenderint.

XI. MAJORIS molis fuit res ad [h] Donaverdam geſta. Urbs eſt in Vindelicia ad Danubium ſita, de qua ad annum CIↃ IↃ XLVI diximus, quam ſuae olim ditionis fuiſſe Baioarici principes contendunt, et ſub Ludovico Barbato, non ſine magno diſſenſionum aeſtu, ſe favore Sigiſmundi Caeſaris adjutam, ſicuti pleraſque alias, in libertatem ſub Imperii patrocinio anno ſalutis CIↃ CCCC XX vindicaſſe. A Caeſarianis bello Germanico capta, tamen Paſſavienſis pacificationis beneficio priſtinam libertatem recuperavit; quam dum petulantius exercet, hoc anno amiſit. Plebs et magiſtratus in ea erat Proteſtantium doctrinae addictus, quibuſcum non bene cum [i] monaſterii ſanctae Crucis ab [k] Dillinganis comitibus olim fundati antiſtite conveniebat. Is ex more beati Marci die feſto a coenobio per urbem, explicato labaro, et omni ſacri collegii choragio ſequente, incedere, et per portam Danubianam ad [l] Aſſeſchimium vicum eadem pompa itare, inde poſt myſtici ſacri celebrationem ad urbem eodem itinere domum redire, conſueverat. Monitus a magiſtratu, ut ſupplicationes intra coenobii muros celebraret, neque plebi ab his ſpectaculis alienae ad injuriam ſe exponeret; ille de priſca conſuetudine nihil mutari poſſe reſpondit, ſtare ſibi libertate uti, et morem antiquum ſervare: et ita, re ad cameram Imperialem delata, decretum. Igitur VII Kalendas Maias cum labaro, cruce praelata, ſymphoniacis, et toto collegio in viam ſe dat antiſtes, et per Danubianam portam ad locum conſuetum pergit; in eoque poſt ſacrum peractum, dum eodem ordine redit, plebem interea armatam obviam habuit, quae, a paſtoribus, ut creditur, incitata, diſcerpto labaro, et pulſatis injurioſe

INTERPR. [a] *Boſmac.* [b] *ceux de Wirtzburg en Franconie.* [c] *Werthem.* [d] *de Louvenſtein.* [e] *Dordinghen.* [f] *Remling.* [g] *Ebertzklingen.* [h] *Donawerth és confins de la Souabe & de la Baviere.* [i] *Abbaye de Ste. Croix.* [k] *de Dillingen.* [l] *Achſeſheim.*

CIↃIↃCVII. HENRICUS IV.

injurioſe cantoribus, etiam in turba aliquibus ſive occiſis ſive graviter ſauciatis, omnem apparatum ſacrum diſturbavit; ut vix antiſtiti cum ſuis ad monaſterium tutus fuerit receptus. Inde querimonia ad cameram delata, Rodolfus Caeſar Maximiliano principi Baioarico, qui jampridem talem offerri occaſionem optabat, mandat, ut de re inquireret; qui delegatos confeſtim miſit, furente adhuc plebe ludibrio habitos: unde nova rurſus non ſolum ab antiſtite, ſed a Gulielmo Baioariae duce Imperialis mandati executore, ad Caeſarem defertur querimonia, quam et mox ex compacto alterum proſcriptionis mandatum VII Eidus Sextileis ſecutum eſt; cui exequendo Gulielmus a Caeſare delegatur. Quo cognito, magiſtratus, qui plebi ab initio favere in occulto putabatur, cum, quod factum erat, fruſtra infectum cuperet, ſera poenitentia duci coepit, et continuo antiſtitem convenit; et, urbani ſigilli auctoritate firmato diplomate, fidem obligat, integram illi fore non ſolum ſupplicationum in urbe libertatem, ſed omnis ſacrae functionis ad religionem Catholicam Romanam pertinentis; inſuper damna omnia ab eo accepta ſarcire ſe paratum, et intra VI Eidus Septembreis de ſeditionis auctoribus diligenter inquiſiturum; interim duos ex iis, de quibus jam conſtat, Sebaſtianum [a] Schenkium et Eraſmum [b] Geggelium, in manus delegatorum a Maximiliano Baioarico traditurum; idem de aliis complicibus, ubi probationibus confectis conſtiterit, bona fide facturum. Hae conditiones apud alium quemvis, quam apud Gulielmum, pondus habere poterant, et mandati Caeſarei executionem inhibere. Verum ille oppidi a majoribus amiſſi ex occaſione recuperandi certus, nihil eas moratus III Nonas Novembreis, jam collato exercitu, per fecialem cum delegatis miſſum deditionem Caeſaris nomine imperat. Cum magiſtratus conditiones cauſatus tergiverſaretur, ille de conditionibus cum Caeſare agere jubet, et ſine mora exercitum proficiſci jubet. Is X peditum CIↃ et IↃCC equitibus conſtabat, cui [c] Berneſhuſium praefecerat. III Eidus Decembreis ad urbem admotae copiae. Cum oppidani denuo deditionem facere juſſi moras necterent, Berneſhuſius [d] Rainum proficiſcitur, ut tormenta ad vim faciendam adduceret. Dum in eo eſt, tumultuantibus in urbe civibus, quidam ex illorum numero ad eum veniunt, et his conditionibus claveis ſe tradere paratos oſtendunt; Religionis libertatem Proteſtantibus relinqueret, a direptione miles abſtineret, innocentium rationem haberet, duobus vigilum vicariis veniam concederet, qui nihil niſi ad placandam plebem in ſeditione egiſſent; poſtremo ne mandatum Caeſareum in urbe exequeretur. Secundum haec remiſſis tormentis, quae jam in itinere erant, metatores Donaverdam proficiſci juſſi, qui hoſpitia militi diſtribuerent. Verum ea die quoniam jam adveſperaſcebat, plebe adhuc fremente, nihil agi potuit: ſed, ſedato per noctem rumore, mane Baioarici patentibus portis admiſſi ſunt. Cuſtodibus ad portas poſitis, Berneſhuſius ante omnia civium arma ad ſe comportari, et ſuſpectos comprehendi jubet; tum majus urbis templum, in quo Proteſtantes conciones habebant, Catholicis reſtitutum Jeſuitis attribuit. Maximilianus, ut non tam mandati Caeſarei executione niti, quam fortuna velle ſe uti, oſtenderet, cuncta ſuo nomine in urbe peragi tam a judicibus quam a reliquis magiſtratibus mandavit; ponderum et menſurarum aliarum, quam quae in ſuae ditionis urbibus uſurpantur, uſum omnino interdicit; et in memoriam antiquae poſſeſſionis per CC annos amiſſae, et tunc recuperatae, feſtum S. Thomae quotannis ſolemni ſupplicatione celebrari juſſit: quo facto, milites partim dimiſſi, partim Rainum et [e] Wendingam ſunt amandati. Dum haec agerentur, Suevici circuli principes et urbes Ulmam conveniunt, Wirtembergicus dux, [f] Oetingenſis comes, [g] Eſelingae, Norlingae, Halae, Lindavii, Halbrunni, Memmingae, Kaufbeuri, Eiſenaci, urbium imperialium delegati; continuoque Caeſar eo

INTERPR. [a] *Schenck.* [b] *Goggel.* [c] *Berneſhuſen.* [d] *Rain.* [e] *Wendingen.* [f] *d'Oetingen.* [g] *Eſlingen, Nordlingen, Hall, Lindau, Hailbron, Memmingen, Kaufburn, & Eyſenach.*

eo mittit, et graviter eos monet, ne quid in eo conventu contra mandatum ſuum decernerent, quod Donaverdenſeis in contumacia ſua obfirmaret. Ad haec illi nunquam ſe de mandato Caeſareo violando cogitaſſe dicunt; tantum violentiam et arma deprecari, ne innocentes cum nocentibus eadem calamitate involvantur, et urbs a circulo Suevico avellatur. Inter has contentiones de urbe capta nuncius venit, qui iis inpraeſentiarum finem impoſuit, ad proxima Ratiſponae comitia negotio remiſſo, in quibus actionem et interceſſionem pro cauſa Donaverdenſium inſtituere poſſent. Quod negotium deinceps tentatum, et multoties in comitiis repetitum, ſemper eluſum, et ad extremum exitu caruit.

XII. In Anglia rex ad tutelam corporis et ſecuritatem publicam poſt tam diras conjurationes, praeter antiquam olim ab Eliſabetha propoſitam, formulam jurisjurandi novi perſcribendam curaverat, quo citra cauſam religionis utrique conſuleret; quod quia tot ſcriptis, et per aliquot annos deinceps diſcuſſum et exagitatum fuit, ex Franciſco Suarez, qui illud tranſcripſit et omnium maxime oppugnavit, heic ſummam apponere operae pretium duxi. Igitur cuncti jurare tenebantur, ſe vere et ſincere agnoſcere, profiteri, teſtificari, declarare, ex animi ſententia, coram Deo et hominibus, Jacobum regem ſupremum omnium regnorum et ditionum quae poſſidet dominum; nec pontificem, nec per ſe, nec ullius auctoritatis eccleſiaſticae vi, vel ſedis Romanae, vel ulla alia ratione, poteſtatem aut auctoritatem habere regem deponendi, vel de majeſtatis ſuae regnis ac ditionibus diſponendi, aut poteſtatem cuiquam principi extraneo faciendi, ut eum damno afficiat, aut ditiones invadat; aut ullos ſubditorum ſuorum a majeſtatis ſuae obedientia et ſubjectione exonerandi, licentia conceſſa ad arma contra ipſum capienda, tumultus excitandos, et ſtatum publicum conturbandum: jurare item ex animo, non obſtante ulla declaratione, vel excommunicationis aut privationis bonorum ſententia, (jam conceſſa vel in poſterum concedenda, per pontificem ejuſque ſucceſſores vel quamcunque auctoritatem ab iis vel a ſancta ſede derivatam, contra regem heredeſve ſuos,) vel quacunque ſubditorum ab illius et heredum obedientia abſolutione, ſe fidem et veram obedientiam ſuae majeſtati et heredibus et ſucceſſoribus praeſtituros; ipſumque et illos totis ſuis viribus contra omneis conſpirationes et invaſiones, quae praetextu alicujus declarationis vel ſententiae fient, defenſuros; et operam daturos, ut earum notitia ad ſe undecunque pervenerit, eas protinus revelent, et manifeſtas faciant: inſuper jurare, quod ex toto corde abhorrent, deteſtantur, et abjurant hanc impiam et haereticam doctrinam, principes a papa excommunicatos et ditionibus privatos, per ſuos ſubditos et alios quoſcunque poſſe deponi et occidi: ad ultimum credere, et teſte conſcientia perſuaſum habere, neque papam neque alium quemcunque poteſtatem habere ab hoc juramento aut aliqua ejus parte ſubditos ſuae majeſtatis abſolvendi: proinde ad illud jurandum ſponte accedere, omnibuſque indulgentiis ac diſpenſationibus in contrarium factis renunciare, et juxta verba expreſſa, et planum eorum ac communem ſenſum, citra ullam aequivocationem aut mentis evaſionem, vel ſecretam quamcunque reſervationem, ex animo et ultro in vera viri Chriſtiani fide jurare. Sic nos Deus adjuvet. Re Romae cognita admodum animi commoti ſunt; et, quanquam ad civilem obedientiam rex jusjurandum tantum pertinere affirmaret, eo poteſtatem pontificis in dubium revocari, et in arctum cogi, interpretati ſunt. Itaque pontifex x Kal. Octobreis anno ſuperiore ad Catholicos Angliae diligenter ſcripſerat; quibus eos de perſecutionibus prolixe conſolatus, et ad perſeverandum fortiter hortatus, ne ad templa haereticorum ullo pacto accederent, aut eorum concionibus intereſſent, neve cum ipſis in ritibus communicarent, monebat et obteſtabatur: inſuper

CIↃ IↃCVII.

HENRICUS IV.

inſuper inhibebat, ne jusjurandum, cujus formula literis inſerta erat, ullatenus praeſtarent, quippe quod multa contineret, quae fidei et ſaluti aperte adverſantur. Poſtea, cum intellexiſſet pleroſque vexationum pertaeſos in illud conſentire, et, cum tantum de civili obedientia in eo agatur, poſſe ſalva conſcientia praeſtari; nam jurantis conſilium, non quid ex eo interpretatione elici poſſit, ſpectari debere; iterum ad eoſdem anno vertente ſcribit, et intellexiſſe ſe dicit priores ſuas tanquam ſuggeſtione emendicatas, non a propria animi ſententia profectas, a multis acceptas eſſe; proinde eandem obteſtationem, quoad jusjurandum, repetendam duxiſſe; quam, ne quis exiſtimationi locus eſſe poſſit, multis et enixis verbis confirmat. Ad eas junxerat ſuas IV Kal. Octobreis Robertus Bellarminus cardinalis ad Georgium [a] Blackwellum archipresbyterum, de quo in ſuperioribus demonſtravimus, qui ſub id VII Kal. Quintil. Londini comprehenſus fuerat, et jusjurandum praeſtiterat; ac reliquis in regno Catholicis, datis [b] Weſtmonaſterii e carcere Nonis Quintilibus ad eos literis, ut illud praeſtarent auctor fuerat; ita tamen temperatis verbis, ut regi obedientiam debitam praeſtare, Catholicis vexationes deprecantibus proſpicere, apud pontificem excuſationi locum ſibi parare, videretur. Bellarminus graviter Blackwellum increpabat, quod temere juramento ſubſcripſiſſet, et aliis ad illud praeſtandum exemplo ſuo praeiviſſet: nam neminem praeſtare illud poſſe, quin primatum ſedis Apoſtolicae perfide abnegare cogatur. Apoſtolicae autem ſedis reverentiam, ex Gregorii Magni ſententia, nullius praeſumptione turbari debere: tunc enim membrorum ſtatum integrum perſeverare, ſi caput fidei nulla pulſetur injuria. Tum Baſilii Magni, Gregorii Nazianzeni, et beati Leonis papae cumulata teſtimonia: et ad extremum [c] Joannis Roffenſis et Thomae [d] Mori exempla; quibus eum a praeſtatione juramenti et alios deterret, et ad conſtantiam, ac mortem, ſi opus ſit, fortiter in tam pia cauſa ſubeundam, hortatur. Ad eas poſtea Blackwellus Eidibus Novembribus Londini e carcere prolixe reſpondit; et dolere ſibi dicit, quod, poſt tot exantlatos labores pro religionis cauſa, in extremo actu minus ſe fortiter gerere ſugilletur. Aliud eſſe jusjurandum, quod contra primatum ſanctae ſedis diſerte concipitur; aliud quod pro obedientia civili, quae principi debetur, a ſubditis praeſtatur: poteſtatem pontificis ſuos limites habere, nec niſi extrema neceſſitate, et quae periculum annexum habeat, ad temporalia extendi. Ita ipſum, cum de Romano pontifice libros V ex profeſſo ſcriberet, cenſuiſſe: ita cardinalem [e] Alanum, [f] Cajetanum, Sixtum [g] Senenſem, Alfonſum Mendozam, Petrum Aragonium, Joannem Pedrezzanum, qui nuper pro pontifice contra Venetos ſcripſit; ita Fr. [h] Suarem, [i] Bannem, Didacum Covarruviam, D. Navarrum; ita denique Nic. [k] Sanderum, quem ob oculos ſemper habere a Bellarmino monetur, ea de re ſenſiſſe: itaque ſalva conſcientia, et citra imminutionem cultus et reverentiae quae primatui ſanctae ſedis debetur, ea formula, qua conceptum eſt, a ſe et ab aliis majorum religioni addictis praeſtari potuiſſe. Inde occaſione ſumpta, variis interrogationibus, Blackwellus a Cantuarienſi archiepiſcopo, quod, dum interpretatione alia atque alia jusjurandum excuſat, parum ſincere in eo verſatus, argueretur. Itaque ad bina illa pontificis Brevia et Bellarmini ad Blackwellum epiſtolam liber a rege Magnae Britanniae, ſuppreſſo auctoris nomine, cui titulus, Triplici nodo triplex cuneus, ſive apologia pro juramento fidelitatis, prodiit; qui alterius a Bellarmino eliciendi, ſuppoſito Matthaei Torti nomine, materiam praebuit. Poſtea et copioſiore ſcripto Bellarminus, cui apologiae nomen fecit, ſe ſuperioris auctorem profeſſus, ad cuneum triplicem reſpondit; quo et praefatio monitoria, quae interim ab illo rege exierat, multa argumentorum mole oppugnatur. Verum haec ad ſequentem pertinent. Nec praetereundae prodigioſae hoc anno Januario

exeunte

INTERPR. [a] *Blackwell.* [b] *Weſtminſter.* [c] *Jean Fiſher evêque de Rocheſter.* [d] *More.* [e] *Allen.* [f] *Gaetano.* [g] *de Siene.* [h] *Suarez.* [i] *Bannez.* [k] *Sanders.*

exeunte in Britannia inundationes. Nuſquam foedior tempeſtas uſpiam incubuit. CIƆIƆCVII.
[a]Briſtoliae maritimae civitati, quae ſecundum [b] Londinum et Eboracum in regno primaria eſt, opibus et commercio frequenti, et quo nuper Hibernia advectae ad nundinas proximas, quae in VIII Kalendas Februarias incidunt, merces corruptae, horrea frumento et ſtramine plena huc illuc diſſipata, equi et alia jumenta aquis merſa; et, aedificiis vi fluctuum magnam partem collapſis, homines qui in culmina domorum confugerant una obruti; plerique in agro deprehenſi, dum domum ſubito remeant, ut rebus ſuis convaſatis ſaluti ſuorum conſulant, tam rapido impetu mare x fere milliarium ſpatio excurrit, ut vix rebus et ſuis relictis temporis ſatis habuerint quo ſe periculo eriperent. Sed omnium maxima diluvies fuit in [c] Somerſetenſi provincia, ad XX milliaria in longitudinem, in latitudinem quinque, aquis effuſis; quae [d] Hunſfeldiam oppidum, Granthanium, Kenhuſium, Briandoum, et Kingſonium pagos, cum multis aedibus per convalleis ſparſis, merſerant. Videre erat ruſticos et homines in agro deprehenſos, tignis dirutarum domorum inſidentes, ubique fluitare; ad quos ſcaphae tandem immiſſae, quae pleriſque in tempore praeſto fuere. Foenum in cumulos, ut fit, congeſtum, et trabibus ligneis impoſitum, undis innatare ubique cernebatur; et columbae, cum aliunde paſtus deeſſet, ſuibus immiſtae, ariſtis frumenti in pyramides coacervati inſidentes, granis forte oblatis veſcebantur; quin et cuniculi e foveis vi aquarum excluſi, in tergo ovium conſidere, et, donec cum ovibus ipſis mergerentur, diu fluctibus innatare viſi. Fidem ſuperant, quae de tempeſtate illa tragica imo poëtica ſcripſere, qui res eas narrant. Juxta [e] Marclandiam in Norfolcienſi agro non minus illa ſaeviit; ubi, ut in ſubito et inopinato caſu a furibus in agro deprehenſi, vix expergefacti oppidani, ingenti et confuſa orta comploratione, cum, bonorum abjecta cura, quae prima ſubierat, filii patres et matres, invicem fratres, alii quiſque charitates ſuas, ut in Trojano excidio memoratur, ſecum traherent aut humeris portarent, in montem [f] Truhilum ſeſquimilliari inde diſtantem trepida fuga evaſerunt, quo et armenta ac greges ex agris ſe receperant; alii qui in oppido aut pigritia aut infirmitate remanſerant, cum poſtridie urbem aquis merſam ex feneſtris ſuperiorum conclavium aſpicerent, fruſtra opem divinam, paſſis in coelum manibus, implorabant. Ad eum montem, qui milliare circiter ambitu capiebat, cum aditus tanquam ad arduum ſcopulum, et in cacumine ſentibus et ericetis impeditum, non eſſet, ad ſummam deſperationem cuncti in eo redacti erant, jam deficiente pecori gramine, et inedia tantam multitudinem premente; cum e longinquo, nam aquae ad XII milliaria excurrerant, commiſeratione excitati vicini ſcaphas pane et aqua onuſtas ſummo ſcopuli labro admovent, et, operibus complanata per ſentes et ericeta via, ad miſeros pervenerunt, et non ſolum viatico in praeſens recrearunt, ſed ſalutis in futurum ſpe impleverunt.

HENRICUS IV.

XIII. HANC cladem cumulavit alia non minor, infelici [1] navigatione ad Virginiam in India Occidentali ſuſcepta, ex qua pauci reduces triſtem de ſua et ſociorum clade nuncium Februario exeunte in Angliam attulerunt. Walterus Raleighus eques, homo juxta ſtrenuus et induſtrius, Eliſabetha regina unam et alteram navigationem ad Guianam felici curſu obiverat, de quibus ad annum CIƆ IƆ XCV et ſequentem ſupra diximus; et poſt eum Laurentius [g] Keimiſhius. Horum aemulatione Carolus [h] Leighus excitatus ante quinquennium ad eam regionem iter inſtituit, eo conſilio, ut gentis ſuae coloniam in provinciam deduceret, notato ad habitationem loco idoneo ad [i] Viapogum flumen. Eo cum [k] Olivarii fratris ſumptibus cum familiis quibuſdam navigaſſet, haud magno ſpatio interpoſito, ipſe cum majore coloniae parte vi morborum extinctus eſt. Quo cognito, Olivarius minime animum deſpondit, verum ad

ſupplendam

INTERPR. [a] *Briſtol.* [b] *Londres, & York.* [c] *de Somerſet.* [d] *Huntſpill.* [e] *Marſhland au pays de Norfolk.* [f] *Trunehill.* [g] *Keymis.* [h] *Leigh.* [i] *Wiapago.* [k] *le chevalier Olave Leigh de Kent.*

NOT. [1] Thuanus heic recitat, ſed fuſius, quae de hac navigatione ſupra dixerat, *Lib.* 136. *p.* 373.

CIƆIƆCVII. ſupplendam coloniam ſuam ipſius navem, quae tam viros quam foeminas portaret, adornavit, [a]Catalina qui militi imperaret, et [b] Richardo Chamberio navarcho impoſitis.

HENRICUS IV. Coloniae deducendae princeps erat [c] Santjonus, ejuſque frater Alexander, qui ante biennium XVIII Kalendas Maias ſolverunt, et Album promontorium praetervecti ad Maiam inſulam exſcenſionem fecere; diſſidio ſtatim, quae prima mali labes fuit, inter nautas et colonos orto, neque in tempore, ſicut oportuit, compoſito. Inde ad Sanctae Luciae inſulam perrexere, pro loci tenuitate non incommode neque inhumaniter initio ab inſulanis excepti, emptis etiam ab iis tuguriolis, interventu Antonii cujuſdam eorum ducis, qui linguam Hiſpanicam callebat; pretiumque pro iis fuit ferrea ſecuris. Heic rurſus diſſidium a nautis renovatum, qui, expoſito cum ſuis colonis, numero LXXVII, Santjono, et parte commeatus quem portaverant, non bene animati, XIV Kalendas Septembreis inde diſcedentes patriam repetiverunt. Nec melius mox fuit miſeris colonis cum Indis, quos levi admodum ex cauſa graviter offenderant, et poſtremo infeſtiſſimos hoſteis habuerunt. Santjonus auri cupiditate incenſus, cum cymba, quam nautis diſcedentibus eripuerat, in montes venas ſcrutaturus abiiſſet, XVI comitibus abductis, nuſquam poſtea conſpectus eſt. Interim ſocii miſerabili inedia preſſi, et grandi reti aut amiſſo aut confracto, quo copioſam piſcationem faciebant, Alexandro fratri auctores fuerunt, ut ad Ancorium iret, ſpe alimoniam et lectos e goſſipio penſiles ab eo comparandi. Qui eo cum XVIII, et ſcloppetis in ſpeciem ad terrorem, ceterum minime glande, oneratis, profectus, inſtructos ad inſidias Indos reperit; et ipſe cum ſuis ſagittarum nube oppreſſus eſt, cum diſploſis tormentis neminem eorum laeſiſſet. Unus ex omni numero [d] Joannes Nicolaus, qui navigationem deſcripſit, periculum evaſit, et cladis triſtem nuncium ad ſocios pertulit: ad quem illi re omni defecti, cymba amiſſa et reti, cujus jactu ſe ſuſtentabant, mercibus, quas reliquas habebant, permutatis, lintrem ex grandi arbore excavata ab inſulanis redemerunt; et, XX, qui ex omni numero ſupererant, ſine duce viae, ſine magnetis uſu, aſtrorum ignari, XV Kalend. Octob. ſe mari commiſerunt; aviculis, quae turbato coelo in naviculam decidebant, et aqua pluvia ex velis et antennis expreſſa, pro cibo et potu vitam tolerantes. Mox poſt decimum quintum diem cum terram conſpexiſſent, noctis tenebris oppreſſi, ad ſcopulos lintrem confregerunt; ipſi tamen incolumes, uno tantum ex ſociis inedia amiſſo, in terram evaſere, ubi teſtudinum eſu ſe aliquandiu ſuſtentarunt, lintre alio, Dei inaudito beneficio, reperto: cum quo quinque ſani, relictis in inſula ſterili et ſerpentibus praegrandibus infeſta aegris, ſe mari rurſus commiſerunt ad proximum continentem haud hinc longe, ubi Hiſpanos obvios habuerunt; qui naufragorum vicem miſerti, eos cibo refectos et equis commodatis, nam prae infirmitate pedibus incedere non poterant, [e] Tocoium oppidum, quod hinc quatridui itinere abeſt, deducendos curarunt; et ab iis exorati, ſocios in inſula relictos, qui VIII tantum reperti ſunt, et in iis Joannes Nicolaus, de quo demonſtravi, ceteris fame enectis, etiam revexerunt. Poſt XV dierum moram recreandis corporibus impenſam inde [f] Corum ad provinciae praefectum omnes deducti ſunt, ut a Belga quodam, qui tum multos annos ibi detinebatur, et Anglicanae linguae aliquam habebat notitiam, de itineris ratione examinarentur. Is caute naufragos monuit, ne ad Guianam ſe curſum intendiſſe dicerent, nam illis capitale id futurum. Cum igitur ſuas calamitates compoſito ſermone per interpretem expoſuiſſent, tanta commiſeratio etiam Hiſpanos ſubit, ut, quamvis ob religionem eos odiſſent, nihil gravius in eos ſtatuerent, quos a fortuna dignas culpa poenas abunde luiſſe judicabant; ſacerdote qui aderat in haec verba prorumpente, Si Catholicam fidem ſecuti eſſent, tanta paſſos eſſe, ut martyrii corona donari, atque adeo

INTERPR. [a] *le capitaine Cataline.* [b] *Richard Chambers maitre.* [c] *le capitaine Nicolas S. John.* [d] *Jean Nicol.* [e] *Tocoya.* [f] *Coro.*

adeo Divorum in numerum reponi, eſſent promeriti: nunc, cum Sectaria labe infecti ſunt, reliquum eſſe, ut vivi diaboli cenſeantur, qui non Dei ſed Sathanae tot laboribus exantlatis, ex iis incolumes emerſerint. Itaque non inhumane per hoſpitia habiti; et, uno ex iis mortuo, quinque Carthagenam ſub cuſtodia miſſi ſunt. Tandem VI Eidus Maias ſuperioris anni, commendatione Franciſci [a] Lupi et interventu, [b] Havanam liberi dimiſſi. Ceteri, et in iis [c] Joannes Nicolaus, ſociorum caſum moerentes, cum claſſe Hiſpanica aurum et argentum portante exeunte anno in Hiſpaniam venerunt, et Februario ſequenti in Angliam appulerunt, tribus ex ſuis Havanae ſuperſtitibus, et ſex Cori relictis. Hanc autem regionem maritimam in America, [1] ſive Guianam, ſive Virginiam a [d] Raleigho appellatam, aëre temperato ſalubrem, et piſcoſis fluminibus, coeli ſolique natura optimam, quam ſibi Angli vindicant, quae inter XI gradus a XXXIV ad XLV latitudinis ab aequatore porrigitur, una cum inſulis intra centum milliaria comprehenſis, rex ſereniſſimus, poſt tot cladeis nihil deterritus, dignam ad quam denuo coloniae deducerentur, a ſuis perſuaſus, cenſuit. Duae ad id ſocietates inſtitutae: primae praecipui inſtigatores fuere Thomas [e] Gates, Georgius [f] Summerus equites, Edvardus Maria [g] Wingfeldius, Richardus [h] Hacludus, alii mercatores Londinenſes. In altera familiam ducebant Thomas [i] Hannamus, Raleighus [k] Gilbertus, Gulielmus [l] Parkerus, Georgius [m] Pophamus, alii [n] Briſtolienſes, Exonienſes et Plimouthenſes, inſtitores. Curator ſocietatibus deſignatus Pophamus ſupremus judex et ſenator in regno Angliae, eique ſuffectus Richardus Hacludus, qui longinquas in longinqua regna Anglorum navigationes et expeditiones [2] uno volumine complexus eſt. Ita autem regionis inter eos facta a rege diviſio, ut prima inter XXXIV et XLI gradum latitudinis, cum inſulis intra ſpatium illud comprehenſis, ſedem colonis ſuis ad habitandum deligeret: alteri ſocietati rex pari latitudine et longitudine tractum inter XXXVIII et XLV aſſignavit; ac, ne de finibus inter eos lis et cruenta diſceptatio oriretur, edixit, ut quae noviſſima eo commigratura eſſet colonia, C milliaribus ab ea quae prior conſediſſet, limitibus diſtinctam ſedem caperet. Tum in harum utraque ſenatus conſtitueretur XIII virorum, penes quos ſummum eſſet imperium, et publicae rei adminiſtratio, non plena cum poteſtate, ſed ad leges a rege praeſcriptas ordinata. Similis in Anglia et eodem numero inſtitueretur, iſque ſenatus Virginienſis vocaretur; omneſque regiis inſignibus et effigie in actis et moneta uterentur. Auri et argenti quinta pars, ceterorum metallorum pars decima quinta, regi cederet. Colonis e quocunque metallo monetam cudere liceret. Homines et bona colonorum per ſeptennium in Anglia ab omnibus vectigalibus eſſent immunia; qui fraudem fecerit, navi cunctiſque fortunis mulctetur. Nemini eo migrare ad habitandum jus ſit: ſi qui Angli eo negotiandi ergo navigare voluerint, hac lege liceat, ut ex centum binos cum ſemi portorii nomine perſolvant; peregrini vero quinos; idque vectigal in coloniarum uſum XX proximis annis impenderetur, quibus exactis regio aerario inferretur. In his coloniis nati pro liberis et indigenis Angliae civibus habeantur, eorumque privilegiis et immunitatibus gaudeant. Quibus ordinatis praemiſſae naves, quae loca ad habitandum idonea explorarent; quarum una proxima hyeme ab Hiſpanis capta, et vectores male habiti. Demum vere ineunte [o] Neoportus, rei maritimae peritus dux, a prima colonia, quae ſe Auſtralem indigitavit, cum CL viris eo miſſus eſt, Edvardo Maria Wingfeldio res ſocietatis in regno procurante, dum integrae familiae, uxoreſque cum liberis eo tranſportarentur. Hi feliciter in Virginiam appulſi vectorum partem ad amoeni fluvii admodum piſculenti ripam commode expoſuerunt,

INTERPR. [a] *Lopez.* [b] *la Havana.* [c] *Jean Nicol.* [d] *Raleigh.* [e] *Gates.* [f] *Summers.* [g] *Wingfeld.* [h] *Hakluyt.* [i] *Hannam.* [k] *Gilbert.* [l] *Parker.* [m] *Popham.* [n] *de Briſtol, Exeter, &* *Plimouth.* [o] *le capitaine Newport.*

NOT. [1] *dele* ſive Guianam, ſive Virginiam, *lege* Virginiam. [2] tribus voluminibus.

CIƆ IƆCVII. HENRICUS IV.

expoſuerunt, et pulſis, quos paucos ibi repererunt, Indis, munitionem forma triquetra ſtruere coeperunt; frumento Indico, vulgo Maizam vocant, ſolum conſeverunt; et in montes profecti, cryſtalli montanae fragmenta ſecum attulerunt, cum aliis non ita felicioris materiae metallorum ſpeciminibus; quae, relictis in munitione c, quos duxerat, viris, Neoportus intra xxxv dies in Angliam attulit; qui et aiebat, innumeras huic coelo incognitas arbores ſibi viſas, et vites altis arboribus incumbenteis, quae craſſitudinem hominum aequarent.

XIV. Calebat jam de pace in Belgio negotium; quae ne falleret, interim ex Ordinum decreto claſſis ad Gadeis mittitur, quae litus Hiſpaniae infeſtans vireis hoſtium divideret. Jacobus [a] Hemskerkus Amſterodamenſis [1] Zelandici maris praefectus huic praeeſſe juſſus, vir et navigationibus in Indiam Orientalem et novam Zemblam expertus; qui iv Kalendas Aprileis ſolvit, et iv Eidus in [b] Oliſſiponae conſpectum venit: inde in altum evectus [c] S. Vincentii promontorium praetervehitur, et ad [d] Baetis aeſtuarium et Gaditanum ſinum cum univerſis navibus deflexit, quo totam Hiſpanam claſſem conveniſſe intellexerat; et, verſis in Africam proximam proris, eo curſum tendit. Inde, habito belli ducum concilio, de invadenda Hiſpana claſſe, quae ad Gadeis ſe contraxerat, impetum capit. Claſſi ex xxi navibus conſtanti et in Gaditano ſinu ſedenti praeerat Joannes Alvarus Avila veteranus dux, qui in praetoriam octingentarum amphorarum, qua portabatur, ccc armatorum ex inſulanis ſupplementum impoſuerat. In eam Hemskerkus, fixo ad malum clavis vexillo, et cc librarum praemio ei, qui hoſtile detraxiſſet, conſtituto, vim facit, eo ordine, ut ipſe cum Lamberto Avilam, [e] Alteras vicarius cum [f] Braſſio vicarium Avilae invaderet, et binae cum binis hoſtilibus naves committerentur. Dum Batavi propinquant, Avila interius ſe receperat, locatis in fronte vicario ſuo et iii aliis myoparonibus. Nec propterea Hemskerkus conſilium mutavit, ſed Avilae vicarium praetervectus, et relictis ad laevam myoparonibus, ad praetoriam Hiſpanam recta vadit, anchora in proram tranſlata, quae non prius, quam praetoriae naves mutuo concurſu ſe concuſſiſſent, jaci debebat. Prohibita item diſploſio tormentorum, antequam utrinque propiores facti eſſent. Principium ab Avila factum; primoque ictu nihil actum, altero ſcloppetarius major medius diſcerpitur, laevum crus Hemskerko avulſum, qui mox fidis, qui juxta erant, enixe mandat, ut corpus ſuum tegerent, et caſum ſocios celarent, Petro [g] Werhoevio, magni animi viro, ſuam vicem fungi juſſo, ſtatimque expiravit. Continuato certamine, et tormentis utrinque crebro diſploſis, fumo aërem involvente et viſum eripiente, facile caſus latuit. Igitur Lambertus, qui ſequebatur rei ignarus, in eandem praetoriam, ſicuti convenerat, tormenta bina explodit, quae per proram penetrantia per puppem recto ictu exierunt, et immanem ſtragem in navi ediderunt: tum ſe ad praetoriam Batavam applicavit: dein, ſequentibus eodem ordine aliis, in vicarium Avilae tota vis poſtremo incubuit; ferreaque manu injecta, poſt obſtinatum dimidiae horae certamen ignis navem ejus ambuſſit, et, ad labrum uſque graſſante incendio, cum majore hominum, qui in ea erant, parte conſumpſit. Inde cum iii myoparonibus certamen Batavi infeſta tormentorum diſploſione perſequuntur. Ex iis unus depreſſus, alii duo ad labrum aqua tenus conflagrarunt, non ſine magno Batavorum diſcrimine, qui vix tandem ſe extricarunt. Ex Gaditano ſinu, in quo reliqua claſſis Hiſpana ſtabat, crebra tormentorum diſploſione certabatur, et Batavi eminus rem gerebant: tandem ignis in Hiſpana nave accenſus, dum fluitat, alteram corripuit; quo conſpecto ceterae inciſis funibus interius ſe recepere, neque tamen periculum vitare potuerunt, et pleraeque ex iis ambuſtae. Avila contra tres

INTERPR. [a] *Heemskercke.* [b] *Lisbonne.* [c] *Cap S. Vincent.* [d] *la riviere de San Lucar & la Baye de Cadiz.* [e] *Alteras vice-amiral.* [f] *Bras.* [g] *Werhoef.*

NOT. [1] *dele* Zelandici maris praefectus, *lege* privatus, ſed longinquis navigationibus famam adeptus *Put.*

tres naves Batavas obſtinate pugnabat, a quibus et ſe extricaverat: tandem ſigno albo erecto colloquium poſcit, nequaquam a Batavis exauditus, dilabentibus paſſim militibus ac nautis, et natatu ad ſuos per Gaditanum ſinum tendentibus; qui fere omnes aut aquis hauſti aut tormentis enecti ſunt, tam confertis acervis, ut totum illud ſpatium cadaveribus ſtare videretur, campique potius quam maris ſpeciem praeberet. [a] Cliforgus primus in [b]praetoriam Hiſpanam inſiliit, et vexillum rapuit, pro quo CC libras accepit; quo facto, et abductis ſecum aliquot captivis, ad ſuos caute ſe recepit: qui praedae intenti improvide remanſerant, e latebris prodeuntibus Hiſpanis, qui in imo latebant, cum damno expulſi ſunt: illi ſe a Batavis tandem extricarunt. Vix horae ſpatio haec acta; ab incendio, quod pulverem tormentarium in altum evexit, valde afflictata Hiſpana claſſe. Poſtridie qui in Gadibus erant, videntes a litore ſuo minime recedere Batavos, praetoriam minime vacuam undarum vi fluitantem protinus incenderunt, ne in hoſtium poteſtatem deveniret. Hoc proelio plus caedis ac ſtragis quam praedae fuit. Capti tantum L, et in iis Avilae filius: ipſi amiſerunt Hemskerkum, et C circiter ſive ordinum ductores ſive milites. Ex Hiſpanis Avila et ejus vicarius, et bis mille bellatores perierunt; claſſe fere aut flammis conſumpta, aut ictibus tormentorum ita quaſſata, ut pauci myoparones et naves uſui eſſe potuerint. Batavi ad proximam [c]Africam receptum habuerunt, et [d] Tituani naveis quaſſatas per otium refecerunt, ſparſo per totum Hiſpaniae litus tanto terrore, ut quiſque in tempore ſibi proſpicere potuerit. Refecta claſſe, cum Turci, qui eos perhumane odio Hiſpanorum exceperunt, [e] Septam in vicinia obſidendam ſuaderent, illi ſe excuſarunt, et in Hiſpania rem gerere malle oſtenderunt. Vulgata Hemskerki morte Alteras in locum ejus ex belli ducum conſilio ſuffectus, qui partem navium ad [f] Fortunatas inſulas, et objectum Africae immiſit; ipſe cum majore parte ad [g] Oliſſiponae aeſtuarium contendit. Corpus defuncti in patriam proſpere remiſſum cum duabus navibus, quae Nonis Junii Amſterodamum appulerunt, triſtitia ex eo ſucceſſus laetitiam non parum imminuente. Funus ei honorifica pompa, ut inter Proteſtanteis, factum tertio poſt die, armis et inſignibus praelatis, et milite verſis armis et ſignis praeeunte; nec magiſtratus officio defuit. Sepulchrum poſtea ex Ordinum decreto ex lapide cyaneo ſtructum eſt, marmorea tabula adjecta, in qua praeclare bello geſta recenſentur.

XV. Sub id binae naves ex India Orientali appulerunt, quinto, poſtquam ſolverant, anno. [h]Wibrandus Warwicus claſſi XIV navium praefectus fuerat; aliis poſt alias per illud tempus reverſis, ipſe in India cum ſua praetoria remanſerat, cui Hollandiae nomen; alteri [i]Dordracum, quam [k] Rimelandus regebat. Ex CL claſſiariis, quos duxerat Warwicus, LXX tantum incolumeis revexit, ceteris morbo abſumptis. Cauſa tam tardi reditus fuit, quod utrique navi fatiſcenti tempus inſumere oportuerit. Igitur ad inſulam de nomine Mauritii dictam exſcenſionem fecere, ab hominibus minime habitatam, ceterum multarum rerum abundantem. De ea ſic narrabat Warwicus: LXIII circiter milliaria ambitu continere, et multa habere flumina in mare decurrentia et aquationi opportuna; ſolum ad ſata aptum, ſed humile et fere ſylvoſum, magnamque in ſylvis ebeni copiam reperiri; provenire et in eo nuces Indicas, et cocos, ex quibus vinum conficiunt; omni praeterea piſcium et volucrum genere abundare; rara in his quadrupedia; teſtudines immani magnitudine paſſim repere, quarum carnibus alebantur: plus X CIϽ arbores varii generis a ſuis caeſas ad tuguria aedificanda, carbones, et reficiendas naveis: in ſumma, illam inſula S. Helenae multo et fertiliorem et ſitu magis commodam: in qua, ut vicem redderet, et ſues et boves et capras reliquiſſe magno numero aiebat, et CCCC citriorum et limonum

INTERPR. [a] *Cleinforge.* [b] *l'amiral d'Eſpagne.* [c] *Barbarie.* [d] *Tetuan.* [e] *Ceuta.* [f] *les Canaries.* [g] *Baye de Lisbonne.* [h] *Wibrand de Warwic.* [i] *Dort.* [k] *Riemelant.*

limonum arbores plantaſſe Refecta per otium claſſe merces magni pretii ex intercepta [a] liburnica Luſitana, de qua ſupra demonſtravimus, quaeſitae, quas ad ſe cum regina Patanae Luſitanis infeſta pertinere diceret, pecunia aliiſque mercibus vix tandem placaverat Warwicus, navibus impoſitae et tunc feliciter advectae. Poſt Warwici reditum decennalis mercatorum ſocietas claſſem XIII navium egregie inſtructam in Indiam ablegavit; cui cum ſummo imperio P. [b] Werhoevium, qui egregiam operam poſt Hemskerki obitum in pugna [c] Gaditana nuper navaverat, praefecit. Hollandiae, hoc erat [d] principis nomen, IƆ onerum capaci, Simo [e] Hunius; [f] Provinciis confoederatis CCCC [g] Theodoricus Jacobi filius; [h] Amſterodamo item CCCC Petrus [i] Gerardi filius; [k] Rubeo Leoni ſagittarum manipulum unguibus tenenti, CC, Joannes [l] Walichſius; [m] Aquilae C [n] Rutgerus Thomae filius; [o] Pavo C Bartholomaeus [p] Giſberti filius; [q] Midelburgo IƆ Cornelius [r] Leonardi filius; [s] Zelandiae CCC, [t] Gulielmus N.; [v] Falconi C Cornelius [w] Hadriani filius; [x] Delfis IƆ Simo [y] Martini filius; [z] Roterodamo IƆ Joannes [aa] Cornelii filius; [bb] Grypho C [cc] Dickius; [dd] Hornae CCCC [ee] Martinus Clutius Joannis filius, a ſocietate praepoſiti. Ex his et ad [ff] Sinarum [r] regem deſtinatae, aliae ad alias oras miſſae: ultra apparatum copioſum C Philippicorum CIƆ in ſignata pecunia portabant; et eodem quo hae ſolvebant tempore ſocietas alias XXVIII habebat per Indiam negotianteis.

XVI. Nec in Belgio ipſo pendente pacis negotio ceſſabatur; ubi Albertus, nova ſeditione inter milites ob defectum ſtipendii ſuborta, non mediocriter conflictabatur. Nam quamvis Spinola omni ope laboraret, ut miles in officio contineretur, per praeſidia diſtributus, et, quanto neceſſitas ferre poterat, ſtipendio ſublevatus, duceſque ad omnes motus praeſto eſſe juberentur, nequaquam tamen impedire potuit, quin in Friſia, ubi hoſpitia propter hoſtis viciniam arctiora erant, multi ad Batavos transfugerent; a quibus adjuti cum CCCC circiter ſeu Gallo-Belgis ſive Germanis ſe conjunxerunt, qui verſus Bredam tendentes in vico proximo ſe muniverunt, et duce creato, atque officialibus ei attributis. Primum in eos ſeveritate actum, edicto ab Alberto propoſito, quo rebelles pronunciabantur, ea maxime ratione, quod ad Batavos inclinaſſent, ab iiſque ope ſublevati eſſent. Itaque et promiſſum iis praemium, qui aut eos interfeciſſent, aut vivos in jure ſtitiſſent. Mandatum inſuper Grobendoncano, qui ad [gg] Silvam-ducis bellum gerebat, et [hh] Melzio [ii] Herentali praefecto, ut in eos hoſtiliter agerent, darentque operam, locis notatis, ut palanteis et ſecuros interciperent; quod et illis ex parte ſucceſſit. Nam nec opinato cum ſuis incumbentes ad LXX interfecerunt, XL captos ad proximas arbores pro patibulo ſuſpendere; ceteri ſcapharum beneficio per canalem, qui Bredam ducit, in tutum evaſere. Magna pecuniae penuria in Hiſpania laborabatur, exhauſto a [kk] Fontano aerario, tot delectibus ad oſtentationem ex occaſione diſſidii inter pontificem et Venetos paſſim per Italiam habitis, neque niſi ſero dimiſſis. Cum tamen ſeditio in dies invaleſceret, et exemplo ne latius ſerperet, metueretur, Spinola, tam ſuo nomine quam anticipatis penſionibus a Philippo aſſignatis, ad CCCC aureorum CIƆ Franciſco Serra annitente corraſit; et ſeditioſi ſtipendio accepto quieverunt, et concerpto vexillo per cohortes diſtributi ſunt. Id actum Octobri menſe; et Decembri proximo digna et nova animadverſione, in qua tamen fides data requiri poterat, puniti ſunt. Nam edicto Dieſtenſis ſeditionis tam diuturnae exemplum in memoriam revocatum, quam non tam punire, quippe poena ſemel remiſſa, Albertus in animum induxerit, quam

cavere

INTERPR. [a] *caravelle de Portugal.* [b] *Werhoef.* [c] *combat du Deſtroit de Gibraltar.* [d] *l'amiral.* [e] *Hoen.* [f] *les Provinces Unies.* [g] *Dirick Jacobſen.* [h] *l'Amſterdam.* [i] *Gerritſen.* [k] *le Lyon Rouge.* [l] *Walichſen.* [m] *l'Aigle.* [n] *Rutger Thomaſſen.* [o] *le Paon.* [p] *Gijsbertſen.* [q] *le Middelburg.* [r] *Lennarſen.* [s] *la Zelande.* [t] *le patron Guillaume.* [v] *le Faucon.* [w] *Adrianſſen.* [x] *le Delft.* [y] *Martenſen.* [z] *le Roterdam.* [aa] *Corneliſſen.* [bb] *le Griffon.* [cc] *Janſſen van Dijck.* [dd] *le Hoorne.* [ee] *Janſſen Cloet.* [ff] *la Chine.* [gg] *Boiſleduc.* [hh] *il cavalier Melzi.* [ii] *Herentals.* [kk] *le comte de Fuentes.*

NOT. [r] *forſan* regionem.

caverc in poſterum, ne tale quid, magno populorum et rerum ſuarum detrimento, eveniat. Itaque, cum non teneatur ſtipendio alere militem praeter voluntatem ſuam, eos omneis, qui Dieſtae et ultima ſeditione tumultuati ſunt, dimittit, et intra XXIV horas e ſuis ditionibus excedere jubet, et Philippi regnis itidem ac terris abſtinere: quibus exactis, ſi qui in mora deprehenſi fuerint, capitali poena afficiantur. Poſtea quidam eorum duces capti, qui Bruxellis capite luerunt. Dum haec aguntur, de [a] Meurſia, quae Mauritianae ditionis eſt, tranſactum, ut extra belli commercium poneretur. Nec interim ceſſabatur: nam Henricus Fridericus Mauritii frater cum bis CIↃ equitibus, et CIↃ majoribus ſcloppetariis, quos per [b] Betuam et [c] Veluam deduxerat, equis fere inde abactis, in [d] Sicambros deſcendit, et [e] Neomagi conſedit; inde quo iturus eſſet, incertum Albertinis relinquens. Hermannus comes provinciae praeſes, Henrico fratri, qui [f] Herclenium non ita valido praeſidio tenebat, metuens, Limburgum et Ruremundam, ubi Pompeius Juſtinianus in praeſidio erat, ad accerſenda auxilia miſerat: ſed, quia quiſque pariter ſibi metuebat, utrinque exiguo ſubſidio ſublevatus eſt. Tantum a Juſtiniano CXXV delecti miſſi, duce Franciſco filio; qui ſtatim ab Henrico comite ad tres portas, tot enim in oppido, et plateam diſtributi ſunt. Jamque Henricus Fridericus incedebat; et praecurſores, ut magis fallerent, a praeſidiariis rogati, habere ſe literas ab Hermanno comite dicebant: dum colloquuntur, ad primam et ſecundam portam admota crepitacula, eoque ſubito occurrit [1] Pompeius Juſtinianus cum ſuis, tertia porta jam reſerata: verum oppidanis, qui carros et materiam ad aditus obſtruendos comportare jubebantur, tergiverſantibus, et utrinque aequam conditionem reputantibus, cum nihil ab ea parte ſubſidii eſſet, praeſidiarii poſt acrem defenſionem, Juſtiniano graviter ex vulneribus proſtrato, et pleriſque e ſuis occiſis aut vulneratis, ad ultimum ceſſere, et ad regiones aſſignatas ſe recepere. Henricus Fridericus victor oppidum ingreſſus, vitam militi ſalvam fecit, ſicuti et Henrico comiti, qui re deſperata ad templum confugerat: ſuiſque oppidum ad direptionem conceſſit: cumque totam diem et noctem ſequentem ibi remanſiſſet, abductis ſecum Henrico comite et aliquot centurionibus, inde diſceſſit. Nullo ſaevitiae, ſacrilegii, libidinis genere a Batavis temperatum in illa direptione narrant, qui res eas ſcripſere; quod plerumque apud nos eveniſſe vidimus, cum principes juvenes ſummae rerum praepoſiti victoria laſciviunt.

CIↃ IↃ CVII.
HENRICUS IV.

XVII. SPINOLAE ex Hiſpania diſcedenti mandatum dederat Philippus, ut, data occaſione, pacis, ſive induciarum, rationem cum Belgis iniret. Immanium ſumptuum in id bellum, non ſolum ſine fructu, verum etiam magno ſuo detrimento, factorum, quibus jam ſuſtinendis impar erat, onere levari cupiebat: tum hoc reputabat, irritatas horum populorum diuturnitate armorum mentes, dulcedine otii mitigandas; ſic enim fore, ut paulatim inveteratum in Hiſpanos odium exuerent, et tractu temporis, ut multa ſaepe adfert volvendus dies, et ex tranſverſo caſus incurrunt, quos vix audeat quiſquam optare, priſtina majeſtatis regiae reverentia, prae faſtidio tot ſatraparum, aliquando ſubditorum animis ſubiret. Jam ante ad pertentandos Ordinum animos nomine archiducum [g] Walravius Witenhorſtius in Bataviam venerat cum Joanne [h] Gevartio. Mandatis nihil aliud continebatur, quam optaſſe ſemper ſuas celſitudines, ut bellum hoc diuturnum ac lugubre pia perpetuaque pace componi poſſet, et Belgii res per pacem in priſtinum ſplendorem reſtituerentur. Facta et ſpes aequiſſimarum conditionum, et quae bona fide implendae eſſent: ſed additum, nemini ignotum jus eſſe, quod ipſis in univerſam Belgarum gentem a natura competit; nihil a ſe niſi patrium et avitum heredium repeti. Haec aliaque benigne in arcano cum paucis initio

INTERPR. [a] *Meurs.* [b] *le Betuwe.* [c] *le Veluwe.* [d] *Gueldre.* [e] *Nimegue.* [f] *Erkelens.* [g] *Walrave de Wittenhorſt.* [h] *Gewart.*

NOT. [1] *rectius* Franciſcus

CIƆIƆCVII. HENRICUS IV.

initio diſceptata; et, quia nullas delegati literas ab archiducibus attulerunt, viſum expedire, ut nihil eorum in publicum emanaret, antequam ampliora mandata cum literis proponerentur. Itaque confeſtim Gevartius Bruxellas miſſus; qui, poſtquam rediit, ſub exitum anni ſuperioris, in publico Ordinum conſeſſu cum collega auditus eſt. Multa ſuper clementia et manſuetudine archiducum dicta, plura de calamitatibus publicis, et in majus aucta: proinde ipſi, qui aderant, ſe reſpicerent, et incerta belli reputantes, pacem omnibus triumphis anteponendam ducerent, fortunamque reverenter haberent: rebus proſperis et ad nutum fluentibus ſummae imprudentiae eſſe confidere; certam quippe victoriae ſpem plerumque magnis cladibus expiari: proinde ex diuturnis bellorum tempeſtatibus reciperent ſe in quietis portum, et ſequerentur ceterarum Belgii provinciarum conſenſum, fidem et obſequium erga legitimos principes, junctiſque certatim viribus et animis ad eoſdem dominos ac veteris imperii formam redirent. Paucis poſt diebus ad ea reſponſum, perexiguam pacis ſpem ſubeſſe, cum videant archiduces in priſtino et inveterato errore mentem obfirmare, ut aliquid ſibi juris in provincias avitas ſupereſſe arbitrentur. Nam proceres earum pro fixo et rato credere, cauſam ſuam optimo jure niti, cum in ſolemni Ordinum conventu, anno CIƆ IƆ LXXIX, IV Kalendas Februarias, [a] Ultrajecti, decretum ſit, ut loca quaecunque, vi expugnata vel fraude intercepta, a communi cauſa diſtracta eſſent, armis repeti ac retineri poſſent. Id biennio poſt Kalendis Sextilibus Hiſpaniarum regi renunciandum curaſſe; jamque tum ſtatutum, ut cives harum provinciarum legibus externorum principum ſoluti viverent, et pro republica libera cenſerentur. Decretum illud lapſu XXV annorum in rem judicatam tranſiſſe, multorumque ſuffragio et aſſenſione regum ac principum Chriſtianorum comprobatum fuiſſe. Nullam nec divino nec humano jure tutam et ſecuram rationem compoſitionis cum iis iniri poſſe, qui, contra decreti a patriae libertatis vindicibus ſanciti, et multorum belli ducum ac militum ſanguine obſignati, vim et auctoritatem, in medium conſulere, aut aliquid tentare praeſumerent. Omnia potius extrema ſibi experiri certum, quam hoc pignore imperii, atque adeo publicae tutelae Palladio, ſe privari patiantur: videre debere archiduces, ne, dum tam juſtis et legitimis ſecundum libertatem vindiciis moleſtum impedimentum afferunt, tot calamitatum, et praeteritarum, et quae impendent, invidiam, et haeſuram penes ſe culpam derivent. Hoc accepto reſponſo delegati Bruxellas revertuntur, et, paucis interjectis diebus, ad Ordines ſcribunt in hanc ſententiam: Non eſſe nec fuiſſe archiducum propoſitum, in hoc pacis et induciarum negotio quidquam de forma publicae adminiſtrationis eorum delibare, aut omnino jus aliquod in ipſos ſibi vindicare; leges illis ſuas, mores, et inſtituta libera relinqui: ſi a pacis conſiliis ipſi non abhorrent, archiducum mentes eodem inclinaturas. Haud multo poſt Joannes [b] Neius generalis Franciſcanorum ordinis curator in Bataviam juſſu archiducum venit Martio ineunte. Is a pueritia ad viceſimum uſque annum Proteſtantium doctrinae innutritus, poſtea ad majorum ſacra redierat, et ſeveriori huic diſciplinae ſe addixerat; de cetero vir induſtrius, multarum linguarum peritus, nec aulicarum artium rudis, et qui in varias partes, pro ratione temporum et perſonarum, cum quibus illi res erat, animum verſare ſciret; ita tamen, ut fraus et fucus ab ejus pectore abeſſe crederetur; nec ſpe ſua eum deceptum iri, qui ipſius verbis fidem habuiſſet. Poſt aliquam in vico proximo moram, de adventu ſuo Ordines, qui Hagae erant, certiores facit, et poſt conventum Mauritium, ac viciſſim alios ad ſalutandum admiſſos, mandata ſua expoſuit, literis fere conſentientia; omnia Ordinibus integra fore, conſuetam regendi formam, libertatem, religionem in priſtino ſtatu manſuram, jura, privilegia, immunitates, nullo pacto imminutum iri.

Tum

INTERPR. [a] *Utrecht.* [b] *le Pere Ney, commiſſaire general des Cordeliers ou de l'Ordre de S. François.*

Tum ab Ordinibus libera ſimplicitate reſponſum, nullum tentandae compoſitionis auſpicium poſſe fieri, niſi archiduces ante omnia declaraſſent, ſe Ordines, foederataſque urbes ac provincias pro libera republica, ſuique juris et dominii populo, reputare. Sicuti Ordines ab hoc propoſito nunquam diſceſſuros apparebat, potiuſque animam, quam libertatem, amiſſuros, ita vero ſimile fiebat, Philippum obſtinate pugnaturum, ne quid contra decus praepotentis toto orbe terrarum familiae in hoc negotio admitteret; et potius futurum, ut bellum magno ſuo incommodo continuari, quam dignitatem ac nomen imminui, pateretur. Neius tamen, offenſionis ſive metus ſuſpicionem veritus, ſi ulterius contra tenderet, ſuſcepit in ſe munus omnem rem bona fide ſignificandi archiducibus. Bruxellas inde profectus, paulo poſt rediit cum literis, quarum haec ſumma erat: Nihil archiducibus prius aut antiquius eſſe, quam ut lamentabili XL annorum bello finis imponeretur, pia, fida, et aeterna pace: quae ſi protinus impetrari non poſſet, pactione induciarum ad XII, XV, aut XX annos, prout Ordinibus viſum fuerit, aequis et honeſtis conditionibus res tranſigeretur. Ad id, ut omnis fraudis et inſidiarum ſuſpicio tollatur, non alienigenarum, ſed Belgici generis et ſanguinis hominum, opera uſuros, tali numero et loco, quem ipſi Ordines praefinient. Interim, ut res commodius fieri poſſit, ultro offerre ceſſationem ab armis ad octo menſeis; quo tempore ſuperſedebitur ab omni vi hoſtili, locorum obſidionibus, clandeſtinis conatibus, novarum munitionum exſtructionibus, aliiſque molitionibus, quibus fraus pactioni induciarum fieri poſſe credatur. Lectis ſumma laetitia in conſeſſu publico, et audito Neio, re cum Mauritio communicata, ſenatus placere ſibi reſpondit conditionem ab archiducibus oblatam in ſpem ſecuturae pacis; ſe proinde curaturos, ut ad omneis, quorum intereſt, ſine mora perſcribatur: inſuper decretum, ut induciae conditionibus ab archiducibus propoſitis, quas ratas haberet, a IV Nonas Maii inchoarent, atque intra Kalendas Septembreis ab utraque parte delegati de negotio in commune diſceptaturi convenirent. Viciſſim ab archiducibus ſponſio interpoſita, Philippum regem Hiſpaniarum intra trimeſtre conventionem eam ratam habiturum, eoque nomine bina inſtrumenta confectum iri, quorum altero ratihabitio continebitur, altero regia majeſtas declarabit, ſe nihil quicquam juris praetendere in civeis, incolas, urbes et regiones foederatarum provinciarum. Miſſis ea de re ad provincias literis, inſuper pro tam inſperato bono gratiae Deo publicae actae; dictuſque dies jejunio et ſupplicationi, more inter Proteſtanteis recepto, VII Eidus Maias: dein datum [a] Theodoro Duzae Ordinum curatori negotium, ut a Neio acciperet, viciſſimque traderet, literas ad rem neceſſarias: quod ita diligenter utrinque factum, miſſis Bruxellas ad omnem ambiguitatem tollendam, et fraudis ſuſpicionem amovendam, nunciis, ut tandem de capitibus convenerit, et ſuper regundis induciarum tempore finibus terra marique obortae controverſiae ſint compoſitae. Haec ſumma publicae laetitiae ſignificatione ubique accepta; quanquam non deeſſent, qui veterem odiorum fomitem e cineribus ſuſcitare, et animos ſuſpicaces terrore praeteritorum rurſus ad belli conſilia inflammare conarentur. Delegati a rege, qui ſuo nomine negotio, quod ipſe quantum poterat in occulto urgebat, intervenirent, Petrus [b] Janinus praeſes Divionenſis, ac regii conſiſtorii aſſeſſor, candore et rerum uſu vir praeſtans et loquendo efficax, et Paulus [c] Choartius Buzenvallius, qui diu ante apud Ordines regii oratoris munere magna cum laude defunctus fuerat; et ei ſucceſſor deſtinatus Elias [d] Placius Ruſſius, Petri curiae vectigalium primarii praeſidis, de quo ad annum CIϽ IϽ LXXII diximus, filius; quibus, paucis poſtquam Hagam venerant diebus, ſenatus datus: et Janinus legationis princeps, poſt enumerata mutuae amicitiae accepta et reddita utrinque officia, oblique feſtinatam primam induciarum

INTERPR. [a] *Dirck de Does commiſſaire.* [b] *Jeannin preſident de Dijon & conſeiller d'Eſtat.* [c] *de Chouart Sr. de Buzenval.* [d] *de la Place Sr. de Ruſſy.*

CIƆ IƆCVII. HENRICUS IV.

induciarum pactionem rege inconſulto perſtrinxit, eaque re eum tanquam benignum patrem leniter offendi dixit; neque propterea non in priſtino bene merendi de amicis propoſito perſeveraturum, aut ulla in re, qua conſilio, qua copiis et opibus, defuturum, ſive pacem ſive bellum mallent. Actae ſolemni more gratiae, ut tanto regi, non vulgares; et delecti Joannes [a] Olden Barneveltius, vir dignitate et rerum tractatione inter Ordines primarius, ex Batavis; ex Zelandis Jacobus [b] Maldereus, cui plurimum tribuebat Mauritius; alii ex aliis provinciis, interque eos aerarii quaeſtor [c] Byaeus; qui cum legatis noſtris capita conferrent, eoſque publico nomine rogarent, ut rebus gerendis lucem conſilii, gratiae, auctoritatis, dum negotium pacis ſive induciarum diſceptatur, commodare dignarentur. Nec multo poſt miſſi ad magnae Britanniae regem a Batavis Joannes [d] Berkius, civitatis Dordracenae, quae ſecundum equeſtrem ordinem jus habet dicendae primo loco in conſeſſu Ordinum ſententiae, ſyndicus; a Zelandis Maldereus, vir equeſtri dignitate praeditus, et qui id [1] ſuorum Zelandorum gratia in concilio publico muneris habet, ut Mauritii perſonam ſuſtineat, et nobilium primus appelletur: qui [e] Natalem Caronium Brugenſem, dudum in illa aula res Ordinum ſumma fide procurantem, ſecum aſſumpſerunt. Rex ad Ordines legavit Richardum [f] Spenſerum equitem domus ſuae familiarem, et [g] Rodolphum Winwoodum itidem equitem, cujus opera antea apud Ordines uſus fuerat.

XVIII. Interim venere a Philippo de ratihabitione literae [h] Pinciae Carpetanorum pridie Kalendas Quintileis datae, in charta papyracea, ab eo, ea forma qua inter ſubditos utitur, ſubſignatae, EGO REX, et minuſculo ſigillo obſignatae; quibus ſe rata habere declarabat, quaecunque ab archiducibus, qui et iis totius Belgicae principes, domini, ac proprietarii nominantur, ſuper ceſſatione armorum ac ſuſpenſione tranſacta eſſent; inſuper pollicebatur ſe omnia eo ſcripto comprehenſa regali fide religioſe ſervaturum, et, quantum ad ſe pertinebat, impleturum, tanquam ſi ab initio, et ſe duce et auſpice, geſtum eſſet negotium; neque unquam commiſſurum, ut contra feciſſe dicatur. Cum multa in eo, qui turbarum occaſionem quaerebant, et in forma et ad fidem, requirerent, Ludovicus [i] Verreikenus, magnae apud archiduces dignationis et gratiae, qui ab iis miſſus ob id fuerat, culpam quoad titulos in ſcribae incogitantiam rejiciebat, qui ſolitis formulis non abſtinuiſſet; et quantum poterat defectus et admiſſa excuſabat. Contra, contemptus arguebatur in eo, quod in charta papyracea, nec in membrana, literae exaratae, et quod minuſculo ſigillo obſignatae erant: fraus item in titulis archiducibus attributis, quippe qui ex adverſo cum renunciationis propoſito pugnarent; denique in ſubſcriptione, quam ad populos ſibi ſubditos uſurpare Philippus conſueviſſet: omiſſam autem unitarum provinciarum, tanquam liberorum populorum, ſuoque jure utentis reipublicae, mentionem, non niſi pro certo fraudis praemeditatae argumento accipi poſſe; praeſertim cum conveniſſet, ut ſeparato inſtrumento Philippus diſerte declararet, nihil ſe juris in provincias unitas praetendere. Verreikenus homo prudens intempeſtivum duxit ulterius pertendere, et protinus ad archiduces revertitur; qui, prolixis literis poſtridie Kalendas Sextileis in conſeſſu Ordinum exhibitis, conati ſunt perſuadere comprobationem eorum quae ab ipſis geſta eſſent, ex Hiſpania allatam, recte et ordine conceptam videri, nec adfectatis difficultatibus, aut alia, quam qua oportuit, interpretatione, in dubium revocari debuiſſe: ſibi tamen curae fuiſſe, ut ad regem ea de re perſcriberetur; nec dubitare, quin ex reſponſione vel ſcrupuloſiorum deſideriis plene ſatisfiat. Interea rogabant, ut naves ad infeſtandam Hiſpaniae oram miſſae revocarentur; id ſibi amicae

INTERPR. [a] *Olden Barnevelt.* [b] *de Maldere.* [c] *le treſorier de Bie.* [d] *Berck conſeiller & penſionaire de Dort.* [e] *Noel de Caron de Bruges.* [f] *Spencer.* [g] *le chevalier Ralph Winwood.* [h] *Valladolid.* [i] *l'audiencier Verreicken.*

NOT. [1] *ſuorum Zelandorum.* Imo ipſe externus a Mauritio ad vices ſuas obeundas delegatus eſt, aſſentientibus Zelandis. *Put.*

amicae erga ſe voluntatis, et non averſae a pacis ſtudio, fidum pignus futurum: qua in re ſe minime difficilem ſenatus praebuit, protinuſque edixit, ſe revocaturum naveis quae ad litora Hiſpaniae diſcurſabant, piratarumque loco habituros, ſi quis illic intra ſeſquimenſem a IX Kalendas Sextileis hoſtile quidquam admiſiſſet. Tandem, poſt dies aliquot ſedendo deliberandoque conſumptos, ex concilii ſententia decretum fuit, inſtrumentum ratihabitionis imperfectum, multiſque partibus deficere. Cum hoc decreto Verreikenus Bruxellas rediit, cum, antequam dimitteretur, coram ipſo Joannes Olden-Barneveltius Bataviae advocatus gravi oratione publice conqueſtus eſſet de [a] Neio, qui pecunia et ingentibus promiſſis fidem quorundam ſolicitare in arcano non dubitaſſet: id non videri factum niſi archiducum mandatu, quos proinde Ordines rogatos vellent, ut, quantum ipſis cordi eſſet pacificationis negotium, ab ejuſmodi foedis nundinationibus erga populos, qui ſe libertate dignos judicabant, in poſterum abſtinerent. Dum literae ab Hiſpania exſpectantur, varie in utramque partem jactatum pacis negotium, et repoſita, quae in ſuperioribus diximus, per libellos ſparſa conſilia; et inter eos erant qui nunquam belli funeſti et calamitatibus finem futurum contenderent, niſi cum archiducibus tanquam legitimis principibus, praeteritorum oblivione inducta, et conditionibus idoneis ad ſecuritatem publicam et libertatis patriae conſervationem ſancitis, conveniretur: ad hocque magnitudinem Hiſpanorum imperii, qui aliter nunquam quieturi eſſent, in majus extollebant. Contra diſſerebatur, eo imbecilliorem videri, quod ſit nimis vaſtum corpus et diffuſum in partes ſejunctas, ut ſe toto uti non poſſit. Omnem poteſtatem modum ſupergreſſam, etiamſi externa vi minime oppugnetur, ſua mole collabi, ſuiſque viribus fatiſcere. Pleraſque gentes quae imperio Philippi reguntur, non liberalitate et clementia in obſequio contineri, ſed vi et terrore, quae ſunt infirma diuturnitatis vincula, compeſci. Non in munimentis et arcibus majeſtatem regiam, ſed in animorum domicilio, collocari oportere; nec late patentibus regnorum et provinciarum finibus veram magnitudinem ac potentiam, ſed fide, benevolentia, ac ſubditorum veneratione, eſſe metiendam. Abunde jam patefactum eſſe, quantis urgeatur difficultatibus et incommodis rex ille, ceteroqui potentiſſimus, quod cum tot annos una cum gente continenter bellum geſſerit, nihil aliud inſanis ſumptibus, et vix credibili ſanguinis humani profuſione, adſecutus eſt, quam ut ſuo experimento palam faceret, id verum eſſe quod ſenatus Romanus olim pronunciavit, populum non diutius, quam expediat, in ea conditione permanſurum, cujus eum poeniteat. Satis animi ac virium ſuppetere ad ſe tuendum miſeris et fortibus viris, cum leviora ſunt quae patiuntur, quam quae formidare poſſint. Regis aerario exhauſto bellum geri non poſſe, ſicuti nec inciſis nervis corpora ambulare: nec idcirco mirum videri, ſi rex Hiſpaniarum, ſuadente utilitate vel urgentibus anguſtiis, priſtinos animos remittat, eoque ſe perduci patiatur, ut conditionibus minus ſe in ſpeciem dignis, cogente neceſſitate, ſubſcribat. Proinde conſulto facturos Ordines ſi tempore utantur, et ſe, cum adprobatione tam potentis adverſarii, in libertatem, extra quam nulla ſalutis nec ſecuritatis ſpes, ſemel vindicent. Tandem pridie Eidus Octobreis Neius et Verreikenus ab archiducibus petito commeatu [b] Hagam venerunt; et impetrato ſenatu, ſcriptum novum Hiſpania allatum exhibuerunt. Eo lingua Hiſpana cum archiducibus tranſacta erant tranſcripta; tum ſequebatur Philippi ratihabitio in haec verba concepta: Poſtquam ſereniſſimi archiduces pro nobis fidem obſtrinxerunt, fore, ut literas a nobis impetrarent ratihabitionis, declarationis, et conſenſus, quo modo eas Ordines ab archiducibus obtinuerunt, nos poſt maturam deliberationem ex certa ſcientia et liberrima voluntate pro jure et regiae poteſtatis imperio conſentimus, nobiſque placet, quatenus

INTERPR. [a] *le Pere commiſſaire Ney.* [b] *la Haye.*

quatenus id noſtra intereſt, ut ſereniſſimi archiduces faciant et plene impleant quod promiſerunt, procurentque tam ſuo quam noſtro nomine pacis ſive induciarum negotium cum Ordinibus, quos habemus pro regionibus, provinciis, et populis liberis, et in quos nihil juris praetendimus; ratumque eſſe volumus et agnoſcimus quicquid ſuperiore ſcripto archiducum continetur, et id omne approbamus ſub fide et affirmatione regia. Dein, interpoſitis aliquot clauſulis, additum: ſi negotiatio pacis aut longi temporis induciarum non ſortiatur effectum, omnia integra manſura, nulliuſque momenti futuram ratihabitionem, tanquam a ſe non eſſet profecta; nec ullum eo nomine jus Ordinibus competiturum, rebus in priore ſtatu permanentibus. Lecta ratihabitione, Neius, et poſt eum ordine Verreikenus, in majus Philippi et archiducum candorem et ingenuitatem extulerunt, verbis ad pompam et oſtentationem compoſitis, et quam a fundendo humano ſanguine, inſita in genus humanum charitate, abhorrerent. Tamen cum Ordines rem in deliberationem deduxiſſent, multa in eo ſcripto reprehendebant,tum in forma,tum in contextu,quod non in membrana ſed in charta exaratum, non Philippi nomine, ſed ſuperbae inſcriptionis elogio quod ad ſuos populos ſolet uſurpare, ſubſignatum eſſet. Sed cum non haec infirmarent inſtrumenti fidem, quod certo conſtabat a Philippi manu ſubſcriptum eſſe, alia in argumentum fraudis ex ipſo ſcripto trahebantur, quod perperam negligenterque conceptum, multaque conſulto verba omiſſa eſſent, ſubſtitutis aliis, quae interpretatione detorqueri poterant, et foecundam calumniandi materiam praebere. Tentati Neius et Verreikenus ex conſilio legatorum noſtrorum et regis Magnae Britanniae, ad quos ea de re relatum fuerat, an aliud inſtrumentum a Philippo impetrari poſſet, quod omni ſuſpicionis ſcrupulo careret: et cum ab iis reſponſum eſſet, fruſtra in eo laborari, nec ſperandum ut aliud obtineatur, verendum potius, ſi toties id retractetur, ne in regiae majeſtatis offenſam incurrant; ſatis ſyngrapha illa cautum, cum ea provinciae unitae inſtar liberae civitatis, populique ſuis legibus utentis, in quos neutra pars quidquam juris ſibi vindicaret, vel Philippi et archiducum teſtimonio et approbatione cenſeantur: cum per aliquot dies ſuper ea re conſeſſum Ordinum occupatum deliberatio tenuiſſet, adhibitis regum legatis et principe Mauritio, III Non. Nov. reſponſum, Literas ratihabitionis non videri congruere cum promiſſis, vitium eſſe in ſtylo, ſubſcriptionis modo, in inſertione et omiſſione quorundam verborum; ſed praecipue in eo ſyngrapham vacillare, quod nullius momenti fore dicat ea omnia, quaecunque Philippus et archiduces ſuper agnitione libertatis provinciarum ſolemniter promiſiſſent, niſi negotium pacis aut induciarum ex voto ſuccederet: quibus verbis aperte declarari, pendere ab incerto caſu conditionem civium, nec Ordines pro ſtatuliberis reputari: ſcrupulum hunc merito potuiſſe injicere curam ancipitem amplius deliberandi, utrum longius progrediendum eſſet necne: tamen, ne tam ſalutare opus interturbetur, curaturos Ordines, ut ad urbes et provincias ſuae fidei commiſſas exempla literarum Philippi mittantur; ut intra ſeſquimenſem archiducum legati fieri poſſint certiores, utrum, nihil obſtante hoc impedimento, ad ineundam pacis aut induciarum rationem ſit procedendum. Cum tale reſponſum legatis redderetur, interrogati ſunt, an autographum regiae ratihabitionis inſtrumentum Ordinibus tradituri eſſent. Cum haererent, Neius vir impiger Bruxellas ſubito excurrit; et Hagam reverſus XVIII Kal. Dec. Ordinibus ſignificat, ſibi permiſſum ab archiducibus, ut autographum in manus eorum traderet, viciſſim accepta ab ipſis ſyngrapha, qua declararent, archiduces promiſſorum fidem impleviſſe, et promitterent depoſitum reddituros, ſi negotiatio non ſortiretur effectum. In eo rurſus cum ſententiis in conſeſſu diſſiderent Ordines, et periculum eſſet ne negotiatio ex ea occaſione abrumperetur, Neius alacri curſu Bruxellas revolat XV Kalendas Decembreis;

et

et continuo redit, cum mandatis, ut ſacrum illud ſupremi imperii pignus, ſine omni cura recipiendae cautionis, aut reſtitutionis ſtipulandae, Ordinibus utendum fruendum crederet. Quibus actis ipſe cum collega dimiſſi, et ad ſuos reverſi ſunt, exſpectabundi quid Ordines intra conſtitutum tempus decreturi eſſent. Interim exeunte Novembri e Dania reverſi ſunt Jacobus [a] Bulenius, Nic. [b] Simonius, et Jacobus [c] Magnus, qui in conſeſſu ſuae legationis rationem reddiderunt: ſe perbenigne a rege foederato acceptos, qui propediem delegatos ad eos ſe miſſurum recepit, qui cum ceterorum regum ac procerum legatis conſilia conferrent, ut, publico Chriſtiani orbis bono, pax aut induciae inter parteis conſtituerentur. Ii fuere Jacobus [d] Ulefeltius eques, et [e] Jonas Chariſius juriſconſultus: venit et [f] Hier. Diskaius ab ſeptemviro Brandeburgico; cui quod erat in mandatis datum ut nihil inſtitueret, niſi conſulto ſeptemviri Palatini legato, ejus in adventum ſeria omnia diſtulit. Nec multo poſt Hippolytus a [g] Collibus ab eo venit, vir et ſcriptis et rerum tractandarum uſu inſignis, qui raro morum candore apud omneis, qui eum norant, et amorem et auctoritatem ſibi conciliabat. Dum in eo ſunt, a Caeſare allatae literae exprobratoriae VII Eid. Oct. ſcriptae, quibus repetito patris Maximiliani a prima memoria, in procuranda Belgii pace, etiam antequam Matthias archidux rebus adminiſtrandis praeeſſet, praecipuo ſtudio, mirum ſibi videri dicebat, cum Belgium ab Imperio dependeat, ſe prorſus inſcio et inconſulto, neque ab rege Hiſpaniarum aut ab Alberto fratre monito, negotiationem de pace inſtitutam eſſe; quod cum fieri minime potuerit, cupere, antequam ulterius procedatur, certiorem fieri quo loco res ſunt, ne quid juri ſuo fraudis fiat, aut Imperii majeſtati detrahatur: quod occulto Hiſpanorum aſtu et colluſoria fraude agi, et artificioſe ignorantiam a Caeſare agnato praetendi, plerique interpretati ſunt, qui nihil, niſi conſulto illo, atque adeo adminiſtro, in eo negotio fieri ſciebant; ut ſcilicet data occaſione haec ſive expoſtulatio, ſive proteſtatio, ad elevandam vim et auctoritatem omnium, quae contra vel in fraudem hujus denunciationis geſta eſſent, aliquando prodeſſe poſſet. Serius ad eas prolixe reſcriptum, repetita viciſſim praeteritorum memoria; ſe nihil non feciſſe, ut et ſecuritati ſuae poſt tot cladeis acceptas legitime conſuleretur, et tranquillitatis provinciarum honeſtae rationes inirentur. Tandem, cogente neceſſitatis ultimae ineluctabili telo, ad extremi perfugii remedium ventum, et per magiſtratum ſacroſanctis legibus armatum, unanimi cunctorum Ordinum, qui fas omne divinum et humanum indignis modis ruptum ac violatum querebantur, conſenſu ſancitum, regem ipſo jure Belgicarum provinciarum dominio ac proprietate excidiſſe; civeiſque et incolas nullis obſequii vinculis ultra teneri, omnique fidelitatis et reverentiae, quam ſubditi principibus ſuis debent, ſacramento ſolutos eſſe. Foederatas provincias ex illo, judicio omnium qui ſtudiis partium non agitantur, pro libera ſuique juris et mancipii republica cenſeri coepiſſe; multoſque reges, proceres, ac populares ſtatus, eodem illas honore dignatos eſſe, quaſi neminem, extra Deum, agnoſcerent dominum, et liberam alterius principis ſibi deligendi poteſtatem haberent; quod et illuſtri exemplo uſurpatum in sereniſſimo [h] Andium duce, quem ſibi principem impoſuerunt. Dum ad Caeſaris literas reſpondent, praecipuum eorum caput, quo declarabat, nullius fore momenti quicquid injuſſu ſuo gereretur, ſilentio et diſſimulatione caute tranſegerunt; nec tempeſtivum duxerunt, cum ſe potentiſſimi orbis Chriſtiani monarchae jugo ſubduxiſſent, et fruſtra antea Caeſaris opem imploraſſent, ſe Imperii, quod minime inficiari poterant, ſubditos tunc profiteri. Menſe, intra quem ad archiduces reſcripturos Ordines ſe receperant, exacto, cum provinciarum delegati cum mandatis et ſcripto conceptis ſingularum ſententiis IV Non. Nov. conveniſſent, major numerus in

INTERPR. [a] *Bouliſſen.* [b] *Simonſſen.* [c] *Magnus.* [d] *Jacob Ulefelt de Ulefeltzholm.* [e] *le docteur Jonas Chariſius.* [f] *Jerome de Diskau.* [g] *de Colli.* [h] *Anjou.*

CIƆIƆCVII. HENRICUS IV.

in eam partem inclinavit, ut, quamvis in regio diplomate multa merito requiri et reprehendi poſſent, tamen in inſtituta negotiatione ulterius progrederetur, ſub hac lege nulli movenda, ut patriae libertatis fundamentum, juſque majeſtatis, tot operum impenſis, tot vigiliis ac laboribus, denique tot proeliis, et fortiſſimorum hominum, qui pro ea mortem oppetere non dubitarunt, caedibus quaeſitum, inconcuſſum, ſacroſanctum, et inviolabile maneat. Secundum haec literae ad archiduces exeunte anno miſſae, quibus Ordines declarabant ſub ea proteſtatione, quam poſtridie Kalendas Novembreis ſancierant, ſe paratos cum iis, quos ipſis viſum eſſet legare, in colloquium venire, ut de pace ſive induciis agatur : et, quoniam pactarum in VIII menſeis induciarum tempus pridie Nonas Januarias exibat, archiducum arbitrio relinquebant, expenderent, an eas in menſem aut ſeſqui prorogari conſultum ducerent. Auditi et tunc in conſeſſu Caroli Sueciae regis legati, non ut negotio inſtituto intervenirent ab eo miſſi, ſed ut militem ſcriberent ad bellum cum Polonis gerendum : qui ob eandem cauſam in Galliam venerunt, perbenigne accepti, et voti compotes in patriam redierunt. Rex quippe, qui hominibus otii impatientibus regnum exonerare non gravate ferebat, ultra eos qui ſponte huic militiae nomen dederunt, pleriſque qui ad triremeis et opera publica damnati erant, poenam remiſit, ea lege, ut in Sueciam ſub attributis ducibus navigarent, et bene gerendo ac diſciplinam ſervantes maleficiorum antiquorum infamiam expiarent.

*FINIS HISTORIARUM THUANI.*



# KALENDARIVM ROMANVM,

## *Quod ſtylo utrique in adverſa* TABVLA *pariter accommodari poteſt.*

| IANVARIVS. | FEBRVARIVS. | MARTIVS. | APRILIS. | MAIVS. | IVNIVS. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 *Kalendae* Jan. | 1 *Kalendae* Febr. | 1 *Kalendae* Mart. | 1 *Kalendae* Apriles | 1 *Kalendae* Maiae | 1 *Kalendae* Juniae |
| 2 IV Nonas | 2 IV Nonas | 2 VI Nonas | 2 IV Nonas | 2 VI Nonas | 2 IV Nonas |
| 3 III Nonas | 3 III Nonas | 3 V Nonas | 3 III Nonas | 3 V Nonas | 3 III Nonas |
| 4 pridie Nonas | 4 pridie Nonas | 4 IV Nonas | 4 pridie Nonas | 4 IV Nonas | 4 pridie Nonas |
| 5 *Nonae* Januariae | 5 *Nonae* Febr. | 5 III Nonas | 5 *Nonae* Apriles | 5 III Nonas | 5 *Nonae* Juniae |
| 6 VIII Idus | 6 VIII Idus | 6 pridie Nonas | 6 VIII Idus | 6 pridie Nonas | 6 VIII Idus |
| 7 VII Idus | 7 VII Idus | 7 *Nonae* Martiae | 7 VII Idus | 7 *Nonae* Maiae | 7 VII Idus |
| 8 VI Idus | 8 VI Idus | 8 VIII Idus | 8 VI Idus | 8 VIII Idus | 8 VI Idus |
| 9 V Idus | 9 V Idus | 9 VII Idus | 9 V Idus | 9 VII Idus | 9 V Idus |
| 10 IV Idus | 10 IV Idus | 10 VI Idus | 10 IV Idus | 10 VI Idus | 10 IV Idus |
| 11 III Idus | 11 III Idus | 11 V Idus | 11 III Idus | 11 V Idus | 11 III Idus |
| 12 pridie Idus | 12 pridie Idus | 12 IV Idus | 12 pridie Idus | 12 IV Idus | 12 pridie Idus |
| 13 *Idus* Januariae | 13 *Idus* Februariae | 13 III Idus | 13 *Idus* Apriles | 13 III Idus | 13 *Idus* Juniae |
| 14 XIX Kal. Febr. | 14 XVI Kal. Mart. | 14 pridie Idus | 14 XVIII Kal. Mai. | 14 pridie Idus | 14 XVIII Kal. Quint. |
| 15 XVIII Kal. Feb. | 15 XV Kal. Mart. | 15 *Idus* Martiae | 15 XVII Kal. Mai. | 15 *Idus* Maiae | 15 XVII Kal. Quint. |
| 16 XVII Kal. Febr. | 16 XIV Kal. Mart. | 16 XVII Kal. April. | 16 XVI Kal. Mai. | 16 XVII Kal. Jun. | 16 XVI Kal. Quint. |
| 17 XVI Kal. Febr. | 17 XIII Kal. Mart. | 17 XVI Kal. April. | 17 XV Kal. Mai. | 17 XVI Kal. Jun. | 17 XV Kal. Quint. |
| 18 XV Kal. Febr. | 18 XII Kal. Mart. | 18 XV Kal. April. | 18 XIV Kal. Mai. | 18 XV Kal. Jun. | 18 XIV Kal. Quint. |
| 19 XIV Kal. Febr. | 19 XI Kal. Mart. | 19 XIV Kal. April. | 19 XIII Kal. Mai. | 19 XIV Kal. Jun. | 19 XIII Kal. Quint. |
| 20 XIII Kal. Febr. | 20 X Kal. Mart. | 20 XIII Kal. April. | 20 XII Kal. Mai. | 20 XIII Kal. Jun. | 20 XII Kal. Quint. |
| 21 XII Kal. Febr. | 21 IX Kal. Mart. | 21 XII Kal. April. | 21 XI Kal. Mai. | 21 XII Kal. Jun. | 21 XI Kal. Quint. |
| 22 XI Kal. Febr. | 22 VIII Kal. Mart. | 22 XI Kal. April. | 22 X Kal. Mai. | 22 XI Kal. Jun. | 22 X Kal. Quint. |
| 23 X Kal. Febr. | 23 VII Kal. Mart. | 23 X Kal. April. | 23 IX Kal. Mai. | 23 X Kal. Jun. | 23 IX Kal. Quint. |
| 24 IX Kal. Febr. | 24 VI Kal. Mart. | 24 IX Kal. April. | 24 VIII Kal. Mai. | 24 IX Kal. Jun. | 24 VIII Kal. Quint. |
| 25 VIII Kal. Febr. | *Ann. communi,* | 25 VIII Kal. April. | 25 VII Kal. Mai. | 25 VIII Kal. Jun. | 25 VII Kal. Quint. |
| 26 VII Kal. Febr. | 25 V Kal. Mart. | 26 VII Kal. April. | 26 VI Kal. Mai. | 26 VII Kal. Jun. | 26 VI Kal. Quint. |
| 27 VI Kal. Febr. | 26 IV Kal. Mart. | 27 VI Kal. April. | 27 V Kal. Mai. | 27 VI Kal. Jun. | 27 V Kal. Quint. |
| 28 V Kal. Febr. | 27 III Kal. Mart. | 28 V Kal. April. | 28 IV Kal. Mai. | 28 V Kal. Jun. | 28 IV Kal. Quint. |
| 29 IV Kal. Febr. | 28 pridie Kal. Mart. | 29 IV Kal. April. | 29 III Kal. Mai. | 29 IV Kal. Jun. | 29 III Kal. Quint. |
| 30 III Kal. Febr. | *Ann. biſſextili,* | 30 III Kal. April. | 30 pridie Kal. Mai. | 30 III Kal. Jun. | 30 pridie Kal. Quint. |
| 31 pridie Kal. Febr. | 25 *bis* VI Kal Mart. | 31 pridie Kal. April. | | 31 pridie Kal. Jun. | |
| | 26 V Kal. Mart. | | | | |
| | 27 IV Kal. Mart. | | | | |
| | 28 III Kal. Mart. | | | | |
| | 29 pridie Kal. Mart. | | | | |

| QVINTILIS, *qui et* IVLIVS. | SEXTILIS, *qui et* AVGVSTVS. | SEPTEMBER. | OCTOBER. | NOVEMBER. | DECEMBER. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 *Kalendae* Quint. | 1 *Kalendae* Sext. | 1 *Kalendae* Sept. | 1 *Kalendae* Oct. | 1 *Kalendae* Nov. | 1 *Kalendae* Dec. |
| 2 VI Nonas | 2 IV Nonas | 2 IV Nonas | 2 VI Nonas | 2 IV Nonas | 2 IV Nonas |
| 3 V Nonas | 3 III Nonas | 3 III Nonas | 3 V Nonas | 3 III Nonas | 3 III Nonas |
| 4 IV Nonas | 4 pridie Nonas | 4 pridie Nonas | 4 IV Nonas | 4 pridie Nonas | 4 pridie Nonas |
| 5 III Nonas | 5 *Nonae* Sext. | 5 *Nonae* Sept. | 5 III Nonas | 5 *Nonae* Nov. | 5 *Nonae* Dec. |
| 6 pridie Nonas | 6 VIII Idus | 6 VIII Idus | 6 pridie Nonas | 6 VIII Idus | 6 VIII Idus |
| 7 *Nonae* Quint. | 7 VII Idus | 7 VII Idus | 7 *Nonae* Octobres | 7 VII Idus | 7 VII Idus |
| 8 VIII Idus | 8 VI Idus | 8 VI Idus | 8 VIII Idus | 8 VI Idus | 8 VI Idus |
| 9 VII Idus | 9 V Idus | 9 V Idus | 9 VII Idus | 9 V Idus | 9 V Idus |
| 10 VI Idus | 10 IV Idus | 10 IV Idus | 10 VI Idus | 10 IV Idus | 10 IV Idus |
| 11 V Idus | 11 III Idus | 11 III Idus | 11 V Idus | 11 III Idus | 11 III Idus |
| 12 IV Idus | 12 pridie Idus | 12 pridie Idus | 12 IV Idus | 12 pridie Idus | 12 pridie Idus |
| 13 III Idus | 13 *Idus* Sext. | 13 *Idus* Septembres | 13 III Idus | 13 *Idus* Nov. | 13 *Idus* Decembres |
| 14 pridie Idus | 14 XIX Kal. Sept. | 14 XVIII Kal. Oct. | 14 pridie Idus | 14 XVIII Kal. Dec. | 14 XIX Kal. Jan. |
| 15 *Idus* Quint. | 15 XVIII Kal. Sept. | 15 XVII Kal. Oct. | 15 *Idus* Octobres | 15 XVII Kal. Dec. | 15 XVIII Kal. Jan. |
| 16 XVII Kal. Sext. | 16 XVII Kal. Sept. | 16 XVI Kal. Oct. | 16 XVII Kal. Nov. | 16 XVI Kal. Dec. | 16 XVII Kal. Jan. |
| 17 XVI Kal. Sext. | 17 XVI Kal. Sept. | 17 XV Kal. Oct. | 17 XVI Kal. Nov. | 17 XV Kal. Dec. | 17 XVI Kal. Jan. |
| 18 XV Kal. Sext. | 18 XV Kal. Sept. | 18 XIV Kal. Oct. | 18 XV Kal. Nov. | 18 XIV Kal. Dec. | 18 XV Kal. Jan. |
| 19 XIV Kal. Sext. | 19 XIV Kal. Sept. | 19 XIII Kal. Oct. | 19 XIV Kal. Nov. | 19 XIII Kal. Dec. | 19 XIV Kal. Jan. |
| 20 XIII Kal. Sext. | 20 XIII Kal. Sept. | 20 XII Kal. Oct. | 20 XIII Kal. Nov. | 20 XII Kal. Dec. | 20 XIII Kal. Jan. |
| 21 XII Kal. Sext. | 21 XII Kal. Sept. | 21 XI Kal. Oct. | 21 XII Kal. Nov. | 21 XI Kal. Dec. | 21 XII Kal. Jan. |
| 22 XI Kal. Sext. | 22 XI Kal. Sept. | 22 X Kal. Oct. | 22 XI Kal. Nov. | 22 X Kal. Dec. | 22 XI Kal. Jan. |
| 23 X Kal. Sext. | 23 X Kal. Sept. | 23 IX Kal. Oct. | 23 X Kal. Nov. | 23 IX Kal. Dec. | 23 X Kal. Jan. |
| 24 IX Kal. Sext. | 24 IX Kal. Sept. | 24 VIII Kal. Oct. | 24 IX Kal. Nov. | 24 VIII Kal. Dec. | 24 IX Kal. Jan. |
| 25 VIII Kal. Sext. | 25 VIII Kal. Sept. | 25 VII Kal. Oct. | 25 VIII Kal. Nov. | 25 VII Kal. Dec. | 25 VIII Kal. Jan. |
| 26 VII Kal. Sext. | 26 VII Kal. Sept. | 26 VI Kal. Oct. | 26 VII Kal. Nov. | 26 VI Kal. Dec. | 26 VII Kal. Jan. |
| 27 VI Kal. Sext. | 27 VI Kal. Sept. | 27 V Kal. Oct. | 27 VI Kal. Nov. | 27 V Kal. Dec. | 27 VI Kal. Jan. |
| 28 V Kal. Sext. | 28 V Kal. Sept. | 28 IV Kal. Oct. | 28 V Kal. Nov. | 28 IV Kal. Dec. | 28 V Kal. Jan. |
| 29 IV Kal. Sext. | 29 IV Kal. Sept. | 29 III Kal Oct. | 29 IV Kal. Nov. | 29 III Kal. Dec. | 29 IV Kal. Jan. |
| 30 III Kal. Sext. | 30 III Kal. Sept. | 30 pridie Kal. Oct. | 30 III Kal. Nov. | 30 pridie Kal. Dec. | 30 III Kal. Jan. |
| 31 pridie Kal. Sext. | 31 pridie Kal. Sept | | 31 pridie Kal. Nov. | | 31 pridie Kal. Jan. |

# T A B V L A,

Qua collatio ſtyli novi ſive Gregoriani cum vetere ſive Juliano uſque ad annum MDCC exhibetur.

*Computatio Gregoriana anno* MDLXXXII *Romae quinto die Octobris, in Gallia autem die decimò Decembris, ſtylo vetere, primum recepta fuit.*

| IANVARIVS. | | | FEBRVARIVS. | | | MARTIVS. | | | | APRILIS. | | | MAIVS. | | | IVNIVS. | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| St. Gr. | Stylo Julian. | | St. Gr. | Stylo Julian. | | St. Gr. | Stylo Julian. Ann. comm. | | Ann. biſſ. | St. Gr. | Stylo Julian. | | St. Gr. | Stylo Julian. | | St. Gr. | Stylo Julian. | |
| 1 | Decemb. | 22 | 1 | Januar. | 22 | 1 | Februar. | 19 | Feb. 20 | 1 | Martii | 22 | 1 | Aprilis | 21 | 1 | Maii | 22 |
| 2 | | 23 | 2 | | 23 | 2 | | 20 | 21 | 2 | | 23 | 2 | | 22 | 2 | | 23 |
| 3 | | 24 | 3 | | 24 | 3 | | 21 | 22 | 3 | | 24 | 3 | | 23 | 3 | | 24 |
| 4 | | 25 | 4 | | 25 | 4 | | 22 | 23 | 4 | | 25 | 4 | | 24 | 4 | | 25 |
| 5 | | 26 | 5 | | 26 | 5 | | 23 | 24 | 5 | | 26 | 5 | | 25 | 5 | | 26 |
| 6 | | 27 | 6 | | 27 | 6 | | 24 | 25 | 6 | | 27 | 6 | | 26 | 6 | | 27 |
| 7 | | 28 | 7 | | 28 | 7 | | 25 | 26 | 7 | | 28 | 7 | | 27 | 7 | | 28 |
| 8 | | 29 | 8 | | 29 | 8 | | 26 | 27 | 8 | | 29 | 8 | | 28 | 8 | | 29 |
| 9 | | 30 | 9 | | 30 | 9 | | 27 | 28 | 9 | | 30 | 9 | | 29 | 9 | | 30 |
| 10 | | 31 | 10 | | 31 | 10 | | 28 | 29 | 10 | | 31 | 10 | | 30 | 10 | | 31 |
| 11 | Januar. | 1 | 11 | Februar. | 1 | 11 | Martii | 1 | 1 | 11 | Aprilis | 1 | 11 | Maii | 1 | 11 | Junii | 1 |
| 12 | | 2 | 12 | | 2 | 12 | | 2 | 2 | 12 | | 2 | 12 | | 2 | 12 | | 2 |
| 13 | | 3 | 13 | | 3 | 13 | | 3 | 3 | 13 | | 3 | 13 | | 3 | 13 | | 3 |
| 14 | | 4 | 14 | | 4 | 14 | | 4 | 4 | 14 | | 4 | 14 | | 4 | 14 | | 4 |
| 15 | | 5 | 15 | | 5 | 15 | | 5 | 5 | 15 | | 5 | 15 | | 5 | 15 | | 5 |
| 16 | | 6 | 16 | | 6 | 16 | | 6 | 6 | 16 | | 6 | 16 | | 6 | 16 | | 6 |
| 17 | | 7 | 17 | | 7 | 17 | | 7 | 7 | 17 | | 7 | 17 | | 7 | 17 | | 7 |
| 18 | | 8 | 18 | | 8 | 18 | | 8 | 8 | 18 | | 8 | 18 | | 8 | 18 | | 8 |
| 19 | | 9 | 19 | | 9 | 19 | | 9 | 9 | 19 | | 9 | 19 | | 9 | 19 | | 9 |
| 20 | | 10 | 20 | | 10 | 20 | | 10 | 10 | 20 | | 10 | 20 | | 10 | 20 | | 10 |
| 21 | | 11 | 21 | | 11 | 21 | | 11 | 11 | 21 | | 11 | 21 | | 11 | 21 | | 11 |
| 22 | | 12 | 22 | | 12 | 22 | | 12 | 12 | 22 | | 12 | 22 | | 12 | 22 | | 12 |
| 23 | | 13 | 23 | | 13 | 23 | | 13 | 13 | 23 | | 13 | 23 | | 13 | 23 | | 13 |
| 24 | | 14 | 24 | | 14 | 24 | | 14 | 14 | 24 | | 14 | 24 | | 14 | 24 | | 14 |
| 25 | | 15 | 25 | | 15 | 25 | | 15 | 15 | 25 | | 15 | 25 | | 15 | 25 | | 15 |
| 26 | | 16 | 26 | | 16 | 26 | | 16 | 16 | 26 | | 16 | 26 | | 16 | 26 | | 16 |
| 27 | | 17 | 27 | | 17 | 27 | | 17 | 17 | 27 | | 17 | 27 | | 17 | 27 | | 17 |
| 28 | | 18 | 28 | | 18 | 28 | | 18 | 18 | 28 | | 18 | 28 | | 18 | 28 | | 18 |
| 29 | | 19 | | *Ann. biſſ.* | | 29 | | 19 | 19 | 29 | | 19 | 29 | | 19 | 29 | | 19 |
| 30 | | 20 | 29 | | 19 | 30 | | 20 | 20 | 30 | | 20 | 30 | | 20 | 30 | | 20 |
| 31 | | 21 | | | | 31 | | 21 | 21 | | | | 31 | | 21 | | | |

| IVLIVS. | | | AVGVSTVS. | | | SEPTEMBER. | | | OCTOBER. | | | NOVEMBER. | | | DECEMBER. | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| St. Gr. | Stylo Julian. | | St. Gr. | Stylo Julian. | | St. Gr. | Stylo Julian. | | St. Gr. | Stylo Julian. | | St. Gr. | Stylo Julian. | | St. Gr. | Stylo Julian. | |
| 1 | Junii | 21 | 1 | Julii | 22 | 1 | Auguſt. | 22 | 1 | Septemb. | 21 | 1 | Octob. | 22 | 1 | Novemb. | 21 |
| 2 | | 22 | 2 | | 23 | 2 | | 23 | 2 | | 22 | 2 | | 23 | 2 | | 22 |
| 3 | | 23 | 3 | | 24 | 3 | | 24 | 3 | | 23 | 3 | | 24 | 3 | | 23 |
| 4 | | 24 | 4 | | 25 | 4 | | 25 | 4 | | 24 | 4 | | 25 | 4 | | 24 |
| 5 | | 25 | 5 | | 26 | 5 | | 26 | 5 | | 25 | 5 | | 26 | 5 | | 25 |
| 6 | | 26 | 6 | | 27 | 6 | | 27 | 6 | | 26 | 6 | | 27 | 6 | | 26 |
| 7 | | 27 | 7 | | 28 | 7 | | 28 | 7 | | 27 | 7 | | 28 | 7 | | 27 |
| 8 | | 28 | 8 | | 29 | 8 | | 29 | 8 | | 28 | 8 | | 29 | 8 | | 28 |
| 9 | | 29 | 9 | | 30 | 9 | | 30 | 9 | | 29 | 9 | | 30 | 9 | | 29 |
| 10 | | 30 | 10 | | 31 | 10 | | 31 | 10 | | 30 | 10 | | 31 | 10 | | 30 |
| 11 | Julii | 1 | 11 | Auguſt. | 1 | 11 | Septemb. | 1 | 11 | Octob. | 1 | 11 | Novemb. | 1 | 11 | Decemb. | 1 |
| 12 | | 2 | 12 | | 2 | 12 | | 2 | 12 | | 2 | 12 | | 2 | 12 | | 2 |
| 13 | | 3 | 13 | | 3 | 13 | | 3 | 13 | | 3 | 13 | | 3 | 13 | | 3 |
| 14 | | 4 | 14 | | 4 | 14 | | 4 | 14 | | 4 | 14 | | 4 | 14 | | 4 |
| 15 | | 5 | 15 | | 5 | 15 | | 5 | 15 | | 5 | 15 | | 5 | 15 | | 5 |
| 16 | | 6 | 16 | | 6 | 16 | | 6 | 16 | | 6 | 16 | | 6 | 16 | | 6 |
| 17 | | 7 | 17 | | 7 | 17 | | 7 | 17 | | 7 | 17 | | 7 | 17 | | 7 |
| 18 | | 8 | 18 | | 8 | 18 | | 8 | 18 | | 8 | 18 | | 8 | 18 | | 8 |
| 19 | | 9 | 19 | | 9 | 19 | | 9 | 19 | | 9 | 19 | | 9 | 19 | | 9 |
| 20 | | 10 | 20 | | 10 | 20 | | 10 | 20 | | 10 | 20 | | 10 | 20 | | 10 |
| 21 | | 11 | 21 | | 11 | 21 | | 11 | 21 | | 11 | 21 | | 11 | 21 | | 11 |
| 22 | | 12 | 22 | | 12 | 22 | | 12 | 22 | | 12 | 22 | | 12 | 22 | | 12 |
| 23 | | 13 | 23 | | 13 | 23 | | 13 | 23 | | 13 | 23 | | 13 | 23 | | 13 |
| 24 | | 14 | 24 | | 14 | 24 | | 14 | 24 | | 14 | 24 | | 14 | 24 | | 14 |
| 25 | | 15 | 25 | | 15 | 25 | | 15 | 25 | | 15 | 25 | | 15 | 25 | | 15 |
| 26 | | 16 | 26 | | 16 | 26 | | 16 | 26 | | 16 | 26 | | 16 | 26 | | 16 |
| 27 | | 17 | 27 | | 17 | 27 | | 17 | 27 | | 17 | 27 | | 17 | 27 | | 17 |
| 28 | | 18 | 28 | | 18 | 28 | | 18 | 28 | | 18 | 28 | | 18 | 28 | | 18 |
| 29 | | 19 | 29 | | 19 | 29 | | 19 | 29 | | 19 | 29 | | 19 | 29 | | 19 |
| 30 | | 20 | 30 | | 20 | 30 | | 20 | 30 | | 20 | 30 | | 20 | 30 | | 20 |
| 31 | | 21 | 31 | | 21 | | | | 31 | | 21 | | | | 31 | | 21 |

# NIC. RIGALTII
# DE REBUS GALLIAE
## A FINE JAC. AUG. THUANI
## LIBRI TRES.

# DE REBUS GALLIAE A FINE JAC. AUG. THUANI

## LIBER PRIMUS.

CIↃ IↃC VII.

HENRICUS IV.

PROSPERA Henrici fortitudine variis domi factionibus, quas externi principes clandeſtina molitione ſolicitaverant, abſque ullo tumultu repreſſis, pax alta omnem ubique Galliam confovebat. Sed adſuetus armis et bello princeps pacis artibus ita fruebatur, ut rerum militarium gloria, qua certe ſummis ducibus anteibat, humana omnia contineri exiſtimaret. Itaque, partam bello pacem armis tutandam ratus, quum ante annos aliquot, Maximiliano [a] Bethuna Sullio procurante, urbis armamentarium omni genere armorum telorumque inſtruxiſſet, ejuſdem diligentia ſolertiaque feroci etiam pecuniarum theſauros habere coepit, unde, quoties occaſio poſceret, omnia ad exercitus comparandos neceſſaria promere nullo negotio poſſet. Sullius igitur augendae quotannis gazae regiae ſummo ſtudio incumbebat, et nova in dies quaeſtuum maximorum compendia ſuggerebantur, injuſta fere ac turpia. Tamen inter alia perpauca hoc juſtiſſimum venit, in regiae pecuniae quaeſtores ac diſpenſatores inquiri. Id genus hominum in urbe potens omnes judiciorum indagines et leges peculatus antea latas evaſerat, aut corruperat, niſi quod impetratis veniae codicillis falſi crimen diſertiſſime ſemper excipiebatur.

EDICTUM igitur ineunte anno CIↃ IↃC VII conditum, ac pridie Kalendas Apriles in acta ſenatus relatum, quo juſtitiae tribunal, probroſa ceteris tribunalibus appellatione, inſtituitur; datique extra ordinem judices, qui delatores audirent, in eoſque omnes qui falſis mandatis, aut ſuppoſitis perſonis, falſis aut repetitis fraudulenter imputationibus, pecuniaeve non acceptae mendacio, peculatum feciſſe arguerentur, legibus animadverterent. Atque ut criminis architecti, qui ſtrophis ſuis denſiſſimas nubes objicere ſolent, per ipſos fraudis artifices et miniſtros erui promptius ac detegi poſſent, eodem edicto cautum, impune fore conſciis omnibus qui reos primi detuliſſent; omnibus item qui, antequam deferrentur, fraude profeſſa, nummos ablatos reſtitutum irent: ceteris delatoribus promiſſa praemia, mulctarum pro delatis quibuſque criminibus dicendarum ſextantes. Edicto propoſito accuſati aliquot, nonnulli etiam comprehenſi; unus et alter, affixa patibulo tabella cum effigie et elogio, contumacium poena damnati. Quamplurimos pavor inceſſit. Mox et nobiliſſimae paſſim familiae, quae cum iis ſeſe adfinitatis aut neceſſitudinum nexu caeca divitiarum cupiditate junxerant, turbatae. Qua quiſque auctoritate aut amicitia apud recuperatores pollebat, judiciorum ordinem ſuſtineri poſtulant; ac demum obnixis erga regem prenſationibus, per magnates, perque principes foeminas, quae gratia maxime florebant, evincunt, ut negotium nummorum cauſa ſuſceptum librarum Francicarum millibus decies centenis, impendio prae fama peculatus leviſſimo, tranſigeretur. Nummis in arcam regiam relatis, praeterita omnia quaeſturae male adminiſtratae crimina aboleri ſilentio placuit. Edictoque contrario VI Eid. Septembr. invidioſum illud juſtitiae tribunal abrogatum, hoc colore, ne reorum peragendorum multitudine praecipuas urbium clariſſimarum familias contaminari contingeret; graviore ſcilicet ignominia ſupplicii quam ſceleris.

INTER

INTERPR. [a] *de Bethune duc de Sully.*

CIↃIↃCVII. Inter haec regina xvi Kalendas Maias ad [a] Blaudi-Fontem in arce regia filium HENRICUS IV. peperit, ducem [b] Aurelianenſium; nam ita vocitari ſecundum regis filium, vigente appellatione Delphini, mos eſt. Nuncio in urbem allato, gratias Deo dixere ordines cuncti, accenſique paſſim per vias ignes, publicae laetitiae ſigna. Rex, optatiſſimo partu conjugis, duorum filiorum parens, et jam duplicati pignoris fiducia ſecurior, bona omnia, quae, quum eſt regnum adeptus, dominii feudalis, nec regis Navarrae titulo, poſſidebat, in unum corpus coronae Galliae coaluiſſe declaravit, eodemque ac ceteras regni partes jure haberi ſanxit: edicto quidem alias ſupervacuo, quum feudi conditione, ſeu lege regni, ipſo momento quo regi deceſſori ſucceditur, dominiorum novi principis et Franciae conſolidatio fiat.

Verum Henricus initio regni datis literis, quibus edicebat ſeparationem bonorum ac diſtincta dominia fore, ſenatus Pariſienſis auctoritatem ſubſcribi quum obtinere juſſionibus repetitis haud potuiſſet, aeris alieni fidem, et fraternae in ſororem unicam pietatis affectum, cauſatus, [c] curiae Toloſanae aſſenſum expreſſerat. Hoc igitur anno Jacobus [d] Gueſlaeus procurator regius, qui ſeparationis edicto conſtantiſſime reſtiterat, bonam occaſionem retractandi negotii nactus, hoc rerum ſtatu, regis conjugio duobus maſculis beato, Catharina ſorore, cujus praecipue affectu ſeparatio illa tantopere urgebatur, triennio ante ſine liberis defuncta, rem denuo tentat, perſcriptaſque libello interceſſionis ſuae rationes penſitari flagitat. Ea dominiorum ſeparatione regni majeſtatem minui, quam contraria communicatione maximi retro principes exemplo poſteris praeclaro ampliſſimam reliquerunt. Regem cum Franciae corona, quaſi connubii ſacramento, mutuae communitatis obligationem pepigiſſe. Habere penes ſe dotem ab ea nobiliſſimam, omnia Franciae jura: aequum igitur eſſe, atque etiam regi glorioſum, ut hypoboli nomine ſua quoque bona ac jura Francicorum appellatione et conditione cenſeantur, fiantque per confuſionis unitatem nobiliora. Creditores ſuos haud pejore loco fore; habituros debitorem, praeter Navarrae, etiam Franciae regem. Sorore autem amiſſa, nullo jam ſucceſſionis transferendae voto teneri. In ſumma, regi filiorum patri nihil regni ſui amplificatione gratius aut charius eſſe oportere. His rationibus Henricus flecti coepit: tandemque edictum, uti ſupra memoravimus, permiſit, quo literae ſeparationis, cum iiſque una ſenatus-conſultorum ſubſcriptiones, ſalvo creditorum jure abrogarentur. Quod in ſenatu Pariſienſi vi Kal. Septembreis, cunctis comprobantibus, recitatum; inde et in ceteris ſupremae juriſdictionis tribunalibus promulgatum. Pridie Kalendas ſequentes rex voluptariis charitatibus indulgentiſſimus, in acta referri juſſit aliud diploma, quo [e] Vindocinenſem ducatum Caeſari, ſuo ex [f] Gabrielide filio, donatum, antelato unionis edicto non comprehendi declaravit.

Ad publica regni et eccleſiae, quam in regno eſſe dicimus, jura etiam pertinet, quod in ejuſdem ſenatus actis reperitur; leve quidem, ſi perſonam tantum ſpectamus; ſi rem ipſam, non contemnendum. Georgius [g] Creightonus natione Scotus, quum in ſcholis Pariſienſibus aetatem arte paedagogica triviſſet, ſexagenario proximus inter regios rhetoricae profeſſores allectus eſt. Quum neque hoc ſatis ſibi eſſe crederet, repente ex rhetore pontificii juris anteceſſor dici voluit. Itaque, ut moris eſt, periculum doctrinae facturus, ſelectas aliquot juris illius ſententias publicae diſputationi propoſuit, inſcripſitque Jacobo [h] Davio Perronio cardinali. Iis autem duas inſperſit animadverſione dignas: unam, ad pontificem Romanum ſolum ſupremam Apoſtolicae ſucceſſionis auctoritatem, juriſdictionem in omnes Chriſtianos ſpiritualem, in patrimonio eccleſiae temporalem etiam poteſtatem, pertinere; pontificem et principem, etſi legibus ſoluti non ſint, poſſe tamen ſubditos ſolvere; et hunc eſſe comitiis

INTERPR. [a] *Fontainebleau.* [b] *d'Orleans.* [c] *le parlement de Toulouſe.* [d] *de la Gueſle procureur general.* [e] *de Vendoſme.* [f] *Gabrielle d'Eſtrées ducheſſe de Beaufort.* [g] *Creighton.* [h] *Davy du Perron.*

CIϽ IϽC VII.
HENRICUS IV.

comitiis ſuperiorem, illum conciliis: alteram, excommunicationem nuda cogitatione nonnunquam incurri; eaque ob unius noxam jure plerumque familiam omnem et civitatem feriri. Haec quum legiſſent procurationis regiae treſviri, minime eſſe diſſimulanda cenſuerunt: etenim ſub intricata ſententiarum perplexitate ſerpere dogmata priſcis eccleſiae moribus, Chriſtianae concordiae charitatique, contraria: dolo malo committi cum regia poteſtate apoſtolicam, toto coelo ab illa diſparatam. Laudata ab ſenatu cenſura, treſviri ex ſenatus-conſulto hominem vocari jubent, graviter increpant, diſputationem haberi vetant. Quum is poſtridie ſupplicaſſet, ut, expuncto capite quo pontificem Romanum conciliis ſuperiorem eſſe dicebat, reliqua proponere liceret, treſviri, rejecta conditione minus idonea, per occaſionem omnes ſcholae decretalis anteceſſores monendos cenſuerunt, ne quid in poſterum conſimili temeritate peccaretur. Itaque ſecundum haec XIII Kal. Jan. factum ſenatus-conſultum. Anteceſſores et [a] Creightonus adeſſe juſſi, ſevera interminatione ab Harlaeo praeſide admonentur, propoſitiones iſtas diſputari ſenatui non placere. Ne quid acerbiùs ſtatueretur, datum aetati hominis non nihil ſupra vulgus grammaticorum docti, datum precibus complurium ex ampliſſimo ordine, quorum ille adoleſcentiam et ſtudia rexerat.

MAJORIS ſtrepitus negotium eodem fere tempore in magno comitivae regiae concilio agitabatur. Nota eſt ex [1] Annalibus Thuani [b] hydrae [c] Rotomagenſis fabula, ſimul et privilegii quod [d] Romano epiſcopo vita functo ab [e] Audoeno ſucceſſore, Dagoberti I temporibus, irrogatum fuiſſe aiunt. Eo ſe tuebatur Guillelmus [f] Mota Pehutus caedis atrociſſimae reus, qua [g] Franciſcus Momorantius Halotus ante annos ſedecim ab Chriſtophoro Alegriae marchione per ſalutationis officium ſummo ſcelere pugionum ictibus confoſſus fuerat. Pehutum dimitti poſtulabant archiepiſcopus et canonici Rotomagenſes; nam alias eccleſiae jura violari: reum, ſuis ſuffragiis electum, ſolemni pompa Romani feretrum ſubiiſſe; eo piaculo crimen expiaſſe: ſic abſolutum repeti non licere. Contra dixit pro Haloti vidua Dionyſius [h] Butillerius clariſſimi nominis patronus; omnia illa de ſerpente horribili, de reo vinculis ſoluto, de privilegio per Audoenum impetrato, vana eſſe circulatorum commenta. Rem nullius fidei, de qua, ex tot ſcriptoribus qui per annos mille ab Dagoberto vixerunt, nemo unus quicquam tradiderit, pro certis et indubitatis ſanctiſſimi epiſcopi miraculis obtrudi, aut falſo pietatis obtentu facinoroſos legibus eripi, non ferendum eſſe judicibus Chriſtianae veritatis amantibus. Rotomagenſes privilegii ſui falſo concepti nullos proferre codicillos antiquiores Ludovici XII temporibus. Nec mirum videri, ſi qui, ambitione ducti, religionis ſpecie fucum fecerint conſiliariis optimi principis bellorum expeditionibus occupati, Gallia tunc altiſſimis adhuc ignorantiae tenebris merſa. Hodierna vero literarum luce, quum ad praeterita reſpicientibus Sigeberti et Adonis chronica Dagobertum triennio ante Romanum obiiſſe dicant, adhuc tamen caecutire velle, non eſſe mediocris inſaniae. Uſu pravo et infinito privilegium illud, quod remota fabula in gratiam epiſcopi fortean ad homicidia caſu miſerabili facta tolerari potuiſſet, ad nefarias caedes, veneficia, adulteria, paricidia, ſtupra, et ad quae non ſcelera? extendi: quin et conſcios omnes eadem nebula involvi. Ea re anno CIϽ IϽ XCVII Rotomagenſibus ab Henrico magno privilegium confirmari nota importunitate flagitantibus prudentiſſimum principem edixiſſe, uti ne deinceps in divinae aut regiae majeſtatis, falſae monetae, caedis per inſidias factae, ſtupri per vim illati, judiciis ulla ejus ratio haberetur. Pehutum ipſum, impio privilegio diffiſum, regias veniae literas impetraſſe: verum iis literis cauſae cognitionem ad judices

INTERPR. [a] *Creighton.* [b] *le Dragon*, vulgo *la Gargouille.* [c] *de Rouen.* [d] *St. Romain.* [e] *S. Ouën.* [f] *Pehu dit la Mothe.* [g] *François de Montmorency* II *du nom Sr. d'Hallot lieutenant general en Normandie.* [h] *Bouthillier.*

NOT. [1] *Vide* Hiſt. Thuani ſupra Tom. IV. p. 160.

CIƆIƆCVII. HENRICUS IV. judices remiſſam, quorum adeo ſit cuncta pro ſua aequitate diſpicere. Haloti, regis per [a] Neuſtriam legati, in ipſa provincia caedem, majeſtatis crimine non vacare. Hoc ipſum in regis concilio judicatum, ſenatuſque Rotomagenſis conſulto firmatum. Jam duos ejuſdem caedis [1] conſcios extremo ſupplicio datos. Quid igitur cunctandum, reo tot praejudiciis damnato? an permittendum diutius ſaeculi felicitatem ſanguinario ſicarii ſpiritu funeſtari? Butillerium excepit Jacobus [b] Fulleus regiae procurationis advocatus; exploſaque Audoenicae fabulae futilitate, Rotomagenſium rogationi interceſſit, et Ludovici regumque ſequentium edicta mendacibus ſubornati libelli precibus indulta, quum jam de mendacio conſtet, tolli et abrogari oportere dixit: ac primo quoque tempore verba ſe collegaſque ſuos ea de re ad regem eſſe facturos; interea petere, interceſſionem ſuam in acta referri: nulli autem privilegio locum eſſe poſſe, Pehuto majeſtatis reo: itaque judicium more majorum ſolemni juris ordine peragendum. Judices, collatis ex animi ſui ſententia conſiliis, interceſſionem in acta referri juſſere, ceteris in ampliorem deliberationem prolatis. Habita deliberatione IX Kalendas Januarias pronunciatur, perperam interveniſſe Rotomagenſes: nihil prohibere quin ordo judicii rite procedat. Tandemque biennio poſt, definito judicio, reus ob veniam a rege impetratam capitis ſupplicio ſolutus, ab comitatu regis totaque Neuſtria IX annos exulare jubetur, ac bonorum parte mulctatur. Sub id vulgatis in utramque partem ſcriptionibus, quum aſyli Rotomagenſis originem alii pro miraculo ſpectatiſſimae veritatis haberi vellent, alii ſtultiſſimi fabulatoris deliramentum eſſe contenderent, prodiit ex eo libro quem Thuanus indicavit Romani epiſcopi Rotomagenſis vita, ante annos CCCC condita; cujus auctor miracula quidem alia commemorat, nihil tamen de ſerpente, nihil de reo, nihil de privilegio. Inſpecta etiam ſunt eccleſiae Rotomagenſis breviaria, quae de iſtis verbum faciunt nullum. Utrobique autem concordi narratione traditur, Romani temporibus, diluvione horrenda inundante ac paene mergente Rotomagum, ſanctiſſimum epiſcopum, Chriſtiani nominis fiducia fuſis ad Deum precibus, aquis, ut intra ſuum alveum reciperent, imperaſſe: cum dicto aquas ſubſediſſe, neque ullius unquam poſtea damno redundaſſe. Hac hiſtoria prognatam fuiſſe fabulam viri graves arbitrantur; ac primum quidem, miraculo poëtica licentia decantato, nomen eluvioni factum hydrae, quam et hodie Gargoliam indigenae nuncupant, aquarum exundationem ſignificante vocabulo. Mox, veſani poëtae ſpiritu incaleſcente, conflata excetrae illius terribilis et draconis ſtolati, et facinoroſi ad beſtiam, et Dagobertini privilegii monſtra; quae diris amplexibus imperitae plebeculae mentes adeo vexant, ut jam profligari, niſi alterius Romani virtute, poſſe non videantur.

In actis ejuſdem tribunalis vindiciae ſecundum eccleſiae Gallicanae libertatem datae memorantur. Hiſtoriae vero ſeries paulo altius repetenda. Anno ſuperiore lis fuerat Antonio [c] Rozae Silvanectenſium epiſcopo cum ſedis ſuae canonicis de jure epiſtolarum quas dimiſſorias vocant, uter eas canonicis Silvanectenſibus extra ſedem ordinandis concederet. Epiſcopus rem ſui pontificii eſſe aiebat, canonici contrariam poſſeſſionem opponebant et longiſſimi temporis praeſcriptionem. Horum patronus, ſcripta ad judices oratione, Apoſtolicos eccleſiae Chriſtianae ritus in memoriam revocaverat. Inſtituta preſbyteria, ſive collegia preſbyterorum, qui ſimul cum epiſcopo preſbyterii capite cura paſtorali fungerentur, menſa communi, auctoritate, juriſdictione, dignitate eccleſiaſtica communi. Sic Paulum, preſbyterio ſecum manus imponente, Timotheum renunciaſſe preſbyterum. Non aliam fuiſſe Carthaginenſis, Antiocheni, veterum conciliorum diſciplinam; neque aliam Hieronymi graviſſimi doctoris

INTERPR. [a] *Normandie.* [b] *Foullé avocat du roy au Grand Conſeil.* [c] *Roze eveſque de Senlis.*

NOT. [1] ſocios *in margine MS.*

doctoris ſententiam. Sed poſtea ſocietati leoninae coërcendae opus fuiſſe communi dividundo judicio: atque ita portiones adjudicatas, juriſdictione diviſa, opibus diviſis: ut etiamnum videre ſit in permultis eccleſiis, canonicorum collegium, epiſcopi quondam ſenatum, epiſcopali juriſdictione exemptum, ſuam habere propriam ab illa diſtinctam, nihiloque minus antiquam. Jure igitur ſuo canonicos, etiam epiſcopo ſedente, dimiſſorias dare collegis ſuis, ut, ſede vacante, quibuſlibet clericis. Hoc patrocinium Roza quum perlegiſſet, ira vehementi concitatus, per libellum ab cancellario ceteriſque in intimo regis concilio adſeſſoribus petiit, argumenta, quae patronus in canonicorum cauſa compoſuerat, ſcholae Sorbonicae magiſtris examinanda tradi. At viri prudentes, pendente coram regiis judicibus controverſia, patroni pro cliente ſcriptum ad judices eccleſiaſticos deferri peſſimi exempli facinus eſſe cenſuerunt; libellumque ipſum Rozae, forma refutandi leniſſima, nullo ſuperdicto, reddi juſſerunt. Interea XIII Kalendas Apriles anni CIƆ IƆC VI, dato ſecundum canonicos judicio, patronus ſcriptiunculae victricis auctor, factum ſibi ſatis exiſtimans, quieſcebat. Verum Roza exaſperatus, ad ſynodum epiſcoporum, qui tum forte Lutetiae in aedibus Auguſtinorum ad calculos ſedebant, putandis cum Joanne Caſtilla eccleſiaſtici aerarii quaeſtore rationibus delegati, rem detulit, auſu tam improbo quam temerario. Etenim cauſas regio ſupremae juriſdictionis concilio deciſas epiſcoporum judicio ſubjici, Galliae mores et jura non ſinunt; nec epiſcopi in hoc fuerant delegati, neque illis ad hujuſmodi negotia rex coire permiſerat: et tamen IX Kalendas Maias, tanquam ex illius ſynodi actis, ſententia ſive cenſura prodiit, qua patroni ſcriptum in breves articulos, verbis immutatis, detractis, additiſque, conciſum exhibetur: dein, ut juri divino contrarium, ſacris patrum conſtitutionibus repugnans, falſi, haereſis, impietatis damnatur. Cenſoriam ſententiam in acta eccleſiaſtica referre actuarii jubentur. Patronus exemplaria cenſurae ab Antonio Roza in vulgus ſpargi cum deprehendiſſet, ne ſibi ipſi in famae ſuae cauſa defuiſſe diceretur, querelam apud eoſdem judices, qui de lite principali cognoverant, inſtituit. Atrociſſima ſe laeſum injuria a quo minime oporteret: ſub cenſurae titulo famoſum libellum proſtare: ſe inauditum, indicta cauſa, damnatum: ſcripta pro canonicis adverſus epiſcopum, uti abs ſe ſunt ſcripta, veriſſima eſſe veteris eccleſiae ſcita: verum ab cenſore dolo malo per calumniam truncata, interpolata: itaque Rozam et injuriarum et falſi crimine teneri. Citatus pro tribunali Roza, tentavit an canonicos facere poſſet ut patroni ſui ſcripta deleri damnarique poſtularent. Cum id minime impetraret, litem omnino deſerendam ſibi eſſe duxit. Quare in contumacem procedente juris ordine tandem XI Kalendas Januarias pronunciatur, abuſu eccleſiaſticae poteſtatis male judicatum fuiſſe: cenſuram ſive ſententiam ſynodi actis eximere, atque ut irritam ſupprimere, ſcriba juſſus: additumque, ne Roza, neve quis alius ea uti velit; qui ſecus faxit, in falſi poenam commiſſurum. Paucis ante diebus quam judicium redderetur, ſyndici totius ordinis eccleſiaſtici cancellarium adierant, ſi forte ipſius auctoritate actorem depellere poſſent, paratos ſe coram ipſo et concilii praeſide cenſurae autographum in poteſtatem actoris tradere: praeterea declaraturos ex ſynodi ſententia non fuiſſe perſcriptam. Quum autem urgeret actor, et niſi publica ſcriptura caveri ac ſatisfieri ſibi non poſſe reſponderet, tandem neceſſe fuit rem totam arbitrio judicum permitti.

UT in religionis cauſa nonnunquam ſpecie pietatis impietas obrepit, ſic in jure plerumque ſub aequitatis imagine non levis iniquitas gliſcit. Velleiano ſenatus-conſulto pleniſſime olim comprehenſum fuerat, quod ad obligationes foeminarum quae pro aliis fidejuberent pertinebat, ne eo nomine ab his petitio, neve in eas actio daretur: quod prudenter ob ſexus imbecillitatem conſtitutum, poſtea tamen ut incommodum negotiis et importunum ſperni coepit; ac

CIƆIƆCVII. HENRICUS IV. ac primo quidem in expromiſſionibus et filiorum tutelis, mox in fidejuſſionibus quibuſcunque, cautione interpoſita, ſenatus-conſulti exceptione ſe non uſuras. Hoc vanum utique ſophiſma jam aevo Graecorum juris interpretum, ut ex Baſilicis conſtat, inveteratum, ad Latinos, indeque ad nos tranſmiſſum, paulatim per omnia Galliae fora pragmatici propagaverant. Unde mali duplicis origo: nam et foeminae eadem ſimplicitate auxilio ſenatus-conſulti renunciabant, qua ſemel ad fidejubendum fuerant pellectae; et notariorum tabellionumque perfidia, ſive negligentia, fiebat, ut omiſſa vel inexplicata renunciandi formula, quamvis inutili, contractuum fides rueret, obnoxiis frivolae ſcrupuloſitati judicibus. Quum igitur nulla magis lite fatigarentur, tandem veterno diſcuſſo excitati agnovere fraudem ſub juſtitiae nomine graſſantem; edictoque x Kal. Junias in ſenatu promulgato ſancitum, ne deinceps ulla in foeminarum obligationibus Velleiani ſenatus-conſulti mentio fieret: nihiloque minus ratae obligationes eſſent; ſtante tamen rerum antea judicatarum auctoritate.

NONIS Septembribus Pomponius [a] Bellevreus Franciae cancellarius ſenio confectus Lutetiae mortem obiit, de ſucceſſore certiſſimus; ſuffecto ante biennium procancellario Nicolao [b] Brularto Sillerio, adjectaque diplomate clauſula, ut Pomponio mortuo cancellarii dignitas continuo in Brulartum tranſiret. Solatium decedenti fuit eximiae virtutis filius, Brularti gener.

REGES noſtros eccleſiae Romanae cardinalibus, praeſertimque exteris, parentare nondum eſt receptum: tamen Caeſari Baronio ſolemnia funebrium precationum ſacra Lutetiae in [c] Baſilica Mariana Henrico jubente ſunt facta: ſicut etiam [d] Toleto fuiſſe recens erat memoria. Utrique autem praeter morem datus honos, quod Henrico Calvini ſectam ejeranti propitium pontificem ſtudio ſummo ac vehementi labore confeciſſe dicerentur. Baronius, Sora Campaniae civitate parentibus honeſtis natus, quum literis operam dediſſet, animum ad hiſtoriam eccleſiaſticam adjecit; editoque martyrologio notis accuratis illuſtrato, mox, ut haberet eccleſia Romana quod Centuriis Magdeburgenſibus opponeret, perlectis ſumma diligentia veterum ſcriptorum commentariis, ac verbis ipſorum plerumque tranſcriptis, ingens opus Annalium concinnavit. Quo in opere modis omnibus allaborandum ſibi eſſe credidit, ut pontificem Romanum, juriſdictione ab Chriſto mandata, totius orbis eccleſiis ac poteſtatibus vice divina ſummo cum imperio praeeſſe oſtenderet. Ipſe nihilominus in cardinali purpura communi vita gaudebat, ambitione ac dominandi cupidine procul. Etenim Clemente mortuo, quum in eligendo ſucceſſore cardinalium vota diu contrariis factionibus aeſtuaſſent, ac de ſubito impetus pleroſque omnes cepiſſet ut in Baronium conſentirent, jamque is ad altare ſive tribunal adorandus raperetur, obluctatus pertinaciſſime reſtitit. Deceſſit annum agens LXIX; repertaeque ſunt in ſecretis ſchedae, quibus annos Chriſtianos a climactere ſuo ad hunc uſque milleſimum ſexcenteſimum ſeptimum deſcripſerat, ſubnotato aetatis ſuae ſexageſimo nono, quem ſibi ſupremum fore in ſomnis monitus diu ante praeviderat, ac ſecretioribus amicis aperuerat. Defecit autem placidiſſime, integris animi ſenſibus, atque etiam corporis, niſi quod ſtomachus, venis officio ſugendi jam diu denegato marcidis, extenuari atque etiam findi coeperat: unde plus anno ſumma langueſcenti imbecillitas, et in ipſa cibi ſumendi neceſſitate faſtidium. Exequias proſecuti ſunt in purpura violacea collegae frequentes. Corpus cedrina conditum theca, duabus aliis incluſa, plumbea ligneaque vulgari, ad S. Mariae in Vallicella depoſitum eſt, concurrente plebe innumera, deſiderio videndi tangendique reliquias viri jam fama ſanctimoniae clari. Hoc etiam anno Carolus Lotharingus cardinalis, Caroli filius, Henrici II Galliarum regis ex Claudia matre nepos, dira morbi longinquitate vexatus, vivendi, ſeu,

INTERPR. [a] *de Bellievre.* [b] *Brulart Sr. de Sillery.* [c] *l'Egliſe de Nôtre Dame.* [d] *le cardinal Tolet.*

CIƆIƆCVII.

HENRICUS IV.

ſeu, verius, aegrotandi finem fecit. Duos ſimul geſſit epiſcopatus, [a] Metenſem et Argentoratenſem; onus priſcis eccleſiae viris et valentiſſimis grave.

HAUD inutili poſteris exemplo narrabitur inſtaurata noſtrorum ad Canadam navigatio, hoc anno redux. [b] Montius anno ſuperiore, derelicta [c] Sanctae Crucis inſula, traductis ad [d] Portum regalem colonis, ac manſione conſtituta, in Galliam quum revertiſſet, plurima, quae ad coloniam propagandam neceſſaria notaverat, comparavit; navemque armavit quinquaginta vectoribus ad ſuos Canadenſes, uti pollicitus erat, portandam. Expeditioni praefectus ſummo cum imperio [e] Potrincurius Montii legatus, ventis contrariis diutiſſime vexatus, tandem VI Kal. Septembreis Portum regalem appulit; unde die quarto [f] Pongravius et Camplanius expectando feſſi, omni ſuppetiarum ſpe depoſita, ſolverant, in Galliam redituri. Verum id quod erat ſuſpicatus Potrincurius [g] Ralleavum in cataſcopio phaſelo obviam miſerat ut abeuntes reduceret. Ad ejus conſpectum Pongravius incredibili gaudio perfuſus, confeſtim Portum regalem repetit; collatiſque cum Potrincurio conſiliis, quum inclinata jam anni tempeſtate loco movendum non eſſe cenſuiſſent, interea agri bonitatem ſparſis ſeminibus, et circumpoſitarum regionum commoditates brevibus excurſionibus explorare viſum. III Eid. Septembr. Potrincurius Sanctae Crucis inſulam, ubi Montius in hybernis ſuos tenuerat, luſtravit, comperitque fruges et olera uberrime proveniſſe. Illic [h] Secondo et [i] Meſſamoetus, barbari ſuperioribus navigationibus noti, ſcapham Potrincurii conſcenderunt; cum eoque [k] Choacoetum delati, [l] Onemechinum et Marchinum ab opere meſſorio redeuntes ſalutavere. Munera inter barbaros reciproca. Meſſamoetus, ex iis quae a Potrincurio acceperat, lebetes, ſecures, cultros Onemechino donavit: Onemechinus contra, cucurbitas, frumentum Indicum, Braſilienſes fabas. Leuca navigata, conſpexere plagam, praeter nuces et quercus, uvarum, piſorum, cucurbitarum feracem. Quum exſcendiſſent, incolas numeravere ad ducentos, ferinis moribus, niſi quod regulum ſequuntur; [m] Quiouamenecum vocant. Is, una cum [n] Couepeco vicinae ditionis regulo, ad noſtros viſendos placide acceſſit. Ambo perhumaniter excepti. Poſtridie tamen magna barbarorum manus in armis apparuit: arma erant arcus et ſagittae. Hoſtiles quoque animos noſtri ſuſpicabantur: verum interjecta percurrentibus rivulis prata incurſiones prohibebant. Armis igitur in acervum compoſitis, circumſaltantes laetitiam prae ſe tulere. Sed ne id quidem dolo carere credidit Potrincurius, ſumptiſque octo muſquetariis poſt nemus delituit. Notatis inſidiis barbari metum diſſimulavere; nec niſi poſt abſolutam ſaltationem in attegias ſuas ſunt dilapſi. Regio inculta non eſt: etenim caeſis arboribus ſtrues ramorum ſuper ipſos truncos comburunt, paulatimque extirpant; atque ita ſubactae telluri ſementem committunt. Sunt et laetiſſima paſcua: portus vero tutiſſimus; ideoque noſtri nuncupavere [o] Belportum. Pridie Kalendas Octobreis Potrincurius Belportu ſolvit, ac, praeternavigato [p] S. Ludovici promontorio, [q] Album petiit. Vento prohibitus ad Oſtreorum ſubſtitit, quinque cis Album leucis. Paulo poſt, vento ſecundo delatus, Album attigit: inde [r] Mallebarram. Leucas ſex praetervecto ſtandum fuit in anchoris prope litus. Poſtridie, leucas quinque ſeptentrionem verſus navigatis, in brevia compulſus eſt ad promontorium cui ob naufragii periculum nomen inditum [ſ] Battuenti. Poſtridie portum appulit [t] Fortunatum, infortunio ſociorum infamem. Illic agri paſſim exculti; colles vitibus conſiti: ſed agrorum praecipua cura. Incolae fuſci, pudenda pellibus foliiſve tecti; cetera nudi: crines

INTERPR. [a] *de Metz, & de Strasbourg.* [b] *du Mont.* [c] *l'iſle de S^te. Croix.* [d] *Port Royal.* [e] *de Poitrincourt.* [f] *de Pontgravé, & Champlain.* [g] *Ralleau.* [h] *Secondon.* [i] *Meſſamouet.* [k] *Chouacoët.* [l] *Onemechin, & Marchin.* [m] *Quiouhamenec.* [n] *Cohouepech.* [o] *le Beauport.* [p] *Cap S. Louis.* [q] *Cap Blanc.* [r] *Malebarre.* [ſ] *le cap Batturier.* [t] *port Fortuné.*

crines implexu vario torquent, plumis bacciſque ſubtiliter intextis: arma illis arcus, ſagittae, clava nodis horrida. Reges habent ad bella tantum; quae ſi nulla ſunt, omnes ex aequo vivunt. Nemo plus agri poſſidet, quam unde ali queat. Caſas ad caput agri cujuſque ſeparatim ſtruunt, amplas, rotundas, mattis contectas. In ſingulis unum aut alterum cubile ſtratum pavimento, denſis tigillis pede exſtantibus ſiſtucato. Veſcuntur Indico frumento, quod per hyemem ſervant in cavis arenarum, quas ſecundum declivia collium effoſſas annonae frondibus aridis circumſeptae aggerunt. Portus et litora abunde piſcoſa: turſionum copia ingens, minutos piſces interdiu noctuque abigentium: concharum oſtreorumque vis innumerabilis: aucupium in promptu: omnia denique ad vitam opportuna. Noſtris eam regionem perluſtrantibus, hoſtilis animi ſuſpicio barbaris injecta eſt; et jam praevertendum rati caſas ſuas diruere; uxores, liberos in ſylvas agere; annonam ac ceteram ſupellectilem in tutum comportare, ut eſſent ad hoſtilia ſive facienda ſive patienda expeditiores. Has turbas [a] Potrincurius in ſuorum perniciem moveri quum cerneret, ad navem juſſerat ut ſe mature conferrent: verum dicto minus audientes aliquot, quum in multam noctem ſub papilione ſecurius agerent, barbaris incumbentibus, ſagittis tranſverberati ſupinae temeritatis poenas dedere. Ad ſtrepitum excitatus Potrincurius, quanta potuit feſtinatione deſcendit, caedem ſuorum ſtrenue vindicaturus, niſi barbari mira pernicitate notis anfractibus latebras ſubiiſſent, peregrinis inextricabiles. Portu infauſti eventus relicto, Nerambegam verſus navigatum, notatis obiter [b] Montium deſertorum inſula, [c] Corniculae promontorio, et compluribus inter [d] Quinibekin et Nerambegam inſulis: ac tandem poſtridie Eidus Novembris [e] Regali portu recepta navis. Eodem paucis poſt diebus ſcapham appulerunt ex Nerambega barbari [f] Ovagimovio duce. Is amicitiam cum [g] Beſſabe Nerambegani fluminis regulo colebat: ab eoque [h] Panoviae cujuſdam ab [i] Almucicoſiis per inſidias occiſi corpus impetratum ad ſepulturam referebant. Cadavere expoſito, barbari atramento facies obliti circumploravere exululantes. Mox cum petonio multo catellos duos, et quae alia defuncti fuerant, accenſo in litore rogo, combuſſere. Corpus inde in caſam portavere; ac ſtragula, quam a noſtris dono acceperant, humeris tenus involutum, capite plumatili textu diſcoloribus armillis coronato, inter duas perticas adgeniculavere, tertia ad axillas tranſverſa ſubrectum. Ita compoſitum funus foeminae horrendis ejulatibus planxere. Interea vero Mabretovius loci regulus acri concione circumſtantibus ſuis animos ad Panoviae caedem ulciſcendam fecit: quibus peractis mortuum ſuum in aliam caſam abſtulere, iterumque petonii fumo luſtrati, corio bubali diligentiſſime ſepultum, ad frequentiorem propinquorum coetum ſervavere, ut amplior fieret munerum in mortui fratrem, quo nemo erat propior ſuperſtes, more gentis collatio. Heic igitur Potrincurius hyemavit: neve ſuis otium noceret, alios hortulum colere, alios iter ad flumen purgare, dirigere, alios molas aquarias ſtruere, juſſit; ceteros venatione aucupioque exercuit. Ante Maium fruſtra mandari terrae minutiora ſemina experimento conſtat. Ineunte Junio barbari foederati adverſus Almucicoſios profecti, [k] Mabretovio et Saſinovio ducibus, [l] Onemechinum et Marchinum obtruncavere: Saſinovius eo proelio deſideratus. A noſtris hoc anno nihil deinceps iſtic geſtum memorabile, tantum de reditu ſolicitis. III Eid. Aug. [m] Camplanius ejuſque comites Portu regali ſolverunt, [n] Campſellum uſque litus legentes. Inde cum pridie Nonas Septembreis vela Galliam verſus facere coepiſſent, pridie Kalendas Octobreis [o] Maclovium ſoſpites appulere.

TRISTE

INTERPR. [a] *de Poitrincourt.* [b] *l'iſle des Monts deſerts.* [c] *Cap de Corneille.* [d] *Quinibequi, & Narambegue.* [e] *Port Royal.* [f] *Ovagimou.* [g] *Beſſabes chef de la riviere de Narambegue.* [h] *Panounia.* [i] *les Almouchiquois.* [k] *Mabretou, & Saſinou.* [l] *Onemechin, & Marchin.* [m] *de Champlain.* [n] *Campſeau.* [o] *S. Malo.*

Triste ſequentis anni principium fuit, Henrici Borbonii [a]Monpenſerii valetudine deſperata; etenim inflictum obſidione [b]Droceuſi vulnus perſanare medici nullis artibus potuerant: quumque annos decem et quatuor per intervalla convaleſcenti ſimilis aegritudinem toleraſſet, tandem, puris ab inferiore maxilla diuturno lapſu vitalibus exulceratis, contabeſcere, mortemque in proximo ſentire, coepit. Bimulam generoſiſſimi principis ex [c]Henrica Jouſa filiam, ampliſſimarum poſſeſſionum heredem, rex [d]Aurelianenſium duci filio ſuo nondum anniculo conjugem deſtinabat. Itaque, ut patre vivente, quem paucos dies ſuperſtitem fore omnes judicabant, ſpes conjugii firmaretur, mutuis pactionibus vota ſanciri viſum: poſtridie Eidus Januarias perſcriptae ſignataeque tabulae connubiales. Subſcribendis adfuere rex, regina, Monpenſerius, Henrica, dein [e] Margarita Valeſia, agnati principes, et proceres alii complures. Eidibus Februariis Monpenſerius codicillis manu propria ſcriptis, ſub conditione, ſi filiam ſine liberis mori contingeret, Monpenſerii ducatum, [f]Delfinatum in Arvernis, Combraliam, Scolas, Tierſum et Montem-acutum uxori; [g]Dumbares, Bellijocenſes, ceteras arces ac poſſeſſiones ſuas Aurelianenſium duci, dedit legavitque; Delfino ceteriſque regis liberis eundem in caſum ſubſtitutis. Poſtridie donatione inter vivos [h] San-Fargelli ducatum ceteraque omnia bona ſua, exceptis duntaxat quae jam uxori donaverat, in Aurelianenſem contulit: ita ut, ſi is abſque liberis moreretur, ad Delfinum ejuſque liberos, iiſque deficientibus ad ceteros ex rege et Maria conjuge natos, pervenirent. His ordinatis, propridie Kalendas Martias princeps omnium virtutum gloria praeſtans acerba morte eſt raptus, relicto ſui apud bonos omneis deſiderio vehementi. Rex bene de ſe, bene de regno meritum luxit: luxere principes et univerſus aulae comitatus. Juſtis funeri Lutetiae in baſilica Virginis matris apparatu prope regio perſolutis, corpus moeſtiſſimo domeſticorum comploratu [i] Campiniacum in Pictonibus portatum, conditumque majorum ſepulchro.

Interea Jeſuitae ſibi [k]Benearnum ad Pyrenaeorum radices aperuerunt. Eam ditionem Henricus, etiam quum Navarrae tantum rex audiebat, titulo principatus jure optimo maximo, uti et majores tenuerant, poſſidebat. Incolae magna pars Calvini ſectae addicti, Catholicos ſacra propalam facere prohibebant: jura, uti nunc quoque, [l]Caſtrum Palum petebant: illic ſenatus ac ſupremae curiae tribunal. Henrico ſceptrum regni Franciei capeſſente, quaſi adjecti Franciae fuerant: edictoque in [m]Namnetibus condito, per cunctas regiarum ditionum provincias, in quibus Calviniani numero vincebant, priſcos religionis Catholicae ritus, quibuſcunque profiteri libuiſſet, reſtitui convenerat: ita ut templa reficere, conciones frequentare, ſacra ſolemnia celebrare, populo et ſacerdotibus ceteriſque eccleſiaſticis ſine fraude eſſet. Benearnenſes edicto parere non detrectabant, quoſcunque eccleſiaſticos admittere parati. Unos excipiebant Jeſuitas, Hiſpanicae factionis emiſſarios, dominandi avidos, ancipitis et captioſae theologiae magiſtros, concordiae civilis perturbatores. Haec Calviniani praeſertim cauſabantur. Itaque miſſi ad regem ex ordine ſenatorio fuerant, qui Jeſuitas aditu regionis excludi utile ac neceſſarium eſſe contenderent: aliter ſeditiones ac turbas vitari non poſſe, genio regionis hocce hominum genus abhorrente. Rex, provido reſponſo, quae petebant in ipſorum poteſtate eſſe dixerat: decerneret ſenatus quod e re ſua fore arbitraretur. Iis igitur ad ſuos reverſis v Kal. Nov. anni CIƆ IƆ IC, cautum ſenatus-conſulto fuerat, ne cuiquam ex ſodalitio Jeſuitico in tota ditione Benearnenſi ullo Catholicae religionis munere fungi, aut morae faciendae cauſa domicilio uti, fas eſſet. Moniti etiam epiſcopi, ceterique ad quos ea

INTERPR. [a] *le duc de Montpenſier.* [b] *de Dreux.* [c] *Henriette Catherine ducheſſe de Joyeuſe.* [d] *le duc d'Orleans, ſecond fils du roy, qui eſt mort ſans être nommé.* [e] *la reine Marguerite.* [f] *le Dauphiné d'Auvergne, le pays de Combrailles, Cluys, Thiern* ou *Thiers, & Montaigu en Combrailles.* [g] *Dombes, & le Beaujolois.* [h] *S. Fargeau.* [i] *Champigny en Poictou.* [k] *Bearn.* [l] *Pau.* [m] *Nantes.*

CIƆIƆCVIII. Henricus IV.

ea cura pertinebat, viderent ne quid contra voluntatem ſenatus adtentaretur. Dolebat epiſcopis, epiſcopalia bona ab ſectariis poſſideri: ſed vetuſtas poſſeſſionis repetentium querelas refellebat. Neque ſpes erat reſtitutum iri unquam, niſi mutante ditionis ſtatu. Mutari autem poſſe judicabant, ſi quando Catholici potiores evaderent; ad ejuſque rei conatum adjumenta fore validiſſima Jeſuitas; ſicut et ipſi Jeſuitae quamplurimis perſuaſerant. Itaque aſſiduis [a] Oloronenſium epiſcopi flagitationibus tandem hoc anno x Kal. Martias impetravere diploma, quo ſenatus-conſultum abrogatur, et Jeſuitae ad obeunda permiſſu epiſcoporum munia quaelibet eccleſiaſtica per utramque Benearnenſium dioeceſin, quemadmodum ceteri religioſorum ordines, admittuntur.

Vere appetente rex [b] Blaudi-fontem conceſſit, praemiſſa regina, propinquante partu gravida. Ea temporibus exactis tertium edidit filium [c] Andegavenſium ducem, cui poſtea nomen inditum Gaſtoni. Partus dies incidit in vi Kalendas Maias, quem et Ludovico ix Borboniae gentis parenti mira ſanctitate claro natalem fuiſſe [d] Jonvillanae memoriae tradunt. Natus omine fauſto regius infans luctum ex obitu Monpenſerii conceptum lenivit: at ſeptimo poſt menſe Henricae viduae dolor novo luctu recruduit. Patrem habebat Henricum [e] Jouſam inter primariae notae magnates. Is, aulicarum dignitatum voluptatumque pertaeſus, in auſteriorem Franciſcanorum familiam, quos ab enormibus caputiis Capucinos vocant, adoptandum ſe dederat; et ſaepenumero in centonibus ac cilicio nudipedem vidimus, ſacra facientem, nec ſine gloria concionantem, ſuſpeximus. Quod quum per multos annos praeſtitiſſet, tandem vi Kal. Octobr. fortiſſimus aſcetes, nudo pede ſuperatis Alpium jugis, ad res ſodalitii procurandas Romam properans, in ipſo quaſi veſtigio febre violenta interceptus occubuit. Corpus Lutetiam relatum Capucini veneratione ſumma conditorio in ſpem reſurrectionis tradiderunt.

Rege ad Blaudi-fontem ſedente, agitabantur arcanis deliberationibus externi belli ſuſcipiundi conſilia. Nec deerat incentor: et erant cauſae, praeter utilitatem, juſtiſſimae. Sabaudi animus inquies, [f] Petrum Enriquezium Azevedium comitem Fontanum ſuperbe Mediolanenſibus vicinis imperitantem indignatus, Gallos antedominos ad vindicandas injurias recipiendaſque poſſeſſiones antiquas invitabat. Eaque de re jam anno ſuperiore cum [g] Jouſa primum, dein et cum Perronio cardinalibus, a pontifice et Venetis per [h] Auguſtam Taurinorum revertentibus, egerat, ut ad regem referrent: ac ſubinde Gaſparem [i] Purpuratum Sabaudici peditatus tribunum miſerat, cum mandatis, quibus expeditionis ineundae commoditates monſtrabat: in ſumma tutum ſe Gallicis copiis iter ad Mediolanenſem agrum per ſuas ditiones praeſtiturum: clientes ſuos, provincialium praecipuos, Hiſpanicam Fontani ſaevitiam exoſos, ſibi addictiſſimos, regi conciliaturum; vires ſocias juncturum: tum, ut ex ea ſocietate aliquid ipſe caperet emolumenti, petebat uti rex, quum primum [k] Mediolani compos eſſet factus, [l] Sebuſianos ſibi reſtitueret, una cum Bugenſibus, Valromaeis, et praefectura Gexenſi: Genevae tutelam patrociniumque abdicaret, eamque Sabaudicae ditioni recuperari ſineret: arma abs ſe in Burgundiae comitatum inferri pateretur, et, ſi opus eſſet, Sabaudicis auxiliares copias ſummitteret: inprimis autem hoc foederis fideique pignus exoratum cupiebat, filiam ſuam Delfino Franciae, aut ſaltem regis filiam [m] Subalpinorum principi filio ſuo, conjugem ſponderi. Haec Sabaudus, et conſimilia [n] Nemoroſius, datis ad [o] Villaregium Sabaudi hortatu ejuſdem etiam argumenti literis. Is paulo ante ad Sabaudum gentilem ſuum ſe contulerat,

nuptiarum

INTERPR. [a] *d'Oleron.* [b] *Fontainebleau.* [c] *d'Anjou.* [d] *du Sr. de Joinville.* [e] *de Joyeuſe comte de Bouchage.* [f] *Pedro Enriquez d'Azevedo comte de Fuentes.* [g] *les cardinaux de Joyeuſe & du Perron.* [h] *Turin.* [i] *le colonel Purpurat.* [k] *Milan.* [l] *la Breſſe, le Bugey, le Val-Romey, & le bailliage de Gex.* [m] *de Piedmont.* [n] *le duc de Nemours.* [o] *de Villeroy.*

nuptiarum utriuſque infantis Sabaudiae cum [a] Mantuano et Mutinenſi celebrandarum gratia. Apud nos vero, qui negotio favebant, ex eo maximas utilitates augurabantur. Etenim Galliam generoſiſſimae nobilitatis robore praepotentem, velut athletae corpus nimio ſucco praevalidum, niſi exercitatione ludoque campeſtri fatigetur, morbis difficillimis, nempe internecinis partium factionibus, implicari; ac, ſi deſit hoſtis exterus quem invadat, arma intus in ſemetipſam movere: hoſtem exterum non deeſſe, qui [b] Atrebatenſis comitatus fiduciam luere paratos audire nolit; qui Navarram fraude occupatam reſtituere religioni ducat; qui [c] Neapolin, qui [d] Mediolanum, qui Genuam, antiquas regum noſtrorum poſſeſſiones; qui ad veteres injurias addiderit novas; gentium jura in [e] Silio Rocapotio legato violarit; [f] Bironum diris artibus ſubornarit; denique [g] Maſſiliam nuper inverecunde tentaverit: utendum igitur occaſione conſilioque Sabaudi: Mediolanenſes hornotina ſterilitate premi: inviſam [h] Fontani aſperitatem: regis invictiſſimi, injuſte majoribus ſuis erepta juſte repetentis, felicibus armis nihil obſtiturum. Rex ad ea quae propoſuerat Sabaudus reſpondit, ſe magnanimitatem ipſius laudare; amicitiam multis maximiſque rebus utilem magni facere; oblatas rei bene gerendae facultates amplecti: verum quod ad Genevam attineret, nihil abs ſe unquam ſperandum quod adverſus fidem datam factum videri ulla ratione poſſet: nuptias filiae ſuae cum [i] Subalpinorum principe, poſt felices expeditionis propoſitae ſucceſſus, ſibi fore gratiſſimas: ſed ante omnia videndum quae ſint Sabaudo ad eam concipiendam vires, quae ſubſidia, quam propenſas habeat Mediolanenſium erga ſe voluntates; qui motus animorum finitimis populis ſint futuri; tum maxime, quorſum evadent induciarum Belgicarum difficultates, quae indies maximae ſuboriantur; nam ſi bellum inſtaurari contigerit, eo lectiſſimum quemque ex praeſidiis Hiſpanicis deſcenſurum: denique proſpiciendum quo vergant Hiſpanorum, quae nunc ſunt in agro Sabaudico, quae item in agro Mediolanenſi, copiae; quo etiam feratur claſſis quam ex Hiſpaniae litoribus ſolviſſe acceperit. Cum hoc reſponſo dimiſſum Purpuratum ſubſecutus eſt Andreas [k] Cocheſiletus Voſſelaſius Sullii adfinis, a rege miſſus, ut Sabaudo filiarum cum Mantuano et Mutinenſi nuptias magnifice confectas gratularetur: praeterea vero diſertiſſimis mandatis [l] Nemoroſium adire, ac regis erga ipſum benevolentiam teſtificari, juſſus; deinde ſeorſim cum ipſo de literis ad [m] Villaregium ſcriptis agere: eas fuiſſe regi gratiſſimas; verum nihil ſtatuendum videri, niſi prius evolutis induciarum Belgicarum tricis: unitarum provinciarum populos id jam obtinuiſſe, ut ſupremi dominii jure cenſeantur; hoc etiam pertendere ut liberam quoque in Indias Orientaleis navigationem ſibi ſervent: ni concedatur, bellum malle quam pacem: eam ob rem ab archiducibus Joannem [n] Neium Franciſcanum, pacificationis quaſi fecialem, in Hiſpaniam excurriſſe, Philippi voluntatem ſciſcitatum: interea bellum facturi ſint, an pacem, in incerto eſſe: quod ſi bellum placeat, ilico in Belgium Hiſpanos exercitus deductum iri; adeoque ceteros principes, quibus eſt ſuſpecta nationis omnia ſibi arrogantis potentia, praeſenti metu vacuos, bene ſecum agi exiſtimaturos, ſi pace interim gaudeant, repudiatis incerti eventus factionibus: ſin autem induciae fiant, tunc ipſis haud dubie terrori fore collectas Hiſpanorum copias, communiſque periculi metu ſalutaria belli conſilia ſuadentibus auſcultaturos: itaque ſuſtinendum pauliſper, ne praemature deliberata diutius pendeant, intereaque temporis aut ipſa detegantur, aut partium ſtudia relenteſcant: accedere non leves cauſas, quae Sabaudi mentem regi ſuſpectam faciant: bene nunc illi cum Philippo convenire, nuptias filiarum comprobante,

INTERPR. [a] *les ducs de Mantouë, & de Modene.* [b] *Comté d'Artois.* [c] *Naples.* [d] *Milan.* [e] *Antoine de Silly comte de la Rochepot.* [f] *le mareſchal de Biron.* [g] *Marſeille.* [h] *le comte de Fuentes.* [i] *Piedmont.* [k] *de Cocheſilet Sr. de Vaucelas.* [l] *le duc de Nemours.* [m] *de Villeroy.* [n] *de Ney,*

CIϽ IϽC VIII.
Henricus IV.

comprobante, impenſiſſimique favoris officiis proſequente: exinde refocillatam inter ipſos, quae perfrixiſſe videbatur, amicitiam: receptum in Sabaudi gratiam Baretium, mentis in Hiſpaniam propenſioris hominem; ejuſque arbitrio ſecretiora conſilia credi. Haec [a] Voſſelaſius Nemoroſio ſoli ob eximiam fidem obſervantiamque regi cognitiſſimam declarare, ejuſque prudentiae totius negotii caute ac pedetentim tractandi ordinem relinquere, mandatis admonebatur.

Dum haec ad [b] Blaudi-fontem parantur aguntur que, Philippus, ſive quod horum aliquid reſciviſſet, ſeu quod ingenio Sabaudi minus fideret, Petrum [c] Toletanum e proceribus Hiſpaniae, cujus parentes Helionoram Toletanam Coſmo Mediceo Hetruriae duci Mariae reginae avo conjugem dederant, ad regem extraordinaria legatione magno comitatu ſtipatum miſit. Ejus legationis capita duo traduntur: primum, ut Infantem Hiſpaniae, ſic regis filiam vocant, Galliarum Delfino conjugem proponeret, dotemque diceret omnia jura quaecunque Philippo et archiducibus in omne Belgium competebant. Praeſens inde Philippi rebus utilitas emergebat: nam ſpe foederis iſtius ſanciendi, interea, dum ad pubertatis annos et Delfinus et Infans pervenirent, Ordinibus Belgii regis amicitia, qua potiſſimum ſtabant, ſubtrahebatur; et pacis concedendae populis, excuſſo legitimi quondam imperii jugo ferocibus, neceſſitas, magnum Hiſpano faſtigio dedecus, eluebatur: praeterea vero, delinitis adfinitate nova Gallorum animis, clandeſtinae Sabaudi machinationes ſubvertebantur. Verum Hiſpanae prudentiae calliditas regi diſplicuit; primum amicitiae fidem fallere neſcienti; deinde rem, de qua eſſet arbiter ſumptus, per nuptiarum ſpem intercipere, pudendum ſibi, pudendum Gallicae majeſtati, fore judicanti; tum vero nuptiis in pubertatem neceſſario prolatis, inter varios incertoſque humanae vitae caſus, praeſentia futuris commutanda non eſſe reputanti. Hoc igitur non procedente, alterum ſubjiciebat Toletanus, ut rex Ordines, qua pollebat apud eos auctoritate, ad pacem, non indignis Hiſpaniarum rege conditionibus, adigeret. Petrum [d] Jeanninum in conſeſſu legatorum, qui ea de re [e] Hagam Comitis coibant, totius negotiationis clavum tenere. Auditaeque voces, de nimia Gallorum erga Ordines benevolentia conquerentis: eam longe utilius erga maximum regem firma nobiliſſimae adfinitatis conjunctione impendi poſſe. Unde nonnullis perſuaſiſſimum fuit, totam hanc magnifici paratus legationem non alio conſilio adornatam fuiſſe, quam ut Ordinibus Galli in ſuſpicionem venirent reconciliatae cum Hiſpanis per nuptiarum foedus gratiae. Rex nihilominus in propoſito perſtitit, ſeque toto negotio geſſit, uti Chriſtianiſſimum principem, concordiae publicae amantem, decebat. Itaque P. Jeanninum, qui ſub id tempus e Batavis in aulam reverterat, continuo remiſit cum ampliſſimis mandatis, ut omnia, quae ad ſinceram pacificationem aut longi temporis inducias conferrent, procuraret. Interea vero mandata Philippi Toletanus apud archiduces exequebatur. Illi autem apud Ordines, quibuſcunque artibus poterant, Neii reditum Hiſpana cunctatione diffiſum excuſabant.

Eo anno, quum Romanae legationis tempus exiret, Carolo [f] Neovillae Allincurio, paulo ante quam Franciſcus [g] Savarius Brevaeus ſuccederet, hoc ſplendidiſſimum fuit. [h] Alexander Contisforza Segnius, et [i] Joannes Urſinus Sangeminius, ambo Romani, ambo primariae nobilitatis gloria praecellentes, Gallicanae majeſtatis amore capti, honorem ſibi torquatae Chriſtianiſſimi regis militiae concedi ſummi beneficii loco petierant. Ea militia equitum Sancti Spiritus ordo nuncupatur: ordinis autem indicia ſunt torquis duplex; aureus unus, liliis et flammis aureis invicem nexis; alter ſericus coloris coerulei; uterque aurea columbae cruciatim diſpeſſae figura

INTERPR. [a] *de Vaucelas.* [b] *Fontainebleau.* [c] *de Tolede.* [d] *le preſident Jeannin.* [e] *la Haye.* [f] *de Neufville Sr. d'Allincourt.* [g] *Savary marquis de Breves.* [h] *Alexandre Sforza duc de Segny comte de Santa-fiore.* [i] *Jean Antoine Orſino duc de Santo-Gemini.*

figura pendente inſignis: praeterea pallii flammati umbo laevus argentea columbae item cruciatae figura textili refulgens, Henrici III pomparum ſtudioſiſſimi inventum. Romanorum precibus rex annuebat: ſed exteros admitti ordinis ſanctiones vetabant. Itaque a pontifice regem ſacramenti religione abſolvi par fuit. Mox permiſſum Allincurio pompae celebrandae negotium. Pridie Eidus Martias conſtituta die adfuerunt candidati Allincurium praeſtolantes, ut ad S. Ludovici baſilicam comitarentur. Ea Romae jampridem Gallorum conventibus propria, iſtis quoque ceremoniis peragendis viſa fuerat omnium maxime opportuna. Quum igitur cuncta parata eſſe nunciatum fuiſſet, prodiit Allincurius, comitantibus officioſiſſime candidatis et nobilibus Gallis ac Romanis amplius quingentis: praeibant tympaniſtae ac tubicines, celerum pontificiorum turma, Helvetiorum item cohors, omnes ſericis magnifice conveſtiti. Adfuere in S. Ludovici, [a] Columna, Aquaviva, Givrius, Delfinus, Bevilaqua, Toſcus, Cajetanus, Ceſius et Pius, cardinales. Pro valvis Gallica inſignia, templumque paſſim liliatis aulaeis ſuperbum. Solium regale vacuum, quaſi rege Chriſtianiſſimo praeſente, tranſeuntes, venerantium ritu, ſalutabant. Sacris pontificali ſchemate ab epiſcopo Novocaſtrenſi Montorio factis, Allincurius ad latus altaris ſedit. Ad eum [b]Segnius et Sangeminius deducti. Segnius prior, dein et Sangeminius ſolemne ordinis ſacramentum ſupplices dixere, ſignavere: mox torque donatos Allincurius equites creavit, amplexuque erexit. Haec prima iſtius ordinis ad exteros tranſitio, magnificentia ſua populi Romani mentes adeo perculit, ut Galli Romam gratioſiſſime cepiſſe dicerentur. Allincurio reverſo, miſſus extra ordinem [c] Nivernius, ut novo pontifici Paulo V obedientiae fidem regis nomine faceret. In quaſcunque urbes Italicas appulit omni officiorum genere eſt exceptus. Ad ſextum ab urbe lapidem procedenti obviam venere Contisforza et Sangeminius nuperi Sancti Spiritus equites, [d]Perreti princeps, Victor pontificis ex ſorore nepos, aliique ex Romana nobilitate quamplurimi. Mox ad [e] pontem Milvium obvios habuit e cardinalium collegio [f] Gallum, Delfinum, Bevilaquam, [g]Serafinum; a quibus ad Fr. [h]Savarii Brevaei ordinarii regis legati palatium deductus, quum paululum ſubſtitiſſet, inde ad pontificem admiſſus, ſedentis in ſolio pedibus oſculum dedit. Septimo poſt die, is fuit VI ante Kal. Decembreis, urbe egreſſus una cum Brevaeo clauſa carruca, ad primum lapidem in Leonis [i] Strozzae palatium ſe contulit. Illic ſumpta legati perſona, in ſolio magnifice ſtrato, aſſidentibus [k] Contisforza duce, [l]Roboreo marchione, Palavicino, Malateſta, epiſcoporum ac praeſulum coetu frequenti, cardinalium verbis ſalutem nunciantes audivit, donec Jo. Baptiſta [m]Borgheſius pontificis frater, Romanis regulis et nobilium familiarum primariis ſtipatus, advenit. Tunc initium legitimae pompae factum. Praecedebant tubicines pontificii VI, equites levis armaturae pontificiae centum. Sequebatur legati ſupellex impoſita mulis XXXIV, ſericeis ſtragulis aureo textu aſperis, ſoleis argenteis: ſarcinae ipſae aureis ac ſericeis funibus religatae vectibus argenteis cohibebantur: dein cardinalium familia in mulis purpura conſtratis. Pontificis ſatellites Helvetii centum, tympaniſtae in equis duodecim, tubicines quatuor; tum legati ſatellites duodecim, paedagogiani totidem: nobiles Galli, qui e [n] Maſſilia legatum proſecuti fuerant, centum et triginta. Mox incedebat Borgheſius pontificis frater, praeferentibus gladios ingentes Helvetiis duobus: ac demum legatus in equo generoſiſſimo conſpicuus, praecedente equitii magiſtro, et Mauris duobus ſingulos equos albos ductantibus. Legati latera tegebant Hieroſolymitanus et Alexandrinus patriarchae. Pone ſequebatur Brevaeus inter comitantes archiepiſcopos

INTERPR. [a] *les cardinaux Colonna, Aquaviva, de Givry, Delfino, Bevilagua, Toſco, Gaetano, Ceſis, & Pio.* [b] *les ducs de Segny, & de Santo-Gemini.* [c] *le duc de Nevers.* [d] *le prince Perreti, & le ſeigneur Victor neveu de ſa Sainctleté.* [e] *Ponte Molle.* [f] *le cardinal Gallo.* [g] *Serafino.* [h] *de Savary marquis de Breves.* [i]*Strozzi.* [k] *Alexandre Sforza duc de Segny.* [l] *les marquis della Rouere, Palavicino, & Malateſta.* [m] *Borgheſe.* [n] *Marſeille.*

archiepiſcopos medius, ſubſequente praeſulum caterva mulis inſigniter ſtratis. Totius pompae agmen [a]Angelica porta Romam intravit, deſpectante ex palatii feneſtra pontifice. Inde ad Petri baſilicam feſtis undique grandiorum machinarum ſcloppis ſalutari coepit. Tranſeuntem ſpectavit in pegmate legatus Hiſpanus, adſidente Lapata cardinali: tandemque ad paratum hoſpitium, id erat [b]Rucellai palatium, pervenit. Illic explicata periſtromata pretioſiſſima, et cetera luxu regali ſupellex; menſae conquiſitiſſimis epulis extructae. Biduo poſt Baptiſta Borgheſius iterum ad legatum venit, ut in Vaticanum comitaretur regis erga pontificem obſervantiae ſignificandae gratia profecturum. Confeſtim incedendi ordinem quiſque tenuit eadem qua nudiustertius frequentia, eadem ſpecie, niſi quod et legatus et comites et ſtipatores Galli veſtes mutaverant. Nigris ſericis auro intexto miniſteria fulgebant: ipſius legati ornatus egregius innumero adamante ſparſus oculos ſpectantium perſtringebat: equus nivei candoris auro ſolido calceatus, aurea calcaria, aureae ſuppedes, aureae phalerae. Statim atque Vaticanum eſt ingreſſus, ab duobus patriarchis in aulam, quae Regum dicitur, eſt introductus, ubi Paulus v in throno ſublimis, et cardinalium frequens ſenatus. Tunc legatus, ſolemni ſalutandi ritu pontificis pedes exoſculatus, quas habebat ab rege literas ſedenti reddidit. Inde ab ceremoniarum magiſtro ad ſubſellium deductus conſedit, cum eoque una Brevaeus. Mox oratione Latina Mauricius [c]Breſſius legationem explicavit. Ea prolixis gratulationibus ſubjectiſſimaeque obſervantiae votis abſolvebatur. Ad quae quum reſpondiſſet pontificis nomine Strozzius, iterum legatus ad pedes Pauli divinum Numen adoravit. Dimiſſo ſenatu pontifex in cubiculum ſe recepit, legato ſyrma purpureum graviter ac pedetentim incedentis ſuſtollente. Peracta legatione, poſt aliquot dies lautiſſimis conviviis tranſactos [d] Nivernius remeavit.

GALLIS ſub triumphali perſona Romae ſervientibus, pontifex injuriam Borgheſiorum nomini factam regia manu Lutetiae vindicavit. Bartholomaeus [e]Lanceſcius patria Senenſis, induſtria planus, ſtatura puſilla, nec vultu ſatis ad impoſturam liberali, Italia diſcurſationibus peragrata, quum jam notior eſſe coepiſſet, in Galliam venit. Ac primo quidem mirifica, ut ſolent circulatores, promittens, ad veteres morbos ignota vulgo remedia venditabat: res amiſſas ac theſauros ariolandi veſtigandique peritia repraeſentaturum ſe ſtulte credulis perſuadebat. Quibus artibus confecta pecunia, domum tandem Lutetiae conduxit. Mox per Paulum [f]Arenam et Julianum Laſcium, quos adhibuerat fraudum ſuarum ſequeſtres et pararios, inter alearum ganearumque contubernia ſparſi rumuſculi, adveniſſe in urbem Bartholomaeum Borgheſium Pauli v pontificis maximi fratris filium, hominem lautitiis et luxu ſplendide liberalem: tranſmitti Roma atque indies maximarum impenſarum facultates. Ipſe interea Borgheſium ſe ferebat, et fucum veſtitu, ſermone, comitatu adjuvabat. Eo denique fallacia proceſſit, ut creditores fatuae ſimplicitatis inveniret, quorum pecunia currus et equos et familiam et prodigi nepotatus ſupellectilem per bimeſtre tam opipare exhibuit, ut jam magnatibus innoteſceret, ipſoſque adeo conviviis provocaret. Nuncius pontificius objectum Borgheſiae familiae probrum turbulento plebis errore diutius diffamari non tulit, impetravitque ab rege ut mendacii artifices comprehenderentur. Impoſtor in carcerem truſus, quum jam rebus ſuis diffideret, fucum fuco inumbrandum ſibi eſſe duxit, datiſque ad regem ac reginam literis Borgheſium ſe conſtanter aſſeruit, et judicium tantiſper inhiberi poſtulavit, dum ad eas quas ad pontificem dederat reſponſum accepiſſet. Binas autem ſubinde ac ternas eodem argumento dederat, tam ſtolidas quam impudentes. Offenſus nebulonis

INTERPR. [a] *la porte Angelique.* [b] *de Rucellay.* [c] *Breſſius.* [d] *le duc de Nevers.* [e] *Lanceſque.* [f] *Larena, Florentin de nation, qui ſe diſoit ſon ſecretaire.*

nebulonis protervia pontifex, per nuncium cum rege agere non deſtitit, donec judices ſelecti, quibus extra ordinem commiſſa fuerat cognitio, Pſeudo-Borgheſium nudum ac ſupplicem ante [a] Virginis baſilicam, aedeſque nuncii, fraudes ac mendacia ſua deteſtari juſſere, poſteaque ad gabalum ſtrangulari comburique. Eodem judicio Arena remo longae navis adnexus. Laſcius profeſſione Dominicanus coram judicibus veniam fraudulenti contubernii falſoque concitati rumoris deprecari juſſus, perpetuo monaſterii carceri mancipatur.

HYEME anni hujus aſperrima [b] Sequana gelu conſtrictus induruit, ita ut plauſtris et curribus tranſiretur. [c] Ligeris regelatus humoris glaciati moles inuſitato impetu provolvit, aggeres rupit, ſata delevit, pecudes, armenta ſubmerſit; arbores, aedificia, pontes evertit.

KALENDIS Februariis Nic. [d] Rapinus, Fontenaio in Pictonibus oriundus, praefectura capitali in comitatu regio ſtrenue functus, deceſſit, ſenex annorum octo ſupra ſexaginta: cujus ingenium viris elegantioribus adeo placuit, ut vix alium eſſe dicerent, qui tam feſtive poëtarum veterum facetias ſchemate Gallico repraeſentaret; omnium vero qui hactenus Gallicae pronunciationis contumaciam metricas accentuum atque temporum leges pati coëgerant, ſi quid in hoc ſcribendi genere laudabile tentari poſſet, praeſtantiſſimum. XII Kal. Martias ſenatus-conſultum diplomati adſcribitur, quo rex [e] Franciſcum Aurelianenſem Sanpauli comitem, qui Fronſaci marchionatum ab uxore dotalem poſſidebat, Fronſaci ducem ac Franciae parem dixit, dignitate ad Helionorum filium ejuſque liberos, ſive maſculi ſint ſive foeminae, tranſitura. Pridie Idus Martias [f] magni viarum Franciae curatoris creatio, quam ſibi anno CIƆ IƆ XCIX Max. [g] Bethuna Sullius impetraverat, ſenatus auctoritate promulgatur. Id muneris antea curatores urbicarii per urbes quiſque ſuas ac regiones ſuburbicarias exercebant: ſic tamen ut plerumque per gratiam aut ſordes praevaricarentur, viaſque regias paſſim gammatis aliiſque flexuris denormari aut ſuggrundis occupari ſinerent. Hoc colore Sullius edictum regi operum publicorum ſtudioſo facile perſuaſerat: quo ſi quid ipſe commodis ſuis adjecit, certe non parum publicae magnificentiae contulit ornamenti.

VI Nonas Quintileis lectae ſunt in ſenatu regis literae, quibus edicitur uti Mariae Henrici Borbonii [h] Monpenſerii nuper functi filiae, ejuſque liberis, Monpenſerii ditionem, continuata ducatus ac pariatus dignitate, poſſidere fas ſit: uti etiam Henricae Catharinae Mariae matri; accedente conditione Henrici codicillis perſcripta. Idibus menſis ejuſdem edicto in ſenatu recitato, cautum ne deinceps rerum fiſcalium curatores civium Genevenſium, quibus in Gallia mori contigerit, bona ex [i] Alibi-natorum lege heredibus auferant: eodemque jure Galli in Genevenſium republica utantur. VI Idus Aug. jus ab rege conceſſum Carolo [k] Marchando, primum negotiatori materiario, dein trecentum urbis tutelae muſquetariorum ductori, [l] pontis extruendi habendique una cum aedificiorum ſerie a [m] majore caſtello ad [n] horologii Palatini turrim utrinque porrecta, ſenatus approbatione firmatum eſt.

INTERPR. [a] *Notre-Dame.* [b] *la Seine.* [c] *la Loire.* [d] *Rapin natif de Fontenay-le-Comte en Poictou, grand prevoſt de la Conneſtablie.* [e] *d'Orleans comte de S. Paul duc de Fronſac.* [f] *Grand Voyer de France.* [g] *de Bethune duc de Sully.* [h] *le duc de Monpenſier.* [i] *Droit d'Aubaine.* [k] *Marchant.* [l] *appellé autrefois le pont aux Meuſniers.* [m] *le Grand Châtelet.* [n] *la tour de l'horloge du palais.*

NIC.

# NIC. RIGALTII
# DE REBUS GALLIAE
## LIBER SECUNDUS.

CIↃ IↃC IX.
HENRICUS IV.

IN ſequentis anni principio diſceptatum antea variis agitationibus Belgici belli componendi negotium, tandem pactis induciis ad exitum venit: quod, Henrici praeſertim auctoritate prudentiaque confectum, res inter noſtras haud injuria narrabitur. Henricus, eodem ipſo foederis momento quo pacem cum Philippo [a] Vervinii fecerat, amicos etiam, qui ſibi rebus adflictis milite pecuniave ſuppetias tulerant, comprehendi exoptaverat: et Elizabetham quidem, praeter neceſſitudinis vinculum etiam veteris amicitiae jure atque utilitatis conſilio ſibi junctam, crebris hortatibus in partem foederis ut veniret ſolicitaverat. Nec iniquae a Philippo conditiones offerebantur, ſi par reginae fiducia fuiſſet Philippum conditionibus pariturum. Haud ſegniore ſtudio Belgii quoque Ordinibus foederatis pacem, quae nihil habitura eſſet inſidiarum, conciliare pertendebat. Sed infenſus Philippi animus adduci nunquam potuit ut cum iis paciſceretur, quos ipſe, facta ſibi nobiſcum pace, noſtris auxiliis deſtitutos, quandocunque invaderet perdomiturum ſe confidebat. Illi autem mentionem pacis, quae priſtini dominatus Hiſpanici umbram intentaret, horrebant; eoque ſuperbius, quod Elizabetha vires et auxilia ſeſe ultro ſummiſſuram, neque ullum in foedus, clam ipſis, ituram, pollicebatur. Itaque Vervinienſi foedere ſic inter reges convenerat, ut Henricus Ordinibus nocere non adigeretur, nec enim in id conſenſiſſet unquam; tantum ne aliqua juvaret cavebatur; ſic tamen ut ſolemni ſacramento pacta quum ſanciret, diſertiſſimis verbis exciperet, nolle prohiberi, quo minus quas ab iis acceperat mutuo pecunias annuis penſionibus redderet. Atque id bona fide praeſtitit, nec praeterea quicquam, niſi quod operam ſedulo dabat, ut pacem ipſis, quam fieri poſſet aequiſſimis conditionibus, impetraret. Verum princeps ingenii ſagacis ſtatim intelléxit ſpem ſuam ludificari, intereaque ſuorum animos a Philippo factioſis artibus ad res novas impelli, corrupto jam Birono: quare, pernicioſiſſimae conſpirationis conatu feliciter oppreſſo, mox alia ſibi conſilia ſumere incepit; et jam de ſuo palam foederatos Ordines juvare, tam certo tamque praeſenti ſubſidio, ut Hiſpani deinceps de belli exitu parum aut nihil ſibi promitterent. Ergo, ipſiſmet auctoribus, ſparſi primo rumores ambigui; mox inſinuata paulatim mentio pacis quaſi cum liberis populis ineundae: quae res animis longa bellorum vexatione fatigatis eo gratior fore videbatur, quod perfectiſſimae victoriae fructum repraeſentaret. Tentatis initio perpaucis, ac praeſertim Mauritio principe ejuſque gentili Willelmo, et Barneveldio, aſciti poſt paulo provinciarum ſyndici. Quum placuiſſet capita conferri cum archiducum delegatis, prius quam coirent, de propoſiti conſilii rationibus ad regem, mox et ad Jacobum Elizabethae ſucceſſorem, perſcribunt, legatos mittunt. Rex ad eos praeter Eliam [b] Placeanum Ruſſium, [c] Buzanvalio ordinario legato decedenti ſuffectum, ex intimi conſilii praecipuis Petrum [d] Janinum extra ordinem miſit: Jacobus item extra ordinem Richardum [e] Spencerum Rodolpho [f] Winwoodo addidit, ut

INTERPR. [a] *Vervins.* [b] *de la Place Sr. de Ruſſy.* [c] *de Chouart Sr. de Buzanval.* [d] *le preſident Jeannin.* [e] *le chevalier Spencer.* [f] *le chevalier Winwood.*

ut communibus conſiliis ad aequiſſimam pacem populis amicis obtinendam praeſto eſſent, aut, ne ſpecie pacis ac libertatis deciperentur, providerent. Ordines regiorum legatorum praeſentia, dignitate, prudentia ornati, quo majorem rebus ſuis ſplendorem ſecuritatemque conciliarent, ambos reges certo foedere ſibi devinciendos exiſtimaverunt, pacis cum Hiſpano faciendae conſponſores. Hoc igitur illi ſe vehementer optare atque ambire legatis aperiunt. Noſtri non abnuebant: Britannis excuſationes et moras nectentibus, Ordines eo magis urgere noſtros ut foedus ſancire vellent, non exſpectata cum Hiſpano pace: hoc futurum reipublicae ſuae praeſidium nobile: nec dubitare quin Britanni mox eidem foederi libenter accedant. Itaque x Kal. Febr. ſignatum foedus, quo rex, ſuſcepta Ordinum tutela, uti bonis conditionibus pacem habeant, bona fide ſe curaturum ſpondet: ſi factam violari contingat, neque adverſarius de injuria monitus ſatisfaciat, auxilio miſſurum ſumptibus ſuis peditum millia decem; ac, ſi neceſſe fuerit, plura etiam peditum equitumque, prout res ſuae ferent, ſumptibus, quanti ſupra decem peditum millia plurimi, bello confecto refundendis, ſummiſſurum: Ordines viciſſim regi, ſi quid opus erit adverſus principes quoſcunque, ſumptibus ſuis peditum millia quinque, aut aequalis impenſae claſſem; vires etiam majores mutuis conditionibus ſubminiſtraturos. vi Kal. Quintil. primum Ordines de pecuniis creditis cum Britanno tranſigunt: foeduſque mox faciunt, valiturum ſi pax fieret, iiſdem paene legibus queis convenerat nobiſcum; niſi quod auxilia dimidio minora promittebantur. Interea, quum de pacis ineundae rationibus diſputaretur, extiterunt per provincias foederatas quamplurimi, qui id omne Hiſpanorum aſtu fieri dictitarent, ut provinciae belli neceſſitate concordes, uſu pacis ac libertatis oblato, ſtudia in contraria, prout cujuſque ſuaderet utilitas, ſcinderentur. Jamque adverſus aliter ſentientes ſurdo murmure crimina differebantur; Hiſpanorum largitionibus corruptos rempublicam prodere, aut incauta pacis cupiditate caecos umbram pacis amplecti: ſub libertatis nomine latere jugum triſtiſſimae ſervitutis: cujus certe mali metus, aut quorundam majora bello quam pace commoda, hactenus junctos paene traxerunt in partes. Res utrinque fortiſſimis rationibus agebatur: qui pacem adſertum ibant, bellum diutius geri poſſe pernegabant: attritas annis quadraginta totis bellantium vires, abſumptis pecuniis nervos accifos: creditorum ſubſidia frigere; principes amicos ſumptuum jam taedeſcere: Magnae Britanniae regem impendio abſtinere in poſterum decreviſſe: regem Galliae per ſe quidem oppido potentem, verum belli onera ſuſtinere ſolum nolle. Etſi autem amborum auxiliis, etiam paulo quam antehac liberalius, fulciantur, quid proficere, niſi ut lentius pereant, torquente ſemper imminentis exitii metu, avertendi ſpe nulla? nam regibus quidem illis, arma ſi quando ſua libuerit jungere, haud dubie virium eſſe plus ſatis ad Hiſpanos Belgio etiam ſuo, unde in vicina quotidie graſſantur, depellendos: ſed utrumque multoties in conſpirandi ſocietatem vocatum abnuiſſe, ſuorumque pacem externorum commoditatibus et incertis bellorum caſibus praetuliſſe. Ad haec nunquam eſſe inter reges adeo certam concordiae fidem, ut victoriae conſortes bello parta legitimis portionibus dividi ſinant: neutrum certe paſſurum ut omne commodum ſocio cedat; quin potius e re uterque ſua eſſe putet, foederatas provincias communi ſumptu modico ſuſtentare, quo diutius Hiſpanica tela corpore excipiant ſuo: miſeram vero pugnantium ſortem, quibus arbitrio vires alieno conſtent. Conditiones offerri maxime optabiles: nec majorem, adepta victoria, gloriam poſſe reportari; archiducibus, tam ſuo quam Philippi nomine, provincias liberas earumque magiſtratus ſive Ordines propriae ditionis dominos agnoſcere paratis: denique reges ipſos, quorum amicitiam ſint experti, id ſuadere, et fide ſua jubere: tantis auctoribus atque ſponſoribus nihil metuendum cunctandumve. Alii contra

contra totum illud negotium fraudis et inſidiarum ſuſpicione damnabant: neque aliter veriſimile fieri aiebant, principem tantum, aut gentem ſibi totius orbis imperium, ſpe licet vana, deſtinantem, pudendo foedere obligari velle; quod et ſuorum ducum imprudentiam, et exercituum vires inanes, et nominis Hiſpani famam apud ceteros principes in ſummam contemptionem adduceret; ſcopulos regi ſummopere vitandos. Bellis anteactis Provinciarum creviſſe potentiam, urbes opibus et civibus auctas. Capita vectigalium, unde ſumptus in bella tam diu facti, in ipſo bello nata, bello ceſſante ilico interitura; manſuras nihilominus ſumptuum neceſſitates retinendis urbium ſingularum praeſidio militibus, quum illae ſint ob loci naturam omnes aeque finitimae. Illud autem valde eſſe metuendum, ne quos in bello commune periculum in mutuam tutelam fecit unanimes, eos in pace blandae quietis inertia ſupina diſſolvat; neve poteſtatum, urbium, provinciarum inter ſe ſimultates, aemulationes, odia, quae bello premente tecta potius quam extincta aut conſopita quieverunt, laxata per ſecuritatis publicae ſpeciem diſciplina, petulantius erumpant, et reipublicae ſtatus furiali diſcordia ſubvertatur. Vires ſuas nautarum et navarchorum peritia, opes navigationibus et commercio, conſtare: haec omnia, ſimul ac pugnis navalibus exerceri deſierint, ad Hiſpanos tranſitura, quibus eſt laboris induſtriae pugnarumque artibus ſeges ampliſſima. Quod autem jactaretur, artifices iſtos omnes Hiſpanienſibus commerciis quandocunque libuerit, navibus, nautis, navarchis, mercaturis, opes et fortunas Provinciarum cunctas uno die depraedari facillime poſſe; ſuoque illo conſcientiae foro perfidiam iſtam prudentiae, auctoritatis, et juſtiſſimae adverſus perduelles ultionis nominibus inſignire. Haec apud foederatos publicis deliberationibus tractabantur, diſſipatiſque in vulgus per ſingulas urbes libellis contrariae opinionis capita ad poenam propemodum poſcebantur. Quin et regis utriuſque legati, ipſique adeo reges, ſuſpicione aſperſi, eo vehementius, quod per id tempus, ut eſt in ſuperioribus demonſtratum, Philippus Petrum [a] Toletanum in Galliam ad regem miſerat amicitiae redintegrandae ergo: conſimilemque ob cauſam cum Britanniae rege per Ferdinandum [b] Gironem extraordinaria quoque legatione agebat.

Pacis, quibuſcunque conditionibus daretur, repudiandae praecipuus auctor Mauricius, paterni nominis memoria charus, et propriae virtutis merito, imperatoria prudentia, fortitudine, felicitate, ſpectatiſſimus, oblatas ab Hiſpanis conditiones, ut fraudes et inſidias Ordinum foederatorum libertati peſtiferas, verbis ſcriptiſque atrocibus arguebat; ſuamque in ſententiam complures patriae amantiſſimos traxerat: quam ſi tueri armis voluiſſet, belli ducum militumque omnium votis dubio procul adſerturus videbatur. Et jam variis in provinciis urbes aliquot, ac Zelandia tota, in eam partem movebantur: idemque animus magnariis negotiatoribus Indicano commercio pecunias exercentibus, quorum eſt iis regionibus auctoritas maxima. Superabat omnia conceptum adverſus Hiſpanos odium, ob innatam genti vindicandis ferociter injuriis vafritiem; quae res magnis ſuſpicionum difficultatibus negotium impedivit: atque adempta ſpes omnis et ratio deliberandi fuiſſet, niſi qui neceſſariam patriae ſuae pacem eſſe judicabant, regiorum legatorum amplitudine, ſagacitate, conſtantia, ſubnixi, ceteros paene invitos ac renitentes in conſilium compuliſſent. Sed tunc etiam novae difficultates obortae, pleriſque pacem quidem pleniſſimam, minime vero inducias, probantibus; Hiſpanis autem ad inducias tantum intentis. Harum igitur conditiones hortatu conſilioque regiorum legatorum iniri ac diſcuti tandem coeptae, perſcripta ab Janino legationis principe conveniendi formula, qua archiduces cum provinciis foederatis, ut cum liberis populis, agere teſtarentur.

INTERPR. [a] *de Tolede.* [b] *de Giron.*

teſtarentur. Neque difficultatum aut contentionum finis. Archiduces ante omnia flagitabant ut cunctis per provincias foederatas Catholicis religionem ſuam publice colere ac profiteri fas eſſet: idque etiam regis legati ſtrenuo favore amplexabantur, indigenarum Catholicis deſideria ſua prudenti diſſimulatione prementibus. At foederatarum provinciarum ſyndici maximis clamoribus repugnabant, et nihilo ſegnius Magnae Britanniae legati. Tum frequentes increpantium querelae; hoc ſemel conceſſo hoſtem et ferrum in viſcera recipi; libertatem tantis ſumptibus tantiſque periculis partam labefactari; rempublicam funditus everti. Denique in iis anguſtiis res erant, ut in petitione perſtitum ſi fuiſſet, actutum negotio deſperatiſſimo diſcedendum ad ſua ſibi eſſe quiſque judicaret. Itaque archiducum procuratores id omittere coacti: regis vero legatis, data ab foederatorum primoribus fide, ſpes facta poſt conditos induciarum articulos poſtulationi ſuae ſatisfactum iri, prout publica ſecuritas pateretur. Huic jurgio ſucceſſit aliud aeque moleſtum ac difficile, pro libertate foederatorum ac ſupremo ipſorum in provincias ſuas imperio. Hoc enim illi concipienda pactorum formula verbis tam anxie ad gloriam captatis exprimi cupiebant, ut non tantum ſuae poſterorumque ſecuritati cavere, ſed etiam adverſariis pudorem et belli damnoſiſſimi eventum exprobrare, viderentur. Hiſpani e contrario veſtigia quaedam priſtinae ſuae poſſeſſionis callide ſuggerebant, libertatemque foederatarum provinciarum, ſed quaſi precariam, ſubtilibus verborum ambiguitatibus agnoſcebant, ut eam poſſent olim, occaſione ſuadente, pariter cum induciis expiraſſe cauſari. Hinc excitata rurſus odia partium, et in vulgus, retinendae libertatis ſtudio flagrans, edita ad diſſuadendas inducias ſcripta, repetitis quae ſupra memoravimus argumentis. Verum ea mox in Ordinum conſeſſu legati regii, verba faciente Janino, graviſſimis rationibus repreſſerunt. Patriae libertati ſatis eſſe conſultum, Hiſpanis, ex propoſita principio conventus, regum potentiſſimorum ſtipulatu, formula, provincias liberas agnoſcentibus. Fruſtra vero urgeri agnitionis in perpetuum teſtationem, quando ſimplici ac mera libertatis nuncupatione, plena ſignificetur et juſta, nullis temporum ſpatiis circumſcripta: ſuam illam non eſſe concedentis ullius beneficium, ſed jus optimum juſtis armis adverſus injuriam ſumptis partum, uſu longo firmatum; proindeque opus non eſſe formula conceſſionis ſive agnitionis diſertiore: nam et publica regnorum lege caveri, ne quis princeps ullam regni ſui ditionumve ſuarum partem in ſucceſſoris praejudicium minuere aut abdicare ullo pacto poſſit. Itaque ſi quid juris in provincias foederatas penes archiduces aut Philippum remanſiſſet, quibus libet conditionibus, in perpetuum cederetur, nihil agi, quo minus ad ſucceſſorem jus integrum perveniret: hujuſmodi vero negotia non verborum obligationibus ſed armorum felicitate ſanciri. Inducias cum ſubditis olim populis, poſt diuturna bella fere in pacem abire tacitam, tolerabiliore ſupremae potentiae detrimento, quod adumbrari diſſimulatione aliqua poſſit, quam quod damni per vim accepti confeſſionem extorqueat. Helvetios quondam adverſus Imperialium ſatraparum ſaevitiam armatos, poſt ancipites belli diuturni caſus, per inducias etiam minus honorificas reipublicae fundaſſe tranquillitatem: deſperandos non eſſe foederatis in ſimili facinore conſimiles eventus. Induciis pericula quidem ſubeſſe nonnulla, ſed bello plura et certiora: illis obſiſti poſſe conſilio, vigilantia, domeſticis armis: haec vero, uti nunc provinciarum res ſunt, vitari ab ipſis aut ſuperari niſi viribus externis haud poſſe. Denique eos eſſe archiduces, qui fidem datam religioſiſſime colant; et per hoc tutiores inducias fore. Philippum petitu ipſorum in propoſitas conditiones deſcendiſſe; reges amicos auctoritate ſua pactis firmandis plurimum fiduciae collaturos: tam praeclaras negotii bene gerendi opportunitates, occaſione ſemel amiſſa,

CIↃIↃCIX. amiſſa, nequicquam poſtea requiri. Igitur, ex conſilio legatorum conſtituta ſimplici

HENRICUS IV. libertatis abſolutiſſimae formula, ceteros foederis faciundi articulos excuti placuit. Et heic ingens ſuper Indicanis navigationibus diſcordia. Hiſpani, provinciarum foederatarum dominio, quo jam pridem exciderant, abdicato, liberalitatis imaginariae beneficium Ordinibus imputabant; neve id gratuitum eſſet, poſtulabant ut Indorum commercio interdici ſibi paterentur: etenim regiones ab Hiſpanis inventas, occupatas, et annuente ſupremae ſedis pontifice diu regnatas, nunc Hiſpanorum proprias jure cenſeri. Ad haec Ordines praefracte reſpondent, ſe conditione illa non uti: nec dubitare quin vel invitis ac nolentibus Hiſpanis eximio jure ſint liberi; proindeque ſocietatis humanae commoditatibus prohiberi nolle. Inter naturae, quam Deus condidit, beneficia, non minimum eſſe quod et vento nationes locis diſſipatas miſcuit: ipſorumque adeo ventorum flatus, ab nulla non aliquando regione ſpirantes, ſignificare conceſſum cunctis gentibus ad cunctas aditum; et maria quidem, quum ſint jure gentium communia, nullo praeſcriptionis aut conſuetudinis titulo adquiri cuiquam poſſe, neque oceanum immenſum illum et vaſtum regni unius nec maximi acceſſionem recte dici. Indos vero ab Hiſpanis inventos falſo credi, tot ab ſaeculis cuilibet impigro mercatori cognitiſſimos. Pontificis auctoritatem, quamvis ille totius eſſet mundi temporalis dominus, quod ſapientes valde negant, contra jus naturae gentiumque perpetuum et immutabile non valere. At longam poſſeſſionem nullo jure fultam, quid eſſe aliud niſi manifeſtam longi temporis injuriam? et tamen intra centum annos Gallorum Anglorumque expeditionibus apertiſſimis interruptam. Juſte oppugnari gentes quae in ſuo ſolo commercia aliis interdicunt; juſtius illas quae populos ad ſe nihil pertinentes per vim diſtinent, ac mutuos eorum commeatus intercludunt, ut monopolio ſuo totius orbis commoda flagellent. Porro abſurdum eſſe et incivile, quibuſcum pacem ſive longas inducias facere exoptes, iis tanquam exulibus aut relegatis commeandi commercandique libertatem adimere. Jam patere artes eorum qui nuper foederatis ſupremum in provincias ſuas dominium, et nomina dignitatis, et titulos et inſignia, concedebant, ut ſcilicet rem ipſam qua libertas conſtat et demonſtratur eriperent; et gentem navali militia potentiſſimam, Hiſpanis oceano toto Indiaque cuncta formidabilem, ac propterea ceteris gentibus utilem, ſublato navigationis uſu, terrae finibus anguſtis incluſam, continuo rerum omnium egenam, vicinis ſuis inutilem redderent ac deſpicabilem. Quare meminerint ſibi negotium eſſe cum populis non dedititiis, ſed liberis, quibuſcum liberaliter ſit agendum, aut ad ſigna utrinque diſcedendum. Haec pro libertate acriter Ordinum procuratores; quae mox ab Hugone Grotio fiſci Hollandici advocato, de quo plura dicenda ſequentibus, elegantiſſimo libello ſunt pertractata. Libelli titulus, Mare liberum: eoque citantur etiam theologorum, Alphonſi Caſtrenſis, Gabrielis Vaſquii, Hiſpanorum, et Thomae cardinalis Cajetani, ſententiae; quibus id evincitur, eos omnes inſanire qui ſolis Hiſpanis ad Indos navigandi jus eſſe putant, aut ab iis Indorum principes regnis ſuis legitime fuiſſe ſpoliatos arbitrantur.

INTER has altercationes quum apparuiſſet inducias fruſtra ſperari, quamdiu navigationis et commerciorum libertas Ordinibus negaretur, archiduces ex ſuis procuratoribus Joannem [a] Neium ad Philippum miſerant, qui perplexam negotii neceſſitatem coram exponeret. Is, quum annum amplius apud principem more gentis cunctabundum haeſiſſet, tandem eſt dimiſſus. Paucis poſtquam rediit diebus convenerunt Antuerpiam regii legati partium procuratores. Conſultatum illic aliquoties inter ipſos. Archiduces Philippi nomine ſpondebant nihil factum quod poſſet Indicanis obeſſe commerciis: ſed induciarum pactis Indorum nomen inſeri Philippum nolle certas ob cauſas, quas exprimi foederatarum provinciarum nihil interſit: hoc

INTERPR. [a] *Ney Cordelier.*

CIƆ IƆC IX.

HENRICUS IV.

hoc uno eum ſatis animo ſuo fieri decreviſſe. Ordines contra, quanto diligentius Indorum nomen obſcuraretur, tanto apertius declarari debere contendebant: neque ab ſententia ſua diſceſſerunt, donec iſta demum ſubiit concordiae ratio; ut generali commerciorum inter ipſos ubicunque liberrimorum pacto contenti inducias facerent: quas et ad Indicana commercia pertinere archiducum procuratores Philippi nomine teſtarentur; tum legati regii bona fide omnia etiam quae ad Indos ſpectant, uti ſi nominatim adſcripta eſſent, ſervatum iri, idonea fidejuſſionis formula caverent; ac, niſi ſervarentur, reges ſuos auxilia miſſuros foederatis. Haec cum placuiſſent, conventione conſcripta et conſignata, tandem legatorum arbitratu ſive conſilio factae XII annorum induciae. Petierant archiduces ut mercatoribus, qui ad Zelandiae litora naves appellerent, fas eſſet eaſdem naves inde per [a] Scaldim mercibus intactis Antuerpiam peragere. At, Zelandis utilem provinciae ſuae legem, etiam adverſus ceterarum provinciarum ſuffragia, et regiorum legatorum conſilia, obſtinatiſſime retinentibus, quum res aliter componi non poſſet, placuit deliberationem in aliud tempus ab induciarum promulgatione proferri, publicae quietis illecebra feros utrinque animos fortean lenitura: quod et in aliis pleriſque articulis uſitari fuit neceſſe; hoc in omnibus pacto, ratas nihilominus inducias fore, etſi de his inter delegatos minime conveniret. Itaque V Eidus Aprileis pacta conventa, XXXVIII capitibus comprehenſa, Petrus [b] Janinus et Elias Placeanus Galliae, [c] Richardus Spencerus et Rudolphus Winwoodus Magnae Britanniae, legati ſignavere: dein Ambroſius [d] Spinola Venafri marchio, Joannes Richardotus, Joannes Mancicidorius, Joannes Neius, Ludovicus Verreikenus Alberti et Iſabellae archiducum, tam ſuo quam Philippi Hiſpaniae regis nomine agentium; [e] Guillelmus Ludovicus comes Naſſavius, Valravius Brederodius, Cornelius Gentius, Joannes Barneveldius, Jacobus Malderaeus, Gerardus Reneſſus, Gellius Hillelma, Joannes Slothus, Abel Conderſius, Ordinum Belgii foederati procuratores.

Eo die induciae promulgatae ac frequentiſſimo populi concurſu, incredibili gaudio, exultatione, plauſu, comprobatae; tubis, lituis, machinis fulmineis, clangore et fragore bellico pacem undique pronunciantibus. Hoc etiam die regis legati Catholicis impetravere, ut in pagis ad provinciarum foederatarum civitates in Brabantia pertinentibus nihil circa religionem fieret, quo minus Catholicae ſolius cultus, uti hactenus fuiſſet, ita porro permaneret: fraudemque abfuturam Ordines et Mauritius legatis promiſere, ſed ſine ſcripto. Ob eam rem legati ſcriptum conſignavere: quo etiam facta fides, regem, ſi quid adverſus ea fiat, apud Ordines curaturum ut corrigatur. Tranſacto negotio regis utriuſque legati [f] Hagam Comitis rogati revertuntur, ut fidem induciarum pro Philippo et archiducibus datam Ordinibus confirmarent. Itaque XV Kal. Quintil. condita cautionis formula: nihil pactis inter reges et Ordines anno ſuperiore conventis derogari, ſed ea, uti ſi eſſent diſertim repetita, cuſtodiri: reges ſpondere, ni Philippus et archiduces induciarum leges ſervent, ſive aliquid faciant aut fieri ſinant, quo Indicani commercii facultas libertaſque Ordinibus, iiſve quibuſcum Ordines commerciorum ſocietatem fecerunt, aut facient, adimatur laedaturve, continuo ſeſe promiſſa pactis auxilia collaturos: Ordines, quamdiu ſtabunt induciae, neque cum Philippo, neque cum archiducibus, abſque regis utriuſque conſilio

INTERPR. [a] *l'Eſcault.* [b] *le preſident Jeannin, & Helie de la Place Sr. de Ruſſy.* [c] *les chevaliers Richard Spencer, & Ralph Winwood.* [d] *Spinola marquis de Venafro, le preſident Richardot, Jean Mancicidor ſecretaire de ſa majeſté Catholique, le P. Ney commiſſaire general de l'Ordre de S. François és Pays Bas, & l'audiencier de Verreycken.* [e] *le comte Guillaume Ludovic de Naſſau gouverneur de Friſe, Walraven Sr. de Brederode Vianen, &c. le Sr. Corneille de Gendt Vicomte & juge de Nimegue, Jean d'Olden Barnevelt garde du grand ſceau de Hollande & de Weſt-friſe, Jacques de Maldereau premier preſident au conſeil de Zelande, Gerard de Reneſſe Sr. de la Aa, Gellius Hillema conſeiller de Friſe, J. Sloeth Sr. de Sállick, & Abel Coenders de Helpen.* [f] *la Haye.*

CIƆIƆCIX. conſilio ſive conſenſu, pactionem ullam facturos : reges viciſſim nullum foedus cum

HENRICUS IV. principe, unde res Ordinum publica detrimenti quid capiat, inituros.

His rebus conſtitutis ſumpta occaſione Janinus religionis cauſam reponit: atque unum ſupereſſe ait, quod rex etiam atque etiam exoratum cupiat; nempe ut Catholicis, qui ſub Ordinum foederatorum imperio degunt, avito ritu Deum colere liceat. Regem Catholicae religionis cultorem bona piaque mente ſuae religionis hominibus per Ordinum provincias conceſſum velle, quod ipſe per omnem Galliam hominibus Ordinum religionem profitentibus indulſit. Mandata ſuper hac re ſua in hoc uſque tempus premi juſſiſſe, quo liberior eſſet factis induciis deliberatio, et beneficii minime coacti gratia certior. Moveri numero; ſatiſque eſſe crudele, Catholicos complures, partem reipublicae foederatae, pariter cum ceteris longiſſimi belli taedia, caſus acerbos, horrenda pericula fortiſſime perpeſſos, parta pace, adſerta patriae libertate, et pacis et libertatis beneficio, in ipſa patria, pro qua feliciter pugnaverint, prohiberi: nam quem illic eſſe pacis aut libertatis uſum, ubi profeſſa religionis a majoribus acceptae conſcientia perduellem facit? Ordines ſcire quantis viribus tandem erumpat oppreſſa religio: hanc eſſe cauſam praecipuam ac potentiſſimam quae provincias ſuas in foedus armaverit: id ipſum eſſe, quod in iiſdem provinciis haud ſpernendam civium multitudinem, mutati quidem dominatus patientiſſimam, ſed exercendae religionis ſuae ſtudio tacite aeſtuantem, ad lachrimas et preces impellat. Fortibus viris honeſtius eſſe lachrimis exorari, quam ferro: et ex eventis bellorum, quae paſſim in pleriſque orbis Chriſtiani partibus ſunt excitata, facile colligi, libertatem iſtam Chriſtianis populis nunquam impune denegatam fuiſſe; Deo ſignificante talia diſſidia non armata militis aut carnificis manu componi, ſed impetrato per amica mutuae charitatis officia divini Numinis afflatu, quo principes, ac ceteri quibus eſt populorum cura concredita, cum eccleſiae capite in ea remedia ſerio conſpirent, quae ſanctiſſimi patres hujuſmodi malis adhibenda eſſe docuerunt. Interea regem prudentiſſimum, edicti fide ſervata, ſubditis imperio ſuo gentibus providiſſe, ut religionis, quam vocant, reformatae homines una cum Catholicis degerent, iiſdem urbibus ſub iiſdemque ſaepe tectis quieti. Hac ratione animos ante bellorum rabie feros adeo cicuraſſe, ut jam utrinque optimi ac ſapientiſſimi quique communionis concordia jungi, omneſque offenſionum cauſas de medio tolli, vehementer exoptent. Conſilium quod ipſe ſibi cepit, quodque regno ſuo ſalutare eſt expertus, hoc libenter amicis ſuis dare; atque etiam arbitrari proprias eſſe rationes, quae debeant foederatas provincias in eandem ſententiam perducere: quippe aliam eſſe regis cauſam vetantis inter ſubditos religionem uſurpari, niſi quam ipſe, quum eſt regnum adeptus, in regni ſui provinciis vulgatam reperit probavitque; aliam Ordinum foederatorum, provincialibus et popularibus ſuis religione interdicentium jam pridem recepta, diuque ante probata quam Ordines ipſi hodiernam ſuam induxiſſent. Illum jure ſuo facere, ſed imprudenter, ſi eum regni detrimento ſummum jus lenitati clementiaeque anteponat: iſtorum vero ex utriuſque religionis civibus conflata republica, communibus utrorumque viribus, animis, opibus parta libertate, iniquam fore ſocietatem, ſi nunc major novatae religionis ſequacium numerus ceteris imperare ſic velit, ut religionis uſum adimat, quam habent ipſa libertate antiquiorem. Praeterea graviter peccaturos Ordines, ſi, negata Catholicae religioni libertate, exemplo ſuo religionis ſuae conſortibus, ejuſdem ſibi libertatis gratiam implorantibus, aures principum Catholicorum occludant. Viderent igitur ne ſeveritate ſua pernicioſum dogma reducant exiſtimantium bella juſte geri ut in potentiorum religionem ceteri cogantur; quo ſaepe ſupremae poteſtates efferatae, populos ad internecionem conſceleratiſſimis odiis accenderunt. Libertatem, qua de agitur, concedi tuto poſſe

cibus

ciuibus ſtrenua fide notiſſimis, tot periculorum ſociis; qui tam diu religionis uſu privati, durae ſortis arbitrium, difficultati temporum, non injuriae dominantium, imputantes, juſtum dolorem cohibere maluerunt quam vel minimum hiſcere, quod publicae concordiae obſtreperet; ſpe ſcilicet optima ſuſtentati, bellis ſecundo fine confectis, ſecuritate conſtituta, in partem proſperitatis venturos, qui laborum et aerumnarum fuiſſent participes: qua ſpe ſublata, duorum alterum ſequi, ut aut zelo religionis adamatae perciti magis inardeſcant, et, factionis violentia negatum, contraria factione receptum velint; aut, ignava derelictione, ab illius cultu paulatim deſuefacti, tandem extincta Divinitatis memoria in cogitationes impias diſſolvantur. At impietatem multo eſſe reipublicae quavis ſuperſtitione periculoſiorem: quum ſuperſtitioſus omnia metuat, vindictaque hominum vitata, divinam longe formidabiliorem ſe non evaſurum credat; ideoque legibus obtemperet, ac ſemper facilius a criminibus abſterreatur, quam qui nec ſpe nec metu juſtitiae divinae tangatur, nec illicitum aut turpe quicquam putet, niſi quod poſſe oculos magiſtratuum vel manus fallere diffidat. Haec obtinendae Catholici cultus publicae libertati abunde ſufficere; ſed regem, qui plurimos in Ordinum conventu acrius diſſenſuros provideat, nolle diſcordia rempublicam turbare foederatam: itaque preces ipſum ſuas ſubſtringere, nec jam rogare libertatem Catholicis publicam concedi, ſed privatam ac domeſticam indulgeri; ne cui ſcilicet Catholico ſuis in aedibus eccleſia familiari Deum ritu ſuo coluiſſe crimini detur. Quod ſi adhuc periculoſum reipublicae videatur, non diſplicere ſic etiam caveri, ne quis eccleſiaſticus ullibi foederatae ditionis locorum ſedem ponat, niſi prius, et nomen et domicilium apud acta profeſſus, notorem dederit, qui virum bonum et factionis noxa ſolutum praeſtet. Hanc indulgentiam parciſſimam, reipublicae foederatae minime damnoſam, cives ſummi beneficii loco ſuſcepturos, eoque contentos provinciarum foederi firmius adhaeſuros; regem vero gratias Ordinibus habiturum magnas, laudaturum prudentiam recto conſilio feliciter utentium: quod ſi civibus aequa poſcentibus negare pergant, eum quoque in opinione ſua permanſurum, ſemper habituros, quod ſibi perniciosiſſimum fore merito ſuſpicentur. Nihilominus tamen ſuadere Catholicis, ut quicquid Ordinibus hac in re viſum fuerit patiantur, ac patriae tranquillitatem modis omnibus ſervent: ſi quid moveant, poena potius quam favore dignos arbitrari.

CIↃIↃCIX.

Henricus IV.

Catholicorum cauſa graviſſime perorata, Janinus ſcriptis etiam mandari quae dixerat, quo diligentius conſiderarentur, permiſit: ex quibus Ordines, regem conſentanea religioni majeſtatique ſuae feciſſe, ſatis intellexerunt. Provinciarum delegati quum ſententiam rogarentur, amplius deliberandum cenſuere; pleriſque poſtulatam Catholici cultus libertatem publica legis auctoritate concedi, niſi cum praeſentiſſimo reipublicae periculo, non poſſe pronunciantibus; nonnullis tacita potius clementia tolerari aut diſſimulari debere exiſtimantibus, tribuendumque id civium conterraneorum, commilitonum fidelitati, praeterea tanti regis intercedentis majeſtati amicitiaeque. Et horum quidem ſententiae, ſeu voto, deinceps in pleriſque locis magiſtratus obſecundantes, multum de acerbitate ſolita remiſere. Neque heic tantum, ſed et toto negotii tractu regis auctoritatem et Janini induſtriam maximi ſemper fuiſſe momenti conſtat vel ex Hiſpanorum mandatis, quae Hagae, turbatis Neio non revertente deliberationibus, in hoſpitio Richardoti caſu, ſeu verius conſilio, relicta, per vulgi manus volitavere: nam hoc inprimis archiduces Richardoto ceteriſque procuratoribus ſuis praecipiebant, ut in Janini benevolentiam ac familiaritatem ſeſe quam maxime poſſent inſinuarent.

Belgicas inducias inter noſtra reputantibus accedat mentio dioptrae, per id quoque tempus in Belgio primum fabricatae, a noſtris ſubinde artificibus uſurpatae.

CIↃIↃCIX. HENRICUS IV. Tubuli extremitatibus aptantur vitrea perſpicilla duo, alterum ſphaerice convexum, alterum concavum; utriuſque altera parte plana: hoc admovetur oculo, illud rerum etiam remotiſſimarum ſpecies excipit, et amplificatas ingerit concavo, a quo receptae collectaeque ad oculum ſic feruntur, ut perſonarum articuli et vultus dignoſci, literarum ductus et formae diſcerni ac legi, commodiſſime poſſint. Inventi ſubtilitate in Italiam perlata, Gal. Galileus patritius Florentinus tam exacte ſibi machinam concinnavit, ut per eam intuentibus apparerent omnia decies majora decuplo, ac ter decuplo viciniora, quam ſi meris oculis cernerentur. Hac praeter maculas in facie lunae omni aevo conſpectas, alias vidit, minores quidem, verum adeo frequentes, ut totam faciem, praeſertim qua lucidior fulget, adſpergant: indeque hoc poſteris tanquam exploratiſſimum tradidit, lunare ſidus non in ſpeciem orbis abſoluti globatum eſſe aut tenerum, ſed praefractis aſperitatibus ſcabrum, partim celſis quaſi montium jugis extumidum erectumque, partim profundis vallibus depreſſum: praeterea lacteum in coelo circulum nihil aliud eſſe niſi confertiſſimam ſtellularum congeriem. Poſtremo vidit oſtentum ingens, novos planetas quatuor, Jovi adſtites, ſecundum rectae lineae rationem eclipticae parallelam, interſtitiis alias aequalibus, alias inaequalibus, diſpoſitos, ac ſive is prodeat, ſive retro feratur, modo praecedentes, modo ſubſequentes: magno argumento, infra ſtellarum coelum, non ſolum planetas ſeptem notiſſimos, ſed etiam alia ſidera, quae tamen niſi dioptrae iſtius vi cerni ab hominibus nequeant, ſtellaſcere. Planetis ſuis Galileus nomen indidit Coſmicis, ſeu Mediceis, a principe cui conſiderationes ſuas libello comprehenſas dicavit, Coſmo II Mediceo magno Etruriae duce. Nec mediocris extitit nuncii ſiderei gloria, quidquid illi detriverit anno ſequenti, edita diſſertatione, Keplerus; qui et dioptrae fabricandae rationes Jo. Bapt. Portae Neapolitano dudum fuiſſe cognitas, et lunarium macularum cauſas jam a Pythagora Plutarchoque obſervatas, ac denique novos illos planetas hallucinationis ſuſpicione non carere, prodidit. Cujus viri, ſane praeſtantis, auctoritatem ſequutus Fr. Sitius, etſi Florentinus, Mediceos planetas de coelo detrahere non dubitavit, tanquam ex Jovialium radiorum refractione, trans aëris interjecti nubila per vitri lenticularis praeſtigias, imaginarios, ac parheliorum aut paraſelenarum inſtar inanes. Veruntamen quarto poſt anno Simo Marius Guntzenuſanus ſanctiſſime adfirmavit, in Germania ſe, ſub ipſum fere tempus quo Galileus in Italia coelum, ſicut ipſe retulit, conſiderabat, conſimili dioptra Joviale illud ſyſtema conſpexiſſe; eo tantum diſſimile, quod novi planetae non ſemper in recta linea ducta per Jovem eclipticae parallela verſarentur, ſed modo in boream, modo in auſtrum, deflecterent: captum vero admiratione, novorum ſiderum motus et intervalla per noctes complures obſervaſſe. Ex his ille definito cuique planetae circulo, mundum Jovialem cognomine libello deſcripſit, conſentanea Galileanae doctrinae diſciplina. Eodem opere Belgico perſpicillo haec accepta refert, omnes in coelo ſtellas et planetas, excepta luna, ſcintillare; praeterea non ſolos planetas, ſed omnes ſtellas inſigniores, exactiſſimae apparere rotunditatis; et alia quaedam Galileo non viſa. Inter quae tandem mirari ſubeat, in hac cordis humani curioſitate, et rerum in coelo ſpectandarum copia, machinae tam celebratae utilitatem non plura ſui dediſſe nobis hactenus experimenta.

Est etiam nobilis hic annus occaſu ſideris in Belgio Gallici Joſephi Scaligeri; cujus ingenium orbe toto ſumma omnium literarum elegantia refulſit. Annum agebat ſexageſimum nonum, quatuor fratribus ſolus ſuperſtes, decimus matris ſuae partus. Natus [a]Aginni Nitiobrigum parente Julio Caeſare Scaligero medico, omnium quoque diſciplinarum laudibus celeberrimo; ſic tamen ut propria quiſque virtute cenſeri, minime vero ſecum invicem committi aut comparari, debeant: et certiſſimum

INTERPR. [a] *Agen.*

certiſſimum fuerit optimi viri Nic. [a] Fabri judicium, tanti filii parentem, tantique parentis filium, duo eſſe literatorum exempla ſine exemplo maxima. Extra peculiares ingenii dotes par utrique morum probitas, et vitae honeſtiſſimae commune decus: nam quod in eorum ſcriptis nonnulli atrocem judicandi caſtigandique libidinem vituperant, hoc poſteritas aequior generoſo ſupremi magiſtratus, quem in republica literaria jure obtinebant, imperio, potius quam tyrannidi, deputabit; nimirum ſcripſere docendis ſtudioſorum veteranis, non tironibus. Utrinque autem exorti qui amborum quidem, ſed praecipue filii, famae oblatrarent; hinc inſcitiae veſania perditi, illinc factionum livore corrupti. Priſcorum in [b] Veronenſi principatu [c] Scaligerorum gentem filius a patre conceptam tueri aequum eſſe duxit; ambitione viris gravibus ideo non probata, quod exiſtimarent fruſtra quaeri, an Scaligerorum Veronenſium ſanguis in Julio vixerit, quum et Julius et Joſephus tam illuſtre Scaligerorum nomen fecerint, ut ab iis originem ſuam illuminari Veronenſibus longe ſit glorioſiſſimum. Obiit Joſephus [d] Lugduni Batavorum, quo evocatus ab Ordinibus foederatis, rege id ſummi beneficii loco petentibus annuente, conceſſerat. Academiae curatores, urbis conſules, bene merentis ſepulchro titulum poſuerunt. Ibidem etiam paucis poſt diebus obiit Carolus [e] Cluſius Atrebas, octogenario major, peregrinationibus magis quam ſenio confectus; hiſtoriae naturalis exoticae deſcriptione commendatiſſimus. CIↃIↃCIX. HENRICUS IV.

INTER diplomata regia reperitur, quo rex, petitu reginae, noſocomii in urbe aut ſuburbiis aedificandi habendique poteſtatem fecerat Joanni Bonnellae vicario Joannis Dei, religioſae fratrum hoſpitalium ſodalitatis, urbe Roma, paſſimque aliis per Italiam urbibus, receptae, auctoris: ſenatus comprobando modum adjecit, ut Bonnella ejuſque ſodales regni Franciae ſive magiſtratuum ſive epiſcoporum juriſdictioni pareant. Ipſa ſodalitas piorum erogationibus fovetur et ſuſtentatur, erogata diſpenſat hoſpitibus: frangit et ſibi ſodalium miniſteria diviſa: alii circitoria mendicitate ſtipem rogitant et aggerunt: ſuſceptos in noſocomium aegrotos alii curant; alii Chriſtianis adhortationibus ſolantur: alii mortuos terrae mandant: externae ſodalitatis inſtituto probabili, quatenus hoſpitalibus officiis majorum noſtrorum beneficio deſtinata perfide tractari non puduerit.

QUARTO Eidus Aprileis [f] Margarita Valeſia [g] Averniae Claromontiique comitatus et [h] baronum Turrianorum ditionem, praeterea quidquid ſibi juris in Avernica regione aut alibi locorum in regno ſive extra regnum ex hereditate paterna maternave competeret, id omne Delfino Franciae, tanquam regis in regni ſucceſſionem heredi, donavit, Nicolao [i] Brularto et Max. [k] Bethuna Delphini nomine acceptum ſtipulantibus: donationi dicta lex, ut jure unionis in corpore cenſus Franciae res donatae maneant, alienatione in perpetuum vetita.

INEUNTE Junio foeda negotii foenebris conturbatio magiſtratuum animos accendit. Guillelmus [l] Pingreus argentariam in urbe diu ſine ullius querela quum feciſſet, tandem grandi pecunia foenori ſuſcepta, rationes et inſtrumenta ſua ſummovit, et fugit. Creditores, audito ſtellionem [m] Valencianis in Hannonia latitare, per [n] latrunculatorem requiri curaverunt; comprehenſumque, petita ab archiducibus venia, Lutetiam retraxerunt. Judices fraudis confeſſum remigio perpetuo damnavere, ignominioſa prius per urbem traductione habitu ſuſpendioſi diffamatum. Subinde hujuſmodi praedonum impudentiae coërcendae promulgari edictum placuit, de fraudatoribus argentariis, tanquam furibus improbioribus, ſupplicio puniendis.

EODEM

INTERPR. [a] *le Fevre.* [b] *de Verone en Lombardie.* [c] *della Scala.* [d] *Leyde.* [e] *de l'Eſcluſe du pays d'Artois.* [f] *la reine Marguerite.* [g] *Auvergne, & Clermont.* [h] *les barons de la Tour.* [i] *Brulart Sr. de Sillery.* [k] *de Bethune duc de Sully.* [l] *Pingré.* [m] *Valenciennes en Hainaut.* [n] *le prevoſt des mareſchaux de Senlis.*

CIƆ IƆC IX. Eodem menſe aliud edictum, maximo quoque omnium conſenſu, recitatum eſt, adverſus internecina vadimonia: quae hodierna etiam barbaries, eo quod dualia ſint, duella nuncupat, et ab Salica lege velut ab heroicis ducta temporibus colit; quum tamen longe deteſtabiliora ſint iis quae ut ferina Theodoricus ipſe Gothorum rex, ſuggerente Caſſiodoro, damnavit, quaeque aliquot poſtea ſaeculis Gundebaldus Burgundio et Salicae legis conditores peſſimo exemplo reduxerunt. Nempe mos inoleverat, ut judices dubiam teſtium et jurisjurandi fidem adjuvarent armorum diſcrimine: partes armis inhabiles quae eſſent, campiones vicarios darent; atque is cauſa caderet cujus campio cecidiſſet. Ea fuit gentis feritas priuſquam juris Romani diſciplina manſueſceret; ac diu poſtquam cicurari coepit, multum quoque ſylveſtris illius animi remanſiſſe declarant graves nobilium epiſcoporum, Aviti Viennenſis et Agobardi Lugdunenſis, querimoniae, complurium paulo poſt patrum votis Valentina ſynodo II inculcatae: quibus parum conſideratis Ivo Carnutum antiſtes, quamvis ſcientia juris excultus, cauſas etiam civiles ad comitem Carnutenſem ſanguinaria ſorte dirimendas per epiſtolam miſit; indigna homine Chriſtiano, nedum epiſcopo, ſententia; praeſertim quum ipſe, alia quadam ad Joannem Aurelianenſem epiſtola, hujuſmodi judicia ab eccleſiaſticis agitari nefas eſſe profiteatur. Itaque ſub optimis principibus haeſit impia conſuetudo militaribus ingeniis adeo pertinax, ut, Ludovici IX ſanctiſſimi regis edicto jugulata, nihilo ſegnius ſub ejus nepote Philippo Pulchro revixerit: nam is primum quidem intentato quaſi perduellionis crimini ſupplicio profligatam, mox edicto contrario reſtituit, revocatis legibus et formulis et ſacramentis, quibus, antequam in arenam venirent, decertaturi procurarentur. Prima lex fuit, ut maleficium, de quo quaeſtio foret, perpetratum fuiſſe conſtaret: altera, ut id maleficii perfidiaeve genus eſſet, quod, niſi capite, non lueretur: tertia, ut criminis poſtulatus ſcripturis aut teſtibus ordine judiciorum convinci ſatis non poſſet: quarta, ut veriſimilibus indiciis premeretur: poſtrema, ne furti quamvis improbe facti nomine certamen committeretur. Provocatio coram rege aut judice fiebat. Rex judexve diem partibus dicebat, quo die an certamini locus eſſet diſceptaretur. Agere ac defendere utrique per ſe, aut per advocatos, licebat. Provocantis querela, projecta ante judicis pedes chirotheca, aliove quopiam vadimonii ſigno, ſanciebatur. Provocatus objecta ſi fateretur, legibus animadvertebatur: ſin falſa et calumnioſa eſſe contenderet, ſuſcepto vadimonii ſigno, certamini ſeſe adfuturum ſpondebat. Rex, judexve, ſi cauſam certamini committendam cenſeret, diem et horam campumque conſtituebat. Interea bellatores, utrinque datis vadibus ſive obſidibus, neceſſaria ſibi providebant; equos, arma, conſilium; nam et amicos adducere fas erat. Uterque ad dictam diem campo aequato poſita utrinſecus tentoria ſubibant. Inde rege ſive judice pro tribunali ſedente, campi cuſtodes provocantem educebant ad thronum honorifice ſtratum, in quo evangeliorum liber, et Chriſti in cruce effigies. Ibi ſupplicem ſacerdos adfatus hortabatur, ne quid adverſario per calumniam impactum vellet, ſed Dei magis quam hominum judicia formidaret. Sacerdotis verba excipiebat equitum tribunus, apprehenſamque ſupplicis dextram imponebat imagini, ſiniſtram evangeliis. Mox ſolemne jurisjurandi carmen voce praeibat: pugnaturus concepta verba liquido pronunciabat, indeque ad tentorium reducebatur. Mox altera parte adverſarius prodibat, iiſdemque ſacramentis admonitus innocentiam ſuam contrario jurejurando aſſerebat. Ad eaſdem formulas uterque iterum ac tertio vocabantur; niſi quod ad tertium ſacramentum ambo ſimul aequis paſſibus accedebant: ac tum demum ſacerdos utrumque intentiore cura commonefaciebat, ne Dei patientiam perjurio tentarent; ſed alterutrum conſcientia morderet, is clementiam regis aut judicis imploraret, potius quam obſtinato corde contempti Numinis vindictam experiretur. Quibus rite

HENRICUS IV.

peractis

peractis, poenitentia neutrum ſubeunte, ſuum quiſque tentorium repetebat. Poſt quietis paululum, praeco in medium campum progreſſus ambos ad certamen voce magna ciebat. Illi confeſtim diſſectis tentoriis prodibant: mox a tribuno e pegmate projecta chirotheca, id erat pugnae ſignum, alacres concurrebant; confligebantque donec alteruter aut ſeſe dederet, aut extra ſepta caderet. Victo armaturam, loris reſectis, detrahebat, perque campum ſpargebat. Ipſe, ſive adhuc ſpiraret, ſive jam expiraſſet, humi ſtratus arbitrio regis ſeu judicis relinquebatur. Vades obſideſve victor, uſque dum mulcta irrogata ſolveretur, cuſtodiebat: bona cetera confiſcabantur. Haec fuit illis temporibus legitima vel religioſa ſtultitia arte gladiatoria veritatem, homicidio jus aequitatemve decernentium. At noſtris hodie nobilibus furere potius quam ſimpliciter deſipere placuit: nam ob res ſaepiſſime frivolas, quarum apud ſanos judices actio nulla, graviſſimas ſibi fingunt offenſionum cauſas: vel ſi forte talis injuria ſit quae legibus vindicetur, indecorum ſibi ac turpe eſſe putant alio jure quam laniſtarum, quo jure et praedones dimicant, contendere. Igitur, nec legis nec religionis ullius compotes, furtim clam uxore maritus, clam filiis parens, clam parente filius, in extrema diſcrimina perditiſſimi ruunt: quodque omnem veſaniam ſuperat, ſecundos ac tertios ducunt, qui nulla prius injuria laeſi, cum ignotis, ſaepe etiam cum amiciſſimis, digladiantur; gratis inimici, ut odio perluſorio ſanguinem vitamque pro re nihili ſtrenue fundant. Hoc ſpiritus ingentis et generoſi pectoris facinus eſſe credunt: eoſque honoris et gloriae puncta tuliſſe omnia praedicant, qui ejuſmodi aliquid audaciſſime perpetrarint; ignari gloriam verae fortitudinis non in ſpernenda morte, quam inter viliſſima capita haud pauci barbaro impetu quotidie ſpernunt, verum in ſpernendae mortis honeſta legitimave cauſa, conſiſtere; nullam vero Chriſtianis honeſtam eſſe mortis obeundae cauſam ea via gradientibus ad mortem, qua mutuae charitatis ratio, legis Chriſtianae ſumma, calcatur. Dira furoris iſtius rabies inter ipſa pacis otia Gallicae nobilitatis vires adeo labefecerat, ut omnes paene familias cognatus ſanguis perperam fuſus aut funeſtaret aut impiaret. Rex ea propter ante annos ſeptem adverſus provocantes lege majeſtatis agi juſſerat, et quidquid ea certamina detrectantibus imputaretur, in ſe receperat: ſed inveteratae amentiae protervia ſub clementiſſimo principe legem mox violavit, exemplo a potentioribus ad humiliores perveniente; ut jam aperte in aula tanto quiſque eſſet conſpectior, quanto fuiſſet pugnacior et truculentior homicida. Tandem, poſtquam intelligi coepit in media pace plura nobilium funera duellis data, quam proeliis toto civili bello ſuperiore commiſſis, indulgentiae damnoſae poenituit. Igitur, edicto praecedentibus aliquanto ſeveriore, privatae ſeu clandeſtinae ad certamen provocationes omnino vetitae: ac ſi quis ob rem controverſam ad duellum provocaſſet, vindiciae ſecundum adverſarium dari juſſae: quod ſi tam atrox injuria ſeu contumelia diceretur, ut laeſo ſatisfieri, niſi certaminis alea, non poſſet, querela apud regem, vel magiſtrum equitum, tribunoſve, vel provinciarum rectores, habita, rex per ſe, vel per dictos magiſtratus, concertandi poteſtatem facturum ſe promiſit: eum qui ſecus aliquem provocaſſet, aut provocanti ſe ſtitiſſet, ignobilem haberi, ac dimidia bonorum parte mulctatum in perpetuam cuſtodiam mitti, aut ignominioſa morte plecti, voluit. In ſancienda lege jusjurandum maximum juravit, ſe nemini unquam pacem aut veniam daturum qui adverſus edictum aliquid feciſſe convinceretur, nec ullius, ne quidem reginae conjugis, pro qualicunque deprecationem auditurum. Haec in ſenatu VI Kalendas Julias promulgata, verbis tamen impexis, et plerumque majeſtati regiae parum decoris, ſed et incauta vel imbecilla nimis ſententia paene confitentibus, quaſdam civium inter ſeſe inimicitias et injurias pugna melius quam jure dilui; quod, niſi legibus oppreſſis aut corruptis, evenire non ſoleat.

CIↃIↃCIX. HENRICUS IV.

INTER haec pacis ornamenta rex duo paria conjugum nobiliſſima compoſuit: ac primum quidem Henrici [a] Borbonii Condaei regiorum conſanguineorum primarii, et Carolae Margaritae Momorantiae [b] Henrici equitum magiſtri filiae, tanto ſtudio, tantaque cupiditate, ut turbarum, quae mox reddentur, materiam praebuerit: alterum Caeſaris [c] Vindocini ducis, quem ex Gabrielide [d] Eſtraea ſuſceperat, et Franciſcae Lotharingiae, quam Philippus Emmanuel [e] Lotharingius Mercurianus unicam ac praedivitem reliquerat. Hujus connubii tabulae ante annos decem perſcriptae fuerant, dilatis in pubertatem nuptiarum ſolemnibus; iiſdemque tabulis rex decimo poſt anno recognitis, annuente Maria [f] Lucemburgica puellae matre, poenam adjiei adverſus detrectantem juſſerat, millia librarum quindecies centena. Mater filiae ſuae mundum muliebrem, uniones, et gemmas dedit, aeſtimatione taxata libris ducenties ſeptuagies mille; et velut praedium aliquod heredem ut ſequerentur, alienari vetuit. Annas [g] Levius Ventadorum ſuum, ducatus ac pariatus titulo, hac lege poſſidebat, ut deficientibus maſculis heredibus ad Franciae coronam jure unionis rediret: quod gravius cum videretur, qua gratia pollebat, impetravit a rege ut legi commiſſoriae derogaretur. Diploma pridie Kal. Julias in ſenatus acta relatum. Sexto Kalendas Decembres, Lutetiae, regina tertiam peperit filiam; cui quinto poſt anno Eliſabetha ſoror natu maxima, et Franciſcus [h] Rupifucaldius cardinalis, Henricae Mariae praenomina impoſuerunt.

ROMAE, inter libros improbatae lectionis, factioſi quidam cenſores nobile Hiſtoriarum Jac. Aug. Thuani opus, et [i] ſenatus Pariſienſis conſultum adverſus Jo. Caſtellum paricidam perduellem, et Joannis Marianae tractatus ſeptem, proſcripſere. Quam cenſuram qui ſub pontificis maximi nomine divulgari volunt, aequitati prudentiaeque pontificiae probrum objiciunt graviſſimum. Ad Thuani certe hiſtoriam quod attinet, extant Jacobi [k] Davii Perronii cardinalis, Romae tunc agentis, ad ipſum Thuanum literae, quibus operis dignitas et utilitas ipſius Perronii judicio, et [l] Aquavivae, et Vicecontii, et Sforſae, aliorumque ſublimioris ingenii cardinalium, comprobatione, commendantur. Iiſdemque literis Perronius teſtatur pontificem maximum, Paulum quintum, opus ad cenſuram depoſcentibus edixiſſe, viderent ne ſententia ſua parum vel operis vel auctoris virtutes intellexiſſe arguerentur. Senatus Pariſienſis conſultum Romanis cenſoribus diſplicuit eo capite, quo ſententia paricidae damnatur, negantis Henricum poſt repudiatam haereſin ab epiſcopo ad Chriſtianam communionem admiſſum, recte dici in eccleſia fuiſſe, priuſquam ab Romano pontifice reciperetur. Anno tamen proximo, repetita eorundem ſcriptorum cenſura, ceteris indiculo novo comprehenſis, ſenatus-conſulti mentio penitus eſt omiſſa. In Marianae cenſura, perſpicaciores cauſam a colore diſtinguunt; et colorem quidem fuiſſe notant quod in illo de immortalitate, Loiolitarum, in quorum erat ſodalitio, ſententiam adverſus Dominicanos de divino efficaci auxilio tueatur; tanquam id, lite coram pontifice pendente, non licuerit: cauſam vero, quia contra Baronium Jacobi apoſtoli majoris in Hiſpaniam adventum ſtatuerit; quaſi a Baronio, monarchiae Romanae vindice, diſſentire ſit nefas. Ab iſtis quaſi domeſticis colonica quaedam noſtratia proſpiciamus.

[m] CAMPLANIO Franciae Canadenſis incola in Galliam poſt triennium reverſo, [n] Montius expeditionis auctor ex iis quae inibi geſta vel explorata fuerant conjecturam fecit proceſſus olim felicioris, ſi, redintegrata coloniae deductione, ſedes haud infeliciter poſitas inſtaurato commeatu firmaret: dignum viro forti conſilium, ſi digna rege munificentia propagandi Chriſtianiſſimi nominis ergo ſuſtentaretur. Sed totius

impenſae

INTERPR. [a] *le prince de Condé.* [b] *Henry de Montmorency conneſtable de France.* [c] *le duc de Vendoſme.* [d] *d'Eſtrées ducheſſe de Beauſort.* [e] *de Lorraine duc de Mercœur.* [f] *de Luxembourg ducheſſe de Mercœur.* [g] *de Levi duc de Ventadour.* [h] *de la Rochefoucaud.* [i] *Arreſt du parlement de Paris contre Jean Chaſtel.* [k] *Davy du Perron.* [l] *les cardinaux d'Aquaviva, Viſconti, & Santa-fiore.* [m] *de Champlain.* [n] *du Mont.*

impenſae penus diploma fuit indulti Montio privilegii, ne quis anni ſpatio abſque permiſſu ejus ullarum rerum, praeſertimque pellium, commercia cum Barbaris exerceret: ita non coloniae Gallicae ducem, ſed tranſmarinae mercis inſtitorem, armavimus. Montius igitur, inſtructis navibus duabus, legatos ſuos dixit [a] Pongraveum et Camplanium: illum exportandis aſportandiſque mercimoniis, hunc caſtellis per novas regiones hyemandi cauſa conſtituendis, praefecit. Pongraveus Nonis Aprilibus [b] Honflorio ſolvit: Camplanius Idibus. Hic, [c] promontorio Britonum; [d] Sanpaulina, [e] Pertuſa et Caſpeana inſulis praeternavigatis, tertio Nonas Junias [f] Taduſſacum appulit; quo Pongraveus etiam paucis ante diebus appulerat. Illic portus exiguus inſtar anſulae [g] Saguenaci fluminis oſtio praetenditur, maritimi aeſtus velocitate, et nonnunquam ventorum impetu ac frigoris inclementia, ſaevus. Gemino cornu mare excipit: alteri nomen [h] Alaudano primum, poſtea Sam-Matthaeo, Euro-Africum verſus; alterum, oppoſitum Coro, vexati periculis nautae [i] Pandiabolon dixere. Montoſa regio, niſi qua rarae ſoli planities arenoſi ſapino betullaque ſylveſcunt. Fluminis alveus ubique latiſſimus, alicubi vero ad ſemileucam expanditur; altitudine ulnarum trecentarum, atque etiam alicubi quadringentarum. Ab indigenis acceptum refert Camplanius, leucas ab Taduſſaco circiter quinquaginta adverſo Coro navigantibus obſtare ruinam fluminis ab rupe altiſſima praecipitantis; eaque ſuperata ulteriores octo; dein, iter unius diei progreſſis, alias decem: lembos ad haec impedimenta habiles parari betullaceis corticibus fabrefactos, ut ſuum quiſque humeris ferre in ardua nitens facile poſſit: tum per lacum tridui navigationem patere: in ſummo lacu tria fluminis oſtia conſpici, populos ferino ritu vagos, quibuſcum Taduſſacenſes barbari acceptas a noſtris merces fibrorum, caſtorum, luparum, martiumque pellibus permutant: ſupra hos vaſti maris initia cerni, oceano terras illac ſeptentrionales irrumpente. Conſilium navigandi Saguenaci Camplanius ceperat; verum, cognito rem barbaris ſuis minus gratam fore, abſtitit, auſtrumque verſus [k] Laurentiani fluminis litore ſeptentrionali [l] Leporariam inſulam, [m] Delfini et Aquilae promontoria, [n] Corylorum inſulam, et [o] Tempeſtuoſum praetervectus, [p] Aurelianam attigit. Inde v Nonas Julias [q] Quebecum delatus eſt, leucis ab Taduſſaco ferme triginta. Ab Tempeſtuoſo, quod eſt in aeſtuario Laurentiano promontorium, fluminis aqua ſalſuginem recurrentis aeſtus diluere incipit; at ibidem vento vel leviſſimo quaſi tempeſtatem parturiens intumeſcit. Litora deinceps et tota regio mortalium commoditatibus aptiſſima. Aurelianae adnectuntur aliae minutiores inſulae, peramoenae et fertiles: ipſa ad ſex leucas extenditur, lata leucam aut ſeſqui; nemorum pratorumque hilaritate, qua ſeptentrionem reſpicit, gratiſſima; verum appulſu, ob frequentia mediis fluctibus ſaxa, difficili ac periculoſo. Quebeco luſtrato, Camplanius, lucum annoſis nucibus opacum habitationi commodum nactus, operas expedire juſſit, quae vel aedificando vel agris colendis neceſſaria viderentur. Ipſe moribus Taduſſacenſium pernoſcendis animum adjecit; et quaedam ſibi comperta tradidit, non indigna quae heic reddantur. Ingenio ſunt docili, ſed in ultionem perfido et mendaci. Numen quiſque animo ſuo prout concipit invocat, abſque ullo adhoc coetu aut ritu. Ariolos quoſdam ſylvicolas Pillotoſios nuncupant, Deorumque colloquio frui credunt; monentibus ſumma fide parent. Quae in ſomnis vident vera eſſe putant, nocturniſque terroribus ſaepiſſime aguntur incaſſum. Corporis bene compacti viribus pollent; pellibus amiciuntur. Medio Septembri caſas in litore ponunt anguillarum capturae: hanc ſibi annonam condunt, cetera improvidi,

quum

INTERPR. [a] *de Pont-gravé, & de Champlain.* [b] *Honfleur.* [c] *cap Breton.* [d] *l'iſle de S. Paul.* [e] *l'iſle Percé, & de Gaſpé.* [f] *Tadouſſac.* [g] *Saguenay.* [h] *pointe S. Matthieu, ou aux Alouettes.* [i] *pointe de tous les diables.* [k] *riviere de S. Laurent.* [l] *l'iſle aux Lievres.* [m] *les caps Dauphin, & de l'Aigle.* [n] *iſle aux Couldriers.* [o] *cap de Tourmente.* [p] *iſle d'Orleans.* [q] *Quebec.*

CIϽ IϽCIX.
HENRICUS IV.

quum ſint nihilominus voraces. Conſumptis anguillis, venatione per altiſſimas nives deficiente, ſaxatilibus conchis aegre victitant. Eſt autem barbaris per nivoſas quoque voragines incedendi ſolertia: nam ligneos amplitudine tripedali circulos reticulatos pedibus utrinque advinciunt firmis habenis; ita veſtigiorum planitie latiſſima ſuffulti gradiuntur immerſabiles, nivibus, ut fas eſt credere, gelu paulum adſtrictis. Foeminae nihil deformes, niſi quod olivacei coloris ſucco ſibi cutem inficiunt. Puellae annum circa decimum quintum quotquot ſibi cordi fuerint amatores admittunt in venerem: unaquaeque ſuos experta uni ſe conjugem addicit, fidem dat; violatam maritus atrociter exſequitur. Steriles, tanquam res nihili, derelinquuntur impune. Circa defunctos haec illis cura. In effoſſam humum ſagittas, arcus, haſtilia, veſtes, et hujuſmodi alia conjiciunt; his cadaver imponunt, humo tegunt, et lignorum ſtruem ſuperaggerunt: in medio palum erigunt faſtigio miniato. Sciunt animas immortales, atque in alias oras ad amicos et parentes jam functos migrare. Ad fortium virorum tumulos ter quotannis hymnos, choreas, et convivia frequentant. Bellum adverſus [a] Irocoſios gerunt implacabile, ob acceptas ab iis per amicitiae ſpeciem injurias. Itaque ultionis deſiderio noſtrorum vires in excidium gentis inviſae implorabant; ſub initium proximi veris in hoſtem ituri. Verum a Februario ad medium Aprilem ex viginti octo [b] Camplanii comitibus decubuere octodecim, periere decem, morbis, ut ipſe arbitratur, regioni peculiaribus; dyſenteria quinque; inoffenſa per reliquum anni tempus ſalubritate. [c] Pongraveus interea ad [d] Montium in Galliam quum veniſſet, advectis in compede aliquot ex Camplanianis, qui Vaſconum piratarum inſtigatu ad [e] Taduſſaci portum adverſus Camplanium et ceteros Montii legatos conjuraſſe dicebantur, explicato negotio, Taduſſacum redierat; cum exigua quidem manu ſed recenti. Hoc ſubſidio recreatus Camplanius Taduſſacenſibus amicis adverſus Irocoſios auxilia pollicetur, occaſione belli regionem ubertate ſoli commendatiſſimam exploraturus. Lectis igitur ex ſuis et Pongravei copiolis hominibus viginti, ſcapham Quebecano portu ſolvit XIV Kalendas Quintileis, barbaris quoque lembos corticeos adremigantibus, adverſo Laurentiano, in horas gratiore, niſi quod aſſidue conto praetentandum iter, ne ſaxis latentibus navigia ſubvertantur. Influunt in maximum flumen innumeri paſſim lembis tantum navigabiles rivuli, arvis adjacentibus crebro flexu jucundiſſime rigatis. Supra [f] S. Crucis promontorium et [g] Marianum fluvium ad [h] Eligianam inſulam, viginti quatuor a Quebeco leucis, conſpexere noſtri caſas Barbarorum complures. [i] Ochategini erant et Algumequini Irocoſiis contermini. Evocati ad colloquium duces [k] Irochetus et Ocaſteginus, pone ſtantibus ſummo ſilentio ceteris, Camplanium rogant, auxilia, quae ante lunas decem, ſic tempora diſcernunt, Irocheti filio promiſerit, adverſus vicinos ferat ſuperbia truculentiore intolerabiles: hoc ſe oratum veniſſe; impetrato, omnia ſua in poteſtate Camplanii fore. Ad haec Camplanius, probe ſe meminiſſe quae ſit pollicitus, et plura etiam libentiſſime praeſtiturum: argumentum fidei ſuae eſſe quod in expeditionem cum Taduſſacenſibus ultro proceſſerit; monſtrarent vias in hoſtem, et periculum facerent non poenitendae ſocietatis. Tunc Barbari gratias acclamant hilares, ac de more tripudiant: accedunt, intuentur arma, veſtes, et alia non viſa prius, miranturque ut coelo delapſa. Camplanius iter inſtitutum pergit, Barbarico exercitu proſequente. Homines erant fere trecenti, armati ſagittis et arcu. Dies aliquot provecti, Petracum ad lacum pervenere piſculentiſſimum; exin ad inſulas quam plurimas ubertate amoena ſpectabiles. Ab utraque autem fluminis ripa plagae nemorum, pratorum, agrorumque vaſtiſſimae. Enavigatis inſulis haeſere biduum circa oſtia fluminis Irocoſiorum, venatione, aucupio, piſcatione ſibi

INTERPR. [a] *Yroquois.* [b] *de Champlain.* [c] *de Pont-gravé.* [d] *du Monts.* [e] *Tadouſſac.* [f] *pointe de Ste. Croix.* [g] *la riviere Ste. Marie.* [h] *iſle S. Eloy.* [i] *Ochateguins, & Algoumequins.* [k] *Iroquet, & Ochaſteguin.*

ſibi quae jucunda aut neceſſaria videbantur condentes naviculis. Inde leucas emenſi circiter quindecim, torrentem ſenſere inexſuperabilem remis contiſque. Exſcenſione igitur facta, [a] Camplanius, manere juſſis qui ſcapham cuſtodirent, Barbaris lembunculos ſuos bajulantibus fit comes: pedibuſque iter ingreſſi in ſummum torrentem omnes evadunt. Continuo navigia flumini, ſeque navigiis, reddunt. Triduo poſt intravere lacum ſpatioſiſſimum, peramoenis inſulis diſtinctum. [b] Irocoſiorum ea regio eſt, circumquaque ad invidiam fertilis et laeta. Piſce lacus abundat; interque praecipuos coſarovius capitur, lucio noſtrati non abſimilis, longitudine interdum decempedali, ſquamis praeduris, roſtro porcino, ordine dentium duplici: praedo ſub aquis aſperrimus, ſed et ſolers avium captator; quandoque inter cannicia juncinave porrectus caput exerit, diſcluſo paululum roſtro quietus: adſiliunt aves, truncum eſſe ratae; quod ſimul ſenſit, compreſſa roſtri forcipe, incautas attrahit pedibus, merſaſque devorat. Camplanius et foederati Barbari, continuata per lacum navigatione, poſtquam ſe proxime ab hoſtibus abeſſe ſentiebant, omnia cautius agere, nec niſi noctu promovere, interdiu ſubter opaca ſylvarum quieſcere, Barbaris interim vaticinia crebro concipientibus; hoc nimirum ritu. Caſam, paxillis aliquot in orbem defixis, centunculo ſuperjecto concinnatam, [c] Pillotoſius ſubit nudus: procumbit in faciem, immurmurat carmen inconditum: mox erigit ſeſe, ac tantopere torquet, ut ſudore totus perfluat. Barbari circumſidentes humi de ſuis hoſtibus quae ſperanda vel metuenda ſibi ſint ſcitantur, proque oraculis impoſtorum commenta referunt. Inde advocata concione dux imaginem deſcribit aciei, diſpoſitis in area pro numero militum paxillis; et quo loco quemque pugnare velit ſignificat. Ordinem monſtratum ſinguli attente conſiderant, atque inter ſeſe aliquoties experiuntur an meminerint: dein peritiſſime ſervant. Quarto Kalendas Sextileis multa jam nocte noſtris per lacum tacite repentibus, obviam contra ſtetit Irocoſiorum exercitus. Vociferatio utrinque maxima: noſtri junctis alto lacu navigiis pernoctavere. Interea, lembis ad litus applicatis, Irocoſii concaede arborum caſtra muniunt diligenter. Camplanius cum prima luce, religatis ad tranſverſum longurium naviculis, militem expoſuit: confeſtimque Barbari foederati notos ordines tenuere, celato poſt principia Camplanio, quo terribilior hoſtibus appareret improviſus. Nec fefellit opinio: hoſtes caſtris exeunt: tres apice plumeo conſpicui duces, ſegmentis corticeis lana goſſampina intertextis thoracati, militibus praeerant ducentis. Noſtri contra procurrunt alacres, et paene ad teli jactum convenerant; quum, diducta ſubito acie, prodit Camplanius galea loricaque fulgentibus inſignis. Hoſtes miraculo perculſi reſtitere tantiſper. Quum tela minarentur, Camplanius muſqueto glandibus quatuor gravido ignem admovet: cadunt icti duces duo; tertius graviſſime ſauciatur. Aliquot e ſuis Camplanius proximum nemus clam ſubire juſſerat, pugnaque incaleſcente hoſtium latera ferire. Irocoſios igitur, machinae ignem fumumque ſonitu horrifico vomentis ictu primo interfectis momento ducibus attonitos, alter machinae conſimilis ictus ex obliquo nemore fulminans in fugam diſpulit. Fugientium plerique, antequam ſylvae latebras intrarent, Barbaris foederatis incumbentibus, caeſi. Capti aliquot, diris cruciatibus interempti: pauci evaſere. Taduſſacenſes caeſorum capita lembis praefixa, gratum ſuis uxoribus ludibrium, ſervavere. His geſtis Camplanius [d] Quebecum repetit: mox [e] Taduſſacum, impoſito arci Quebecanae Petro [f] Calvinio Deppenſi. Kalendis Septembribus Taduſſaco ſolvit: tertio Eidus Octobreis Honflorio receptus eſt.

CIↃ.IↃC IX.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *de Champlain.* [b] *les Yroquois.* [c] *le Pilatois ou Oſtemoy pretendu devin.* [d] *Quebec.* [e] *Tadouſſac.* [f] *le capitaine Pierre Chauvin de Dieppe.*

# NIC. RIGALTII
# DE REBUS GALLIAE
## LIBER TERTIUS.

CIϽIϽCIX.
Henricus IV.

SUB id fere temporis, quo inducias in Belgio factas rex ad [a] Blaudi-fontem accepit, allatus eſt nuncius Joannem Guillelmum ducem [b] Juliacenſem a venatione in morbum incidiſſe, eoque poſt paucos dies exſtinctum, rem non leves motus excitaturam. Is, praeter Juliacum, [c] Clivias quoque et Bergam ducatus, Markam, Ravenſtenum et Ravensburgum, comitatus poſſidebat, Imperii Caeſarei feuda inter [d] Moſam et Viſurgim, complurium principum, ſed in primis archiducum Flandriae Ordinumque Hollandicorum, ditionibus contermina; regiones amplas urbibus et ſitu et populo munitis celebres, agri fertilitate circumpoſitis invidendas. Ea vero feuda imperialibus edictis uniri placuerat, addito, ne unquam dividerentur: ſic tamen uti ea ipſa, duce ſine maſculis decedente, ad filias; ſi filiae nullae ſupereſſent, ad earum filios deferrentur. Itaque, duce ſine liberis mortuo, magna controverſia fuit ad quem hereditas jure perveniret. Quatuor habuerat ſorores; Mariam Helionoram, Alberti Friderici Brandeburgici [e] Boruſſiae ducis uxorem, anno ſuperiore defunctam; Annam, Philippi Ludovici e Bavaricae familiae principibus comitis Palatini [f] Neoburgici; Magdalenam, Joannis comitis Palatini [g] Bipontini Philippi Ludovici fratris; Sibyllam, Caroli Auſtriaci marchionis [h] Burgavienſis Ferdinandi Auſtriae archiducis filii. Anna Joannis Guillelmi ex Maria ſorore neptis, quaſi matrem repraeſentaret, Erneſtum marchionem Brandeburgicum filium ſuum oſtentabat, eumque ex lege imperiali heredem eſſe aiebat. Contra dicebat Anna Philippi Ludovici vidua, ducis et ipſa Joannis Guillelmi ſoror; oppoſitoque Wolfango Guillelmo Neoburgico filio ſuo, ſororem in cernenda hereditate filia ſororis propinquiorem potioremque eſſe adſerebat; neque ullum heic dari in linea collaterali repraeſentationi locum. Bipontinus et Burgavienſis edictorum quoque imperialium verba pro ſe quiſque allegabant: iis enim filias ſuperſtites omnes ſimul vocari; harum tertiam ſeſe quartamque in matrimonio habere. At Carolus [i] Clivius Nivernii dux et Robertus [k] Markus Molevrieri comes, ſpreto Imperiali unionis edicto, Markam hic, Clivias ille, ad ſe pertinere contendebant: non ſupereſſe alios qui familiae nomen et inſignia prae ſe ferant. Saxoniae principes rerum hereditariarum conditionem qualitatemque urgebant: feuda eſſe Imperii maſculina, et jampridem Friderici imperatoris diplomate Alberto Saxoniae principi in omnem caſum, quo ea poſt mortem ducis Guillelmi vacare contingeret, conceſſa: id Friderici beneficium a Maximiliano Caeſare eidem Alberto, et maſculis ab eo deſcendentibus, firmatum; proindeque, Guillelmo ſine maſculis mortuo, conditionem exſtitiſſe, cui non poſſit ulla temporis diuturnitate praeſcribi. Verum adverſus Saxonem verba ipſa Friderici, et ſequentium Caeſarum edicta, replicabantur: nec uſpiam Juliacum ceterave feuda maſculina dici; neque defuncto Guillelmo quenquam e Saxonica familia ſucceſſiſſe; verum Mariam ipſius

INTERPR. [a] *Fontainebleau.* [b] *de Juliers.* [c] *les duchés de Cleves & de Berg, & les comtés de la Marck, Ravenſtein, & Ravensburg.* [d] *la Meuſe, & le Weſer.* [e] *de Pruſſe.* [f] *de Neuburg.* [g] *le duc de Deux Ponts.* [h] *de Burgau.* [i] *de Gonzague de Cleves duc de Nevers.* [k] *de la Marck comte de Maulevrier.*

ipſius Guillelmi filiam, Joannis Clivii uxorem, Joannis Guillelmi aviam: hoc jure per annos c et amplius in Guillelmi familia ſtetiſſe feuda, ſcientibus Saxoniae principibus, neque contra quicquam dicentibus: longi temporis uſum etiam ambigui juris interpretem eſſe, quavis ſubtilitate fortiorem. Aliis argumentis ceteri quoque invicem ſubmovebantur, quae heic explicari in rem eſſe non cenſeo, quum ad arma partes ierint, non ad judicem arbitrumve: quid enim? quum iſti in rem ſuam litem vertunt. Caeſar imperii jure diſceptationis arbitrium ſibi vindicabat, ut feuda lite pendente manu ſequeſtra regerentur. Nec abnuitur ita jus fuiſſe, niſi graves ſuſpicionum cauſae ſucclamarent, aut litem aeternam fore, aut arbitrum ſibi rem controverſam adjudicaturum: qui metus Brandeburgicum, Neoburgicumque, (harum partium jura vulgo praevalebant) impulit, ut viribus ſociatis auxilia ſibi mutua ferrent. Itaque, auctore ac ſuaſore Mauritio Haſſiae Landgravio, [a] Dortmundam conveniunt; communicatiſque conſiliis jura ſua inter ſe non armorum periculo, ſed amicorum judicio, diſpicienda ac definienda in proximam opportunitatem ſervant: ſic tamen ut propterea nemini contendentium praejudicatum, aut Caeſaream majeſtatem ullatenus imminutam, velint. Confeſtimque ad poſſeſſionem feudorum communiter occupandam [b] Duſſeldorpium ſe conferunt, urbem trans Rhenum Bergani ducatus caput; ubi comitia rebus Juliacenſibus ordinandis habebantur. Duſſeldorpio recepti, magiſtratuum potentiorumque majore parte conſentientibus, ſummam rerum et principum poſſidentium titulos adipiſcuntur. Major in ditionibus Ciſrhenanis difficultas: nam, Juliaco clam ab Caeſarearum partium factioſis inter comitia Duſſeldorpienſia occupato, Caeſar ipſe Leopoldum Auſtriacum gentilem ſuum continuo tranſmiſſum praefecerat, qui vice imperiali cuncta regeret quae defuncti ducis fuiſſe dicerentur. Is primo quidem mandata Caeſaris, quibus commiſſa ſibi poteſtas ampliſſima continebatur, propoſuit, ſub edicto, ne quis principum partibus favere aut ſacramentum dicere vellet: ſi quis adverſus ea feciſſet, indigenae bonis, ceteri vita, privarentur. Mox, quaſi ex jure manu conſertum veniſſet, cuncta in ſpeciem placide clementer atque ex ordine agere inſtituit: interea vero praeſidiariorum animos tentare; arces incautius cuſtoditas invadere; milite, annona, machinis, firmare. Quum paſſim obſiſteretur, venit a Caeſare novum atque acerbius mandatum, quo principes violatae majeſtatis crimine arguuntur, magiſtratus, ductores, milites ab eorum ſignis abſcedere jubentur; poenam proſcriptionis, Bannum Imperii dicunt, commiſſuri ni pareant. Exin aperte omnia utrinque in bellum ruere. Caeſarem cunctoſque domus Auſtriacae principes ea cogitatio tenuit, qualis ad nos rumor iſtiuſmodi rerum perveniret; etenim fore, ut quam ſe rex in partem moveret, eo momento belli fortuna impelleretur. Itaque primi ceu vicinitatis jure officioque archiduces Flandriae Joannem [c] Richardotum, mox et Caeſar ipſe Joannem Georgium [d] Zollerni comitem, ad regem mittunt; qui occupatum a Leopoldo [e] Juliacum non alia mente fuiſſe traderent, quam ut feuda inter plures ambigua tantiſper, dum legitimus vaſſallus judicio rite peracto conſtituatur, dominica Caeſaris manu lege feudali gubernentur: vim ullam praejudiciumve ullum cuiquam fieri Caeſarem nolle. Verum id agi minime perſuaſerunt Henrico, ſatis intelligenti Auſtriacorum conſilia ſemper eo tendere, ut opportunitate ſuadente fines ſuos quam latiſſime proferant, et gentis ſuperbae potentiam merito ceteris inviſam. Cauſam tamen egerunt, cognoſcente quaſi pro tribunali Petro [f] Janino. Egerunt et ſuam comites [g] Solmenſes, ceterique principum poſſidentium legati, orantes ſuppetias adverſus injuſta Caeſaris arma, per imaginariam ſequeſtrandi neceſſitatem in avitas vaſſallorum ſuorum poſſeſſiones inverecunde graſſantis: pactis

Dortmundanis

INTERPR. [a] *Dortmund.* [b] *Duſſeldorp.* [c] *Richardot.* [d] *de Hohenzollern.* [e] *Juliers.* [f] *le preſident Jeannin.* [g] *de Solms.*

CIƆIƆCIX. HENRICUS IV. [a] Dortmundanis neminem contendentium refragari; itaque, concordibus partium ſtudiis, inane eſſe ac ſupervacuum ſequeſtri munus: et ſe ſtatim ab exceſſu Joannis Guillelmi rerum hereditariarum poſſeſſionem cepiſſe non vi, non clam, ſed votis provincialium ferentibus, publicaque laetitia comprobantibus: denique in univerſa re Juliacenſi nihil eſſe turbatum, niſi quod irruptione temeraria fecit Leopoldus; abducat copias, et omnia eſſe in tranquillo. Rex animo pridem bellum adverſus Auſtriacos Germanicum Italicumque conceperat, certus veteres injurias ulciſci, et latius evagantem dominandi cupidinem coërcere; conſilio ceteris principibus gratiſſimo. Expeditionem Italicam Sabaudus, ut jam indicavimus, aperuerat: Germanicam gratiae principibus bene de re Gallica meritis referendae fides ciere videbatur; etenim Brandeburgici Bavaricique regem poſtremis adverſus Auſtriacos bellis ſtrenue juverant. Igitur, accepti beneficii memor, amicorum periculum ad ſe pertinere dixit; et auxilia pollicitus legatos dimiſit. Mox in Campaniae limite copias aliquot oſtentari jubet, et famam ubique ſpargi ſe principum poſſidentium cauſae faviturum. Auſtriaci contra ſurdo murmure principes territare, emiſſariis ingerentibus, Gallorum arma non auxilio ferendo ſed praedae faciendae parari: venturos per amicitiae ſpeciem dominos aſperrimos. Atque haec quidem apud Juliacenſes: ad exteros autem nutare ambos principes, nec bene ipſis inter ſe convenire; et jam alterum Caeſari reconciliatum, alterum mox a ſuis deſertum iri, Caeſarem iratum non ſuſtinentibus. Non pauci ſermonibus iſtis adficiebantur; rex nulla re magis quam quod principes ſentiebat nonnihil tepidos et ſuſpicaces, quodque ipſi Germanico more multiplicium legationum comitiorumque ambagibus rei bene gerendae tempus plerumque amitterent; ea jam culpa [b] Juliaco mulctati. Segnius igitur auxilia promovebat, ne feſtinatione ipſa mendacium et ſuſpicio praedae adfectatae firmaretur; neve traditis auxiliis imparati principes uti neſcirent, eventu inutili pudendoque. Jam aliquid de ipſorum viribus animiſque [c] Vaubecurius, et ſubinde [d] Bongarſius, retulerant; aliquid Joannes [e] Hotomanus Villerius, nuper ad eos miſſus, per literas monuerat. Quaedam etiam patefecerant ab ipſis principibus miſſi Georgius et Fridericus comites Solmenſes, et Hippolytus Colliſius; praecipue vero Chriſtianus princeps [f] Anhaltinus. Tamen, ut penitius rimaretur quid rebus eorum conſtantiae firmitatiſque ſubeſſet, et quam tuto conſilia ſua conſiliis alienis imponeret, Bongarſium denuo miſit, adjuncto Stephano Sancatherinio, qui ſingula propius inſpicerent. Horum literis certior factus fulgore ſui nominis evanuiſſe nebulas Hiſpanis artibus affuſas, ac principes jam Gallicis auxiliis fidentiores generoſa coepiſſe capere conſilia, cum iiſque proceres Germaniae non paucos, urbes etiam Argentoratum, Nurembergam, Ulmam, alias complures deſignaſſe legatos, ac propediem, una cum electoribus Palatino et Brandeburgico aliiſque Germanis principibus, Hallam in Suevia conventuros, ad foedus omnia deinceps liberalius explicare conſtituit, et longe majora pollicitis. Atque, ut honorificentius ageret, legationem adornavit, miſſo cum ampliſſimis mandatis Joanne [g] Thumerio Boſſizio. Is interfuit Hallenſi conventui; acceptaque electorum, principum, urbiumque ſociarum fide, regis fidem obſtrinxit. Foederis autem leges hae fuere: Legato ſtipulante regem auxilio miſſurum tot millia bellantium, tantum etiam machinarum muralium campeſtriumque et armamenti, quot quantumque ipſi principes poſſidentes et foederati confeciſſent; principes poſſidentes ſpoponderunt, ſe peditum millia quatuor, equites mille et ducentos, machinas murales quindecim, campeſtres ſex; foederati totidem peditum millia, equites mille, in armis habituros, partem medio Martio proximo, reliqua medio Aprili; et, quamdiu

INTERPR. [a] *de Dortmund.* [b] *Juliers.* [c] *le comte de Vaubecourt.* [d] *de Bongars.* [e] *Hotman de Villiers.* [f] *d'Anhalt.* [g] *de Thumery Sr. de Boiſſiſe.*

quamdiu rerum Juliacenſium ſecuritas poſtulabit, etiam adverſus Caeſaris proſcriptiones, et mandata, qualiacunque ea fuerint, perſtituros. Quum legatus intuliſſet, Auſtriacos fortean per haec ab rege contra Caeſarem auxilia pacem [a] Vervinii factam violari cauſantes, etſi cavillatorie, tamen aliquid in regni limite auſuros; ſubjecerunt, arma ab Caeſare in Palatinos et Brandeburgicos principes ea pace comprehenſos injuſte ſumpta, proinde regem adverſus Caeſarem, qui pacem prior ruperit, jure ſuppetias ferre foederatis: ſi quid idcirco Hiſpani in Gallia tentaverint, regi ad compeſcendam temeritatem abunde eſſe virium propriarum; tamen eo caſu paratiſſimas fore principum copias, peditum millia quatuor, equites mille. Legatus viciſſim promiſit, regem principibus [b] Juliacenſibus et foederatis, ſi quid adverſus eos ab Auſtriacis ob iſtud [c] Hallenſe foedus moveatur, millia peditum octo, equitum duo millia, tranſditurum. Adjecit, regem magnopere velle Catholicis in ditione Juliacenſi, Clivienſi, ceteriſque adpertinentibus pleniſſimam Catholicae religionis colendae libertatem concedi: ac demum petere ne ſe inconſulto, neve invito, principes foederati a foedere ullam ob cauſam diſcedant. Quum ad omnia regis deſideria reſponſum eſſet, pacta conventa ſignavere legatus, Joannes comes Palatinus Rheni dux [d] Bipontinus Friderici electoris Palatini nomine, Philippus Ludovicus Neoburgicus comes Palatinus Rheni, Joannes comes Palatinus, Joannes Fridericus marchio Badenſis, [e] Joachimus Erneſtus marchio Brandeburgicus ſuo et fratris [f] Culembacenſis nomine, Joannes Fridericus dux Wirtembergicus, Chriſtianus princeps [g] Anhaltinus, Wolfangus Gulielmus comes Palatinus Rheni. Inter pacta condenda dux Wirtembergicus hoc ſibi proſpexit, ut, quando ab ſuo [h] Montis-Pelicardi comitatu longius abeſſe cogebatur, ſi qua vis hoſtilis immineret, ejus protegendi curam rex ſuſciperet; exceptis tamen feudis, quorum ratione inter comitis Burgundiae vaſſallos cenſeatur. Atque hoc teſtatum eſſe voluit, nullo adverſus eum auxilio foederatos juvaturum. Pactorum exemplar quam citiſſime ad regem perferri curavit legatus: allata rex VI Kal. Martias probavit confirmavitque. Mandatis etiam jubebatur legatus haec monita dare principibus, res ſuas in tuto nunquam ſatis fore, niſi Caeſareum Imperium de Auſtriacorum familia tandem exiret: non exiturum, donec Hiſpaniae rex et Flandriae archiduces tot inibi locorum potiti fuerint, unde et electores in ſuam paene poteſtatem habeant, et non ſolum in Juliacenſes aut Clivienſes, verum etiam in foederatos et amicos odio foederis auxiliique, impetum, quotiens libuerit, faciant: viderent igitur, quorum eſt ea poteſtas, qua ratione commodiſſime alio tranſiret imperium: regem ad hoc ſtrenue ſe converſurum, et habere vires urbibus quas ad [i] Moſam Philippus et archiduces inſident, etiam inter ipſa belli Juliacenſis initia, expugnandis; atque, ſi opus videbitur, acciturum Ordines Belgii foederatos: praeterea curaturum, uti et Magnae Britanniae regi, licet Saxonicae adfini, ac ſororio, principum poſſidentium cauſa probetur. Ea familia duobus principibus ſtabat, duce et electore. Ambo ſibi jus, quale ſupra diximus, in re litigioſa vindicabant, atque in Caeſareos ſequeſtres incauta credulitate conſenſerant. Dein, quum id parari intellexiſſent ut perpetua ſequeſtratione legitimi heredes re ſua fraudarentur, pedem referre, ac de jure ſuo cum principibus poſſidentibus arbitrio regis agere, velle videbantur, ad eumque et ad Britannum legatos miſerant. Interea regis mandata [k] Thumerius exſequebatur. Caeſar et electores eccleſiaſtici, ac ceteri per Germaniam principes Catholici, quantas maximas poterant Leopoldo ſuo copias faciebant; et haec Philippi opibus ſuſtentabantur. At Philippus diſſimulabat: quoque impenſius

Caeſarem

INTERPR. [a] *Vervins.* [b] *de Juliers.* [c] *de Halle.* [d] *de Deux-Ponts.* [e] *Joachim Erneſt marquis de Brandebourg-Anſpach.* [f] *Chriſtian marquis de Brandebourg Culmbach & Bareith.* [g] *d'Anhalt.* [h] *Montbeliard.* [i] *la Meuſe.* [k] *de Thumery Sr. de Boiſſiſe.*

Caeſarem inſtigaverat, eo ſtudioſius regi per legatos ſignificabat, paratiſſimum ſeſe a rerum Juliaecenſium cogitatione diſcedere, ſi par ſententia regis animo ſederet. Rex, cognito quid his artibus ageretur, legatos Philippo nunciare jubet, Henricum non eum eſſe qui jacto lapide brachium pulchre condat, et jeciſſe neget: ſcire quid archiduces, quid Philippus, quid Caeſar, decreverint; ſe quoque decreviſſe principibus amicis ac foederatis, ad rerum ſuarum poſſeſſionem fortiter retinendam, opitulari.

PARTE alia Sabaudiae dux propoſitas anno ſuperiore nuptias expeditionemque Italicam reponebat, et nuptias quidem Henricus Eliſabethae filiarum ſuarum natu majoris cum principe [a] Subalpino ducis majore filio gratas ſibi fore [b] Jacobio legato declaraverat. Verum eo pignore ceteros ſimul filios Francicae coronae obligari par eſſe arbitrabatur: idque urgebat intentius, quod Philippum ſciret Subalpinum quoque principem ſibi generum optaſſe, ac poſthabitae adfinitatis Hiſpanae cordolio in hanc cogitationem incumbere, ut ducis charitates divelleret, proximumque natu Philibertum modis omnibus ſuum faceret, et jam tertium filium cardinalem [c] Montisregalis archiepiſcopatu donatum allexiſſe. Ergo Sabaudum Henricus, miſſo ex intimi concilii adſeſſoribus Claudio [d] Bulione, moneri praecipit, ne familiam ſuam diſtrahi pateretur inter duos reges ſaepe diſcordes: primogeniti principatum ſecuriorem fore, ceteris unam adfinitatem colentibus: daret igitur et hos Galliae; nec obſides aut captivos Hiſpano traderet, in quem bellum mox ineundum ſtruat. Conſilio dux haud cunctanter adquieſcendum ſibi eſſe judicavit, ne, ſi reſtitiſſet, affectus ſuos cum duobus potentiſſimis regibus dividere velle videretur, et inter eos medius haberet utrinque parata, quotiens alterutrum laeſiſſet, reficiendae pacis inſtrumenta: quod, etſi prudentis tamen ambiguae mentis judicium, expeditam per nuptiarum foedus belli una cum rege adverſus Philippum in Italia gerendi ſocietatem manifeſtiſſimae vanitatis arguiſſet. Eadem igitur ſponſione, qua Subalpino ſuo Eliſabetham accepit, filios ſuos ceteros Henrico repromiſit. Dos ab rege dicta quantum Henricus II Eliſabethae ſuae dixerat; ab duce Sabaudo hypobolon, quale Philippus Eliſabethae, aut Philibertus ducis parens Margaritae Franciſci I filiae. Deſtinata item ab rege ducis filiis beneficia, dignitates, officia decora principibus: interim penſiones ſingulis aſſignatae; Philiberto annua librarum Francicarum millia centum quinquaginta; cardinali ſexaginta; Thomae nonaginta. Pacta haec ſummatim [e] Auguſtae Taurinorum Eidibus Novembris, Bulione mandata regis peragente: accepta rex et rata eſſe voluit Lutetiae V Kal. Jan. ſequentis, tabularum nuptialium ſolemnibus in adventum [f] Nemoroſii ducis, [g] Lullini marchionis, Jacobii et [h] Gaſparis Purpurati, quos in eam rem dux procuratores propediem ſe miſſurum receperat, dilatis. Quae dum apparantur, expeditionis Italicae negotio procurando nova mandata dedit Henricus Franciſco [i] Bonae Diguierio et Bulioni. Juſſi alter ambove cum Sabaudo ſic agere, ut pro certo haberet regem adverſus Auſtriacos pro Juliacenſibus amicis et foederatis fortem exercitum comparaſſe; eoque bello, quidquid Hiſpanienſes vulgaverint, nihil adverſus religionem Catholicam moveri: hoc tantum peti, ut regioni Juliacenſi, quam nullo jure Leopoldus occupavit, libertas reddatur; ceteriſque principum foederatorum ditionibus, ſecundum Imperii Germanici leges, ſecuritas conſtet: interea tamen, Philippo adverſus ducem, invidia pactarum in Gallia nuptiarum ullove alio colore, quidpiam decernente, regem copiis, opibus, amicis, quacunque demum vi poſſit, injuriam adfini ſuo factam, uti ſi ea facta ſibi eſſet, exſecuturum; neque paſſurum damnoſam aut inutilem dici Sabaudiae Gallicam adfinitatem: non dubitare autem quin offenſus ea conjunctione Philippus ex vicinis arcibus

Sabaudiae

INTERPR. [a] *de Piedmont.* [b] *de Jacob.* [c] *Montreal en Sicile.* [d] *de Bullion, puis ſurintendant des finances ſous Louis* XIII. [e] *Turin.* [f] *Nemours.* [g] *Lullin.* [h] *le colonel Purpurat.* [i] *de Bonne Sr. de Leſdiguieres.*

Sabaudiae limitem premat, occaſione proxima perrupturus: proinde antevertendum eſſe periculo; ſe belli Mediolanenſis conſilia probare, et adjumenta validiſſima regie praebiturum: jamque ad ſumptus ſepoſuiſſe aureorum millia duodecies centena; rei curam dediſſe Diguierio militem lecturo, maxima parte Catholicum; aut ſi quos alios ipſe item haud Catholicus ſub ſignis habeat, nihil tamen commiſſuros quod offendiculo damnove eſſe queat Catholicis, et regi ſatis ideo cautum: rem vero bene abſque illo geri non poſſe: de cetero regem, etſi praecipue futurae ſint ab ipſo vires, nihilominus, ſi quid ex agro Mediolanenſi victricibus armis ſubigi detur, id qualecunque fuerit ducis ut lucro cedat conſentire, niſi quid inter Venetos et [a]Rhaetos alioſve auxiliares dividendum pacificandae viciniae gratia videatur; hoſce enim, quum primum aliquid proſpere tentatum audierint, ſigna regia ſequuturos: ſed, priuſquam univerſae regis copiae tranſeant Alpes, videndum ſedulo ne ſecuritas earum ſaluſque ex aliena fide tota pendeat: ideo regem ob inſtabilem rerum humanarum naturam aequum cenſere, [b] Pinarolium urbem arcemque poteſtati alicujus ex ducibus Gallis, religione Catholici, tradi, quo illac ſe ad incerta bellorum recipiant. Juſſi mandatis iiſdem [c] Diguierius et Bulio, rebus ita ſerentibus, ducis animum tentare, an parta demum bello feliciter procedente victoria, poſteaquam ſe [d] Mediolani dominum ſic fecerit, ut victoris imperium populus detrectare nolit nequeatve, tum pro maximis belli ſumptibus Sabaudiae ducatu regi cedere vellet, aut, ſi id gravius videretur, [e]Montiſmeliani arcem regio praeſidio ſubdere. Nuptiarum quoque mentio repetita; nam [f] Subalpinus de tranſmittenda ſperata interpellaverat, et Philiberto ſuo parens ducis [g] Carnutum dignitatem ab rege petierat. Datumque reſponſum, Eliſabetham adhuc tenellam, nuptiis imparem in pubertatis tempus ſub coelo Gallico tutius educari; interea pactorum ſolemnia celebrari poſſe: Carnutum ducis nomen et titulos Philiberto concedi. Acceptis mandatis Diguierius de Pinarolio regem monuit, fruſtra peti, quum neceſſitate cogente vel ab invitis extorqueri facile poſſit: at longe utilius provideri caſtella quaedam [h] Ticino et Pado impoſita, tranſitum militi receptumque pro variis caſibus praebitura. Cetera dehinc mandatorum ſtudioſe utrinque conficiebantur.

ETENIM rex Germanicae ſimul Italicaeque expeditioni vehementer inſtabat, injuria recenti exſtimulatus, ob receptum Mediolano Henricum Borbonium Condaei principem, regii ſanguinis agnatorum extra legitimos filios primum. Is uxorem paucis ante menſibus [i] Car. Margaritam Momorantiam, venuſtatis ſpectatiſſimae virginem, duxerat: et mores aulae tunc erant vagis amoribus indulgere. Itaque principi juveniliter credulo facile perſuaſum fuit gaudia ſua mox interceptum iri; et jam nuncios et epiſtolas cupidinis interpretes, et formas arteſque varias, et amatorem ipſum, cui reſiſtere non liceret, inde aulicorum fabulas et ſummam ſui contemptionem, audire et videre ſibi videbatur: diſſimulare ac pati non didicerat: ad haec [k] Bethunae Sullii, ſupremi areae regiae diſpenſatoris, acerbe ac faſtidioſe in primarium principem, rege non improbante, dicta factaque, inopem conſilii paene ad extrema egerant. Anxius animus ſaluti ſibi fore credidit, quod erat deſperationi proximum, et ſe et cauſam tanti mali conjugem non aula ſolum ſed et regno abducere: perfugium vero ſatis opportunum [l] Bruxellis apud [m] Arauſionenſem ſororium ſuum, tutam illic novae nuptae ſedem, et moram minus ſuſpectam regi. Itaque ab Lutetia [n] Muretum ad uxorem profectus, paratam ſequi quum reperiſſet, die perendino cum ea curru vectus, continuato per noctem itinere, regno clam rege exceſſit.

Tum

INTERPR. [a] *les Griſons.* [b] *Pignerol.* [c] *les Srs. de Leſdiguieres, & de Bullion.* [d] *Milan.* [e] *Montmelian.* [f] *le prince de Piedmont.* [g] *Chartres.* [h] *le Teſin, & le Po.* [i] *Charlotte Marguerite de Montmorency.* [k] *Maximilien de Bethune duc de Sully ſurintendant des finances.* [l] *Bruxelles.* [m] *Philippe Guillaume de Naſſau prince d'Orange.* [n] *Muret.*

CIↃ IↃC IX. Tum [a] Caſtellione primum, inde Landrecii ditionis archiducalis urbe, ſubſtitit.
HENRICUS IV. Audita profectione rex graviter commotus Jacobum Auguſtum Thuanum, quem inter Condaei amicos praecipuum eſſe noverat, accerſi jubet, ſcitaturque quid ipſe, quid [b] Faber, quem erudiendae Condaei adoleſcentiae admoverat, de conſilio tam praecipiti ſciret aut ſentiret. Negavit Thuanus ſe conſilii participem fuiſſe: ceterum arbitrari non mala mente Condaeum abiiſſe; ac, ſi Bruxellas petat, manſurum apud Arauſionenſem, nec auſurum quidquam aut regi moleſtum aut regio ſanguini indecorum: diſceſſum vero tam fuiſſe improviſum ſuis, ut ipſe Faber abſentem lachrimis proſequi non ceſſaret, et veris. Rex, ut Fabrum lachrimas fudiſſe audivit, quem luſcum eſſe ſciebat, indignationem joco adumbrans, certum ſibi eſſe dixit,
CIↃ IↃC X. quidquid ille ploraſſet, uno tantum oculo ploraſſe; Thuanumque dimiſit. Interea Condaeo per Brabantias iter facienti, archiduces, tali tamque ſubito hoſpite oppreſſi, nondum explorata profectionis cauſa, per [c] Croium Araſchoti ducem nunciari jubent, ut intra triduum ditione archiducali abſiſteret. Paruit Condaeus, et Ubios [d] Coloniam verſus iter flexit, conjuge tamen Bruxellas ad Arauſionenſem miſſa. Poſt paulo, Spinola, ſeu innata comitate, ſeu magis Hiſpanienſi conſilio admonitus, Condaeum maximis honoribus benevolentiaeque officiis aggreditur; impetrato etiam ab archiducibus ut Bruxellis una cum conjuge moraretur. Ergo deductum in urbem invitavit ad coenam magnifico apparatu, impenſis tribus aureorum millibus. Inde novae Condaeo ambages, nova fugae diſcrimina. Rex per Annibalem [e] Eſtraeum Caevrae marchionem, ad archiduces legatum, remitti Condaeum poſtulavit, pollicitus veniam et gratiae priſtinae locum. Reſponderunt archiduces, fidem ſe hoſpiti datam fallere non poſſe; ſed conſilium libenter daturos, ut regi veniam ultro facienti pareat. Atque id quidem illi in ſpeciem praeſtiterunt. Quum amplius caveri ſibi Condaeus poſceret, legatus, adhibitis ſecum Matth. [f] Brularto Bernio, Ph. Longovallo Manicampio, et Car. Albaſpinaeo Preaulio, regis verbis Condaeo in Galliam ut continuo redeat edicit; ni faciat, poenam perduellionis et laeſae majeſtatis obnunciat. Condaeus, impetrato obnunciationis exemplo, reſponſum perſcribit; ſe regi ſemper obedientiſſime facturum, et, quum primum data ſibi ſuiſque idonea ſperandae ſecuritatis occaſio fuerit, in Galliam rediturum: orare interea regem uti reſponſum bonas in partes accipiat; et, ſi quid dehinc adverſus ſe fiat, id vitio factum uti rex irritum eſſe velit, obteſtari. Scriptum legato per notarium publicum offerri voluit; oblatumque legatus aliud agens in manus ſumpſerat; verum, mox animadverſo Condaei nomine, notarium abeuntem prehendi ac retrahi juſſit; ſtrictoque gladio ſchedam ſuam ſecum referre ad principem coëgit. Erat Eſtraeus infeſtiſſimus Condaeo; vulgoque Bruxellenſium communis opinio fuit, veniſſe ut ſpecie legationis gravius aliquid in ipſum uxoremque conſuleret; prudentioribus hanc famam Hiſpanienſi conſilio ſparſam, quo magis abalienatus ab legato Condaeus ad Hiſpanos impelleretur, exiſtimantibus. Utramque vero ſententiam ſubita migratione Condaeus ambiguam fecit: etenim ſexto poſt die, acceptis duplicibus Hiſpanicis mille, ſumptiſque ſecum [g] Ludovico Daloignio Rupifortio et Cl. Enocho Vireio ſuis, Fritima quodam e Spinolae domeſticis itinerum duce atque interprete, diſſimulata perſona, per devia Germaniae [h] Mediolanum profectus eſt, uxore archiducum fidei cuſtodiaeque depoſita. Profectionis autem ſuae cauſas, ſcripto per Galliam vulgato, manifeſtas eſſe voluit; quod [i] Bethunam Sullium regni jura rege inſcio

INTERPR. [a] *Chaſtillon ſur Marne, & Landrecy.* [b] *le Fevre.* [c] *de Croy duc d'Arſchot.* [d] *Cologne.* [e] *d'Eſtrées marquis de Cœuvres.* [f] *Brulart Sr. de Berny conſeiller au parlement, Ph. de Longueval Sr. de Manicamp, & Charles de l'Aubeſpine marquis de Chateauneuf, Abbé de Maſſay de Preaux & de Noirlac, puis garde des ſceaux.* [g] *Louis d'Aloigny marquis de Rochefort Chambellan du prince de Condé.* [h] *Milan.* [i] *de Bethune duc de Sully.*

inſcio foede vexantem, principibus viris ſuperbe minitantem, ſenatus-conſulta pro libito abrogantem, populum tributis iniquiſſimis prementem, ſcurrarum ac nebulonum lenocinio ſanctiſſima quaeque polluentem, dignitates, officia maxima, turpiſſimis redemptoribus mancipantem, Seotum denique in re tenui natum, Condaeanae olim familiae beneficiis erectum, imperium jam in regia domo tyrannice occupantem, diutius videre ac pati haud potuiſſet. Quod genus querelarum, ut plebi quidem faſtidio praeſentium nova ſemper cupienti plauſibile, ſic rerum peritis, etſi partem ex vero traheret, tamen regno tum florente, rege ad maxima paratiſſimo, vanum fuit ac prope ridiculum. Pridie Kalendas Apriles Condaeus Mediolani a [a] Fuentezio prorege perhonorifice eſt exceptus. Et ilico falſus urbe tota rumor, propoſitum in Gallia praemium Condaei caput allaturo aureorum millia ducenties centena: confeſtimque appoſiti equites peditesque armati, incertum hoſpitis an captivi cuſtodiae. Mox tamen allatae literae a Philippo quidem honorificae et graves: ac ſubinde a [b] Lermaeo duce, promiſſis ad vanitatem ingentibus, adulatoriae. Sic principem ineſcabant, ut regis indignationem augerent; habere rati unde pro Sabaudo paria facerent, Condaeum ſperni poſſe haud reputantes. Quo errore decepti apud regem inſtiterunt, ut Sabaudi amicitiam adfinitatemque repudiaret, ipſi viciſſim Condaeum ab ſe depellerent. Rex contra, adfinitatis fide ſervata, per Sabaudi amicitiam Condaei perfugium ulciſci longe duxit honeſtius: continuoque, datis ad [c] Diguierium et Bulionem literis, Sabaudum admonuit, ut quam maxima celeritate copias ſuas educeret; Gallicas quamprimum praeſto futuras: interea quid Hiſpani Condaeo faciant inſpiceret. Optandum certe videbatur ea mente fuiſſe principem ut ad pontificem potius quam ad Hiſpanos ſe recepiſſet; ſaltem liberum adhuc illi foret Romam concedere. Placuit primum experiri, an oblata ſpe reparandae regis benevolentiae permulceri poſſet: datumque id negotii ab Guillelmo [d] Foquetto Varanaeo, Ezechieli Riberae medico, nuper ex Condaei familiaribus. Is e [e] Taurinis a Bulione Mediolanum ſe contulit; rerumque maximarum ſpe Condaeo facta, quum nutantem repeririſſet, hic ab eo diſceſſit, quaſi Romam abiret ad pernoſcendum ex propinquo quae de ipſius ſeceſſione diſſerebantur, propediem reverſurus; quum tamen ad Bulionem Taurinos, indeque in Galliam, tenderet: quod compertum principi Riberam dehinc ſuſpectiſſimum reddidit. Viſum igitur denuo rem aggredi per Guillelmum [f] Nozetium Aumaliae abbatem, Bulionis quidem cognatum, ſed principi nihilominus gratum. Miſſus Mediolanum Nozetius, ab Franciſco [g] Savario Brevaeo regis ad pontificem legato ſalutandi Condaei copiam ſibi fieri petiit in Galliam profecturo: facta tandem copia Condaeus ſecreto colloquio ſcitatur, quinam Romae de ſua ſeceſſione ſermones. Nozetius, varia variorum judicia quum retuliſſet, adjecit, optare ſe, pro ſuo erga principem ſtudio, ut ſerio cogitet quam probe ab domo regia ob ſuſpiciunculam aut frigusculum ad hoſtes nominis Gallici confugerit; quanto tutius et honeſtius ad communem Chriſtianorum patrem confugiſſet, quem ſibi Chriſtus concordiae paciſque auctor vicarium ſuffecit, a quo priſtinae regis benevolentiae reddi jamdudum facile potuiſſet. Suſcipiens Condaeus ſeceſſionis ſuae cauſas aperit: ait metum fuiſſe conſtantiſſimo metuendum: conſilium cum Hiſpanis ullum iniviſſe, aut regni ſucceſſionem in dubium vocaſſe unquam, pernegat: nonnullos, qui ſe regni Gallici finibus excluſum perpetuo velint, nihil non agere aut moliri quo regis iram exaſperent: miſſum ad ſe Bruxellas [h] Eſtraeum, rebus ſuis inimiciſſimum; cujus vicem ſi quis alius haud iniquus obiiſſet, jam reconciliata regis gratia frueretur: Romani pontificis arbitrio ſe ſuaque omnia libentiſſime permiſſurum

INTERPR. [a] *de Fuentes gouverneur de Milan.* [b] *de Sandoval duc de Lerma.* [c] *de Leſdiguieres, & de Bullion.* [d] *de Fouquet Sr. de la Varenne.* [e] *Turin.* [f] *de Noizet Abbé d'Aumale.* [g] *de Savary marquis de Breves.* [h] *François Annibal d'Eſtrées marquis de Cœuvres.*

CIↃIↃCX. HENRICUS IV.

permiſſurum fuiſſe, atque etiamnum permittere paratum; ſed clam Philippo, cujus in fidem ſit receptus, haud debere, nec vero poſſe. Addit verba comitatis ac benevolentiae, cum iiſque Nozetium dimittit. Poſtridie convento [a] Fuentezio revocat: ait Fuentezium quae de pontifice proponerentur non adverſari quidem, ſed cogitandum cenſere quibus modis quibuſque conditionibus adire eum deceret: ceterum falli eos vehementer qui res Condaei curae eſſe pontifici credant: pontificem non moveri, niſi prout rex urgeat; cui plus ſolito gratificetur quo favorem ſuis emat; indignatus Aldobrandinum cardinalem Borgheſianae familiae infenſiſſimum in Philippi tutelam ſuſceptum, ceteroſque Aldobrandinos in regno Neapolitano contra votum Borgheſianorum beneficiis et honoribus auctos ornatoſque: pontificium ad regem legatum, purpurae per commendationem regis adipiſcendae ambitu, de Condaeo non ſcripſiſſe pontifici, niſi quae regi grata fore certo ſciret: quare non dubitandum quin pontifex Condaei ſeceſſionem levitatis et imprudentiae damnet; nec ab eo ſperanda fortis animi conſilia, qui ſe nuper ab Venetis debellari ſit paſſus; qui, ſi tantillum Sixtinae magnanimitatis haberet, jamdudum regem Juliacenſium Lutheranorum cauſae faventem pontificio fulmine terruiſſet: denique Condaeum Romae, inter millia Gallorum decem volitante fama mercedis in ipſius caput propoſitae, ſecurum non fore. Deliberante Fuentezio de principis cauſa pontifici tranſcribenda, ſuisne verbis ipſe ſibi princeps, an Philippus principi clienti ſuo recuperatorem poſceret, adfertur nuncius, regem cum Sabaudo adfinitatem bellique Italici ſocietatem pepigiſſe, et adventare cum exercitu [b] Diguierium. Ad cujus nuncii tumultum Nozetius cuncta turbari, ſeque fruſtra diutius haeſurum circa principem, ſenſit. Quum dimitti peteret, Condaeus literas porrexit nomine ſuo Hiſpanice ſcriptas ad pontificem maximum. Excuſationes erant quod ſe pontifici non ſiſteret, egreſſum Gallia ut quae conjugibus eſſe debent ſanctiſſima tutaretur: Philippi fidei ac tutelae ſe commiſiſſe; ipſius igitur eſſe quae clienti ſuo conducerent arbitrari. Indignatus Nozetius, Fuentezii verba, inquit, iſta ſunt, non Condaei. Tum Condaeus: At eo ſtatu res meas eſſe ſcito, ut Fuentezium praeeuntem ſequi mihi ſit neceſſe. Quum ejuſmodi literas ad pontificem perferri flagitaret, praefracte Nozetius facturum ſe, aut diutius moraturum, negavit; indeque, aliquot horarum moram poſcente Fuentezio, clam paratis per id tempus equis, evaſit.

Interea rex bella duo graviſſima deproperabat. Italicum Diguierio Sabaudi auſpiciis mandaverat: Germanici curam ipſe ſuſceperat, exercitus ſui futurus imperator, regni procuratione reginae commiſſa tantiſper. Hujus autem procurationis occaſione regina, antequam rex ad exercitum iret, ſolemnibus Galliae reginarum ſacris inaugurari expetivit. Rex eo libentius annuit, quod ſibi in os nuper in [c] fano Gervaſiano Lutetiae [d] Gonterius, e ſodalitio Loiolitano concionator, in haereticos acriter invectus magna principum et populi corona pronunciaſſet, pacem, quam virtute ac felicitate ſua Galliae dederat, ſecuram aut proſperam non fore, quamdiu viverent qui papam Romanum Antichriſtum eſſe crederent et profiterentur: etenim hinc neceſſario ſequi, ſuum cum Maria Medicea conjugium, Clementis papae Romani auctoritate ſive poteſtate comparatum, nullum eſſe aut falſum; quandoquidem Clemens, ut illi aiunt, Antichriſtus fuit, et Antichriſti poteſtas auctoritasve nulla ſit aut falſa. Cujus argumenti tam abſurdi quam impudentis ſubtilitas haec erat, ut, ſtricto in haereticos gladio, rex motuum civilium ſeditionibus implicaretur, bellique adverſus Hiſpanos gerendi coeptis deſiſteret. At fraudem ſenſerat Henricus, et, caſtigata verbis gravibus concionatoris petulantia, conſtantiſſimus in propoſito ſuo permanebat.

Ergo

INTERPR. [a] *le comte de Fuentes.* [b] *le Sr. de Leſdiguieres.* [c] *S. Gervais.* [d] *Gonthery Jeſuite.*

Ergo ſe expeditioni laetus accingit, reginamque conjugem jam complurium liberorum parentem, quo per abſentiam ſuam auguſtior haberetur, more majorum ſacrari coronarique mandat. Res in Dionyſiano fano tertio Eidus Maias magnifice peracta. Sacra fecit Franciſcus Jouſa cardinalis, comprecantibus [a] Gondio, Surdizio, Perronio cardinalibus, epiſcoporum frequentia. Reginam ad altaris gradus deduxere Delfinus, Eliſabetha Delfini ſoror, et [b] Margarita Valeſia, aliaeque foeminae principes. In genua ſtanti Jouſa ſignavit oleo caput et pectus, coronam impoſuit, bene reginae, bene regno, precatus: dein miſſilia in populum ſparſa, tubis hilares modos conſonantibus. Miſſilium facies prior reginae vultum oſtendebat; altera coronam, exſtantibus lauri, palmae, oleaeque ramis, cum inſcriptione SECULI FELICITAS. Rex pompam ſpectavit de pegmate; interque haec ſpectacula ludentibus oculis, animi vigore per varia belli concepti negotia ferebatur.

Copiarum ductoribus conventum indixerat ineunte menſe [c] Muzonem: datiſque ad Albertum literis, per archiducalium ditionum loca tranſitum petierat amicum et innoxium: quo minime impetrato, armis infeſtis iter aperire ſibi conſtituit. Jamque ad regni limitem copiae lectiſſimae contendebant; et erat maxima paſſim Gallici nominis tantique ducis exſpectatio: nec defuiſſet eventus, niſi falſa pietatis opinio paricidiali furore viliſſimi homuncionis manus ignavas armaſſet in regem. Pudet dicere, ſed res ipſa clamat, jam ſaepius in Gallico ſolo religionem talium monſtrorum fuiſſe nutricem. Anni ſunt plus minus centum ex quo homines in Gallia Chriſtianae charitatis obliti, diſcordibus religionum ſtudiis, in factiones, bellis poſtea civilibus exacerbatas, ſcindi coeperunt, Pontificiorum et Calviniſtarum. Hi ſe Reformatos praedicant; illi ſe Catholicos aſſerunt: Calviniſtae omnia pontificibus detrahunt; pontifices omnia ſibi vindicant: ſuperſtitioſi plus pontifici credunt quam Chriſto; ſchiſmatici ſic pontificem Antichriſtum eſſe aiunt, ut eccleſiae Chriſtianae veteris auctoritatem et pontificiam delere non dubitent. Utraque pars opiniones ſuas, ſpreta regum majeſtate regnique tranquillitate, ſtabilitas volunt, tam ſcelerate aut fatue, ut concordiae ſtudioſos non ferant, in ſectae non ſuae reges aeque ut in tyrannos conſurgant. Pontificiorum factio praepotens alteram premebat. Rex, bellicae virtutis gloria domi foriſque formidatiſſimus, reducta veteris eccleſiae Gallicanae forma, utramque tollere quum potuiſſet, utrique fraenos injicere ſatis duxit; nunquam ſibi minus a pontificiis metuendum ratus, aequiſſimum habenti pontificem. Etenim conſilia ſua Paulo ſic approbaverat, ut in utriuſque belli negotio cauſam religionis non agi Paulus ipſe fateretur: ac proinde inter adhuc incerta medius, Hiſpano quantumlibet fremente, nullam ſe in partem moveret; etſi forte olim, Romanae curiae more, pro potentiore ſplendidum facturus arbitrium. Sub prudenti pontifice perniciofa factio nihilominus graſſabatur, ſparſis in plebeculam ſurdo gemitu querelis; religionem Catholicam in ſummo verſari periculo; regem ab haereticis perſuaſum adverſus Imperatorem et ceteros Germaniae principes Catholicos bellum movere; Italiam, Catholicae pietatis ſedem, cum exercitu haereticorum Diguierio duce invadere; atque aliis hujuſmodi periculorum figuris, quae vulgi male judicantis animos adeo faſcinare ſolent, ut partium quamvis impiarum ducibus ſe ſuaque omnia devovere non dubitent, ac millibus e multis aerumnoſi duo treſve reperiantur, qui, taedio vitae ſervandaeque religionis opinione auctorati, ad regum caedem, quaſi ad palmarium facinus, impavide procurrant.

Coronaria igitur conſecratione rite peracta, urbem magnificentiſſime ingredi reginam de more ſupererat: et appetebat dies pompae dicta, poſtridie Eidus. Urbis exornandae picturis, ſtatuis, columnis, inſcriptionibus, ceteriſque publicae laetitiae argumentis, populus ſatagebat. Deficere tempus artifices querebantur: rex,

INTERPR. [a] *les cardinaux de Gondy, de Sourdis, & du Perron.* [b] *la reine Marguerite.* [c] *Mouſon.*

CIↃIↃCX.
HENRICUS IV.

rex, adeundi exercitus deſiderio morae omnis impatiens, proferri noluit: pridieque Eidus, hora poſt meridiem quarta, [a] Lupara egreſſus, ſtipatoribus manere juſſis, per urbem aperto undique curru vehi coepit, opera ſimul et opificum alacritatem ſpectaturus. Dextra adſidebat regi [b] Eſpernonius; inferiore ſedili Bellomanorius [c] Lavardinus, et Rochalaureus; ſiniſtra [d] Monbazonius et Forcaeus: in adverſum regi [e] Pleſſius Liancurius et Chabotius Mirabellius. Notata circa regis currum ſolitudine, ſicarius, patrandae caedi momenta captans, jam ab Lupara ſequebatur. Media [f] Ferraria, forte occurſantibus plauſtris, haeſit currus: heu quantum in pauſula diſcrimen! Occaſione morae ſicarius per vacuum ſuperioris cathedrae latus in regem, colloquio Lavardini acclinem, duobus ictibus irruit. Prior haud penetraverat: ſed prompta ſceleri manus, ſimul ſenſit obſtare ferro coſtam, priuſquam rex vocem doloris ederet, repetitum confodit. Vis tanta ſanguinis, ore, vulnere, prorupit, ut exanimis ilico defecerit. Manum armatam aut ferientem viderat ex comitibus nemo, cuncti regem collabi vident: exiliunt de curru propere, et percuſſorem prehendi clamitant. Is jam immanitate facinoris obſtupuerat, oblitus fugae, oblitus ferri, quo manifeſtario prodebatur. Plebe ad ſtrepitum circumfuſa comprehenditur, cultrum adhuc ſtringens calente cruore ſtillantem. Eſpernonius aliique animos civium vehementius moveri quum cernerent, regem vulneratum quidem, ſed vivere conteſtantur: quod in vaſtae magnitudinis urbe ambiguam fecit aliquantiſper mortis nec opinatae mentionem. Mox tamen eodem curru demiſſis plagulis Luparam repetunt, ſequi juſſis qui paricidam cuſtodirent. Hi, quo ducerent incerti, in [g] Radeſianis aedibus prope Luparam tenuere, uſque dum [h] hoſpitii regii praefecto traderetur. Extemplo mutata populi facies, et in laetitiae vicem conſternatio, pavor, trepidatio, luctus: plena triſtiſſimi tumultus Lupara. Quaeſitus ilico [i] Brularti cancellarii diligentia Delfinus ad reginam deducitur, ad quam adhuc incerti de ſalute regis nuncii ferebantur: ac tum cubiculo egreſſa circum aditus anxia proſpiciebat: itaque Delphini conſpectum cancellarius occupat, oppoſitu ſuo pone incedentem tegens. Mox reginae ad concurſum inuſitatum exclamanti, miſeram ſe quae regem vixiſſe nunc intelligat, ſummoto gradu Delphinum oſtendit, et Pace, inquit, majeſtatis tuae dixerim, domina, ecce rex vivit. Simul ejulantem ut ſe in conclave reciperet hortatur; animis opus eſſe, non fletu: reginae rege maximo viduae corde quidem eſſe lugendum, at regis impuberis matri mente conſilioque regnandum. Viſum igitur ceteros defuncti regis liberos in alio conclavi diligentiſſime cum paucis domeſticis adſervari: provinciarum rectores, qui tum in urbe erant quamplurimi, convocari, ad dicendam novo regi fidem; inde in provinciam quemque ſuam excurrere. Urbis praecipua loca praetoriano milite Eſpernonius peditatus Gallici praefectus firmaverat; aediles portarum curam habere, ac ſingulas regiones una cum magiſtratibus urbicis obequitare, tum ad noctis incerta per civicos duces manipulatim excubias agere, juſſi. Eo die ſtatus erat dies habendi pomeridianis horis ſenatus, qui, tunc occupata pompae biduo poſt exhibendae curia Palatina, in Auguſtinianis aedibus habebatur. Illic forte cauſam ab advocatis utrinque tractatam, Nicolao [k] Potiero praeſide, Cardinus [l] Brettus regiae procurationis advocatus diſceptabat; quum de ſubito per ſubſellia cauſidicorum murmur inſuetum, voces trepidae, vultus confuſi exeuntium redeuntium ſcitantiumque, ut jam Bretti vox ab ipſo praeſide parum exaudiretur. Supervenit Bretti collega Ludovicus [m] Servinus; nec obſcurum in ipſius quoque vultu erat, triſtia eſſe ſuper quae adveniret. Facto ſilentio cauſa peroratur:

INTERPR. [a] *le Louvre.* [b] *le duc d'Eſpernon.* [c] *les mareſchaux de Lavardin, & de Roquelaure.* [d] *le duc de Montbazon, & le marquis de la Force.* [e] *du Pleſſis Sr. de Liancourt, & de Chabot marquis de Mirebeau.* [f] *rue de la Feronnerie.* [g] *Hôtel de Retz.* [h] *Prevoſt de l'Hôtel du Roy.* [i] *Brulart Sr. de Sillery.* [k] *le preſident Potier Sr. de Blanc-Meſnil.* [l] *le Bret avocat du Roy.* [m] *Servin avocat du Roy.*

peroratur: confeſtimque adhibitis in conſilium patribus, praeſes amplius deliberandum videri pronunciat. Tum Servinus audientiam ſolvi poſtulavit: ſoluta, quum patres in conclave proximum ſe recepiſſent, ait ſibi a nobili viro nunciari, regem eapſe hora, dum curru per urbem vehitur, a ſicario graviter vulneratum. Interea vero populi ſermonibus rumor interfecti regis differebatur; et jam [a] Eſpernonius praetorianos e ſuburbiis accitos ad [b] Luparam toto [c] Ponte novo ad Auguſtinianorum valvas velut in acie diſpoſitos habebat, ut in re proviſa quidquam diligentius fieri vix potuiſſet. CIƆIƆCX. HENRICUS IV.

SUBINDE regina per Lud. [d] Doleum, quo privati dominii procuratore utebatur, principem ſenatus Achillem [e] Harlaeum monuit, in ſenatum iret, mandata, quae in tanti momenti caſu darentur, curaturus. Is tum ex arthritica debilitate decumbebat: ſed acriore mali publici ſenſu excitatus, deferri quo deſiderabatur properavit, miſſis interea qui ſenatores in curiam revocarent; etenim plerique pavore conterriti ad ſua ſe receperant. Jam ſenatum habebat Harlaeus, et in publica trepidatione ſatis frequentem. Viſum igitur Servinum Brettumque ad Luparam ire, qui rerum ſtatum de propinquo certius cognoſcerent. Adeunt illi, patribus interim triſti cogitatione defixis; ſilentio nuſpiam, niſi ſuſpiriis, interrupto. Poſt paulo redeunt delegati, et cum lachrimis referunt luctuoſiſſima, quae viderant: reginae deploranti adlugere regem filium, novenni paulo majorem; Henrici vero corpus impoſitum lecto exanime. Heic toto ſenatu lachrimae, plangores, lamenta; queis aegre tandem ſubſidentibus pergit Servinus, deque regni procuratione ſive tutela more majorum deliberandum eſſe ait; hoc ſine ulla cunctatione ab ſenatu praeſtari reginam expetere: urgere negotia de quibus ad provinciarum praeſides literas dari ſit neceſſe, ut inopina funeſti rumoris atrocitate minime turbentur: cancellarium quidem, quem inter proceres circa regem viderint, hoc monuiſſe, ex veterum ſcriptorum commentariis et ipſius ſenatus actis, regum impuberum et regni tutelam ad matrem pertinere; ſeipſos, qui regii procuratoris vicem fungantur, eadem ſentire; atque etiam enixe petere, ut quamprimum ſenatus auctoritate ſua rata eſſe velit. Advocati regii quum receſſiſſent, Harlaeus, ad collegas et ſenatores de negotii pondere ſimul et neceſſitate graviter praefatus, ſingulorum ſententias rogare coepit. Iis dicentibus venit in curiam Eſpernonius abſque pallio, enſem manu geſtans in vagina; perque altiora ſubſellia ad Harlaeum acceſſit. Rogatus ſedere, ut Franciae pari jus erat, in hoc tantum ſe veniſſe ait, ut feſtinatione opus eſſe ſignificaret: reginam exſpectare anxiam quid conſilii caperetur. Tum ſemel iterumque excuſat, ſi quid incivile peccaverit; et qua venerat receſſit. Mox eodem aditu habituque intravit etiam [f] Guiſius: ſed rogatus ſedere, ſupra ſenatorum primicerium ſedit; ait veniſſe ut fidem operamque ſuam regi, reginae, ſenatui, devoveret. Suſcipiens Harlaeus, Grati, inquit, animi rem facis; et habes a majoribus tuis plurima, quae te erga regem reginamque ingratum eſſe non ſinant: hoc tuum certe officium in ſenatus actis poſteri legent: ſed eſt quod praeterea jure abs te Gallia depoſcat; quae nimirum verbis heic polliceris, re ipſa in illo tam diſſito provinciae tibi creditae tractu praeſtes; videaſque ne quid ibi ſentiat res Gallica detrimenti. Guiſius, haec ſe inprimis curaſſe quum retuliſſet, eoque jam legatum ſuum maximis itineribus tendere, adjecit, reginam ſcire admodum velle quid ſenatus decerneret: quumque Harlaeus deſiderio mox per delegatos ſatisfactum iri reſpondiſſet, abſceſſit.

CONTINUO ſenatus-conſultum cunctis conſentientibus perſcriptum, quo regis impuberis tutela, rerumque per id tempus in Gallia, ſummo cum imperio, regimen, ad

INTERPR. [a] *le duc d'Eſpernon.* [b] *le Louvre.* [c] *Pont-neuf.* [d] *Dolé.* [e] *de Harlay premier preſident.* [f] *le duc de Guiſe.*

CIↃIↃCX.

Henricus IV.

ad reginam pertinere declaratur: confeſtimque delegati e praeſidibus [a] Potierus et Thuanus, et quatuor e ſenatoribus primores, advocatique regii, ad reginam perferunt. Interea Jacobus [b] Gueſla procurator regius, graviſſima aegritudine implicatus, ad curiae veſtibulum in cathedra portatur; indeque per oſtiarium ab ſenatu petit ut inferri in curiam liceat, quando ingredi per valetudinem non quiret. Quum impetraſſet, ait, imprudenti ſuorum ſedulitate factum, ut ad ſe deteſtandi paricidii nuncius nunc primum pervenerit; eodemque tempore didiciſſe quid collegae inceperint: dolere ſenatus-conſulto, dum recitaretur, non adfuiſſe; adeſſe tamen ut per actuarium intelligat, et mandata, quae ſuarum erunt partium, pro viribus exſequatur. Aequa poſcenti annuit Harlaeus, et ſenatus-conſultum denuo recitari juſſit: Quo facto Gueſla in ſuum auditorium receſſit, redeuntes [c] Lupara collegas excepturus. Hora fere ſeptima reverſi delegati renunciant, audito ſenatus-conſulto reginam maximas habuiſſe gratias ſenatui, ob eximiam in caſu tam repentino fidem ac diligentiam; ceterum rogare, ne morari taedeat dum ſuper negotio quod ſecum agitet mandata dederit. Igitur manſere cuncti. Poſt horae ſpatium, nocte jam propinqua, quum nihil nunciaretur, Harlaeo proponente, placuit e curiae notariis mitti, qui reginae mandata capeſſeret. Verum notarius in itinere quum audiſſet Claudium [d] Bulionem advenire cum mandatis, pedem retulit ad ſenatum. Moxque adfuit Bulio: reginam gratias iterum habere ſenatui, dixit; datumque illi conſilium regis perendie in curiam ad ſuum juſtitiae lectiſternium adducendi, magno principum ac procerum comitatu; proindeque hoc ſignificare ſenatui, ut frequentes adeſſe velint, conſulto, quod jam ipſi fecerint, quam auguſtiſſima poterit magnificentia ſanciendo. Harlaeus ex ſenatus ſententia reſpondit, ſenatum, quandoquidem id conſilii reginae placuiſſet, obſecundaturum. Egreſſo Bulione conſtituere cuncti adeſſe die craſtino mature in togis purpureis, et conſurrexere.

Senatu iſta curante, viſum iis qui circa reginam erant, paricidae, priuſquam ad ſenatum duceretur, conſcientiam explorari, an auctores et ſocios haberet. Quaeſtio decreta Petro [e] Janino, Bulioni, et Antonio [f] Lomenio. Coram iis nomen et patriam edere juſſus, Franciſcum [g] Ravallacum nominari dicit, annos natum triginta duos, patria [h] Engoliſmenſem, profeſſione magiſtellum pueris Catholico Apoſtolico Romano ritu erudiendis: jam decimum quintum in urbe diem agere; nulla ſe aut ſuos ab rege injuria laeſos; veniſſe tamen animo regis interficiendi, fraude diabolica inductum, inſtigatu praeterea nullius: regem abs ſe vulneratum cultro quem de caupona furto in eum uſum abſtulerit: antehac veniſſe in urbem regis ergo non occidendi, verum admonendi excitandique ut bellum haereticis indiceret. Heic Janino, unde id conſilii cepiſſet, interrogante, rem eſſe ait alterius tribunalis; quam adeo ſit nemini, niſi ſacerdoti ſub confeſſionis ſigillo, declaraturus. Repertos inter pannicularia ſua verſus in damnati, dum ad ſupplicium rapitur, ſolamen, Gallice ſcriptos, agnovit; non tamen abs ſe, neque ſibi, verum ab cive Engoliſmenſi, ſuper infelici caſu cujuſdam quem ipſe paricida in carcerem coëgerat, compoſitos, oſtenſoſque ſibi ut plebeio verſificatori cenſendos. Obſtinatam paricidalis ſilentii pertinaciam indignantes cuſtodiae, percuſſoris pollicem machinae militaris tormento, id fuit arcubuſii canis, inſertum uſque torſere, donec dirupta carne etiam os confringeretur: nec praeter cruorem et gemitum expreſſere quicquam. Poſitis per urbem excubiis noctem egere cives, ſtupore magis quam ſomno quietam.

Postridie mane convenit frequens in purpura ſenatus. Convenere in ſenatum [i] Belvacenſis, Catalaunenſis, et Noviomenſis epiſcopi, Franciae pares; et proprie quondam ſenatus Franciae parium curia fuit. Cuncti ſubſelliis inferioribus, ut fit

INTERPR. [a] *les preſidents Potier, & de Thou.* [b] *de la Gueſle procureur-general.* [c] *le Louvre.* [d] *de Bullion.* [e] *le preſident Jeannin.* [f] *de Lomenie Sr. de la Ville-aux-Clercs ſecretaire d'Eſtat.* [g] *Ravaillac.* [h] *d'Angouleſme.* [i] *de Beauvais, Chaalons, & Noyon.*

ſit quoties ſenatus non datur cauſidicis, conſedere, lectiſternio regi in ſuperioribus parato. Dum exſpectatur, retulit ad ſenatum Jo. Curtinus de Ludovico [a] Lotharingio inter Franciae pares recipiendo, ob Rhemenſem, quo nuper ab rege donatus fuerat, archiepiſcopatum. Adhuc erat in ſubdiaconatu, minor annis viginti quinque, nondum presbyterio, nondum epiſcopatui, nondum tali feudo, idoneus. Sed adverſus haec pro eo ſtetit nobiliſſimae familiae ſplendor, et, in ſubita conſternatione, jam longa diſciplinae veteris oblivio. Nemo inverecundum ejus eſſe deſiderium dixit. Itaque admiſſus ad ſolemnis ſacramenti formulam, ſedit ſupra Belvacenſem. Conſeſſu in eum modum aucto, ut jam anguſte in ſubſelliis inferioribus ſederetur, de ſuperioribus occupandis cogitari coeptum. Utrinque ab regis ſolio vacabant. Addubitavere autem pares eccleſiaſtici quam in partem conſcenderent, dextramne an ſiniſtram. Conſulti praeſides ſenatus cenſuere ſiniſtram: nam, rege pro tribunali ſedente, dextram regii ſanguinis principibus ceteriſque regni magnatibus dari. Illi contra, conſilio, quod erat veriſſimum, neglecto, dextram tenuere; atque hos ſubſecutus Henricus Gondius urbis epiſcopus. Continuo petiit quoque Momorantius Franciae coneſtabilis, quem ſibi locum pro dignitate ſua vindicare jus faſque eſſet. Negavere praeſides fas illi eſſe ſupra Franciae pares eccleſiaſticos ſedere. Hi tunc elatiores multo denſare ſeſe, locumque ſibi adſerere, et religionis jure et feudi conditione legitimis et neceſſariis et primis regni conſiliariis. Dum haec diſputantur, aſcendit coneſtabilis, infraque [b] Pariſienſem ſedit. Mox advenere [c] Jouſa, Gondius, Surdiſius, Perronius cardinales, locumque ad ſiniſtram ſumpſere. Haud cunctanter venit et cancellarius in toga de ſerico vellere nigro, libellorum ſupplicum magiſtris comitatus: obviam proceſſerant ad curiae limen ex ſenatoribus primarii duo. Sedit in praeſidum ſedili, Harlaeum ſupra: auditaque parium eccleſiaſticorum controverſia, praeſidibus denuo conſultis, monendos cenſuit, in ſiniſtram concederent, infra cardinales: ambitioſa quippe cardinalium dignitas, etiam in parium Franciae curia juſtitiaeque lectiſternio, veterem illam parium opprimebat. Ii pertinaces haud paruere monentibus. Dum repugnant, et vinci debere videntur, tranſiit coneſtabilis ad cardinalium ſiniſtram ambiguitate pudenda, ſeditque poſtremus. Inter haec vero adfertur regem reginamque advenire. Confeſtim ex ſenatu praeſides duo, ſecundus ac tertius, et ſenatorum primarii quatuor, ad Auguſtiniani templi fores obviam miſſi: tandemque rex, regina, principes, duceſque, Franciae pares, laici, praecedentibus ab ſenatu delegatis, curiam ingrediuntur; et, quod uſitatum antea nunquam fuerat, principum foeminarum turba; quae, nemine ſubmovente, medio ſubſelliorum ſepto perſtitere confertim. Tunc pares eccleſiaſtici ad laevam migrare juſſi ſubdidere ſe cardinalibus, epiſcopo Pariſienſi conſequente, cui proprius, antiquae ſcilicet ambitionis, locus ſupra primicerium ſenatorem fuerat; atque ea demum migratione locum ſibi praepoſtere ſumptum deferendum eſſe coneſtabilis animadvertit. Sedit igitur in lectiſternio rex indutus violacea purpura, qui regum noſtrorum color in luctu: ad dextram regina atrata velo criſpante, Franciſcus [d] Borbonius Contius, [e] Ludovicus Borbonius Anguianus Caroli comitis Sueſſionenſis filius, paulo major quadrienni: adſedere Carolus [f] Lotharingius Guiſius, Henricus Momorantius coneſtabilis, Joannes Ludovicus Valeta Eſpernonius, Hercules Roanus Monbazonius, Maximilianus Bethuna Sullius, duces et Franciae pares; [g] Briſſacus, Lavardinus, Boſcodelfinus, mareſchalli: ad laevam ſupradicti cardinales quatuor, pares eccleſiaſtici tres, et Pariſienſis epiſcopus: ad pedes Carolus Lotharingius [h] Ellebovius magnum

CIƆ IƆCX.

HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *de Lorraine.* [b] *de Gondy evêque de Paris.* [c] *les cardinaux de Joyeuſe, Gondy, Sourdis, & Perron.* [d] *de Bourbon prince de Conti.* [e] *Louis de Bourbon fils de Charles comte de Soiſſons.* [f] *de Lorraine duc de Guiſe, le conneſtable de Montmorency, de Nogaret de la Valette duc d'Eſpernon, de Rohan duc de Montbazon, & de Bethune duc de Sully.* [g] *les mareſchaux de Briſſac, Lavardin, & Boiſ-Dauphin.* [h] *le duc d'Elbœuf.*

CIↃIↃCX. HENRICUS IV.

magnum cubicularium egit pro [a] Meduanio duce aegritudine praepedito: Ellebovio inferior ſubſtratis cervicalibus jacuit Jacobus [b] Aumontius Chappius praefectus urbi. Tum cancellarius ſub rege ſedit in cathedra ſerico regii lectiſternii conſtrata: ad latus ſtetit Aegidius [c] Sovraeus, educationi regis praepoſitus.

Post imperatum ſilentium regina, velo paulum dimoto, ſic orſa eſt. Quandoquidem viſum Deo, caſu mihi vobiſque omnibus acerbiſſimo, optimum regem noſtrum nobis auferri, (heic aliquantiſper haeſit, voce lamentis et ſuſpiriis praecluſa,) filium iſthuc adduxi meum, veſtram fidem implorans, ut curam ejus, quam vos habere par eſt, habeatis, pro dignitate quae parentis memoriam, quae patriam veſtram, quae voſmetipſos vobis commendat: hunc ad regni negotia conſiliis veſtris fulciri cupio; ea vos ut ex animi veſtri ſententia detis obteſtor obſecroque. Haec verbis crebro gemitu interruptis prolocuta, ad ima ſubſelliorum deſcendit, abeundi conſilio; ac pleriſque rem convenientiſſimam facere videbatur. Mox tamen mutavit, perſuaſa vocibus cauſantium turbam ſummoveri non poſſe, opinantium vero, legem regiam, quam nos Salicam dicimus, haud magis violari, regina matre filio regni cunabula auſpicanti adſidente, quam regis regnique tutelam heſterno ſibi ſenatusconſulto commiſſam ſuſcipiente. Itaque locum recepit, [d] Caſtelnovio Concinoque ſcandenti gradum miniſtrantibus. Poſteaquam ſedit, ſtrepitu nondum plane compoſito, rex paucula dictata ſibi reddere incepit. Deceſſoris mei regis ac parentis optimi praematurus heres huc veni reginae matris hortatu, ſalutaria tractandis regni negotiis monita ſuſcepturus; ſpe fretus, hanc mihi, divino favente ſpiritu, mentem fore, quae vana eſſe tanti principis ac parentis exempla non ſinat; eaque fiducia erectus, a vobis audire velim, quid ſuper his quae jam nunc juſſu meo cancellarius explicabit, cenſeatis. Secundum haec apta tempori oratione cancellarius prudenti reginae matris conſilio factum eſſe dicit, ut novi regis initia felicibus auſpiciis in juſtitiae ſacrario ſumerentur; unde ſpes certiſſima cunctos ſolari debeat, regem juſtitiae ſtudioſiſſimum fore, quod eſſe maximum ſolet regni beati praeſidium: annos tantum deſiderari uſus experientiaeque capaces; ſed hos tamen abunde ſapientia reginae conſummatiſſima ſuppleri; quam adeo praeſaga mens Henrici magnarum rerum deliberationibus intereſſe voluerit, ut poſtea tractandarum peritiam ſibi compararet: ac pleroſque meminiſſe dicentis, cum de morte ſemper intrepidus cogitaret, aequiore animo ſe deceſſurum, qui talem regni moderatricem relinqueret: nec deeſſe regum noſtrorum exempla, qui conjugibus ſuis et filiorum et regni curam edictis teſtamentiſque mandaverint; regis maximi deque regno optime meriti judicium, toties notatum, vim habere in animis omnium debere quovis edicto teſtamentoque majorem: hac de re ſententias inpraeſentiarum convenire, quum ſit ejuſmodi, ut in aliud tempus differri abſque periculo non poſſit. Allocutione iſta cancellarius pridiani ſenatus-conſulti mentionem fecit nullam, ſed rem velut integram infectamque deliberationi ſubjecit; tanquam ſenatu, abſque regni principibus Franciaeque paribus, in cauſa regni minus competente. Ergo, re in hunc modum propoſita, ex ordine fuerat, ſententias rogari: ſurrexit tamen Harlaeus, atque una cum praeſidibus collegis, flexo genu tantiſper dum juſſu regis cancellarii voce erigerentur, verba fecit rhetoricae magis quam ſenatoriae dictionis: populum nuper coronaria reginae magnificentia laetum, Henrici virtutibus praedicandis occupatum, proque ſuſceptis expeditionibus vota glorioſiſſima nuncupantem, hodie ſubita funeſtiſſimi caſus acerbitate confuſum, urbem regiam, defectu ſolis quum maxime fulgebat obſcuratam, non alia magis luce refici aut redanimari quam novi regis praeſentia potuiſſe; cujus in vultu plurimus abſentis vigor et imago quaſi reviviſcentis intelligatur: omen eſſe

non

INTERPR. [a] *de Mayenne.* [b] *d'Aumont baron des Chappes prevoſt de Paris.* [c] *de Souvré.* [d] *de Chateauneuf, & Concini.*

non vagum, quod ipſe Ludovicorum tertius decimus in lectiſternio ſedeat, ſicut inſignia palam faciebant duodecimi, cui ſingularis erga populum pietas nomen indidit praeclarum patriae parenti: gratiſſimam quoque eſſe recordationem Ludovicorum noni ac decimi, quibus adoleſcentibus Blancam et Margaritam reginas matres regni negotia feliciter procuraſſe conſtaret: earum exemplo Mariae reginae fiduciariam regni tutelam jure commendari, quae jam tot argumenta dederit regiarum certiſſima virtutum. Addidit acceptiſſimum populo fore monetam ſub hoc elogio cudi, MARIA MEDICEA SECVRITAS REI GALLICAE; cujuſmodi olim Helenae Conſtantii conjugi cuſa fuiſſet. Dein regem hortatus eſt ut jura populo dicentium auctoritati porro ſtuderet, perſuaſiſſimus veram regiae poteſtatis majeſtatem legibus et juſtitia conſtare. Ac demum, quaſi ſenatus verbis obſequii fidem novo regi pollicitus, perduellibus et factioſis diras imprecatus, vota pro regis et reginae incolumitate concepit. Quum peroraſſet, aſcendit ad regis ac reginae alloquium cancellarius; inde ad praeſides ſenatus deſcendit, ſententias rogat: poſtquam dixere, redit ad ſuperiora ſubſellia: principes, duces Franciae pares, mareſchalli, ſententias dicunt. Tum ſe ad laevam transfert: inde ad inferiora; ac primum ad regni privatique concilii adſeſſores: tum ad libellorum ſupplicum magiſtros; dein ad ſenatores, ſed primarios tantum: ad ceteros quo minus iret impediri dixit turba denſiore, et jam habere ſuffragiorum ſatis: nempe fuerat concors ſententiarum formula, regem in juſtitiae lectiſternio ſedentem, ex principum, praeſulum, ducum Franciae parium, regni procerum ac ſenatus ſententia, ſecundum ſenatus pridiani conſultum, adoleſcentiae ſuae regnique tutelam reginae matris arbitrio conſilioque permiſiſſe. Itaque ſedili ſuo ſe cancellarius recepit; ſed, velut inter ſuffragia dicenda praetermiſſi ordinis admonitus aut recordatus, pronunciationem conſulti ſuſtinuit; regiſque verbis populum admitti juſſit, ac procurationis regiae collegas audiri, ſi quid poſtularent. Januis reſeratis, innumera multitudo confluxit: factoque tandem ſilentio, Servinus oratione ſatis incondita regem defunctum luxit, ſucceſſorem laudavit, hortatuſque eſt ut, exemplo Alexandri Mammaeae, omnia ex conſilio matris ageret, quam ſibi modo adſidentem habeat, ceu quondam Salomon Bethſabeam; ſenatum, in quo primum rex appellatus fuerit, benevolentia praecipua dignaretur: ac demum petiit ut in auguſtiſſimo illo conſeſſu decretum ſenatus, quo reginae matri regni tutela commiſſa fuerat, promulgari, atque ad cetera regni tribunalia promulgandum mitti, juberet. Peracta poſtulatione, cancellarius, ſuffragiis ſeu ſerio ſeu dicis cauſa repetitis, pronunciavit quod ſuſtinuiſſe diximus, omiſſa tantum pridiani ſenatus-conſulti mentione: verum, ab Harlaeo privatim admonitus, memoriae lapſum excuſavit, poſteaque ſubſcribendo adjecit; uti et in actis habetur. CIƆIƆCX. HENRICUS IV.

HIS auſpiciis regina regni procuratrice renunciata, conſeſſus dimittitur. Rex in Luparam reducitur, civibus ubique multos annos acclamantibus, aut deſiderantibus. Proxima fuit mortui cura. Coram medicis chirurgi, vulneris tam ſubito lethalis intima veſtigantes, monſtravere ſiniſtram thoracis partem duobus ictibus violatam: quorum ſuperior quidem ſed leviculus fuerat, ac tantum non ſuperficiarius; adeo coſtae ſecundae durities ferrum retuderat: alter inferior, inter coſtarum quintam ſextamque thorace perfoſſa, tam alte in pectoris penetralia deſcendebat, ut non modo pulmonis fibram transfigeret ſiniſtram, ſed arterias ſimul aortam ac venoſam, quae ſe ex vitali cordis fomite in pulmones inſinuant, reſcinderet. Id vero corpori alias perfectiſſime vivaci perniciem intuliſſe ſubitaneam, quia, duobus illis naturae fontibus, queis totum corpus humore vivifico perfunditur et inſuccatur, ſemel ruptis, tanto impetu ſanguis exundat, ut arte nulla queat ſiſti. Interea vero, dum corpus chirurgi

CIↃ IↃC X.

HENRICUS IV.

chirurgi ad conditurам exenterant, cordis [a] Flexiam in Andibus portandi mentionem injecere [b] Varanaeus et Coto, prolatis etiam regis ac reginae in Flexiani Jeſuitarum templi dedicatione pollicitationibus: cujus religionis ſpecie regina facile perſuaſa cor regium poſcentibus annuit. Lege pollicitationis cautum fuerat, uti ſodales cordis ferendi deducendive miniſterio delegati, ab domo regia Flexiam uſque pedibus iter conficerent. At legem neglexere ſodales; tranſmiſſiſque ab Varanaeo curribus, venere ad [c] Luparam e [d] Ludoviciana familia frequentes lineis multiciis ornati, antiſtite Bartholomaeo [e] Jaquinoto. Admiſſis in defuncti cubiculum [f] Contius princeps adveneratione magna lachrimiſque multis cor incluſum argentea theca, ſuppoſito cervicali, contradidit. Suſcepta viſcerum regiorum portione praecipua, Jaquinotus cum ſodalibus quatuor, nobilibus aulicis duobus taedas geſtantibus, ipſomet curru in quo pridie rex fuerat interfectus, ceterique in aliis curribus ſodales, vultu ad moeſtitiam pulchre compoſito, domum repetunt. Poſt aliquot dies eadem pompa curuli, niſi quod Ignatius [g] Armandus, per Galliam ſodalitati praepoſitus, Jaquinoti pontificium ſumpſerat, reliquias nobiles Flexiam deferunt, [h] Monbazonio et Varanaeo comitantibus, crebro funebrium ceremoniarum per aedes in itinere ſacras apparatu, et provincialium undique accurrentium comploratu. Flexiam intraturis, obviam proceſſere Jeſuitarum Flexianorum familia, magiſtratus urbis, et ordines civium cuncti. Tunc Armandus in pedes deſcendit, praecedentibus e ſatellitio regio militibus duodecim, ac duobus aliis Armandi brachia diutino tantuli ponderis geſtatu degravata ſublevantibus. Uberes viciſſim lachrimae: nec defuit ſpectaculo quidquam. Tandem perventum eſt in templum; ubi lachrimae rurſus et laudes copioſiſſimae. Completis ſolemnibus ſacris, cor regium conditorio depoſitum: anniverſariae ſupplicationes et feriae decretae, acclamatumque Ludovico ſucceſſori.

XVI Kalendas Junias paricida coram [i] Harlaeo et Potiero praeſidibus, Curtino Bauhinoque conſiliariis, quaeſtioni ſiſtitur. Eadem fatetur quae coram Janino: ſed praeterea initiatum ſe ante aliquot annos [k] Foliantinae Bernardinorum ſodalitati inter fratres, ut ipſi loquuntur, converſantes. Dimiſſum vero ad turbulentas meditationes et melancholicae paſſionis ſomnia ſeu viſa, optaſſe inter Jeſuitarum ſervos, quos illi adjutores vocant, recipi: ſed repulſum hoc colore, quod nec inter eos recipiantur qui nomen alteri unquam factioni dederint. Poſtea viſionibus ſuis multoties exagitatum veniſſe Lutetiam ſemel iterumque: ac primo quidem ſuaſum regi, haereticos omnimodo eſſe ad eccleſiam Catholicam revocandos: hanc animi ſui mentem aperuiſſe Jacobo [l] Albinio Jeſuitae, [m] San-Severini templi curioni, et Magdaleno Foliantino. Albinio quidem narraſſe quae ſibi ſomnianti vigilantique apparuerant; ſulphuris et thuris vapores, tubarum ſonitus bellicos et panes miſſales, orbe alios contractiore, alios ampliore: ad haec oſtendiſſe cultellum corde ac cruce ſignatum: addidiſſe haec verba; Cor regis bello adverſus haereticos gerendo animatum eſſe oportere. Albinium vero reſpondiſſe, haec omnia mera eſſe deliramenta, aſſiduis ad Deum precibus averruncanda: ceterum ſermoni ad regem habendo aditum per aliquem ex magnatibus aulicis impetrandum. Sic dimiſſum, nunquam poſtea cum Albinio loquutum. Regem alloquendi facultatem ſaepenumero ſibi quaeſitam, ſemper fuiſſe negatam: ſemel etiam ab ipſo rege, dum curru vehitur, verbis ſupplicibus appellato, virga repulſum: itaque repetiiſſe Engoliſmam. Poſtea vero regis occidendi conſilium ex eo potiſſimum cepiſſe, quod haereticos Gallia non depelleret; quod

INTERPR. [a] *la Fleche en Anjou.* [b] *de Fouquet Sr. de la Varenne, & le Pere Cotton.* [c] *le Louvre.* [d] *les Jeſuites de la maiſon de S. Louis rue S. Antoine.* [e] *Jacquinot.* [f] *de Conti.* [g] *le Pere Armand provincial des Jeſuites de France.* [h] *le duc de Montbazon.* [i] *les preſidens de Harlay & de Blanc-meſnil, Jean Courtin & Proſpere Bouin conſeillers en la Cour.* [k] *les Feuillans.* [l] *le pere d'Aubigny Jeſuite.* [m] *le Curé de S. Severin, & le pere Ste Marie Magdelaine des Feuillans.*

quod conjurationis nuper adverſus Catholicos initae reos plecti nolle, deque ſede Apoſtolica Lutetiam traducenda cogitare, diceretur: id enim eſſe cum Deo bellare; atque haec veriſſime converti, Deum eſſe pontificem, ac pontificem eſſe Deum. Sic animatum reveniſſe in urbem, confeſſoria prius, ſed generatim, caedis cogitatae poenitentia luſtratum ab ſacerdote, cujus nomen haud ſciat. Feriis tamen Paſchalibus ideo ſe myſterio Chriſtianae communionis abſtinuiſſe, quia damnata voluntas animo ſuo recurriſſet, quam apertius indicare ſit veritus, ne, ſacerdote in publicae ſecuritatis cauſa arcanum revelaturo, nudae voluntatis poenas, aeque ut facti, lueret. Reverſum in urbem cultrum, in caupona forte obvium, patrando ſceleri ſurripuiſſe, ac dies aliquot in pera ſecum tuliſſe. Dein mutato conſilio iter in patriam inſtituiſſe, atque ad [a] Cantilupanos hortos cultri mucronem carri commiſſurae inſertum fregiſſe: verum poſt paulo ad Chriſti flagellati ſtatuam in [b] Stamparum ſuburbio dira deſtinatione denuo tentatum, cultro ad ſilicem redacuminato, rediiſſe, nihil cunctari certum, ſimul ac regina ab coronatione revertiſſet; nam tunc, ſi quid ſublato rege turbaretur, minus periculoſum fore. Nulli ſe deinceps in urbe notum aut familiarem fuiſſe, niſi Dominicanis quibuſdam popularibus ſuis, quorum et ſacra frequentaverat. Haec fatenti Harlaeus cultrum exhiberi juſſit. Agnovit ille, eum eſſe quo regem percuſſerat: ſimul et ſchedam, quam tunc ſecum habebat, popoſcit. In ea depicta erant Galliae duos inter leones inſignia, uno clavem, altero gladium, geſtante. Exhibitam agnovit, et [c] Engoliſma ſecum attuliſſe, reſumpto regis interficiendi conſilio, quum in domo [d] Beliardi cujuſdam audiſſet, regem pontificio legato ob ſuſceptum in Italiam bellum conquerenti, atque excommunicationis fulmen intentanti, reſpondiſſe, majorum ſuorum beneficio quondam pontifices ſedis ſuae dignitatem obtinuiſſe; eam ſe pontifici, ſi quid adverſus Galliae majeſtatem decerneret, ademptururum. Hiſce ſe vehementer incitatum ſermonibus inſcripſiſſe ſchedae ad leonum capita verſiculis duobus Gallicis ſententiam, Ne patiaris ullam nomini divino te vidente contumeliam parari. Sub id Harlaeus proferri etiam juſſit thecam, cordis figura concinnatam. Agnovit et hanc paricida ab [e] Guillebaldo Engoliſmenſi canonico habuiſſe, crucis Dominicae particula et nomine Jeſu, Capucinorum nuncupationibus ſacrato, pretioſam, proque amuleto adverſus febres geſtaſſe. Diſſuta theca, quum nihil appareret ligni, Impoſtoribus, inquit, fraudi erit impoſtura, non mihi. Agnovit et ſchedam aliam nomine Jeſu tribus locis inſcriptam. Poſtero die reductus conſentanea ſuperioribus dixit: ab nemine autem ſe ſubornatum fuiſſe; nec ſperare divinae unquam miſericordiae participem fore, ſi conſcios celaret. Eodem die vocatus [f] Albinius cum paricida committitur. Albinium agnoſcit paricida, et vera eſſe quae de ſermonibus cum eo factis retulit, conſtantiſſime aſſeverat. Albinius pari conſtantia pernegat. Die ſequenti reductus tertio paricida, per ſi quam ſibi divinae miſericordiae gratiam ſperaret, participes et ſocios criminis prodere admonitus, perſeveravit negando quenquam criminis ſui ſocium participemve eſſe: fraude ſive arte alia ſe adductum nulla, niſi opinione belli adverſus pontificem gerendi. Praeſide objiciente, ſaltem ipſo Dominicae reſurrectionis die ab ſcelerato propoſito deſiſtere debuiſſe; ait, ipſiſſimo die ſe Engoliſma egreſſum ad facinus, proptereaque corpori Chriſti communicare non auſum; curaſſe tamen offerri pro ſe, ſacrificioque interfuiſſe, matre myſteria participante; quorum ſe quoque, ſi non ore, at mente, participem fieri poſſe, pro mutuo Chriſtianae charitatis commercio, ſperaverit, uti nunc etiam ſperat fore omnium quae in eccleſia Catholica Apoſtolica Romana celebrantur, cujus ſe membrum eſſe in unico Jeſu Chriſto confidat: orare autem ſacratiſſimam Virginem, Petrum, Paulum, et cum lachrimis

INTERPR. [a] *de Chanteloupe.* [b] *Eſtampes.* [c] *Angouleſme.* [d] *Beliard.* [e] *Guillebaut chanoine d'Angouleſme.* [f] *le pere d'Aubigny.*

CIↃIↃCX. lachrimis Franciſcum, Bernardum, ſanctoſque omnes, ut apud Chriſtum adeſſe ſibi
Henricus IV. patrocinio ſuo velint: ita non deſperare, quin fruatur conſortio meritorum Dominicae paſſionis omniumque aliorum, quorum theſauros Chriſtus, quum diceret, Tu es Petrus, et ſuper hanc petram aedificabo eccleſiam meam, Apoſtolicae poteſtati diſpenſandos tradidit. His confeſſionibus quum nullos alios ſceleris affines proderet, adhiberi tormenta placuit: neque profectum quicquam. vi Kalendas Junias paricida publicus divinae humanaeque majeſtatis lege damnatur; domus in qua primum terram tetigit aequanda ſolo redemptoribus regiis mancipatur: parentes exſulare jubentur; agnatis et gentilibus mutatio nominis imperatur. Priuſquam vero duceretur, cenſuere judices iteranda tormenta conſciis eruendis. Nihil edidit novi, quamvis extortus aſperrime, cuneis tribus inter aſſeres ocreatim indutos adactis; ſudore manante ſenſus una cum voce defecit. Remotis tormentis, adſperſaque frigida recreatus, in carcerarium ſacellum perducitur. Mox ad parietem ſeſſilem vincto allatum quod pranderet. Dein adhibiti e ſchola Sorbonica [a] doctores duo, Jo. Fileſſacus et Philippus Gamachius, damnatum ſolantur, hortanturque uti ne diutius judices Galliamque univerſam in tanto crimine vagari ſuſpicionibus ſinat; neve conjurationis omnium pernicioſiſſimae ſocios latere velit, magno totius regni periculo. Peracta confeſſione myſtica doctores [b] actuarium ſenatus accerſi rogant, eoque coram teſtantur, damnatum ultro petiiſſe, confeſſionem ſuam ſub abſolutionis impetrandae voto ipſis ſacerdotibus nuncupatam vulgari. Eam vero ſic habere: perſolum ſe in crimine eſſe, non rogatum, non inſtigatum ab ullo mortalium; conſilii ſui neminem, ultra quam ad judices dixerit, fuiſſe participem conſciumve; nec ſalutem aeternam, ſi quid mendacio ſilentiove falleret, ſperare. Igitur ex ſenatus-conſulto impoſitus ſtercorario plauſtro, pro valvis [c] baſilicae Marianae, nudus in linea ſubucula cum accenſa taeda ſupplex deteſtandi paricidii veniam a Deo, rege, ſenatu, poſcere jubetur. Inde in [d] Portuenſem plateam vecto dextra cultrum amplexa igne ſulphureo comburitur: mammae, brachia, femora, ſurae, forcipe candenti concerpuntur: in concerpta plumbum, oleum, cera, ſulphur ferventia funduntur. Quacunque tranſductus eſt, plebs carnificinae avida, probris, contumeliis, diris appetitum, niſi milites objectis mucronibus obſtitiſſent, dilaceraſſet. Doctoribus, preces de more concipientibus, contraria obſtrepentium execratione ſilentium impoſitum. Unde occaſione ſumpta actuarius ad damnatum acceſſit, hortatuſque eſt, ut, conſciis indicatis, iram populi ultima ſibi morientium ſolatia denegantis ad miſericordiam flecteret. Ille denuo neminem ſe habere conſcium affirmavit. Itaque horae ſpatium quatuor equis in diverſa nitentibus diſtrahitur, ac tandem extincto paricidali ſpiritu membra quadrifariam ſecta ſeparantur a trunco. Supererat ex ſenatus-conſulto cuncta comburi, cineres vento difflandos projici. Populus ſibi litatum negavit, factoque impetu, diſturbata carnificina, extorta carnifici membra diripuere, per varias urbis regiones raptavere, horrendis imprecationibus devota cremavere: alicubi raptando, tundendo, laniando, defuit quod cremaretur.

Perditissimae audaciae facinus, et immortua, vili corpuſculo nullos prodente conſcios, tormenta, multiplices ambages objecere conſiderantibus in urbe regia, populo tam benevolo, extitiſſe, qui nullius impulſu regi domi foriſque glorioſiſſimo vitam eriperet, adeo patriae charam ac deſiderabilem. Erant quibus videretur nonnihil a quaeſtoribus paricidii peccatum, ob recentes adhuc et male ſopitas magnatum quorundam cum rege ſimultates, reperire metuentibus cujus comperti invidia deflagrarent. Nam cur omiſſa Engoliſmenſium, quos in accinctu deſtinati ſceleris paricida ſibi notos aut familiares indicaverat, citatio? [e] Beliardi puta et

Bretcavi:

INTERPR. [a] *les docteurs Fileſac, & Gamache.* [b] *le greffier.* [c] *Noſtre Dame.* [d] *la Greve.* [e] *Beliard.*

Breteavi: cur matris, qua non inſcia digreſſus erat [a]Engoliſma, ipſo Dominicae reſur- CIƆIƆCX.
rectionis die ſacris abſtentus? cur item [b] curionis Sanſeverini et Magdaleni illius Foli- HENRICUS IV.
antini? cur [c]Albinius ſolus auditus? ab tenuiſſima ſcintilla maximam plerumque veritati lucem accendi: et cur illa etiam cum reis paulo conſpectioribus prohibita loquendi facultas, in hoc tam facilis et aperta, ut de diebus carceris tredecim nullus paene abierit impermiſſo curioſis compluribus alloquio? Prudentiſſimorum in ſenatu ſententia fuit, Hiſpanicae factionis adjutores, ut quamplurimos alunt novellae per omnem Galliam monachorum ritus Italici profeuchae, hominis fanatica ſuperſtitione perciti cogitationibus inter arcana confeſſionum notatis, adhibuiſſe veſaniae fomitem, ac ſummiſiſſe indies qui vanis terroribus ſtultum caput implerent, ſuſceptaſque ab rege expeditiones eo tendere ſuggererent, ut Proteſtantibus Germanis adverſus Catholicos auxilia praeberentur, ac [d] Diguieriano milite, magnam partem Calviniano, Italia premeretur. Has clades religioni Catholicae, haec pericula ſedi Romanae, ab unius hominis ſpiritu pendere fingerent, aut ſtolide ipſi credita narrarent. Hujuſmodi autem commentis animum caeco temerariae religionis igne calentem inflammari adeo potuiſſe, ut leviſſima pauculorum forte miſellae vitae dierum jactura tanti ſe facinoris compotem redderet. Utrique opinioni fidem fecere obſervata ſub id temporis argumenta. Etenim delatores aliquot ambiguis illatae mortis indiciis periere: ſcriptaeque [e] Bruxellis, Antuerpia, Machlinia, Boſcoque ducis, ante menſis Idus ad varios literae regis interfecti rumorem iis locis ſparſum nunciabant; et ipſo menſe facta caedes, quo menſe ad exercitum ſe profecturum Henricus archiducibus ſcripſerat. Inter poſterioris opinionis principes Jacobus Auguſtus Thuanus cenſuerat, quandoquidem ex paricidae confeſſionibus appareret ipſum perfido ſuperſtitionis ſpiritu afflatum tanti ſceleris rabiem collegiſſe; malum vero in horas ſerperet; papalis imperii praecones libris editis pernicioſa dogmata venditarent, unde perſuadeant credulis regnorum regumque jura, prout Romanae curiae favorem indignationemve meruiſſe videbuntur, ſtare aut ruere; tyrannum poſſe et debere occidi a quocunque ſubdito, non aperta vi modo, ſed etiam per inſidias et fraude; tyrannum eſſe qui Hiſpanienſia pontificis Romani conſilia detrectet: haec venena ſimplicibus in religionis poculo miſcerent, epiſcopo ob cardinalitiae purpurae ſpem connivente; operae pretium fore ſcholae Sorbonicae doctores ſenatus-conſulto moneri, cenſura ſua diſcernant, quid fraudis humanae, quid divini juris, haec ſcita continere arbitrentur; ac decreto ſuo populum prava religione, qua nihil in ſpeciem fallacius eſt, liberatum velint: hoc ab iis eo tutius ac libentius praeſtari oportere, quod ejuſdem ſcholae anteceſſores duobus retro ſaeculis illud ipſum dogma conſenſu doctorum centum et quadraginta damnaverint, judicio poſtea concilii Conſtantienſis auctoritate comprobato. Atque haec nudo adhuc et inermi dogmate, nondum exortis Clementibus, Barrieris, Caſtellis, Ravallacis: quid hodie, tot exſecrandis ſanguinariae doctrinae diſcipulis annorum minus viginti ſpatio in regum noſtrorum perniciem armatis? Hanc Thuani in paricidae cauſa ſententiam pauculi primo ſecuti ſunt, aſſiduis litium privatarum ſportulis mentes vulgarium ſenatorum ad publica illa queis utilitati poſterorum cavetur obſurdantibus; poſteaquam vero dicendis in reum poenis incanduere, eodem calore cuncti quod faſtidierant appetere incipiunt: tantummodo explicant, ſenatus-conſulti formula diviſa, ut de paricida ſeparatim, de Sorbonico ſive [f]Conſtantienſi decreto ſeparatim quoque ageretur. Nec Thuanus ipſe aliter cenſuiſſet.

ITAQUE

INTERPR. [a] *Angouleſme.* [b] *le Curé de S. Severin, & le Pere Ste. Marie Magdelaine des Feuillans.* [c] *le Pere d'Aubigny.* [d] *les troupes du Sr. de Leſdiguieres.* [e] *Bruxelles, Anvers, Malines, & Bois-le-duc.* [f] *du concile de Conſtance.*

CIƆIƆCX.
Henricus IV.

Itaque poſtero die, Sorbonae decano ſyndicoque adeſſe juſſis, Harlaeus gravibus verbis dat mandata, quae ad collegas ipſi referrent, ſuper decreti Conſtantienſis inſtauratione. Propere parent decanus et ſyndicus, collegioque frequenti ſenatus-conſultum recitari, mox et haberi conſilium, curant. Summo conſenſu in hanc itum eſt ſententiam: ſapientiſſime a majoribus cautum fuiſſe, ne quis hoc pronunciatum adſereret, tyrannum occidere licere; nam id eſſe legi Chriſtianae contrarium: priſcos eccleſiae patres adverſus tyrannos, quamvis impios et aſperos, adhibuiſſe fugam aut patientiam; arma vel inſidias nunquam: adſertione illa generali ſemel recepta, aperiri januam fraudibus, impietati, perfidiae, mendacio; factioſis ut libitum erit de principe judicantibus aut ſentientibus: tum, ſi religio ſceleri praetendatur, mentes incautas ſuperſtitionis furore ad immania ferri: jure igitur ab Joanne Gerſone theologo prudenti laudatam Sorbonae ſimul et concilii Conſtantienſis cenſuram, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum decimum tertio quintoque perſcriptum, qua doctrinae peſtilentis auctores impietatis haereticae damnantur: propterea Sorbonae collegium arbitrari Chriſtianae ſocietatis hoſtium loco habendos, qui tam improbo ſtellionatu Chriſtianos infament: ac proinde, reſtituta novo decreto veteri cenſura, theologiae doctores ac diſcipulos omnes monitos velle, ut hujuſce decreti verba quotannis ſolemni ſacramento jurent, ſtrenue ſe ac ſedulo operam daturos, concionibus, ſcriptis, privatiſque adhortationibus, ut Chriſtiani omnes intelligant nemini licere quovis praetextu vitae principis aut poteſtatis ullius inſidiari; qui contra ſenſerit, docuerit, feceritve, eum Chriſtianae doctrinae calumniatorem impium haereticumque eſſe.

Oblatum ſenatui decretum Sorbonae, ſyndicus, eo munere tunc fungebatur Enimundus Richerius, ex ſenatus reſcripto ad procurationis regiae tresviros detulit; eademque opera ſuggeſſit, Joannis Marianae, Clari Bonarſcii, ſeu verius Caroli Scribanii, Emmanuelis Sa Jeſuitarum ſcriptis, perfidae illius theologiae, veneno ſicaque graſſantis, elementa populo tradi; ſed praeſertim Marianae libro de regis inſtitutione primo Jacobum Clementem Henrici III paricidam impenſiore ſtudio laudari; concilii Conſtantienſis decretum, velut pontifici minus ratum, elevari. Igitur improba ſcriptoris Hiſpani narratione offenſi tresviri, eadem poſtulatione qua Sorbonae decretum ſenatus auctoritate ac juſſu promulgari, et in acta referri, poſtulatum ibant, Marianae quoque librum publice flammis a carnifice dari petiere. Heic in ſenatu nonnulli, ſtudio an ſimplicitate, in Jeſuitarum laudes effuſi, parcendum famae dicebant hominum bene de religione ac literis meritorum: alii verendum ne pontifex ſuccenſeret: alii Sorbonae decretum inconſulto epiſcopo vitio fuiſſe conceptum. E praeſidibus Antonius Seguierius ſubtiliore ſententia, videndum eſſe an ſenatus-conſultum ſuper impetrato Sorbonae decreto, quod rite quidem factum minime negabat, rite factum haberi poſſet: tum pro epiſcoporum auctoritate quam plurima adjecit eorum, quae jampridem, gliſcente Cleri ambitione, fuerant prodita. Pars multo major, ſalutem regis regnique ſupremam legem eſſe debere, doctrinam manifeſto pravam ac pernicioſam non ſine crimine diſſimulari: quae ſententia tandem, ſubeunte diſſentientes pudore, communis omnium fuit, dum ne Marianae nomini adderetur Hiſpani neque Jeſuitae. Itaque, facto ſecundum ea ſenatus-conſulto, ſexto Eid. Jun. decretum recitatur, in acta refertur, liber a carnifice in pervio [a] baſilicae Virginis diſcerpitur, crematur; librarii venalem habere vetantur: qui adverſus decreti doctrinam feciſſe aliquid arguentur, majeſtatis legibus ſubjiciuntur.

Regum corpora non efferri, niſi poſt dies ab exceſſu quadraginta, mos eſt. Id temporis curando funeri ſumitur: interea ad ipſum corpus theca plumbea compoſitum, effigie quaſi viventis ſuperimpoſita, ſedile regium ſtatuitur, quotidieque cibi ſumendi

INTERPR. [a] *Nôtre Dame.*

ſumendi horis menſa ſternitur; apponuntur fercula; familia regia eodem cultu ac ritu, quo vivente rege ſolebat, notis miniſteriis fungitur: poſt paulo, cibi auferuntur ac dividuntur egenis: ceterum diu noctuque ſacerdotes continuis precibus operantur. His igitur expletis VII Kal. Julias rex in [a] Longavillanis aedibus lugubria ſumpſit; indeque, ſubſequentibus agnatis aliiſque principibus viris, et aulici comitatus ordine longiſſimo proſequente, [b] Luparam ingreſſus, regium funus aquis ab ſacerdote procuratis luſtravit. Poſtridie Gulielmus [c] Potus Rodius ceremoniarum magiſter ducendi funeris diem ſenatui ceteriſque ordinibus indicit, ac reginae nomine, ut frequentes adeſſe velint, rogat. [d] Harlaeus, in ſenatu audito Rodio, haec prae lachrimis fari vix potuit: ſenatum tanti tamque deſiderati principis memoriae ſupremos honores, quantum poſſit ac debeat, maximos redditurum. Mox cum tintinnabulis praecones viginti quatuor exſequias proclamant ad III Kalendas proximas, nobiliſſimo potentiſſimo excellentiſſimoque principi Henrico Magno, Galliarum et Navarrae regi Chriſtianiſſimo auguſtiſſimo inviĉtiſſimo, magnanimitate et clementia incomparabili. Exin Magni cognomen defuncti nomini haeſit. IV Kalendas Julias praeſides ac ſenatores in togis nigris, e curia Palatina ad Luparam profecti, luſtrales aquas funeri adſpergunt; idem praeſtant et ceteri deinceps ordines. Poſtero die horam circiter a meridie primam ſenatus frequens in purpura, praecedentibus oſtiariis atratis, redit: aula, quam concilii dicunt, excipitur. Ibi, dum regis effigies incederet, opperiuntur: ea defuncti majeſtatem viventis habitu repraeſentat; hi juſtitiam nec in regis morte ceſſantem, ob id, ceteris atratis, purpuratam. Proceſſere igitur ordines urbici militares, juridici, religioſi, academici, mox aulici minores arma et inſignia regia praeferentes, epiſcopi complures; principum exterorum et pontificis legati, cardinales duo; ac demum paedagogiani regii, equitii magiſter, et regis in aperta lectica effigies, Salinarum bajulis ex inſtituto veteri ſuccollantibus: circa effigiem ſenatus in corona; turbatim ſequebantur togis velati funebribus agnati regii, ceterique principes et Sancti Spiritus equites, nobiles alii centum, ac denique ſatellitum praetorianorum centuriae. Heic vero ambitione praepoſtera ad effigiei pedes Henricus [e] Gondius Pariſienſis epiſcopus, et qui Perronii cardinalis piarum largitionum magiſtri vices agebat Carolus [f] Miro Andegavenſis epiſcopus, et ipſe mentis in regios magiſtratus iniquae, ordini purpurato ſeſe inſerunt atrati, derelicto corpore, quod et ratione muneris et exequiarum ritu ad ſepulturae miniſterium ſequi debuerant. Abſcedere moniti quum permanerent, ſubſtitit ſenatus ac totius adeo pompae ſequela. Locum tuebantur epiſcopi frivola ratione, quod ab ceremoniarum magiſtro ſe habere dicerent. Vocatus magiſter, miſit ex praeconibus ordinis Sancti Spiritus qui matriculam exhiberet funeris Henrici II typis editam a praecone, quem vocant, armorum, ſed homine rudi et imperito. Ea Pariſienſis epiſcopus, una cum magiſtro piarum, locum ad effigiem tenuiſſe dicebatur. Contradicebant acta ſenatus, et noviſſima in Caroli IX exequiis pompa. Matriculae autem vanitas eo maxime arguebatur, quod regis corpori, cui juſta illa fierent, locum tribuat nullum, ac ne ſub effigie quidem fuiſſe dicat, niſi quum in [g] baſilica Virginis depoſitum narrat. Excitus rumore Carolus Borbonius [h] Sueſſionis comes, domus regiae magiſter, controverſiae ſtatum cognovit, nec diremit, ambiguus favoris, non rationis aut juris. Jam ſol praecipitaverat, et in area Luparae diſputabatur; ac permultis grave admodum eſſe coeperat ſub diei ſerum ſtare diutius. Quare indeciſa lite incedunt cuncti; ſic tamen ut locus epiſcopis non ſatis conſtaret, ſenatus [i] actuario notariiſque ad effigiei pedes locum ſuum ſtrenue vindicantibus. Tandem perventum in B. Virginis templum;

INTERPR. [a] *Hôtel de Longueville.* [b] *le Louvre.* [c] *Guillaume Pot Sr. de Rhodes Grand Maiſtre des ceremonies.* [d] *le premier preſident de Harlay.* [e] *de Gondy evêque de Paris.* [f] *Myron evêque d'Angers repreſentant le Grand Aumônier.* [g] *Nôtre Dame.* [h] *de Soiſſons.* [i] *le greffier.*

templum; ubi, precibus de more concelebratis, deponitur. Funus in craſtinum differtur. Mane diei ſequentis praeſides ac ſenatores conveniunt in curiam. Illic repetita quaeſtio dignitatis et decori: acta denuo inſpiciuntur, et Joannis [a] Tilletii, quondam ſenatus actuarii, harum rerum peritiſſimi liber, et quidquid veteres memoriae ſuggerebant. Ubique fortiſſimum fuit argumentum, quo id evincitur, urbis epiſcopum regis eſſe curionem, cujus ad ſacerdotium pertineat ſacrorum circa regem curandorum adminiſtratio: ejus vero muneris eſſe corpus defuncti ſepulchro tradere; proinde ſequi proxime ipſum debere, non effigiem, quae non defuncti reliquias contineat, ſed viventis majeſtatem ſupremo juſtitiae pontificio regnantem ſignificet: hanc ideo magiſtratuum purpura cinctam fulgere, non ſenatus ſed regis ſplendori: ſubfuiſſe olim effigiei corpus; ob id epiſcopo locum tunc ad effigiem datum: poſtea, notato non convenire exequiarum rationi, funus ipſum, cui pompa fieret funebris, effigie viventis opertum diſſimulari, res diſtinctas ſeparatim haberi coepiſſe; corpus ab effigie, ſenatum ab epiſcopo, diſcretim: quapropter agendum hodierno jure, ac tribuendum cuique quod officio cujuſque congruat; ſepeliendum corpus, epiſcopo; juſtitiae dominantis vultum, ſenatui. Viſum igitur, epiſcopum denuo per optionem actuarii moneri, ne tam abſurda loci adfectatione ceremonias turbare pergeret. Mox itum ad laudationem defuncti; quam habuit in baſilica Virginis Philippus Coſpeanus, nuper [b] Aturentium ſacerdotio praepoſitus. Perlato ſenatus mandato epiſcopus, nota moratorum verſutia, ſcripti copiam ſibi fieri petiit; habere quae reſpondeat, ſed ſcripto. Interea [c] Eſpernonius proximus epiſcopo adfinis, aulico favore ſuperbus, et ingenio ſuopte legitimi dominatus impatiens, reginam occupat, objectaque epiſcopalis reverentiae nube purpuram ſenatus infuſcat; cancellario gaudente deprimi quos olim rerum ſuarum inſpectores fore provideret. Regina facilis, inaudito ſenatu, epiſcopi pertinaciam confirmat. Judicium perſcribi ſignarique, tanquam regis concilio comprobatum, Eſpernonius quum urgeret, cancellarius, vafritie deinceps uſitatiſſima, tutius cenſuit invidiam facti delegare reginae, ejuſque mandatu non ſcripto [d] Sueſſionis comitem jubere locum epiſcopo ad effigiem dari. Inſtante igitur deducendi funeris hora, quum ſenatus ad effigiem conveniſſet, ecce iterum [e] Gondius et Miro ambitioſi mandati fiducia, non ſecus ac parta de hoſtibus victoria feroces, ſeſe ad effigiei pedes obtrudunt, decretum concilii regii perſcriptum ſignatumque in ſinu ſecum habere praedicantes. Falſo id ab iis jactari ſciebat ſenatus, et graviter ferebat ſub regis nomine dignitatem auctoritatemque regiam violari; incedunt tamen, accenſiſque interpoſitu denſiore locum ſibi poſcentibus epiſcopi ciſpelluntur, tam aperto jure ut inciperent eſſe ludibrio ſpectantibus. Tunc affirmato veſtigio conſiſtunt, totuſque adeo ſenatus. Interea vero Eſpernonius ad [f] comitem reginae mandata detulerat, animo principem magno, ſed plerumque imperioſiſſimo, praeterea ſubirato, quod ſui non longiſſime abſentis ſenatus in regni tutela conſtituenda rationem non habuiſſet. Is vindictae occaſione fervidus, adducta de regio ſatellitio cohorte, verbis aſperrimis inſtitit, epiſcopos ad effigiem incedere oportere; reginam ſic velle, ſic jubere. Opponenti cuidam, non perſuaderi ſenatui reginam damnaſſe inauditos, Scito, inquit, rem eſſe judicatam, neque retractari. Nihilominus tamen ſenatus permanebat in veſtigio quietus. Comes ira percitus, rem capitis ſibi eſſe ait, ni regia juſſa, uti rata ſint, exſequatur; et eſſe abſque mora parendum. Cumque dicto elata voce armatis imperat mandata perficiant: accedunt armati, manum ſenatori proximo injiciunt Paulo Scaroni. Tunc effigie relicta ſeceſſit ſenatus: ſolus permanſit e praeſidibus Antonius Seguierius, Eſpernonio veteris amicitiae nexu addictiſſimus. Ceteri omnes vim fieri querebantur, et

INTERPR. [a] *du Tillet greffier du parlement.* [b] *eveſque d'Ayre.* [c] *le duc d'Eſpernon.* [d] *de Soiſſons.* [e] *de Gondy & Myron eveſques de Paris & d'Angers.* [f] *le comte de Soiſſons.*

et extitit in ſenatorum turba qui diceret, fore, quum ex actis curiae prodiret ſenatus violati memoria. Comes dicto minaci vehementer inflammatus reſpexit, auctoremque truci vultu quaeſivit enixe ; nemo prodidit. Paulum ſedato alius comiter, Te ipſum, inquit, olim dignitatis imminutae ſenatus habebit ultorem ; cognitaque juris qua de agitur praerogativa, dices injuſte negatum. Subito mutatus comes, Et ſum veſtrae, ait, auctoritatis cultor, et me talem vobis probare magnopere volo ; ſed quid facerem ? Regia juſſa minime exſequi mihi non licet. Igitur, inito ſtatim conſilio, ſenatus cenſuit ſeceſſione ſua ſe auſpicium novo regi daturos non bonum, regnique rebus improviſo maximi regis caſu concuſſis aliquid addituros periculi ; praeſtare igitur ad obſequium cogi, quod injuſtum eſſe ſatis oſtenderint, quam intempeſtiva conſtantia facem praelucere factioſis. Quare ad effigiem cuncti redeunt, inceduntque ; epiſcopis uſurpati loci ſpatium male retinentibus, ac tantum non arceri ſe ac propelli indignantibus. Iter erat ad [a] Dionyſii fanum, regum ſepulchris nobile : jamque ad Lazari praegreſſa pompa pervenerat, et conſtiterat funus ad ſupplicationes certas, quas ab epiſcopo concipi ritus exſequiarum poſcebat. Quaeſitus ille, quaeſitus in ejus vicem piarum largitionum magiſter : uterque, dum circa effigiem perperam morantur, officio defuere. Mox et incidit aliud aeque probroſum utrique. [b] Dionyſianos ſodales fratres obviam funeri progreſſos regis corpus ſuſcipere, epiſcopo tradente, ac defunctum Chriſtianae fidei ſacra coluiſſe ſpondente, regiorum funerum praeſcripta dictabant : iterum defuit qui traderet, qui ſponderet, epiſcopus. Ludovicus [c] Hoſpitalius Vitrius ſtipatorum praefectus epiſcopi vicem fungi neceſſe habuit, tradidit, ſpopondit. Sodales fratres ad Dionyſii deduxere. Illic ſacris veſpertinis in multam noctem praefuit [d] Jouſa cardinalis. Die ſequenti ad honores et officia ſuprema rediere cuncti. Laudavit defunctum Carolus [e] Miro ; Jouſa cultu pontificali ſacra ſolemnia perfecit : aulici nobiles ſelecti Henrici corpus condidere ſepulchro. Subinde ſenatus ceterique ordines in aulam deducuntur convivio paratam. Menſae ibi tres omnino fuere : prima comiti ac praecipuis infra principes, qui ſeorſim excipiebantur, magnatibus : ſequens aſſignata ſenatui : tertia rationum magiſtris ac ceteris. Conſumptis epulis, comites ſymphoniaci Pſalmum C cecinere ; hac etiam parte neglecto majorum more, qui nonnihil ad regiae majeſtatis cultum facere judicabant, [f] piarum largitionum magiſtrum ad menſam ſenatus gratias Deo dicere, ibidemque [g] magnum domus regiae magiſtrum inſigne magiſterii ſui rege ſepulto conditoque conſummati baculum frangere ; mox alio recepto, jubere novo regi per praeconem, longum vivere acclamari. His igitur non rite peractis, domum quiſque conceſſit ; haud ambiguo ſenſu imminutae ac violatae dignitatis.

INTERPR. [a] *S. Denis.* [b] *les Religieux de l'Abbaye de S. Denis.* [c] *de l'Hoſpital Sr de Vitry capitaine des Gardes du Corps.* [d] *de Joyeuſe.* [e] *Myron evêque d'Angers.* [f] *le Grand Aumonier.* [g] *M. le comte de S. Paul repreſentant le Grand Maitre.*

*F I N I S.*

# INDEX *Latino-Vernaculus* Nominum Propriorum
## *Quae in* Nic. Rigaltii *de Rebus Gallicis libris occurrunt.*


A

Albinius, *d'Aubigny*, (Jac.) Jeſuita Ravallacum animi ſui mentem aperientem in confeſſione audit, p. 490. cum parricida commiſſus rem pernegat, 491

Allincurius. *Vide* Neovilla.

Andegavensium, *d'Anjou*, dux (Gaſto) natus, 452

Aurelianensium, *d'Orleans*, dux natus, 444

Aurelianensis, *d'Orleans*, (Franc.) Sanpauli comes, Fronſaci dux et Franciae Par creatus, 457

Austriacus, *d'Autriche*, (Leopoldus) Juliaco praefectus, 475

Austrius, *d'Autriche*, (Albertus) Belgii princeps de pace cum Ordinibus foederatis agit, 461. de induciis cum iis tranſigit, 463. Richardotum ad Henricum iv legat de Juliaco occupato acturum, 475

Azebedius Fontanus, *de Açevedo comte de Fuentes*, (Pet. Enriques) Mediolani prorex ſe Mediolanenſibus inviſum aſperitate reddit, 452. Condaeum excipit, 481. et a conſilio Romam ſecedendi divertit, 482

B

Baioarus. *Vide* Neoburgicus.

Baronius (Caeſar) cardinalis obit. Ejus elogium et exequiae, 448

Belgii foederati Ordines cum Henrico Gallo et Jacobo Anglo foedus ineunt, et de pace cum Hiſpano agunt, 459. de ſupremo ipſorum in provincias ſuas imperio diſputant, 461. et de commercii Indici libertate, 462. de induciis tranſigunt, 463

Bellevreus, *de Bellievre*, (Pomponius) Franciae cancellarius obit, 448

Bethuna Sullius, *de Bethune duc de Sully*, (Maximilianus) armamentarium inſtruit gazamque regiam auget, 443. magnus viarum Franciae curator creatus, 457

Borbonius Condaeus, *de Bourbon prince de Condé*, (Henricus) Carolam Margaritam Momorantiam uxorem ducit, 470. cum uxore Bruxellas profugit, 479. Mediolanum adit, profectionis cauſis ſcripto edito explicatis, 480. a Fontano perſuaſus Romam ſecedere detrectat, 482

Borbonius, *de Bourbon*, (Henricus) Monpenſeriae dux obit, 451. ducatus et pariatus dignitate ejus filiae Mariae continuata, 457

Borbonius (Car.) Sueſſionis comes domus regiae magiſter, in regiis exequiis Pariſienſi epiſcopo et eleemoſynario magno locum ad regis effigiem perperam dat, 496. ſenatus dignitate violata, 497

Bossizius. *V.* Thumerius.

Brandeburgicus (Erneſtus) Clivenſem et Juliacenſem ditiones jure hereditario ſibi vindicat, 474. cum Neoburgico amice tranſigit, 475. cum Henrico iv foedus init, 477

Brulartus Sillerius, *Brulart Sr de Sillery*, (Nic.) Franciae cancellarius creatus, 448. in ſenatu Pariſienſi verba facit, 488

Bulio, *de Bullion*, (Claud.) a rege legatus foedus cum Sabaudiae duce init, 478. Condaeum ut Mediolano relicto Romam ſecederet per emiſſarios ſollicitat, 481. a regina ad ſenatum Pariſienſem cum mandatis miſſus, 486. Ravallacum interrogat, 486

Butillerius, *Bouthillier*, (Dionyſius) S. Romani privilegium a Rotomagenſibus falſo obtentum, aliaque de S. Romano commenta, refutat et evertit, 445

C

Camplanius, *de Champlain*, e Canada Galliam redit, 450. Canadam redit, 471. Quebecum adit, *ib.* Taduſſacenſibus contra Irocoſios auxilia fert, 472. Irocoſiis caeſis in Galliam redit, 473

Canadae deſcriptio et incolarum mores, 449, 471

Clivensis, *duc de Cleves*, (Jo. Gul.) obit, controverſia de ejus ſucceſſione orta, 474

Clusii, *de l'Eſcluſe*, (Car.) obitus et elogium, 467

Caevreus. *V.* Eſtraeus.

Condaeus. *V.* Borbonius (Henricus.)

Contisforza Segnius, *Sforza duc de Segni*, (Alex.) S. Spiritus torque ab Allincurio Romae magna pompa inſignitus, 455

Creightonus, *Creighton*, (Georgius) ſententias pontificis Romani temporalem in eccleſiae patrimonio poteſtatem affirmantes, ejuſdemque auctoritatem ſpiritualem ampliantes, diſputationi proponens a ſenatu Pariſienſi prohibetur, 444. ſevere admonitus, 445

D

Dioptrae in Belgio primum fabricatae, 465. a Gal. Galileo adauctae, 466

Duellorum origo, 468. edicto ſevero condito prohibitio, 469

E

Edictum regium juſtitiae tribunal in quaeſtores inquirendi cauſa inſtituens conditur, mox revocatum, 443. Alibi-natorum legem quoad Genevenſes cives in Gallia decedentes abrogans, 457. internecina vadimonia et privatas ad certamen provocationes prohibens, 468

Estraeus, *d'Eſtrées*, (Fr. Annibal) Caevrae marchio a rege ad archiduces legatus Condaeum remitti poſtulat, 480

F

Faber, *le Fevre*, (Nic.) Condaei praeceptor ejus ex aula fugam luget, 480

Fontanus. *V.* Azebedius.

Fuentezius. *V.* Azebedius.

G

Galileus (Gal.) dioptricas machinas in aſtronomicos uſus concinnat, 466

Gallia factionibus ſciſſa, 483

Galliae rex. *Vide* Henricus iv.

Genevenses cives in Gallia decedentes bonorum ex Alibi-natorum lege confiſcatione exempti, 457

Germaniae principes foedus cum Henrico iv de Clivenſi et Juliacenſi ditionibus ineunt, 476, 477

Gondius, *de Gondy*, (Henr.) Pariſienſis epiſcopus in regis funere de loco diſputat, 495

Gonterius, *Gonthery*, Loiolitanus ob concionandi intemperiem a rege increpatus, 482

Gonzaga Nivernius, *duc de Nevers*, (Car.) a rege ad pontificem legatus magna pompa excipitur, 455. Clivenſem ditionem tanquam heres maſculus proximior vindicat, 474

Grotius (Hugo) maris et Indici commercii libertatem libro edito aſſerit, 462

H

Harlaeus, *de Harlay*, (Achilles) rege interfecto, ſenatores Pariſienſes in curiam convocat, de regni regimine et regis tutela deliberaturos, 485. orationem habet, 488. Ravallacum interrogat, 490

Henricus iv Galliae rex in quaeſtores et regiae pecuniae diſpenſatores inquirit, edicto condito, quod tamen mox revocat, 443. Navarrae omniaque ſua ante regnum Galliae adeptum domania, Vindocinenſi ducatu excepto, in unum corpus coronae Gallicae coaluiſſe, edicto declarat, 444. a Sabaudiae duce ad Mediolanum recuperandum incitatus, 452. de bello deliberat, 453. legatum Hiſpanum excipit, et re infecta dimittit, 454. Nivernium ad pontificem legat, 455. Genevenſium civium in Gallia decedentium bona heredibus edicto addicit, Alibi-natorum lege in eorum gratiam abrogata, 457. foederatos Belgii Ordines ſubſidio juvat, 458. foedus cum iis init, 459. Joannitis fratribus noſocomii in Lutetia curam permittit, 467. duella et privatas ad certamen provocationes edicto vetat, 469. in controverſia de Clivenſi et Juliacenſi ditionibus Brandeburgico et Neoburgico favet, auxiliaque ſpondet, 476. Thumerium Boſſizium ad Germaniae proceres mittit, et cum iis foedus

foedus init, *ib.* eos de Caeſareo imperio in aliam quam Auſtriacorum familiam transferendo ſolicitat, 477. de filiae Eliſabethae cum Subalpino principe nuptiis, et de foedere cum Sabaudo tranſigit, 478. Annibalem Eſtraeum ad archiduces legat, Condaeum remitti poſtulans, 480. ad bellum in Inſubribus movendum parat, 481. reginam uxorem coronari facit, 483. a Ravallaco interfectus, 484. vulneris ratio, 489. cor Flexiae in Andibus in Jeſuitarum templo depoſitum, 490. de ejus caede opiniones variae, 492. funeris ritus, 495. in Sandionyſiano templo ſepultus, 497.

HISPANIAE rex. *V.* Philippus.

Hyems in Gallia aſperrima, 457

J

JANINUS, *de Jeannin*, (Petrus) ab Henrico IV ad foederatos Belgii Ordines legatus, 458. conveniendi formulam inter Ordinum et Archiducum delegatos perſcribit, 460. ad Ordines verba facit de ipſorum imperio et Indico commercio, quae Ordines ſibi vindicarunt, 461. Romano-Catholicis ſub Ordinum imperio degentibus conveniendi ad Dei cultum libertatem urget, 464. et indulgentiam tacitam impetrat, 465. Ravallacum interrogat, 486

JESUITAE patres Benearnenſis ſenatus conſulto ea ditione excluſi, 451. in eam tandem admiſſi, 452

JOUSA, *de Joyeuſe*, (Henricus) Buchagii olim comes, in Capucinorum familiam tandem adoptatus, obit, 452

JOUSA cardinalis in regis exequiis ſacra perficit, 497

IROCOSIORUM, *les Yroquois*, mores, et terrae deſcriptio, 473. exercitus a Camplanio fugatus, 473

JULIACENSIS, *de Juliers*, dux (Jo. Gul.) obit, magna de ejus hereditate controverſia orta, 474

JULIACUM, *Juliers*, a Caeſarianis occupatum, Leopoldo Auſtriaco urbi praefecto, 475

K

KEPLERUS diſſertationem de dioptris et planetis edit, 466

L

LANCESCIUS, *Lanceſque*, (Barthol.) ſe Barthol. Borgheſium pontificis ex fratre nepotem aſſerens, damnatur et morti traditur, 456

LOTHARINGUS, *de Lorraine*, (Carolus) Caroli Lotharingiae ducis filius Argentinae epiſcopus obit, 448

LOTHARINGA, *de Lorraine*, (Franciſca) Mercuriani ducis filia Caeſari Vindocino nupta, 470

LOTHARINGUS (Lud.) archiepiſcopatu Remenſi donatus in ſenatum Pariſienſem admittitur, 487

M

MARGARITA VALESIA, *de Valois*, regina, Henrici IV olim uxor, Delfinum bonorum ſuorum in Arvernis et per Galliam heredem inſtituit, 467

MARIANAE (Joannis) tractatus ſeptem Romae colore quodam cenſura notati, 470

MEDICEA, *de Medicis*, (Maria) Galliae regina filium ducem Aurelianenſium dictum parit, 444. mox et Gaſtonem Andegavenſium ducem, 452. filiam Henricam Mariam parit, 470. in Dionyſiano fano coronata, 483. regis tutelam regnique adminiſtrationem ſuſcipit, 486. in ſenatum Pariſienſem venit, 487. orationem brevem habet, 488. regni procuratrix, rege in lectiſternio ſedente, renunciata, 489

MIRO, *Myron*, (Car.) Andegavenſis epiſcopus, regii eleemoſynarii vices agens, in regis funere de loco controverſiam movet, 495. et perperam obtinet, 496. regem defunctum laudat. 497

MOMORANTIA, *de Montmorency*, (Carola Margarita) Henrici equitum magiſtri filia Henrico Condaeo nupta, 470. cum marito Bruxellas profugit, 479

MONPENSERIUS. *V.* Borbonius (Henr.)

MONTIUS, *du Mont*, in Canadam navigat, 449. et coloniam deducendam ſuſcipit, 470

MOTA PEHUTUS, *Pehu dit la Mothe*, (Gul.) Fr. Momorantii Haloti caedis reus in jus vocatur, S. Romani privilegio fruſtra obtento, et a judicibus damnatur, 445

N

NASSOVIUS, *de Naſſau*, (Mauritius) Gul. Arauſionenſis filius Belgii foederatos Ordines a pace dehortatur, 460

Navigatio Potrincurii in Canadam, 449

NEIUS, *Ney*, (Joan.) Franciſcanus ex Hiſpania tandem redit, 462

NEOBURGICUS BAIOARUS, *de Baviere duc de Neuburg*, (Wolfang. Gul.) ducatum Juliacenſem et Clivenſem ditionem jure hereditario ſibi vindicat, 474. cum Brandeburgico amice tranſigit, 475

NEOVILLA ALLINCURIUS, *de Neufville Sr d'Allincourt*, (Car.) Romam legatus Sforzam Segnium et Urſinum Sangeminium S. Spiritus torque ſolemni pompa inſignit, 455

NIVERNIUS. *Vide* Gonzaga.

NOGARETIUS VALETA, *Nogaret de la Valette*, (Jo. Lud.) Eſpernonii dux, rege interfecto, Lutetiae praecipua loca praetoriano milite firmat, 484

NOZETIUS, *de Noizet*, (Gul.) Aumaliae abbas cum Condaeo de ejus in Galliam reditu agit, 481. eum ut Romam ſecederet irrito hortatur, 482

P

PEHUTUS. *Vide* Mota.

PHILIPPUS III Hiſpaniae rex legatum ad regem mittit, de infantis cum Delfino nuptiis acturum, 454. Archiducum nomine de induciis cum Belgii foederatis Ordinibus tranſigit, 463. Condaeum e Gallia profugum promiſſis ingentibus ineſcatur, 481

PINGREUS, *Pingré*, (Gul.) ſtellionatus reus peractus remigio perpetuo damnatur. 467

POTRINCURIUS, *de Poitrincourt*, in Canadam navigat, 449. ibi hyemat, 450

Q

QUEBECI, *Quebec*, deſcriptio, 471

R

RAPINI, *Rapin*, (Nic.) obitus et elogium, 457

RAVALLACUS, *Ravaillac*, (Franc.) Henricum IV interficit, 484. interrogatus et tormentis ſubjectus nihil aperit, 486. pauca confitetur, 490. extortus neminem ſe habere conſcium conſtanter affirmat, tandem quatuor equis diſcerpitur, 492

Regina. *Vide* Medicea.

RODOLFUS imperator Germanicus Juliacum occupat, legatumque ad Henricum IV mittit, 475

S. ROMANI, *S. Romain*, privilegium a Rotomagenſibus falſo obtentum juris via diſceptatum exploditur, 445. fabulae de eo commentae origo, 446

ROZA, *Roze*, (Ant.) Silvanectenſis epiſcopus cum eccleſiae ſuae canonicis de epiſtolarum dimiſſoriarum jure litem habet, 446. ſenatu Pariſienſi ſecundum canonicos pronunciante, rem ad epiſcoporum ſynodum defert, et cenſoriam in canonicorum patroni ſcriptum ſententiam obtinet: mox ob id a ſenatu citatus et cenſura notatus, 447

S

SABAUDIAE, *Savoie*, dux (Car. Emmanuel) Henricum IV ad Mediolanenſem principatum recuperandum incitat, vires ſocias ſub conditionibus pollicitus, 452. filiarum cum Mantuano et Mutinenſi ducibus nuptias celebrat, 453. cum rege de Subalpini principis cum Eliſabetha regis filia nuptiis et de foedere tranſigit, 478

SANGEMINIUS. *Vide* Urſinus.

SCALIGERI, *della Scala*, (Joſephi) obitus et elogium, 466

SEGNIUS. *Vide* Contisforza.

Senatus Pariſienſis G. Creightonum pontificis Romani auctoritatem ampliare ſatagentem cenſura notat, 445. contra

contra S. Romani privilegium commentis ridiculis nixum pronunciat, 446. lite inter Silvanectenſes canonicos et epiſcopum mota, Gallicanae eccleſiae libertates vindicat, et epiſcoporum ſynodi ſententiam irritam declarat, 447. de foeminarum obligationibus edictum ſancit, 448. ſenatus-conſultum adverſus Joan. Caſtellum parricidam Romae cenſura notatum, 470. regis tutelam et regni adminiſtrationem ad reginam pertinere declarat, 485. de ordine ſedendi diſputatione orta, pares eccleſiaſticos ad regis ſiniſtram conſcendere cenſet, 487. Sorbonae decretum regum et tyrannorum caedem quovis praetextu illicitam pronuncians promulgat, et Marianae librum damnat, 494. in regis exequiis de loco ad regis effigiem cum Pariſienſi epiſcopo et eleemoſynario magno diſputat, 495

SILLERIUS. *Vide* Brulartus.

SORBONICI Doctores regum ac tyrannorum caedem illicitam pronunciant, et, Conſtantienſi de ea re decreto renovato, in ejus verba theologiae doctores et diſcipulos quotannis ſolemni ſacramento jurare decernunt, 494

SUESSIO. *Vide* Borbonius (Car.)

SULLIUS. *Vide* Bethuna.

T

THUANI, *de Thou*, (Jac. Aug.) Hiſtoriarum opus Romae a factioſis cenſoribus inter libros improbatae lectionis proſcribitur, 470. ipſe a rege de Condaei conſiliis et fuga interrogatus, 480. a ſenatu Pariſienſi delegatus ad reginam S. C. eam Galliae regentem declarans perfert, 486. Sorbonicae ſcholae ſententiam Conſtantienſiſque ſynodi decretum contra regum ac tyrannorum percuſſores renovari cenſet, 493

THUMERIUS BOSSIZIUS, *Thumery Sr de Boiſſiſe*, (Joan.) in Germaniam a rege legatus foedus cum principibus init, 476

TOLETANUS, *de Tolede*, (Petrus) a Philippo Hiſpano ad regem legatus, 454

V

VALESIA, *de Valois*. *Vide* Margarita.

VALETA. *Vide* Nogaretius.

VINDOCINUS, *duc de Vendoſme*, (Caeſar) Franciſcam Lotharingam, Mercuriani ducis filiam, uxorem ducit, 470

URSINUS SANGEMINIUS, *Orſino duc di Santo-Gemini*, (Jo. Ant.) S. Spiritus torque ſolemni pompa Romae inſignitus, 455

# INDEX *Vernaculo-Latinus* NOMINUM PROPRIORUM

## Quae in NIC. RIGALTII de Rebus Gallicis libris occurrunt.

*d'* AÇEVEDO, Azebedius.
*d'*ALLINCOUR, Allincurius.
*d'*ANJOU, Andegavenſis.
*d'*AUBIGNY, Albinius.
*d'*AUTRICHE, Auſtrius.

BAVIERE, Baioarus.
BELLIEVRE, Bellevreus.
BETHUNE, Bethuna.
BOURBON, Borbonius.
BOUTHILLIER, Butillerius.
BRULART, Brulartus.
BULLION, Bulio.

CHAMPLAIN, Camplanius.
CHAEUVRES, Caevrius.
CLEVES, Clivenſis.
CONDE, Condaeus.
CREIGHTON, Creightonus.

*de l'*ESCLUSE, Cluſius.
ESPERNON, Eſpernonius.
ESTREES, Eſtraeus.

*le* FEVRE, Faber.
FUENTES, Fontanus.

GONDY, Gondius.
GONTHERY, Gonterius.

HARLAY, Harlaeus.

JEANNIN, Janinus.
JOYEUSE, Jouſa.
JULIERS, Juliacum.

LANCESQUE, Lanceſcius.
LORRAINE, Lotharingus.

*de* MEDICIS, Medicea.
MONTPENSIER, Monpenſerius.
*du* MONT, Montius.
MONTMORENCY, Momorantius.

*la* MOTHE, Mota.
MYRON, Miro.

NASSAU, Naſſovius.
NEUBURG, Neoburgicus.
NEVERS, Nivernius.
NEUFVILLE, Neovilla.
NEY, Neius.
NOGARET, Nogaretius.
NOIZET, Nozetius.

*d'*ORLEANS, Aurelianenſis.
ORSINO, Urſinus.

PEHU, Pehutus.
PINGRE, Pingreus.
POITRINCOURT, Potrincurius.

QUEBEC, Quebecum.

RAPIN, Rapinus.
RAVAILLAC, Ravallacus.
ROMAIN, Romanus.
ROZE, Roza.

*di* SANTO GEMINI, Sangeminius.
SAVOIE, Sabaudia.
*della* SCALA, Scaligerus.
*de* SEGNI, Segnius.
SILLERY, Sillerius.
SOISSONS, Sueſſio.
SULLY, Sullius.

THOU, Thuanus.
THUMERY, Thumerius.
TOLEDE, Toletanus.

*la* VALETTE, Valeta.
VALOIS, Valeſia.
VENDOSME, Vindocinus.

*les* YROQUOIS, Irocoſii.

# EPITOMARUM SERIES:

## Sive totius THUANI OPERIS HISTORICI

## REPERTORIUM.

### LIB. I.

PRIMO libro, qui praefationis alterius loco eſt, rerum toto orbe ſtatus breviter ſub aſpectum ponitur. Francorum et Hiſpanorum, penes quos rerum arbitrium erat, vires et conſilia explicantur. II. Irrita Caroli VIII in Italiam expeditio. Ferdinandi Arragonii aſtus in ſolicitando Ludovico XII ad bellum gentilibus ſuis in regno Neapolitano movendum, inſtigante Alexandro VI, qui ex Italiae turbis opes ſuis quaerebat. Partitio regni Neapolitani inter Ludovicum et Ferdinandum. Ferdinandus Calabriae dux, Friderici regis qui in Galliam ſe receperat filius, contra fidem a F. Conſalvo Cordubenſi datam retinetur, et in Hiſpaniam ſub cuſtodia mittitur. Bellum inter reges novi regni poſſeſſores; quod, amiſſa ea parte quae Ludovico obvenerat, per inducias compoſitum eſt; ſecutis mox Germanae a Fuxo Ludovici neptis cum Ferdinando Arragonio nuptiis, cum Iſabella Caſtellenſis prior uxor paulo ante e vivis exceſſiſſet. Joanna filia utriuſque et heres Philippo Auſtriae archiduci elocata fuerat; qui, quanquam a ſocru adminiſtrationis regnorum procurationem extremis tabulis viro attributam ſciret, controverſiam de ea inſtigatu uxoris ſocero moverat: qua re factum, ut Ferdinandus adverſus generum ſibi gratia Ludovici opus eſſe ad tempus exiſtimaret. Utriuſque regis Savonae congreſſus. Conſalvus Cordubenſis a Ludovico rara humanitate menſae adhibitus, Ferdinandi manifeſto livore, qui Cordubenſi malam gratiam rependit; et mox Ludovico, contra quem alterum generum Henricum VIII Angliae regem ſuſcitavit; et accenſo bello, diſcordiis inter Acromontanos et Bellomontanos in Navarrae regno exaſperatis, regni injurioſe, Joanne Labretano expulſo, invadendi occaſionem arripuit. Pugna ad Ravennam ipſo reſurrectionis Dominicae die commiſſa; in qua Gaſto a Fuxo victor cecidit, et partae victoriae fructum corrupit, amiſſo mox Mediolano, et ſecuta ſanguinaria ad Novariam pugna. III. Initia Hiſpanici imperii parva et obſcura, quae in immenſum creverunt ſub Ferdinando et Iſabella, aperto novo per Indias in occidente orbe, cujus veſtigandi noſtrates Belgae principium diu ante fecerant; et per adfinitates, Belgio cum Hiſpaniis conjuncto; et ad extremum imperiali accedente dignitate, vireis Germania communicante. IV. Gallici contra ſeu Francici illuſtris ab initio origo ſub Romanis florentibus, et in occaſu imperii. Carolovingi Italiae potentes, exſtincto Langobardorum imperio. Reges Neapolis et Siciliae ex Normanniae ducibus prognati. Ex Francis reges per CCCC annos continua ſerie in Anglia Plantagenetae rerum potiti; cum ante illos Gulielmus Normanniae dux eam, et filii ejus ordine, et Stephanus Bloeſenſis tenuiſſent. In Palaeſtinam expeditiones a Godofrido, Euſtochio, Balduino fratribus ſub Philippo I ſuſceptae. Henricus rex Caſtellae, Petro caeſo a Bertrando Gueſquinate, Caroli V auſpiciis conſtitutus; a quo ſucceſſionis jus ad Iſabellam pervenit. Francis deſinentibus, Hiſpani inceperunt. V. Incrementi eorum cauſae. VI. Ludovici detrimentoſa ac propudioſa cum Borgiis foederatio. Julii II ingratitudo, et coacta contra eum a Ludovico ſynodus, in qua juxta Conſtantienſe decretum in caput et in membra anquireretur. Morte Julii ſecuta, cum Leone X rex pacificatur, et mox cum Anglo, Maria Henrici VIII ſorore poſt Annae Britanniae obitum in

Tom. I. uxorem ducta. Ludovicus mortuus Kal. Jan. anni CIƆ IƆ XV ſummo ſuorum deſiderio, a quibus Patris Patriae nomen, inſuper et communi omnium nationum conſenſu Juſti cognomentum promeruit. VII. Ei Franciſcus gentilis et gener ſucceſſit: cujus felix prima in Italiam expeditio, et ſecuta ſtatim cum pontifice reconciliatio, addito pignore et tranſlato in regem electionis ſacerdotiorum jure. VIII. Tum promulgatae per Germaniam indulgentiae, quae Martino Luthero Auguſtiniano res per conciones miſcendi occaſionem dederunt: obſervatumque, eodem anno, quo ſacrae electiones ſublatae ſunt, majorem Germanorum partem a pontifice defeciſſe. IX. Biennio poſt Carolus Hiſpaniarum rex poſt mortem avi Maximiliani Caeſar electus eſt, qui ſtatim edictum Wormatiae contra Lutherum propoſuit. Amiſſum a noſtris Mediolanum: et Leone ſub id decedente, raro coeleſtis favoris ad Carolum inclinantis indicio, Hadrianus ejus praeceptor abſens in pontificem electus eſt. X. Nec multo poſt, averſae a nobis fortunae pari indicio, Carolus Borbonius a rege defecit. Cauſae explicantur. XI. Infelix ad Papiam obſidio et regis captivitas: quo factum, ut ejus calamitas in miſericordiam verterit, et Clemens VII ex ea occaſionem ceperit foederis clandeſtini contra Caeſarem ineundi: quam injuriam Caeſar ultus eſt, et urbis direptione, et abolita per Hiſpaniam pontificia ad tempus auctoritate. XII. Secundum haec, poſtquam Galli tota Italia excluſi ſunt, Caeſar Auguſtae comitia religionis negotio indixit: et paulo poſt celebratae Maſſiliae Henrici Aureliani ducis et Katharinae Mediceae nuptiae: reſque ad annum uſque XXXVI quieverunt, quo per cauſam Mirabelli ſupplicio indigne a Franciſco Sfortia adfecti bellum exarſit. XIII. Sabaudia Franciſci Borbonii fani Pauli comitis, et Philippi Chabotii maris praefecti, ductu occupata. XIV. Caeſaris irrita in Provinciam expeditio; quam lamentabilis Franciſci Delphini mors ſecuta eſt; et mox induciae inter Caeſarem et regem pactae, quibus durantibus Caeſar ad motus Gandenſium componendos per mediam Franciam in Belgium deſcendit, ubique magna pompa ac praecipue Lutetiae exceptus. XV. Cum promiſſa non repraeſentarentur, bellum recruduit CIƆ IƆ XXXIX. Irrita Henrici Delphini ad Perpinianum expeditio; felicior Caroli in Lucemburgenſi principatu; quibus intervenit Rupellanorum ob rem ſalinariam ſeditio, moderatione ſumma pro temporum ratione compreſſa. Franciſci Borbonii Anghiani ad Cerizolium victoria. Secutum Crepiaci foedus, cui Anglus ſtare noluit. XVI. Anglicanae ſciſſurae origo ob repudium Katharinae Arragoniae et Annae Bolenae matrimonium. Abolita in Anglia et Hibernia pontificia prorſus auctoritate, Henricus rex caput eccleſiae declaratur: in ceteris nihil in doctrina mutatum. XVII. Geldriae principatus, Carolo Egmondano ablatus et Clivenſi attributus, a Caeſare vindicatur. XVIII. Daniae rex Chriſtiernus II, Joannis filius, Chriſtierni I nepos, paternis veſtigiis inſiſtens Sueciae regnum invadit, et crudeliter vaſtat, edita Stocholmiae immani laniena; ob quam non ſolum Suecis inviſus, ſed proprio regno ejectus, exſtincta etiam maſcula ſobole periit. Fridericus patruus in Danico, Guſtavus Erici filius Suecico regno inaugurati. XIX. Motus ob religionem in Germania, et ſecreti ad bellum paratus, cui praeluſerunt ruſtici et Anabaptiſtarum fanatici duces; dein et Suevicum contra Ulricum Wirtembergicum initum foedus, ac poſtremo Brunſvicenſe. XX. Concilium, inſtante Caeſare, primum Mantuae indictum, ac poſtea Tridenti. XXI. Motus ob religionem inter Helvetios, commiſſaque pugna poſt fruſtra tentatam noſtrorum interventu concordiae viam; Tigurini victi, occiſo in primis ordinibus Huldrico Zuinglio: ſed victoriae Quinquepagicorum is exitus fuit, ut pacem ſibi deinceps colendam exiſtimarent. XXII. Poloniae ſtatus. In Boruſſia mutandae religionis ratio, et principatus in Brandeburgica familia firmandi. XXIII. Hungariae item ſtatus; ubi poſt Ludovicum ad Mogacium caeſum Joannes Zapolia Daciae princeps controverſum in ea jus deinceps Auſtriacis fecit. XXIV. Turcica a Selimi temporibus et Aegypto ſubacta, ad annum XLII praetexuntur. XXV. Italiae ſtatus. Veneti nutantes. Genuenſis reſpublica in aere Caeſaris. Senenſes metu Florentinorum patrocinium alienum quaerentes. Florentini ipſi principem a Caeſare accipiunt. Mediceae familiae in Etruria dominatus origo, et ſucceſſus. Joannis Coſmi patris mors. Ateſtinorum Ferrariae principum fatum.

faſum. Mantuae duces Montisferrati principatus potentes. Roboreorum gentis origo, et in Urbini principatu ſucceſſio; Camertium item, quos Varani potiti fuerant, adjectio, ipſis poſtea a Paulo III ademptorum. XXVI. Navigationes ad Indiae occidentalis veſtigationem a Chriſtophoro Columbo et Americo Veſpucio ſuſceptae. Eodem tempore P. Alvares Capralis Braſiliam, et Jo. Pontius Legionenſis Floridam aperuit. Tum Ferdinandus Magellanus in orientem tendens fretum a ſe dictum enavigavit. Terra ignea. Hiſpanorum in India occidentali, Luſitanorum Emmanuelis regis auſpiciis in orientali, ſucceſſus et res geſtae. XXVII. Ad res noſtras reditum. Poſt Crepiacam pacem Bononia ab Anglis capta. Odoardi Bieſii, et Jacobi Cuciaci Vervinii generi, res infeliciter geſtae. Regis in Angliam irrita expeditio. Franc. Lotaringus Aumalius ad Bononiam ingenti vulnere ſauciatus, cum conſtantia ſumma ac fortitudine ictum ſuſtinuiſſet, praeter chirurgorum ſpem convaluit. Carolus Aureliani dux Ferdinando Romanorum regi gener deſtinatus, ad Firmum monaſterium lue peſtilenti exſtinctus. TOM I.

## LIB. II.

PRINCIPIUM operi a bello Germanico factum. II. Germaniae antiqui et novi limites. Lingua Illyrica ſeu Slavica per Germaniam, Sarmatias, Macedoniam longe lateque porrecta. Germanicum imperium. Ejus tranſlatio a Francis ad Germanos. Electorum origo, numerus et auctoritas. Imperii ordines, civitates, circuli. Judicium camerae. Comitia. Reſpublica Germanica cui comparari poſſit. III. Pax religionis a Carolo V monarchiam parturiente ſancita. Spirenſis camera ex utriuſque partis aſſeſſoribus conflata. Wormatienſia comitia. Tridentinum concilium cum Proteſtantibus ſuſpectum eſſet, colloquium Ratiſponae inſtitutum. IV. Bellum Brunſvicenſe, quod univerſo praeluſit. Conventus Francofurtenſis. Fridericus Palatinus ſeptemvir in ſua ditione religionem antiquam mutat, Pauli Fagii opera uſus et Helia Levita Judaeo. V. Bellum Germanicum CIↃIↃXLVI. ſumma diſſimulatione ſuſceptum et inchoatum. VI. M. Lutheri mors, cui Juſtus Jonas aſſedit. VII. Comitia Ratiſponenſia. VIII. Brunſvicorum et Brandeburgicorum principum foedus contra Saxonem et Heſſum. IX. Proteſtantium tribuni: et Baltazaris Gutlingi ad milites animandos invidioſa oratio. X. Foedus inter Caeſarem et Pontificem. Conventus Ulmae. XI. Palatini ſeptemviri ad Caeſarem, cum adhuc in diſſimulatione perſtaret, legatio. XII. Saxonis et Heſſi Germanica in Caeſarem ſcripta; quibus inter alia Jo. Diazii paricidium exprobratur. XIII. Anna et Maria Ferdinandi filiae Alberto Willelmi Baioari filio et Willelmo Clivio, diſſoluta nobiſcum contracta adfinitate, a Caeſare fratre elocatae. XIV. Seb. Schertelius Alpibus occupatis Oenipontem tendit. Donaverda capta. Helvetii in caſtris Proteſtantium militantes, fruſtra a pontifice ſolicitati. XV. Tandem Saxo et Heſſus a Caeſare, cum Lanzuthi eſſet, proſcribuntur; qui mox bellum ipſi denunciant. Eorum inter ſe diſſidia. XVI. Copiae Caeſarianae recenſentur, et ad Ingolſtadium caſtra metantur; quibus Rheno tranſmiſſo cum delectis copiis Maximilianus Ecmundanus Buranus ſe conjungit. XVII. Neoburgum Caeſari deditum: et tranſlata Norlingam caſtra; ex iiſque velitationes. Donaverda ab Octavio Farneſio intercepta. Dillinga et Lavinga dedita. Schertelii a caſtris foederatorum diſceſſio. Gundelfinga et Geenga Caeſari ſe dedunt. Inde tranſlata ad Sontheimum caſtra. XVIII. Ferdinandus in Saxoniam cum peculiari exercitu deſcendit. XIX. Conventus civitatum Ulmae. Bopfinga et Norlinga, Weiſſemburga, Dingelſpulum et Rotemburgum in Caeſaris poteſtatem conceſſerunt. XX. Palatinus ſeptemvir ſupplex ad Caeſarem venit, diſcedentibus foederatis; et Ulmenſes in gratiam recipiuntur. Darmeſtato vix vi capto, Francofurtum Burano deditur. XXI. Pax inter regem et Henricum VIII. Franc. Borbonii Anghiani ad Rupem-Guidonis deploranda mors et inulta. Gallicus limes a Franciſco ob felices Caeſaris ſucceſſus ſibi metuente luſtratus.

LIB.

## LIB. III.

CIƆIƆXLVII. Felicia belli Germanici initia nonnihil conturbant conjuratio Genuae Fliſcana et Neapolitani tumultus. II. Alterius origo et ſucceſſus: III. Cui ſucceſſit Ciboana: virtus in utraque Andreae Auriae et conſtantia. IV. Neapolitani motus origo ab inquiſitione: ejus exitus libertati nobilitatis poſtremo exitioſus. V. Henrici Angli mors; mores, et occultus in Franciſcum regem amor ex morum ſimilitudine. VI. Secuta mox regis mors: ejus fortuna, prudentia, regni diſpenſatio, Henricus II. amor in literas et literatos: VII. Ad Henricum filium praecepta; quae ille regnum iniens magna ex parte neglexit, Cl. Annebaldo maris praefecto et Turnonio cardinali, quibus praecipuis adminiſtris uſus fuerat, a rerum gubernaculo remotis. Diana Pictavienſis, et ejus impotens animus. VIII. Leges optimae a Franc. Olivario cancellario latae. IX. Helionora regis defuncti vidua in Belgium proficiſcitur. Imbrium vi ruptus S. Michaelis pons Lutetiae. X. Hier. Capiferrei cardinalis in Galliam ad novum regem legatio. Leges in diplomatis Pontificii promulgatione a ſenatu appoſitae. XI. Saxo captus, et ocrea ejus ad ludibrium in Galliam miſſa. XII. Durocortori Remorum rex inauguratur. Saxonicae copiae a Seb. Vogelsbergo regi militant. XIII. Duellum inter Vidum Cabotium Jarnacum et Franc. Vivonum Caſtaneum ad fanum Germani commiſſum, regi triſte et ominoſum. XIV. Leo Strozzius ex foedere poſt cardinalis Santandreani caedem in Scotiam cum claſſe mittitur: ejus felix ſucceſſus, captis in arce Andreana in Galliam ſecum abductis. XV. Anglica in Scotiam expeditio, et proſpera ad Preſtonium pugna vi Eid. Sept. qua illuſtrium familiarum e Scotis juventus cecidit. Reginae Britannodunum ſepoſitae. XVI. Mutatio religionis in Anglia ſub Edvardo vi puero; et accerſitus eo P. Martyr Vermilius Florentinus. XVII. Doctorum virorum obitus, Fr. Vatabli, Jacobi Tuſani, Beati Rhenani, Jo. Schoneri, Conradi Peutingeri, Petri Bembi, Jacobi Sadoleti; XVIII. Item Hariadeni Ahenobarbi Caeſareae in Africa proſultani, et Ferdinandi Corteſii novae Hiſpaniae in India occidentali fundatoris.

## LIB. IV.

CIƆIƆXLVII. Henricus II. Dissoluto foederatorum exercitu, Ulricus Wirtembergicus Caeſari fit ſupplex. II. Sueviae civitates in gratiam receptae. III. Saxo ſeptemvir ad Mauritianos Ordines ſcribit. IV. Anna Auguſta regina Ferdinandi uxor tot liberorum parens moritur. Auguſta recipitur, non impetrata Seb. Schertelio venia. Saxonis ſeptemviri et Mauritii bellum. Argentina in gratiam recipitur. V. Bremae irrita obſidio; in qua Jodocus Groeningus Zelandiae praefectus occumbit. VI. Hermannus a Weida, archiepiſcopus Colonienſis, proſcribitur. VII. Rocliciae clades ab Alberto Brandeburgico, qui Caeſari militabat, accepta. Ferdinandus a Bohemis opem Mauritio contra Saxonem petit. VIII. Saxo reconciliationis viam cum Caeſare Cliviae ducis ſororii ſui interventu fruſtra tentat. IX. Caeſar in Saxoniam deſcendit. Primi ſucceſſus. Foeda apud Zuiccaviam peſte adflictatur. X. Roclicia recepta, pugna ad Mulbergam committitur, locum ominoſi nominis. XI. Saxo captus. Witemberga mox obſeſſa, et, poena mortis contra Saxonem lata et interventu principum dein remiſſa, deditur. Conditiones captivo propoſitae. XII. Ericus Brunſvicus, qui ad Bremam ſedebat, ſoluta obſidione ab Alberto Mansfeldio in fugam cum clade vertitur; ſed clades ab Wriſpergero poſt fugam ſuperveniente ſarcitur, captis victoris impedimentis et pecunia. XIII. Heſſus poſt Saxonem captum Halae fit ſupplex Caeſari, et in conditionibus literulae cavillatione, contra quam ſibi perſuaſerat, captivus retinetur. XIV. Caeſaris in ſupplices ſeveritas. Lud. Oetingenſis comes ſolum vertit. XV. Bohemicum bellum. Praga dedita pari ſeveritate habita. XVI. Hamburgum, Lubeca, Brunſvica in gratiam receptae. XVII. De proſperis Caeſaris ſucceſſibus judicium. Foederatorum principum imprudentia

prudentia et errores notati. Caeſaris ipſius error, et ex eo ſecutae clades, quas ominoſus Auguſtae, ubi comitia celebrata, tumultus praeſagiit. XVIII. Concilium contagioſi aëris obtentu Tridento Bononiam tranſlatum. XIX. Parma et Placentia in nepotum gratiam a Paulo III pontifice publico diplomate alienatae, cui Caeſar ſubſcribere recuſavit. Senae in Hetruria Didacum Hurtadum Mendozam cum praeſidio recipiunt. XX. Odium publicum in P. Aloiſium Farneſium ducem et conjuratio, cum inſigni illuſorii magici oraculi exemplo. XXI. Caede patrata Placentia a Caeſarianis occupata, et mox Parma a Caeſare tanquam imperialis juris repetita. XXII. Cum pontifice de concilio Tridentum revocando acerbae per oratores ſuos altercationes.

## LIB. V.

CIↃIↃXLVIII.

Henricus II.

Pontificis ad Germaniae praeſules ſuper concilii tranſlatione literae. II. Cum perſtaret pontifex, Mendoza Romae coram principum oratoribus, atque eodem tempore Bononiae Fr. Varga et Martinus Velaſcus coram patribus de Synodi vitio ac defectu proteſtantur. III. Inde Senas Mendoza revertitur, et Plombinum divertit. Apianorum Plombini dominorum gens et origo. IV. Pontificis ad proteſtationem reſponſio, a Reginaldo Polo cardinale, ut creditur, facta. V. Inter has Caeſaris et pontificis contentiones, pendente concilii celebratione, religionis formula ſeu declaratio a Julio Flugio et Michaële Sidonio juſſu Caeſaris perſcribitur. Heſſus nutat. Argentinenſes intercedunt. VI. Pruſſiae et Teutonici ordinis negotium in comitiis agitatum. Sigiſmundi Poloni mors; moderatio. VII. Septemvirali dignitate in Auguſtanis comitiis inſignitus Mauritius. Sebaſtianus Vogelſpergerus, qui regi militaverat, Caeſaris juſſu a Lazaro Schuendio amicitiae colore Wiſſeburgi captus, et magna cum Schuendii invidia ſecuri cum duobus centurionibus percuſſus; proſcriptique denuo Buclingius comes, Schertelius, Ringravius, Heidecus, Recrodus, Riſebergus. Camerae aſſeſſores loco moventur. Circulus X ex provinciis Belgicis Caeſaris edicto adjectus. De Cattorum ditione controverſia contra Heſſum, ſecundum Willelmum Naſſovium Arauſionenſem pronunciatum. VIII. Auguſtae et Ulmae mutata reipublicae ordinatio; indeque Caeſar in Belgium deſcendit. Contra Conſtantienſes verſa arma: urbs capta et Auſtriacae familiae addicta. Lindavienſes adacti, ut formulae ſubſcriberent. IX. Caeſar imperii hereditariam ſucceſſionem adfectat. X. Maximilianus Pinciae Carpetanorum in Hiſpania Mariam Caeſaris filiam uxorem ducit. Philippus filius Hiſpania evocatur. Genuae exceptus de arce urbi imponenda cum Albano conſultat, Andrea Auria intercedente, cui raro charitatis exemplo patriae libertas proprio periculo propior viſa eſt. XI. Lutherani Lutetiae capite plectuntur. In ſuſpectos Venetiis exercita item ſeveritas; ſed cum moderamine. Paulus Vergerius epiſcopus Juſtinopolitanus ex qua occaſione ad Proteſtanteis defecit. XII. Rex in Subalpinam provinciam facto per Aeduos itinere proficiſcitur. XIII. Per abſentiam levis Lutetiae motus: major in Aquitania ob rem ſalinariam exoritur, ingenti Burdigalae, quae provinciae caput eſt, exorta ſeditione; cui comprimendae miſſus A. Momorantius equitum magiſter, qui magna ſeveritate rem geſſit. Stephani Boëtiani ſenatoris Burdigalenſis in eam rem evulgatus Anthenotici titulo elegantiſſimus libellus. XIV. Rex ex Italia reverſus Molinii in Boiis Ant. Borbonii Vindocini et Joan. Labretanae, quae Clivenſi deſponſata fuerat, nuptias celebravit; ut et mox ad Germani fanum Franc. Guiſiani et Annae Ateſtinae, cum eum paulo ante Franciae patricium creaſſet. XV. Scotica expeditio, duce Deſſio. Maria regni heres Britannoduno, quo ſuperiore anno ſepoſita fuerat, a matre in manus Philippi Mallii Brezaei conſignata in Galliam magno comitatu deducitur. Letha ex aliarum urbium ruinis in Forthae aeſtuario crevit. De Myrtoo lacu, Septo flumine, et Magotiis avibus, mira a Bellovadio prodita. Poſt rem per annum geſtam Deſſius exercitum Paulo Thermo tradit, cui Joannes Monlucius Valentiae epiſcopus comes additus. XVI. Prodigium annonae coelo impluentis. XVII. Mortes

Tom. I. clarorum virorum Gregorii Corteſii cardinalis, Marii Molſae. XVIII. Bellum Perſicum paucorum menſium.

## LIB. VI.

CIↃIↃXLIX.
Henricus II.

PHILIPPUS ad patrem in Belgium venit; ubique a provinciae urbibus regia magnificentia exceptus. II. Senis res turbant. III. Soli in Germania Magdeburgici reſtabant a Caeſare proſcripti; qui, peti ſe cum viderent, apologetico ad commiſerationem et invidiam ſimul compoſito ſe purgant. IV. Moderandae amplitudini Lutetiae in immenſum ſe effundentis lata lex. Renovata contra Lutheranos ſupplicia. Odoardi Biezii E. T. cauſa agitata et Jacobi Cuciaci Vervinii generi: uterque ob amiſſam Bononiam tunc damnatus, et poſtea utriuſque reſtituta memoria. V. Anglicana diſſidia inter Somerſetum et Thomam fratrem, maris praefectum, qui adfectati regni accuſatus capite luit. Martinus Bucerus et Paulus Fagius Argentina a Thoma Cranmero Cantuariae archiepiſcopo accerſiti. Ipſe Somerſetus in carcerem truſus. VI. Cum Helvetiis Gallicum foedus renovatur. VII. Apud nos varia varie decreta. Leges Salinariae per Aquitaniam ſancitae. Duplicata equitibus ſtipendia, populi levamento. VIII. Margaritae Navarrae Franciſci ſororis ac regis amitae obitus et elogium: Chriſtinae Heſſi uxoris: Jacobi Ziegleri, Lindaviae ad Acronium lacum nati. IX. Motus in Italia, Genuae et Parmae. X. Pauli III mors, virtutes, ſecus facta. Sciſſum factionibus collegium in eligendo novo pontifice. Jubilaeus annus, et ejus origo. Tandem Julius III creatus: qui ſtatim principatus ſui initio ſpecimen animi ſui dedit. XI. Leges graves a ſenatu additae in promulgatione diplomatis pontificii de Remenſi academia a Carolo cardinali Lotaringo inſtituta. XII. Petrus Lizetus primarius praeſes a Pictavienſi et Lotaringo magiſtratu motus: ac mox Fr. Olivarius cancellarius domum relegatus. XIII. Pax inter regem et Anglos. Bononia a rege recepta. XIV. Edictum grave contra ſcribas pontificios, ut crebris falſitatibus occurreretur: ad quod cum Car. Molinaeus juriſconſultus liberius ſcripſiſſet, paternum ſolum vertere pro tempore coactus eſt. XV. Carolus Coſſaeus Briſſacus in Subalpinam provinciam cum ſummo imperio miſſus et E. T. creatus. XVI. Valdenſium provincialium cauſa in ſenatu Pariſienſi agitata: eorum origo jam a primis initiis repetita, doctrina, mores, mala Franciſco I rege fortuna, et ſevera contra eos judicia. Alenii cum Barth. Chaſſanaeo primario praeſide ex occaſione ridiculae murium cauſae in graviori altercatio: exitus cauſae non reſpondet publicae exſpectationi. XVII. Caeſar Belgio ad Imperii Ordines dat literas, quibus et de egregia novi pontificis voluntate fidem facit, et comitia Auguſtae Vindelicorum indicit. Magdeburgici altero apologetico ſe purgant. Argentinenſes tumultuantur. Edictum de libris Lutheranorum. XVIII. Brunſvica in Saxonia ab H. Brunſvico obſeſſa; ac mox obſidio ſoluta, copiis ad Magdeburgum oppugnandum traductis. Mauritius Saxo ſeptemvir bello ſummus dux delectus, qui Heidecum et alios militares tribunos ſibi clam conciliat. XIX. De concilio variae in comitiis concertationes, et principum pro Heſſi libertate deprecationes. XX. Anglicus ſudor. XXI. Ulrici Wirtembergici mors. Jo. Vaſaei, Jo. Pierii Valeriani et Georgii Triſſini obitus.

## LIB. VII.

CIↃ IↃL.
Henricus II.

CAESAR fratris filiorumque ejus animos pertentat, an de Imperio ſibi, ut illud in filium transferat, reſtituendo adſentiri velint. Maximiliani, ut intercederet, ex Hiſpania feſtinatus reditus. Is ſecum Buaçonem regis Feſſani agnatum adduxerat: II. Ex eoque nata occaſione, de Feſſae, Marochi, Tremeceni ac Tunetis regnis ac regibus priſcis et regionibus illis agitur. III. Scirifiorum in utraque Mauritania origo et ſucceſſus, qui veterum regum ſtirpem ad extremum aboleverunt. IV. Nata inter fratres Scirifios diſcordia, et inde ortum bellum inter Feſſanum

Feſſanum Oatazenum et Mahametem Scirifium. V. Capto Oatazeno illudit humanitatis ſpecie Scirifius; et Feſſa potitur. VI. Bellum Aphrodiſienſe a Joanne Vega Siciliae prorege ſuſceptum. Tunetani regni deſcriptio. Monaſterium et ad extremum Aphrodiſium capitur. VII. Solimanus Meningis rex Caeſari tributarius fidem fallit. Dragutem ad inſulam venientem Andr. Auria inſequitur. VIII. Vindicandae ſuperioris anni injuriae claſſis a Turcis inſtructa; quae primo Siciliam, dein Melitam petens, poſtremo in Africam deſcendit et Tripolim obſidet et capit. IX. Captae urbis invidia a Gallis removetur.

## LIB. VIII.

CIↃ IↃ LI.
Henricus II.

Caesaris edictum de Concilio. II. Conventus Norimbergae; in quo actum de belli Magdeburgici ſumptibus. III. Caeſar fruſtra de Imperii ſucceſſione cum fratre agit. IV. In Lutheranos anquiritur. V. Tandem cum Magdeburgicis conventum; ſtatimque ſecretum foedus interventu epiſcopi Baionenſis a Mauritio cum rege initum. VI. Pro Heſſi libertate principum apud Caeſarem deprecatio. VII. In concilii Tridentini ratione rex a pontifice diffidet; literaſque fiduciarias tanquam ad conventum non ad concilium dat, patribus a Jacobo Amioto Bellozano perferendas. Ejus ad patres oratio libera et ad querimoniam invidioſam compoſita. VIII. Eodemque tempore edictum in ſenatu promulgatur; quo prohibetur, ne pro ſacerdotiis pecunia Romam mittatur: atque, ut rei acerbitas aliquatenus mitigaretur, renovata contra Sectarios decreta. IX. Helvetii auctoritatem concilii detrectant; et ad illud Proteſtantium legationes. X. Foedus cum Octavio Parmae duce initum; et Parmenſi bello factum initium. Ejus ſucceſſus. XI. Hinc ſcripta utrinque jurgiis plena inter Caeſarem et regem diſſeminata. Regium-Lepidi in odium regis a F. Gonzaga Caeſaris nomine a Ferrarienſi repetitur. Mirandula a Caeſarianis oppugnatur. XII. Picorum gens et ſucceſſio. XIII. Bellum in Subalpina regione inter regem et Caeſarianos recrudeſcit; quod Belgicum mox excepit. XIV. Miſſi a pontifice belli pertaeſo legati; hinc Carpenſis ad Caeſarem, in Galliam Hier. Verallus; cujus diplomate in ſenatu recitato leges ut in ſuperioribus a patribus appoſitae, et novae propter edictum nuper de ſcribis pontificiis promulgatum additae. XV. Res in Anglia turbant. Somerſetus regni protector capite plectitur; et Jo. Dudleius Northumbriae dux, cujus aſtu periculum illi creatum fuerat, eo ſublato regnum adfectat. XVI. Mortes literis clarorum hominum, Martini Buceri, Andreae Alciati, M. Antonii Flaminii, Jo. Bapt. Montani, Joachimi Vadiani.

## LIB. IX.

CIↃ IↃ LI.
Henricus II.

In Pannoniis res turbant. Earum deſcriptio et ſtatus. II. Poſt Ludovici ad Mugacium caeſi mortem Joannes Zapolia titulos regios ſibi ſumit, et ſucceſſionis jus Ferdinando Romanorum regi controverſum facit. Joanni ſucceſſit Stephanus filius et Iſabellae Sigiſmundi Auguſti Poloniae regis ſororis, cui tutor cum regina matre a parente datus Georgius Martinuſius. Ejus mores et varium ingenium. III. Bello inter Ferdinandum et Iſabellam accenſo, a Caeſare fratri Jo. Bapt. Caſtaldus datus, qui ſummae rerum praeeſſet; ob id Caſſani marchio creatus. IV. Tandem Georgii Martinuſii interventu inter contendenteis tranſactum, non ſine Georgii utrinque invidia, pacem illam bello Turcico mox ſecuto. V. Ejus ſucceſſus. Lippa capta et recepta. VI. Georgius cardinalis creatus; ſtatimque tanquam ſuſpectus infelici conjuratione per inſidias occiſus. Ejus opes domino exitioſae, fama minores: nec inulta caedes. VII. Zegedinum recuperatur; ſed mox praedae aviditate amittitur. Andreas Bathorius Daciae vaivoda, et Laurentius Lozantius Temeſvarae comes creatur. VIII. Machometi purpurati et Stephani Moldaviae vaivodae expeditiones. Moldavus in fugam vertitur. XI. Temeſvara a Turcis capitur, Lozantio contra fidem datam indigne interfecto, quod Olimano

CIↃ IↃ LII.

Tom. I. Olimano nuper fides a Caſtaldo ad Lippam data minime fuiſſet ſervata. X. Bernardi Aldanae in Lippa defendenda ignavia. XI. Iſabella ingentis animi foemina, quod promiſſa a Ferdinando minime praeſtari diceret, per Mircem inferioris Moeſiae regulum cum Turcis agit, et annum ſequentem Pannoniae funeſtum fecit. XII. Stephani Moldavi caedes. XIII. Diſſoluto per Magdeburgicam obſidionem exercitu, miles per Germaniam graſſatur. XIV. Proteſtantium, atque adeo Mauritii occulta conſilia tegentis, legati ad concilium profecti. Philippus Melanchthon in viam ſe dat, et Norimbergae ſubſiſtit. Concilium diſſolvitur.

## LIB. X.

CIƆ IƆ LII.

Henricus II.

Mauritius renudato animo ſcriptum contra Caeſarem publicat: II. Alteroque idem ſcripto Albertus Brandeburgicus facit; quo de Ludovico Avila rem ad Rocliciam in contumeliam ſuam commentariis ſuis de bello Germanico retorquente acerbe conqueritur. III. Pari acerbitate ſcriptum a rege diſſeminatum: quo Caeſar ratione Ambarenſis principatus Lotharingicos, Maximilianus Buranus Aquitanici tumultus tempore ſuorum fidem ſolicitaſſe dicitur, et Sebaſtiani Vogelſpergeri indignum ſupplicium multis verbis exaggeratur. IV. Interea Mauritius in diſſimulatione pergens, quod rem amice componi poſſe non deſperaret, conjunctis cum Willelmo Heſſi filio ac ſororio copiis Auguſtam venit, ſenatum a Caeſare inſtitutum mutat, Ulmam obſidet dum Lincii a Ferdinando inſtitutum colloquium inſtauratur. Lauginga ab Henrico Othone Palatino recipitur. Rutenſis ad Alpium radices pugna. Ereberga capta. V. Caeſaris arthritici miſerabilis ex Oeniponte fuga nocturna. Saxo dimiſſus. Oenipons occupatur. VI. Rex ex foedere clam cum Mauritio inito ad limitem proficiſcitur: Tullum, Metim, Virodunum in poteſtatem redigit; et Carolum Lotharingiae ducem puerum cum Chriſtierna matre generum deſtinatum recipit. VII. Cum pontifice Turnonii cardinalis interventu convenit. Pontifex cum Farneſiis tranſigit. VIII. Legationes Helvetiorum et conventus Wormatienſis de pace inter Caeſarem et regem. IX. Rex, cognito Mauritium in eo eſſe ut cum Caeſare et fratre ejus conveniret, re bene geſta in regnum revertitur. X. Proteſtantium ſcriptum contra Caeſarem Auguſtae publicatur; quo et theologos ſuos Tridentum miſſos revocant. Hinc captata occaſione, Albertus Brandeburgicus bellum propriis auſpiciis ſeorſim ab aliis foederatis gerit: epiſcopos et Norimbergenſeis infeſtat, Ulma fruſtra tentata. XI. Patavii in conventu a Mauritio et epiſcopo Baionenſi orationes habitae; moxque Eiſteto datae ab eodem literae ad conventum Patavienſem. XII. Caeſaris ad ea reſponſum. XIII. Francofurti a foederatis obſidio, in qua Georgius Megalopolenſis dux occubuit, Patavienſi pace facta, ſolvitur. XIV. Mauritius in Pannoniam cum ſummo imperio ex foedere Patavienſi proficiſcitur. Agria obſeſſa a Turcis et ſumma foeminarum virtute defenſa. XV. Georgii cardinalis interfecti cauſa a pontifice agitata: et poſt diras minime denunciatas, Ferdinandus, conſcii, ac percuſſores tandem a cenſuris ſolvuntur. XIV. Motus in Moeſia, Radulfo legitimo deſpota contra Mircem Turcicis opibus fretum ope Caſtaldi ducente; qui victor, ejecto Mirce, paterno regno reſtitutus eſt. XVII. Literae ſuperbae Solimani in Vaſraëliano conventu recitatae pro reſtitutione Joannis Sigiſmundi. XVIII. Mauritii et Caſtaldi mutuae exprobrationes.

## LIB. XI.

CIƆ IƆ LII.

Henricus II.

Bellum Subalpinum et Parmenſe. Salucia a Caeſarianis capta. II. Turcicae claſſis ad Italiae litora deſcenſus. III. Ad Clodiam Venetae ditionis civitatem regiorum conventus: cujus is exitus fuit, ut Senenſes Gallorum opibus freti de libertate recuperanda et ejiciendo Hiſpanorum praeſidio cogitare coeperint. IV. Plombinum Coſmo cum omni ditione et Ilva inſula a Caeſare conceſſum. V. Andreae Auriae ſemper felicis imperatoris infelix ad Pontiam inſulam cum Dragute

Dragute congreſſus. VI. Senenſibus ablata oppida reſtituuntur: eodemque tempore Orbitellum a Caeſarianis in ora maritima munitur. Ferdinandus Gonzaga male adminiſtratae provinciae inſimulatur: intereaque proſperi Gallorum ſucceſſus, capta Verruca et Alba Pompeia. VII. Caeſaris poſt pacem Patavienſem in Gallicum limitem ad ulciſcendas injurias expeditio. VIII. Jus quod Francis in tribus civitatibus nuper occupatis competit. IX. Franciſcus Lotharingus Guiſius eo cum valido exercitu miſſus. X. Alberti Brandeburgici, qui initio regi militabat, ſuſpecta fides. Is Caeſari in occulto reconciliatus, ac mox pro hoſte habitus Aumalium Guiſii fratrem intercipit. XI. Metis obſidio memorabilis. Interimque Hedinum in Morinis a Caeſarianis captum. XII. Oratio Guiſii ad commilitones, quo die totis viribus oppugnatio parabatur. Caroli Rupiſulcaudii Randani cum Henrico Manrice duellum militare. Soluta obſidio cum Caeſarianorum damno. XIII. Brunſvicenſis ditio a Wolrado Mansfeldio Alberti auſpiciis occupata. Elvangium Teutonico magiſtro a Wirtembergico ereptum. XIV. Clarorum virorum mortes; Henrici Megalopolenſis, Hermanni Wedenſis, Eberardi Bilichii, Joannis Cochlaei, Gaſparis Hedionis, Andreae Oſiandri, Sebaſtiani Munſteri, Petri Apiani, Jodoci Villicii, Lazari Bonamici, Lilii Gregorii Giraldi, Pauli Jovii, Ferdinandi Nonii Pinciani. Tom. I.

## LIB. XII.

Albertus epiſcopos infeſtare pergit, nequicquam contra Caeſare per epiſtolam monente, ut ab injuria abſtineret, qui nihilominus publicato ſcripto bellum in Franconia perſequitur. II. Ob id inſtitutus Francofurti conventus. III. Inde Albertus in Saxoniam deſcendit; cui a Mauritio bellum denunciatum: poſtque rem ſcriptis utrinque agitatam ad manus ventum, in Hildeſemia dioeceſi ad Peinam Luneburgenſis agri caſtrum cruenta admodum commiſſa pugna, in qua victor Mauritius cecidit. IV. Ejus mores, ingenium, praeclare et ſecus facta foris et domi. V. In ſeptemviratu Auguſtus frater tunc abſens apud Daniae regem ſocerum ſuccedit, quantumvis renitente Jo. Friderico gentili, qui eo ſpoliatus fuerat; mox et cum Alberto Brandeburgico ſub id ab Henrico Brunſvico ſuprema clade affecto reconciliatur. Brunſvicae obſidio ſoluta certis conditionibus, quae poſtea ab Alberto remiſſae ſunt: ipſe tandem a Spirenſi camera proſcribitur. VI. Tarvennae obſidio et, capta urbe, demolitio. Captus Franc. Momorantius, qui Deſſio occiſo urbi praeerat. VII. Hedinum eodem ſucceſſu captum, magna cum Gallorum ſtrage, deſiderato inter alios Horatio Farneſio Caſtri duce, qui nuper Dianam regis naturalem filiam in uxorem duxerat. Captus Rob. Marcianus Bullionius equitum tribunus, qui locum tuebatur. VIII. Caeſarianorum ſecuta ad Durlanium ſtrages, Anna Momorantio duce, et capti Spinoii princeps et Araſchoti dux, et adempta hoſti VII ſigna, exiguum ſuperiorum cladium ſolatium. Bapalmae et mox Cameraci irrita obſidio. IX. Contra Senenſes, qui ad nos defecerant, inſtauratum bellum, duce Garcia Toletano. Primi ejus ſucceſſus. Montis Ilcini irrita obſidio. X. Res in Subalpina provincia geſtae. Fruſtra tentata Bena a Fr. Gonzaga. Curtemillia et Ceba a Briſſaco captae. Vercellarum direptio, paulo poſt Caroli Sabaudi mortem. XI. Bellum Etruſcum excipit Corſicum. Jus quod regibus Francis in Genuenſeis competit. Paulus Thermus, qui in Etruria rem gerebat, Corſico bello praefectus. Claſſis Turcica auxiliaris, Polinio et Dragute ducibus. Bonifacio dedito, Calvium tentatum. Florentii fanum et Baſtia a Genuenſibus recipiuntur. XII. Domeſtica ex actis publicis. XIII. Renovata contra Sectarios ſupplicia. XIV. Michael Servetus Tarraconenſis Genevae morte affectus. XV. Virorum clarorum mortes; Joannis Rivii, Eraſmi Reinholdi, Jacobi Sturmii, Joan. Dubravii epiſcopi Olmucenſis, Jo. Baptiſtae Egnatii, Hieronymi Fracaſtorii. XVI. Iſabella in Pannonia res ope Turcorum turbat. Caſtaldus ob provincialium odium e provincia decedit. XVII. In Oriente Solymanus rebus ſuis metuens in Syriam proficiſcitur, et Muſtafam grandiorem natu filium inſtigatu Roxolanae novercae ac Ruſtani CIƆIƆLIII. Henricus II.

Tom. I. purpurati Alcpi ad ſe vocatum necat. Zeangir fraternae caedis impatiens ſive in caſtris ſive Conſtantinopoli moritur: et mox pueri filii a Muſtafa relicti, qui Pruſiade educabatur, ab avo imperata caedes, et ab Ebraimo invito patrata.

## LIB. XIII.

CIƆIƆLIII. Henricus II.

Mortuo Edvardo vi, graves in Anglia motus, dum Jo. Dudleius Northumbrius charitatibus ſuis regnum conciliare nititur, excluſa Maria legitima regni herede. II. Jana Suffolcia invita ad regnum a vitrico rapta, et deploranda paulo poſt morte affecta, cum patre, marito ac vitrico. Maria in regno confirmata.

CIƆIƆLIV. III. Poli cardinalis regium ſtemma et legatio. Celebrata Londini regni comitia: in quibus varii ſponſi propoſiti, et ſequenti anno pactae cum Philippo Hiſpaniarum principe nuptiae. IV. Wiatus capitur et capite plectitur. V. Leges de eccleſiaſtica diſciplina et auctoritate pontificis, et Elizabetha Mariae ſoror in carcerem conjecta. Philippi et Mariae nuptiae; quarum contemplatione regno Neapolitano Carolus parens cedit. VI. Poli de pace inter Caeſarem et regem actio; adventus in Angliam honorificus, et ab eo inſtaurata majorum religio. VII. Inter Jo. Fridericum et Auguſtum Saxones tranſigitur: et Jo. Friderici paulo poſt ſecuta mors. VIII. Albertus pergit contra Norimbergenſeis; et Schuinfurtum diripit. Henrici Plavii contra Albertum ſucceſſus; quo tandem poſt cladem ad Kitzingam acceptam ad nos confugiente, in ejus gratiam ſcriptae ad Imperii ordines Francofurti congregatos literae. Ordinum reſponſio. IX. Virorum literatorum mortes; Joannis Feri, Xiſti Betuleii, Simonis Portii, Franciſci Franchini, Sigiſmundi Gelenii. X. Regis contra Caeſarem expeditio: ejus in hoſtico ſucceſſus. Bellorivum, Mariaburgum, Bovinae, Dionantum, Givacum deditum. Bincium diripitur. Rantiacum obſidetur; et ex occaſione obſidionis pugna commiſſa; in qua praecipua Guiſii virtus. XI. Domeſtica noſtra. Semeſtris ſenatus. Leges de ſenatu Armoricano. De ſalis vectigali per Aquitaniam redimendo. De numero regiorum ſcribarum.

## LIB. XIV.

CIƆIƆLIV. Henricus II.

Bellum Etruſcum. Fabiani Montani cum Coſmi filia ſponſalia. II. Jo. Jacobus Medicinus Melenianus dux deſtinatus. Ejus origo et fortuna. III. Senarum obſidio. IV. In Corſica Florentii-fanum a Jordano Urſino Auriae deditum. V. Damnum ad Coſmae-fanum a Florentinis acceptum. VI. Cluſiana infelix expeditio; et Santacii dolus. VII. Clanius fluvius et ejus ſitus ac natura. VIII. Petrus Strozzius cum auxiliaribus copiis ad Senarum obſidionem ſolvendam miſſus. IX. Leo Strozzius tot palmarum dux ad Scarlinum ſcloppeti ictu a ruſtico confoditur. X. Blaſius Monlucius Senis a rege praeficitur. XI. Proelium Marcianum, hinc duce Meleniano, hinc P. Strozzio; in quo noſtri caeſi. XII. Lucinianum mox a Caeſarianis capitur. XIII. Strozzius Senas per hoſteis medios perrumpit; confirmatiſque ſpe auxiliorum obſeſſis, ſed in ſumma anguſtia relictis, urbe exit. XIV. Mons regius a Joannino Zetho proditus. XV. Turcicae claſſis oſtentatio. XVI. Aphrodiſium, quod pro amiſſa Tripoli Hieroſolymitanis equitibus a Caeſare oblatum fuerat, cum illi accipere recuſarent, a fundamentis diruitur. XVII. Nocturna Senarum oppugnatio irrita.

## LIB. XV.

CIƆIƆLIV. Henricus II.

Curia in Corſica capitur. II. In Subalpina provincia Valfenera a Gonzaga munita fruſtra a Briſſaco tentatur. F. Gonzaga e provincia a Caeſare evocatur. III. Eporedia noſtris deditur. Jacobi fanum a Briſſaco munitum. IV.

CIƆIƆLV. Caſalium S. Evaſii a Jacobo Salvaſſone intercipitur. V. Senas totis viribus aggreditur Melenianus. VI. Repulſus, moram adhibet, jam fame laborantibus obſeſſis.

VII.

VII Julii III mors ac mores, cui Marcellus II ſuffectus. VIII. In Senarum deditione dictae conditiones. Galli cum Monlucio perhonorifice dimiſſi. IX. Res in Belgio geſtae. Mali-ſignatis haud longe a Meti infelix a noſtris tentata aggreſſio. X. Franciſcanorum ſub id Meti detecta conjuratio: item Abbatis-villae. Mariaburgum miſſae ſuppetiae. XI. Colloquium de pace inter Caeſarem et regem initum; delegatique utrinque inter Caletum et Ardeam loco ad id fabrefacto, mediis Anglis, convenerunt. XII. Paulus IV Marcello paucorum dierum pontifici ſuccedit. Ejus vita ac mores. XIII. Coſmus rempublicam Senenſem per Angelum Nicolinum ordinat. XIV. Herculis portus, qui a noſtris tenebatur, a Meleniano obſidetur et capitur. Othobonus Fliſcus in eo captus et crudeliter ab Auria habitus: ſaevitum et in exanime Leonis Strozzii corpus. XV. Valentium fruſtra a noſtris tentatum. XVI. Albanus Inſubribus praeficitur. Ejus expeditiones. Ad fanum Jacobi irrito conatu caſtra poſita; et irritae ad Caſalium inſidiae. XVII. Volpianum a noſtris captum ac dirutum. XVIII. Mons-calvus a Salvaſſone capitur, arce mox a praefecto poſt ruinam factam dedita. XIX. Pugna ex ſponſione inter Gallos proceres et Caeſarianos. XX. Claſſis Turcicae Gallis auxiliaris ad Italiae litora appulſus. XXI. Calvii irrita noſtrorum in Corſica obſidio. XXII. Senarum deditarum miſera conditio: eaeque a Caeſare Philippo filio adjudicatae.

## LIB. XVI.

CIↃIↃLV.
HENRICUS II.

Novi pontificis per Etruriam motus et ſuorum machinamenta; ad quae Coſmus initio diſſimulat. Jo. Franc. Vidius Balnei comes avitorum bonorum poſſeſſione dejectus et Romam citatus. II. Carafarum in Caeſarem et ejus partibus addictos odium. Sfortiae Sanfloriani ob id infeſtati. III. Perſcriptae Romae ab Avanſonio oratore regio et Georgio Armeniaco cardinali conditiones, et in Galliam per Hannibalem Oricellarium miſſae; ſecundum quas infauſtum nobiſcum percuſſum foedus: ejus ſiniſtrum augurium a Turnonio cardinali prudentiſſimo viro factum. Crevolii in Etruria a Caeſarianis expugnatio. IV. Corn. Bentivolii ſucceſſus. Sarteanum amiſſum. V. Meleniani Inſubribus praefecti Mediolani obitus; ſolertia, crudelitas, varii mores. Huic Chriſtophorus Madrucius cardinalis ſufficitur. VI. Albanus Genuam venit, et inde Neapolim devehitur, bello contra pontificem gerendo dux deſtinatus. VII. Jo. Groperi et Claudii Eſpencaei honorificum elogium. VIII. Bellum inter Caeſarem et regem Carafarum occaſione renovatum. Noſtrorum in Belgico limite ſucceſſus. Ad Germinium haud longe a Givaco, et mox ad Givacum ipſum conflictus. IX. Batavicae item naves ex India redeuntes a Gallis ſive incendio ſeu direptione conſumptae, magna utrinque jactura, et Spinavilla Harflorienſi claſſis noſtrae duce deſiderato. X. Henricus Navarrae rex Pavii in Benearnenſi principatu moritur, Joanna filia, quae Antonio Vindocino duci nupſerat, relicta regni herede. XI. Domeſtica ſequuntur. Criminalium rerum ſuccincti quaeſitores. Cum rex ſectarii criminis cognitionem ſibi ac judicibus ſuis ſumpſiſſet, hoc anno diploma fecit, quo eam eccleſiaſticis judicibus relinquebat; praefectiſque ſuis mandabat, ut, quos illi ac fidei quaeſitores ut pravae opinionis convictos damnaſſent, pro delicti magnitudine, ſine mora nec ulla provocationis habita ratione, punirent. Graviſſima contra diploma ſenatus Pariſienſis interceſſio. XII. Tranſactum cum Joanne Broſſio Stamparum duce de Armoricano principatu. XIII. Genevae et Lucernae motus. XIV. Clarorum virorum mortes, Wolfangi Lazii, Conradi Pellicani, Georgii Agricolae, Gemmae Friſii, Edvardi Wotoni, Iſidori Clarii, Olympiae Fulviae Moratae, M. Ant. Majoragii, Orontii Finei, Petri Gillii. XV. Nic. Durandi Villagagnoni in Americam expeditio. Andreae Theveti ineptae praeſtigiae. XVI. Auguſtana comitia, et Naumburgenſis ex iis ſecutus conventus, in quo inter Proteſtanteis initum foedus. Agitata inter Philippum Heſſum et Willelmum Naſſovium Arauſionenſem de Cattorum ditione controverſia, nullo exitu. XVII. Tandem VII Kalend. Octobr. poſt magnas

Tom. I. magnas contentiones religioni data pax, belli hinc Turcici hinc Gallici metu: ſociis Auguſtanae confeſſionis permiſſa ejus libera profeſſio, ita ut propter eam nemini in vita ac bonis vis fiat. XVIII. De coena Domini inter Proteſtanteis controverſia renovatur. XIX. Joanna Caeſaris et Ferdinandi parens moritur. XX. Caeſar de abdicanda omni rerum humanarum a ſe cura cogitat, exemplo aliorum principum, et ſolemni Bruxellis conventu in filium velleris aurei equitem creatum omnia regna ac ditiones transfert, Imperio in Ferdinandi fratris jam Romanorum regis gratiam ejerato.

## LIB. XVII.

CIↃIↃLVI.

Henricus II.

Poli cardinalis ab Henrico VIII proſcripti reſtitutio. Philippus rex Angliae coronatur. II. Prorex in Scotia auctoritatem ab ſe abdicat, et in reginam viduam transfert. III. Proteſtantes in Anglia variis poenis mulctati: mortuorum effoſſa corpora. IV. Induciae inter Caeſarem et regem utrinque jurejurando ſancitae. V. Octavius Farneſius, deſertis noſtris partibus, Caeſari reconciliatur. VI. Carafae inducias turbant; et Carolus Carafa cardinalis in Galliam legatus mittitur. VII. Columnii a pontifice proſcripti: et Caeſari de rebus Siciliae lis mota a pontifice. VIII. Aſcanio Corneo ſtructae a Carafis inſidiae. IX. Albani in Latio ſucceſſus. Anagnia expugnata. X. Joannes Luna a Caeſare ad nos deficit. XI. Orani in Africa a Turcis irrita obſidio, defendente gnaviter locum Alcaudeto comite. XII. M. Ant. Columnae ſub portas urbis infeſtae excurſiones. Tibur capitur. Valerium deditur. XIII. Bl. Monlucius Velitras miſſus, ut urbem muniret ac tueretur. XIV. Neptunum, rebellantibus oppidanis, in Albani poteſtatem venit. Palumbara per oppidanorum diſſidium vi capta ac direpta. XV. Baltazar Rangonius in inſidias a Popolio ſtructas praecipitat; et clade ſua trepidationem in urbe excitat. XVI. Oſtia obſeſſa, et tandem dedita. XVII. Induciae inter pontificem et Albanum, fama jam crebreſcente de auxiliari Gallorum exercitu; per quas Albanus Neapolim excurrit, et cum belli ducibus de tuendi limitis ratione conſultat: cui conſultationi Ferdinandus Gonzaga, poſt judicium in Belgio a Caeſare contra criminatores acceptum in Italiam reverſus, interfuit, et ſententiam dixit. XVIII. Oſtia interim a pontificiis recepta P. Strozzii ductu; in eaque M. Antonius Monlucius Blaſii filius occiſus. Valerii item vicus a noſtris impetu captus. XIX. Apud nos ſeveritas contra ſectarios continuat, pleriſque ſupplicio affectis. XX. Grave de Juliano Taboëtio judicium in Pariſienſi ſenatu latum: quo, retractato Divionenſi ſenatus-conſulto, Raimundus Peliſſo aliique, repetundarum poſtulati et damnati, ſunt honorifice abſoluti. XXI. In Vindelicia et Pannonia ſuperiore religionis pax urgetur; quibus et Baioari accedunt. XXII. Oſiandriſtarum in Boruſſia turbae. Jo. Funccius ab errore reſipiſcit. Spirae et in Badenſi ditione Auguſtana confeſſio recipitur, accenſis ob foedus cum pontifice contra nos Proteſtantium ſuſpicionibus. XXIII. Friderico ſeptemviro Palatino, qui Dorotheam Chriſtierni Dani captivi filiam in uxorem duxerat, ſine liberis decedente, Otho Henricus Ruperti fratris filius ſuccedit. Cauſa Alberti in comitiis Ratiſponenſibus agitata. XXIV. Zigethi in Pannonia irrita obſidio et Turcarum clades. Halis purpurati eunuchi virtus militaris. XXV. Strigonium a noſtris receptum. XXVI. Cometa Non. Mart. apparente, Caeſar, eum ad ſe pertinere exiſtimans, literas ad Spirenſem cameram dat de Imperii abdicatione, et Ferdinandum fratrem commendat, et Sudiburgi arce in Zelandia ſolvens in Hiſpaniam deſcendit. XXVII. Joannis Sleidani, Jo. Forſteri, Seb. Corradi, Joannis Gelidae et aliorum literatorum mortes.

## LIB. XVIII.

CIↃ IↃ LVII.
Henricus II.

Ruptae a noſtris induciae, Carafis inſtigantibus ; et, ne ſine aliquo operae pretio id fieret, tentatum irrito conatu Duacum a Gaſpare Colinio, et Lentium in Atrebatibus direptum, publicato ſcripto contra Caeſarianos, quo juſtae belli cauſae defendebantur. II. Fr. Lotharingus Guiſius cum exercitu in Italiam miſſus. Valentium captum. III. Conſultatum, in Inſubres omni praeſidio nudatos et Cremonam, an recta in Neapolitanum regnum ducendum eſſet. Briſſaco et Biragis contra tendentibus, Guiſius, relictis a tergo Inſubribus et Tanaro tranſmiſſo, recta ad Ferrarienſem vitricum tendit ; et poſtea Bononiae cum cardinali Carafa de Neapolitani regni invadendi ratione agit. IV. Per Firmum et Aſculum traducto exercitu, Camplium vi capitur. V. Civitellae obſeſſae poſt multas et irritas oppugnationes damnoſa ſolutio. VI. In Etruria Mons-Ilcini a Caeſarianis inſidioſe tentatus. VII. Corſinianum a Bl. Monlucio interceptum. VIII. Corregienſes a Ferrarienſi infeſtati, Alfonſo filio contra Gonzagas, qui Caeſari militabant, miſſo. IX. Briſſacus in Ciſpadana Gallia Claraſcum capit, et Cunium tentat. Piſcarii cum Briſſaco periculoſus juxta Foſſanum congreſſus. X. Coſmus magno et valido aſtu Philippum ad tradendam ſibi Senenſem ditionem adigit. XI. Interea res a M. Ant. Columna in Latio gerebatur. Pratica capta, Friderici Contii caſtellum. Mons-fortinus a Julio Urſino captus et crudeliter ferro et igni vaſtatus. Irrita Pilii obſidio. Labicum Columnae arbitrio deditur, et a Monfortinenſibus ultionis avidis incendio vaſtatur. Palaeſtrina deditur et Germanis in praedam cedit. XII. Inter Labicum et Palianum commiſſa pugna Urſinus a Columna vincitur, qui ſucceſſum urgens Segniam obſidet, per Felſium Maximi arcem intercipit, Ancoranum vi capit et Felinianum in agro Aſculano. XIII. Ad Aſculum ſub id acriter certatum fuit, ſed majore noſtrorum damno. Guiſius, non repraeſentatis quae promiſſa fuerant auxiliis, indignabundus regno excedit, et a pontifice evocatus Romam venit. XIV. Segnia a Columna capta et incenſa. XV. Albanus in Latium deſcendit, et urbem tentat. XVI. Guiſius a rege poſt cladem ad Quintini-fanum acceptam in Galliam revocatur. XVII. Pontifex cum Albano convenit, Coſmi et Sanfloriani ac Vitellotii cardinalium interventu : XVIII. Eademque nocte tranſactum, qua Tiberis prodigioſa inundatione intumuit. Idem et Florentia ab Arno paſſa, et apud nos in Septimania Nemauſus ; et longe in Oriente in Sanciana Sinarum regione, tam copioſis eo anno imbribus, ut lacum a forma rotundum dictum effecerint, et ſeptem urbes abſorpſerint.

## LIB. XIX.

CIↃ IↃ LVII.
Henricus II.

Tridentinus cardinalis a Mediolanenſis principatus gubernatione removetur, eique ſufficitur Joannes Figueroa, Piſcario praeterito. II. Bellum contra Ferrarienſem a Philippo verſum, cui gerendo Octavius Farneſius praeficitur. III. Senenſes, qui ſupererant ad Montem-Ilcini et reliqua loca, omni re exhauſti, omne imperium in Gallos transferunt. IV. Albertus Brandeburgicus, terror modo Germaniae, in ſumma egeſtate deſpicabilis moritur. V. Ratiſponenſium comitiorum decreta. De Cattorum ditione Francofurti tandem tranſigitur. In Wormatienſi conventu actum, ut pax religioni data intelligeretur, eorum tantum ratione qui Auguſtanam confeſſionem ſequebantur, non etiam aliorum. VI. Belli Bremenſis a Chriſtophoro Brunſvico archiepiſcopo excitati origo. VII. Maria Angliae regina, Philippo marito inſtante, bellum regi denunciat : eodemque tempore Scotiae regens reginae Angliae. VIII. Legati de nuptiis Mariae Scotae cum Delfino celebrandis in Galliam appellunt. IX. Bellum in limite noſtro. Ad Quintini-fanum ex improviſo poſita caſtra, quod Gaſpar Colinius provinciae praeſes tuendum ſuſceperat. X. A. Momorantius, auxilio modico introducto, duce Andeloto Colinii fratre, dum ſe recipit, ingenti clade adficitur, et ipſe cum pleriſque e proceribus capitur. XI. Ipſum Quintini-fanum paulo poſt violenta oppugnatione poſt ob-

 ſtinatum

Tom. I. ſtinatum certamen captum. Mox Caſtellum et Hana deditur. Caunium fruſtra inſidioſe tentatum. XII. Ferd. Gonzagae mors, ingenium, mores. XIII. Nic. Polvillerii expeditio Sabaudi auſpiciis in Sebuſianos. XIV. Guiſius ad fanum Germani ad regem venit. XV. Lutetiae ad Bertomenſeis aedeis ob ſecretum Proteſtantium conventum plebs tumultuatur: quidam ſupplicio affecti. XVI. Edictum de clandeſtinis nuptiis. XVII. Lex admodum ſeverá de infantulorum ex ſtupro natorum paricidio: item de epiſcopis et curionibus: item de curiis praeſidialibus et earum juriſdictione. XVIII. Mortes clarorum virorum, Jo. Baptiſtae Ramuſii, Nic. Tartaleae Brixiani, Petri Nannii, Salmonii Macrini. XIX. Puncticularis morbus novus, qui praecipue in Hiſpania ſaevit, a petecciis dictus; qui contagione per Italiam graſſatus eſt.

## LIB. XX.

CIϽIϽLVII. Henricus II. Schirifiorum reliqua uſque ad Abdalam, qui imperium in ſua familia firmavit. Buaçonis cum claſſe Luſitana in Mauritaniam expeditio. A Salaraiſio Chriſtiana claſſis diſturbata; qui mox converſis viribus Buaçoni contra Mahametem Schirifium praeſto fuit. Adverſa Schirifii pugna; et Buaço Feſſae utriuſque potens. Penonium Velezii Turci fraude invadunt: ac diverſa parte Tafiletum Hametes Schirifii frater occupat; ubi obſeſſus ſe filioſque fratri ſupplices dedit, quos ille defectionem veritus mox jugulari imperat. Inde felici cum Buaçone proelio congreſſus, poſtremo plenam victoriam reportavit, debellatis et exſtinctis adverſariis, et Feſſam nullo negotio recuperat; paulo poſt Septembri menſe proditione a Turcis, quos penes ſe habebat, cum Suſam tenderet, inſidioſe occiſus, cum xxxvii annos jam regnaſſet. Hazen percuſſor haud diu ſuperfuit, caeſis quas ducebat copiis, amiſſaque praeda, et ipſe interfectus. Abdala praecipuum miniſtrum et ſummum imperatorem habebat Halim Bucarum, qui morte Mahametis veritus ne res turbarent, Hametis jam nonagenarii nepotes poſt filios occiſos de medio tollendos curavit, et in iis Mariemmae ſororis filios; quo facto non tam ab hero Abdala gratiam meruit, quam cum Mariemma ſe exitiabili odio implicuit, quae, diſſimulata injuria, fratri reconciliatur, et tempus opportunum nacta Halim inſigni fraude Abdalae ita ſuſpectum reddidit, ut eum de medio tolli juberet. Schirifiani
CIϽ IϽLVIII. imperii amplitudo, opes ac robur. II. Caletenſis expeditio a Guiſio ſuſcepta. Urbs, poſtquam ccx annis ab Anglis inſeſſa fuerat, vi Eid. Januar. dedita. Iccius portus et Geſſoriacus pagus in Caletenſi agro. III. Guina expugnatur. IV. Conventus Ordinum regni Lutetiae; in quibus Carolus cardinalis Lotharingus pro ſacro ordine, Nivernius pro nobilitate, Andreas Gillarius Mortarius plebis nomine verba fecit. Tricies centena aureorum CIϽ ultro regi oblata. V. Rex Caletum proficiſcitur, et loco Paulum Thermum imponit. Herbemontium in Arduenna ſylva caſtellum a Nivernio capitur. VI. In Italia, fama de recepto Caleto ſparſa, Gallicis partibus addicti in ſpem rerum novarum eriguntur. Contra Orbitellum irritus conatus. Ferrarienſis late excurrit. Franciſcus frater a Philippo ad nos deficit. Tandem Ferrarienſis interventu Coſmi cum Philippo pacificatur. VII. Adverſus claſſem Turcicam Tyrrhenum litus munitur. Genuenſes miſſis ad Portam oratoribus injuriam deprecantur. Briſſacus, qui ad calumnias purgandas in aulam venerat, in provinciam remittitur. Sueſſanus dux, Figueroae loco, Inſubribus; et Peraſanus Ribera Neapolitano regno praeficitur. VIII. Delphini et Mariae Scotae nuptiae magna pompa Lutetiae celebrantur. IX. Card. Lotharingi cum Ant. Perrenoto Atrebatenſi occulta Peronae conſilia. X. Andelotus tanquam de malo ſectario ſuſpectus defertur, et ore ſuo proditus in carcerem conjicitur, ſuffecto in peditatus praefectura Blaſio Monlucio. XI. Franciſcae Amboſianae ob Araſchotii fugam cauſa agitata; et Joannes Munerius praetor Pariſienſis, quod litem ſuam feciſſet, damnatus. XII. Theodonis-villa a Guiſio in Lucemburgico agro obſeſſa et capta, deſiderato in ea obſidione Petro Strozzio. XIII. Arlonium intercipitur. Lucemburgum ipſum tentatum. XIV. Guiſius dum Viretoni ſedet, et Thermus, qui in Morinis rem gerebat, et Guiſio ad ſe venienti ſe conjungere debebat, Dunkerka interea et Bergis S. Vinoci captis ac direptis, utrique interjecta mora occaſionem rei gerendae

dae amittunt, et Thermus in reditu inſigni ad Gravelingam clade adficitur. XV. Tumultus Pariſienſis, plebe ob pſalmorum vernaculorum cantiones commota. XVI. Claſſis Anglica in ora Armoricana. XVII. Jo. Gulielmi Saxonis auxiliares copiae in Gallia. XVIII. Fanum Audomari fruſtra a Franc. Vindocino tentatum. XIX. Franciſcus Noallius regis orator dignitatis ſuae praerogativam ſenatus Veneti judicio retinet, quantumvis renitente Hiſpano. XX. Ad Sercampum in limite locus delectus, in quo delegati ab utraque parte de pace agerent. XXI. Mariae in Anglia et mox Poli cardinalis ſecuta mors. Pauli IV ſeveritas in cardinaleis. XXII. Eliſabetha Mariae ſorori ſuccedit. Ejus procis a nobis impedimenta allata. Tom. I.

## LIB. XXI.

Res in Subalpina provincia a Sueſſano geſtae. Mons-calvus a noſtris amiſſus; ex eoque inter Piquinium et Adretium injurioſa contentio, in qua Adretius, injuriam ſibi a Guiſio factam cauſatus, ejus ſenſum preſſit, et, tempore ultionis captato, poſtea renudavit. II. Ferdinandi in Caeſarem inauguratio et ad pontificem irrita legatio, apud quem per oratores ſuos proteſtatur. III. Aequius de lite Brandeburgica judicium. IV. Melchioris Zobeli Herbipolenſis epiſcopi deteſtanda caedes. V. Bellum Livonicum. Livoniae ſitus, populi, origines. Dunae, Volgae, Boryſthenis, Lovati, Tanais fontes. Chriſtianorum ſacrorum in iis regionibus initia. VI. Teutonici equites, in Livoniam aſciti ab Alberto epiſcopo, poſtea infida ſocietate cum praeſulibus bellum gerunt; unde inter equites et Rigenſeis bella; ex eaque occaſione poſt Gedanenſem pacificationem anni CIↃ CCCXLVIII Moſci in provinciam invadunt; quos Walterus Pletenbergus ſumma virtute repulit, et pace L annorum cum iis facta equites ac Rigenſeis compoſuit. Poſtea in Boruſſia Teutonicus ordo a Sigiſmundo Poloniae rege abolitus eſt anno hujus ſaeculi XXV, et patris exemplo Sigiſmundus Auguſtus Livonicum aliquot poſt annis exſtinxit. VII. Lutheri doctrina quibus initiis in Livonia ſparſa, principio a Treptoa Pomeraniae urbe proxima facto, et inde Rigam ab Andrea Cnofio per conciones pervenerit, ac poſtremo Torpatum. VIII. Moſcorum in Livonos odiorum cauſae: eorum origo, principum ſucceſſio, prima pietatis Chriſtianae cunabula, provinciarum amplitudo, imperii ratio et adſtricta ſeveritas. IX. Exeuntibus L annorum induciis, et negata prorogatione, Narva Germanica ſeu Livonica a Joanne Baſilii filio tunc rerum potiente capitur: dein et Neheuſium, ac poſtremo Torpatum poſt longam obſidionem deditur. Daniae rex Chriſtianus, provinciae delato patrocinio, ſe excuſat. X. Caroli Caeſaris obitus, laus, ultimum elogium. XI. Literis clarorum virorum mortes; Joannis Bugenhagii Pomerani, Joannis Fernelii, Jani Cornarii, Jacobi Micylli, Joannis Penae, Jul. Caeſaris Scaligeri, Aloiſii Lipomani Bergomenſis epiſcopi, Andreae Tiraquelli, Joannis Vergarae. XII. In Scotia leves cum Anglis velitationes. Toto eo anno et ſequenti, jam praevalentibus Proteſtantibus, ubique ſeditiones exortae: Perthi magna intemperies in templa, ac praecipue Carthuſianorum coenobium ampliſſimum, quod a fundamentis demoliti ſunt. Inde res ad arma devenit. XIII. Perthum venit regens; quod illi, dimiſſis utrinque copiis, patuit: et, qua potuit ultione ſumpta et loco praeſidio firmato, inde quaſi victrix Sterlinum rediit. XIV. Perthi opportunus ſitus. Jacobus Stuartus et Argathelius Proteſtantibus addicti, qui cum regente remanſerant, ab ea omnino deficiunt. Ad Cuprum quaſi certaturae utrinque ſtant copiae. XV. Viae concordiae fruſtra initae; quod fidem datam alii violatam dicerent; regens non aliud haberet, nec e dignitate ſua aliud dare poſſe exiſtimaret. Igitur foederati ad Perthum caſtra ponunt, et locum deditione recipiunt; eodemque ſucceſſu Sterlinum ipſum et Limnuchum occupant, et cultum divinum in iis mutant. Regens Edimburgum concedit, factaeque certis conditionibus induciae; quae eo religioſius ſervatae ſunt, quod ſuperiorum violatione res prope ad internecinam perniciem recidiſſent. Sub id allatum de morte Henrici regis.

CIↃ IↃ LVIII.

Henricus II.

CIↃ IↃ LIX.

## LIB. XXII.

CIƆIƆLIX.
Henricus II.

CHRISTIANUS III Daniae rex Coldingae moritur: ejus mores et praeclare facta; cum Chriſtierno captivo, qui et ſub id moritur, reconciliatio. II. Belli Dithmarſici hoc anno geſti origo. Dithmarſiae ſitus: indigenarum ingenium: provinciae ab antiquo domini. III. Meldorpae expugnatio; in qua Wolfangus Schonouveſius occumbit. Brunsbutelum capitur. Tilebruga in poteſtatem Danorum venit. Heida poſt acre certamen expugnatur. IV. Inde campeſtri regione capta, victores in paluſtrem ducunt; in quam ſenes et omnis imbellis ſexus ſe et ſua contulerant: cum quibus tandem poſt menſem a coepto bello tranſactum conditionibus victori honorificis, ipſis ſalutaribus; quas Ferdinandus Caeſar poſtea ratas habuit. V. Romae magna mutatio ſecuta, alienato moroſi pontificis a ſuis animo, quibus et dignitates abrogantur. VI. Novi epiſcopatus in India, et in Belgio, non ſine noſtra injuria, conſtituti; quod ſecutis in ea florentiſſima Europae provincia motibus cauſam praebuiſſe creditur. VII. Ad comitia Auguſtana miſſi a rege Imbertus Platerius Bordillonius et Carolus Marillacus Viennenſis archiepiſcopus, qui de foedere antiquo renovando agerent, et, ſi pro tribus civitatibus a rege ex foedere cum Mauritio inito occupatis controverſia moveretur, apud Imperii ordines parteis ſuas interponerent. Ferdinandi ad eorum orationem benignum reſponſum; qui, de civitatibus reſtituendis mentionem injeciſſe contentus, de cetero non multum pugnavit, et ab amicitia regis ordines minime diſceſſuros reſpondit. Exequiae Caroli v a fratre magna pompa celebratae, et Wormatienſis conventus ſuper religione acta publice recitata: ex quibus cum nulla reconciliationis ſpes eſſet, Caeſar oecumenicae ſynodi inſtaurationem ſe procuraturum recepit; ac, ut ejus decretis parituros ſe omnes promittant, clementer depoſcit. Cum contra Proteſtantes Paſſavienſem conventum et Auguſtanum de religionis pace decretum urgerent, et leges celebrando in Germania concilio non impetrabileis proponerent, interimque, ut Tridentinae ſynodi tanquam vitio contractae cuncta decreta et acta reſcinderentur, peterent, Caeſar, cum aliud non poſſet, Auguſtanum ultimum decretum confirmavit. Livoni fruſtra auxilia a Caeſare contra Moſcos efflagitant: ea ſpe dejecti Sigiſmundum Auguſtum Poloniae regem adeunt; et jam tum fundamenta ſecutae poſtea in ea militia mutationis jaciunt, Gotardo Ketlero, qui poſt Gulielmum Furſtembergium, adhuc ſuperſtitem, ordinis princeps creatus fuerat, a propoſitis in arcano conditionibus minime ſe alienum oſtendente. Cauſa Finalii ab Alfonſo Carrecto in iiſdem comitiis agitata. VIII. Davidis Georgii Delphenſis, ex Anabaptiſtica ſecta praecipui praeſtigiatoris, poſt mortem ejus detecta fraus et publico judicio revicta, cadavere effoſſo et cremato. Ejus deteſtanda dogmata. IX. Poſt mortem Mariae Anglae, de Caleto, Philippo non admodum pugnante, conventum: mox et de Senenſi ditione, eluſa miſerorum exſulum de libertate ſpe concepta; et poſtremo de Sabaudica. X. In arcano de ſectario malo exſtirpando actum; in idque indictus Mercurialis conventus, qui, pro diſciplina olim inſtitutus, malo latenti in apertum educendo occaſionem praebuit. Interveniente rege, ſententiae variae dictae; et ſenatores primarii in carcerem conjecti; in iiſque Annas Burgus, cujus cauſa per crebras appellationes ventilata. XI. Rex in haſtiludio lethali vulnere feritur; nec vocem mittit: ejus ingenium, mores, recte et ſecus facta.

## LIB. XXIII.

CIƆIƆLIX.
Franciscus II

FRANCISCO II in regem inaugurato, magna in aula mutatio ſecuta. II. A. Momorantius equitum magiſter, a rerum gubernaculis remotus, graviter monet reginam matrem, ne juvenilem animum domeſticis diſcordiis aut aliquo adverſus ſuos odio imbueret. III. Valentina aula pellitur. Fr. Olivarius in aulam revocatur. Santandreanus Guiſianis, ut dignitatis priſtinum locum ſervaret,

ret, fidem addicit. IV. Navarrus a Momorantio fruſtra monitus, ut in aulam veniret, dum cunctatur, occaſionem rei gerendae amiſit; et tardius veniens ſuſpicionem fecit conſiliorum occultorum, quorum ab aemulis inſimulabatur. Intempeſtivus Vindocini conventus. Andelotus jam carcere elapſus; et Colinii cum Carolo Borbonio Rupiſurionio Condaei interventu reconciliati. Juſtis Henrico II factis, Momorantius domum ablegatur, rerum publica adminiſtratione penes Franciſcum Lotharingum Guiſium et Carolum cardinalem fratrem manente: Condaeus et Rupiſurionius ab ea excluduntur. Navarrus deluſus et indigne in aula habitus; et, injectis ſuſpicionibus, poſt regis inaugurationem Benearnum concedere cogitur. V. Interea perſuaſa regina parens, ut contra motus impendenteis regem ſeque ac ſuos Philippi generi patrocinio muniret. VI. Quaedam ab optimo legiſlatore ad publicam ſecuritatem et utilitatem egregie decreta. VII. Rex Durocortori Remorum ſolemni ritu inauguratur. A. Momorantius primaria magiſtri palatii dignitate, quam a morte Renati Sabaudi ſoceri multos annos tenuerat, et a Guiſio ambiri ſciebat, ſponte ſe abdicat, ne coactus id facere videretur. Equeſtris ordinis inſigni, quod meritis ſolis antea dabatur, plerique gratioſe donati. VIII. Renovatae quam antea ſeveriores in ſectarii mali ſuſpectos ubique inquiſitiones: et, quia clam ac noctu conveniebant, aſſeveranter paſſim jactatum, quaſi ad promiſcuam libidinem ſpecie religionis coetus illos celebrarent: id Catharinae reginae perſuaſum; quae ab eo tempore, cum antea indulgentiorem ſe praebuiſſet, ab illis alienari coepit. Subſellii fratres ex Andina nobilitate adverſus lictores in Sangermano ſuburbio vim faciunt. IX. Accenſis odiis hinc Proteſtantium, quorum in dies creſcebat numerus, hinc eorum qui novae adminiſtrationi invidebant, ſparſi primum in Catharinam et Guiſianos libelli; et diſſertatione de libero Francogallorum imperio inſtituta eorum poteſtas in dubium revocatur. Contra quam Jo. Tilius curiae protonotarius juris noſtri peritiſſimus edito de regis majoritate ſcripto diſputavit. Replicatum altero libello ab adverſa parte; et exempla ac teſtimonia a Tilio adducta, prout ſciſſa tunc erant hominum ſtudia, contrariis rationibus confutata. Contentioniſque is exitus fuit, ut ex ea Tiliano ſcripto ſumma auctoritas conciliata ſit, quod et hodie pro certa et rata regni lege inter conſtitutiones regias relatum legitur. Exhauſto belli ſumptibus et largitionibus aerario utcunque vel cum publica indignatione conſultum. X. Suſpecta regis valetudine, varii et indigni de ea rumores maligne diſſeminati. Verae morbi, poſtremo lethalis, contra quam ferebatur, cauſae detectae. XI. Annae Burgi, poſtquam variis protelationibus ejus cauſa fuit agitata, ſupplicium et ultima verba, ex actis publicis. XII. Aliorum ſenatorum, Pauli a Fuxo, Euſtochii Portae, Ludovici Fabri, in carcerem conjectorum, cauſa examinationi a delegatis ſubjecta: qui cum per reſponſiones nihil a doctrina recepta alienum dicerent, contra quam fecerat Burgus, tamen, quod de emendatione craſſorum, qui temporis lapſu in eccleſiam irrepſerant, errorum in dicenda ſententia mentionem feciſſent, et alioqui ſuſpecti eſſent, vita ſalva, loco tantum contumelioſe moti ſunt: eoque ſeverius cum iis actum, Antonii Minarii praeſidis caede, ut creditur, a Proteſtantibus patrata; quod non mediocriter judicum animos exacerbavit. XIII. Sequuntur externa. Galli tota Italia exterminati. Coſmus in Etruria univerſae ditionis Senenſis, quae a noſtris tenebatur, potens. XIV. Philippus, e Belgio in Hiſpaniam diſcedens, Margaritam Parmenſem provinciae praeficit, Hiſpanorum valido praeſidio ei tanquam ad tuendum limitem deſtinato; re vera, ut Proteſtantium, a quibus ſibi plus quam a noſtris tunc temporis metuebat, molitionibus obviam iretur. Arauſionis princeps, cui de ea re Henricus antea aliquid, dum apud ipſum eſſet, inſuſurraverat, idque proceribus Belgii renunciaverat, et Egmundanus comes acriter repugnant. Philippus, cum Zelandia ſolviſſet, periculoſo naufragio in Galeci-portus conſpectu conflictatur. In ejus adventum reſervati, qui ob ſectarium malum ad mortem damnati erant; in iiſque aliquot ex B. Iſidori Hiſpalenſis coenobio ſocii; et Hiſpali et poſtea Pinciae magna pompa ad ſupplicium producti. XV. Pauli IV obitus, et noviſſima verba. Mortuo eo, ſumma intemperie in ſtatuas ejus a plebe ſaevitum, effractis per interregnum Inquiſitionis carceribus: et in ejus memoriae contumeliam Carafarum inſignia

Tom. I. paſſim confracta ac dejecta. XVI. Principum virorum mortes intra unius anni ſpatium, pontificis, Caeſaris, Franciae regis, II Daniae regum, item Laurentii Priuli Venetorum principis, Othonis Henrici Palatini ſeptemviri, Herculis Ateſtini Ferrariae ducis, Othonis Luneburgici ducis et Willelmi Hennebergici principis; III reginarum, Helionorae Franciae, Mariae Hungariae, et Bonae Sfortiae Poloniae. XVII. Georgii Recrodi obitus: item literis clarorum Franc. Duareni, Aemari Ranconeti, Joachimi Perionii, Roberti Stephani, Lucae Gaurici, Jo. Bapt. Folengii, Jacobi Milichii. XVIII. Coſmi per interregnum in Etruria geſta. XIX. Pucciana conjuratio Florentiae detecta; in qua Bernardus Corbinellius cum ſe miſcuiſſe deprehenſus eſſet, et fuga periculum praevertiſſet, inevitabili poſtea fato apud nos periit. XX. Eliſabetha Philippi uxor ad limitem magna pompa deducitur, et a Navarro non minore ceremonia in Philippicorum procuratorum manus tradita eſt, addita proteſtatione, ut, quando traditionem in utriuſque regni finibus fieri debere conveniſſet, et in medio tamen Navarrae regno, quod ad ſe jure pertineat, facta eſſet, nullum ea re juri ſuo praejudicium factum eſſe intelligeretur. Inſtat poſtea Navarrus, miſſo in Hiſpaniam Jo. Claudio Levio Odoſio, pro regni reſtitutione; et eluditur. XXI. Factionum aeſtus Romae in pontificiis comitiis: tandem electus Joannes Angelus Medicinus, qui Pius IV dici voluit. Ejus gens. Auſpiciis ſuis veniam praeteritorum fecit; acta a ſuo deceſſore reſcidit; edicta revocavit; cauſas monachorum, eorum item qui ob ſectarium malum poſtulati fuerant, denuo addito temperamento cognoſci voluit; cardinalem Moronum et Thomam Sanfelicium ob id in carcerem conjectos ab injuria vindicavit; poſtremo, quod ſummae prudentiae tributum eſt, Imperatoriam dignitatem in Ferdinandum a Carolo fratre tranſlatam, quam Paulus IV improbaverat, ratam habuit.

## LIB. XXIV.

CIↃIↃLIX. Franciscus II

Res Turcicae a Muſtafae et Zeangiris morte repetuntur. Diſſidia inter fratres Selimum et Bajazetem ex Roxolana ſuſceptos, ſuperſtite patre. II. Pſeudo-Muſtafae res ad Euxinum Pontum ſupra Byzantium novantis infelix exitus. Duſmes alter poſt Mahametis I mortem idem auſus dubiam de regni ſucceſſione controverſiam Amurathi II fecit. III. Bajazetes, qui ſuppoſiti Muſtafae motibus cauſam praebuiſſe arguebatur, Solymano patri interventu matris reconciliatur. IV. Achomates, qui poſt Ruſtanum loco motum in Porta principem locum tenebat, quod in arcano rebus Bajazetis ſtudere ſuſpicionem feciſſet, in Divano Sultani juſſu ſtrangulatur. Hinc deſperatione Bajazeti injecta, poſt biennium, matre exſtincta, inter fratres diſſidia recrudeſcunt; ita primo a patre prudentiſſimo compoſita, ut, ablatis, quas conterminas obtinebant, provinciis, alias utrique adtribueret, et Selimum Iconium, Bajazetem Amaſiam, infauſto fraternae necis omine damnatam, migrare juberet. V. Tergiverſante ob id Bajazete, et interim pecuniam et militem Ancyrae cogente, haud occulto praetorianorum favore, pater, conſulto Mophti, cum Bajazetem reum divinae ac humanae majeſtatis eſſe comperiſſet, vim contra vi ſe defendentem parat; et, Iconio occupato, idoneas copias Selimo ſummittit, cum quibus ille pugna ad Iconium cum fratre commiſſa ſuperior evaſit. VI. Bajazetes poſt rem fortiter ſed infeliciter geſtam elapſus in Perſiam iter infauſtum ingreſſus eſt; ratus Tecmaſen, Solymani injuria irritatum, qui fratrem ejus Elcaſem transfugam receperat, non gravate facturum, ut par pari rependens tutum ſupplici perfugium apud ſe concederet. VII. Eluſis in itinere ſtructis inſidiis, tandem ad Tecmaſem cum liberis accedit; a quo perbenigne initio accipitur, facta ſpe de jungenda matrimonio filia cum Orcane ipſius filio. Mox ex ſuſpicione, ſive Solymani metu, qui cum ingenti exercitu advenire nunciabatur, mutata voluntate, Tecmaſes, ſociis huc illuc per diverſa loca ablegatis, ubi condicta die ſinguli interfecti ſunt, hoſpitem inter ſacra menſae vinculis onerat, et liberos cuſtodia includit. Repoſcenti patri filium, et recuſante Perſa, quippe

quippe ultionem generoſi adoleſcentis, ſi elaberetur, metuente, tandem conſultius viſum, ut Tecmaſis permiſſu Bajazetes cum filiis necaretur. VIII. Miſſus ob id Haſſan praeguſtator Caſminum, qui, muneribus ad Perſam allatis, triſtis carnificis officio defunctus eſt: et, ne quid reliquiarum ſupereſſet, minimus natu, quem fugiens pater miſericordiae avi reliquerat, Pruſiae ab eunucho juſſu Solymani ſtrangulatus eſt. IX. In Scotia Jacobus Stuartus nothus Moraviae comes quaſi defectionum in regno auctor regis literis inſimulatur. X. Miſſae e Gallia regenti auxiliares copiae, duce Broſſio, et cum eo Nic. Pellevaeus Ambianorum epiſcopus cum aliquot Sorbonicis doctoribus, ut religionis cauſa motus exortos componeret. XI. Foederati ea re irritati ſuperbo reſponſo regentis imperia et auctoritatem detrectant, et foedus cum Eliſabetha Anglorum regina iciunt. XII. Scriptum ab Angla publicatum; quo in Guiſianos invehitur, et invidiam foederis nuper initi diluit, ſeque paratam militem e Scotia deducere oſtendit, ſi pace facta e Scotia Galli in ea militantes deducantur, et Guiſiani regis et Gallorum opibus abutentes deinceps injuriam a vicinis abſtineant, neque ſe per Scotorum latus petant. XIII. Per Michaëlem Seureum regis apud Anglam oratorem de revocandis e Scotia Anglis actum; et utrinque allatae rationes et honorifice diſceptatae, miſſo etiam Jo. Monlucio Valentiae epiſcopo in Scotiam, qui Pellevaeo gratioſior foederatis ſpem in futurum faceret regiae benevolentiae, modo ab armis diſcederent, et obedientiam regi reginaeque debitam praeſtarent. XIV. Interea miſſus Sebaſtianus Lucemburgicus Martigius, et poſt eum Renatus Ellebovii marchio regentis frater, qui Kethae inſulae obſeſſae et Lethae omni commeatu interclusae ſuppetias ferrent. XV. Repulſis cum damno Anglis, et regente ad pacis conſilia inclinante, ac ſic cenſente, non aliter antiquam religionem ſervari poſſe, quam ſi libera ſua Scotis relinqueretur, venere ab Eliſabetha Gulielmus Cecilius et Nic. Wottonus; et Valentini epiſcopi et Caroli Rupifulcaudii Randani interventu tranſactum eſt. Sed Mariae regentis virtute incomparabili foeminae obitu interveniente paene res conturbata fuit; de qua poſtea convenit, magnoque plauſu, cum utroſque belli taederet, pax certis legibus promulgata, ſancita praeteritorum oblivione, et Lethae ac Dumbari munitionibus dirutis. Haec Sextili menſe acta, jam Amboſiana conjuratione detecta. XVI. Annus apud nos a laudabili lege in ſenatu promulgata incepit, de cooptandis in regni curiis et inferioribus ſubſelliis judicibus, ut gratiae et foedis nundinationibus obviam iretur; quae aulicorum importunitate et malitia tandem obſolevit. XVII. In Guiſianos rerum potenteis initur conjuratio. Ejus origo, cauſae, praetextus. Conſultationes de ea inter Proteſtanteis theologos habitae. XVIII. Dux in arcano delectus Ludovicus Borbonius Condaeus; eique ſubſtitutus Godofridus Barrius Renaudius. Ejus gens, ingenium, adflicta fortuna, ſpecie litis privatae Condivicinum Namnetum adventus, et oratio vehemens ad conſcios; in quam conjecta ſunt omnia, quaecunque amarulente et invidioſe in Guiſianos tunc temporis per libellos et in coetibus privatis jactabantur: quae res ex fide narrantis, cum reticenda non eſſent, ita referuntur, ut ab inimicis hominibus ſtudioſe congeſta, et ad accendendos animos per convitium plerumque pronunciata intelligantur. Summam ſecundarii ducis fiduciam non minor ſuorum conſtantia ac fides in tanto facinore ſecuta eſt. XIX. Res tandem detecta ab homine minime malo, et qui ſolo conſcientiae ſcrupulo ad facti horrorem trepidantis attinebatur. XX. Gaſpar Colinius ſeveritatem ſuppliciorum, quibus Proteſtantes paſſim vexabantur, coram Catharina et Olivario cancellario deprecatur. Ex conſenſu Guiſianorum edictum ea de re conditum; quo praeteritorum gratia fiebat, excluſis ab ea novis concionatoribus, et qui religionis praetextu in regem, reginam, fratres ac primarios principes conjuraſſent. XXI. Nihilominus pergit Renaudius; qui, rei per Lignerium conficiendae ordine explicato, et die ac nominibus conſciorum per Lignerium editis, in Caſtri-Reginaldi ſylva Pardallanium obvium interficit, et a famulo ejus in veſtigio ipſe occiditur. Captus interim Caſtelnous, Mazera, Villemongius, alii, ſupplicio mox adfecti. Hugonoti unde dicti. XXII. Malinius junior, qui de occidendo propria manu Guiſio fidem obſtrinxiſſe dicebatur, a Condaeo

CIↃIↃLX.

Tom. I. Condaeo ne faceret prohibitus, elabitur. Ex indicio conſciorum et confeſſionibus damnatorum Condaeus merito ſuſpectus, tamen ſe ſumma fiducia in regis conſiſtorio tuetur; et, cum ſe vel certaminis alea objectas criminationes diluere paratum oſtenderet, Guiſius egregia diſſimulatione ſe quoque paratum oſtendit pro Condaei innocentia commune periculum ſubire. XXIII. Navarrus et in conſcientiam criminum occultis delationibus pertrahitur. XXIV. Fr. Olivarii mors, elogium. Optimo legum moderatori digniſſimus ſucceſſor Michaël Hoſpitalius deligitur.

## LIB. XXV.

CIƆIƆLX.
Franciscus II
Tom. II.

Tumultu ſedato datae ad curias et praefectos toto regno et ad Navarrum ipſum regis literae. Res in majus exaggerata in ſenatu Pariſienſi, et conſervatoris patriae elogium Guiſio tributum. Datae et ad Germaniae principes regis ea de re literae. II. Colinii jam ſuſpecti ex aula diſcedunt. III. Edictum Romorantinum; quo decernitur, ut cognitio de ſectariorum crimine penes epiſcopos maneat, omni ejus juriſdictione curiis regni adempta, pro qua ante quinquennium ſenatus tam pertinaciter pugnaverat, cedente Hoſpitalio, et, cum rectum curſum tenere non poſſet, velificationem mutante, ne ad inquiſitionis Hiſpanicae, quae tunc urgebatur, ſcopulos reipublicae navem illideret. Severae eodem edicto ſanctiones contra conciliabula et coitiones illicitas, et ſeditioſas de religione diſſertationes, continebantur; delatoribus praemio propoſito: et, ne calumniis anſa praeberi videretur, addito, ut calumniatores talione plecterentur. Jubebantur item paſtores ad gregis ſibi commiſſi curam attendere. Indictus ex Hoſpitalii conſilio principum ac procerum ad Fontem-Blaudi conventus. IV. Nova ſimultatum inter Guiſianos et Momorantium jacta ſemina, ex occaſione litis de Dammartini comitatu inter Bullinvillerios et Ramburios fratres uterinos exortae; cum Momorantius jus ab alteris, ab alteris Guiſius pariter jus emptione in ſe tranſtuliſſet. Senatus in eo judicio prudentia et aequitas. Tandem ſecundum Bullinvillerios, a quibus jus Momorantius habebat, pronunciatum. Fr. Vindocini e nobilitate Gallica viri primarii alienus a Guiſianis animus. V. Rex Caeſarodunum Turonum accedit, et ridiculae in ejus ingreſſu pompae. VI. Catharina Guiſianorum pertaeſa Proteſtantium partibus ſe benigniorem praebet. Scriptum Theophili nomine ad Catharinam pro eorum innocentia oblatum a Fr. Camuſio pellionis domeſtici filio ſummae ſimplicitatis et miri candoris juvene; quem ſenem poſtea vidi, et a quo multa his de rebus didici, quae pari fide, qua acceperam, tradidi. Is totam vitam peregrinationibus variis in orientem triverat, et ſaepius in Aegyptum cum uxore profectus familiareis cum Joanne Meletio patriarcha Alexandrino ſermones habuerat; tantaque fide mercaturam ſuam exercebat, ut in aliis rebus fidem quoque mereri videretur. VII. Liber Tigridis titulo in Guiſianos vulgatus, ejuſque vulgator (nam de auctore nihil vel per exquiſita tormenta reſciri potuit) in furcam actus. VIII. Condaeus aulam relinquit, et Neracum in Labretanis ad Navarrum fratrem tendit. IX. Plancius hujus hiſtoriae praecipuus ſcriptor in arcanum a Catharina ſeducitur, et de horum motuum cauſis interrogatus audacter ac libere reſpondet, Guiſianos in ordinem cogendos, et regii ſanguinis principibus praerogativae locum, unde dejecti ſunt, et dignitatem reſtituendam. X. Ad Fontem-Blaudi celebratus ſolemnis conventus, in quo Gaſpar Colinius pro libertate religionis ſupplicem libellum obtulit. XI. Joannis Monlucii epiſcopi Valentini et Caroli Marillaci archiepiſcopi Viennenſis graves orationes habitae, et ad concilium oecumenicum parare ſe juſſi epiſcopi; quod ſi a pontifice obtineri non poſſit, rex conſulto facturus pronunciatur, ſi quam primum de nationali celebrando cogitet, et interea poenae contra ſectarios decretae intermittantur; foedae item nundinationes ex eccleſia tollantur: alioqui futurum, quod B. Bernardus praedixit, ut Chriſtus de coelo deſcendat, et reſumpto flagro ſacerdotes, ut olim mercatores, e templo ſuo probroſe expellat. XII. Inde indicta regni

regni comitia, et copiae militares per provincias Guiſianorum arbitrio diſtributae. XIII. Saga multorum literis ad Navarrum Bonvallio prodente comprehenſus. XIV. Franc. Vindocinus in Baſtiliam ſub cuſtodia conjectus. XV. Irritus de Lugduno intercipiendo conatus. Cardinalis Borbonius deceptus fratres in errorem inducit. Franc. Barbanſonus Canius, Robertus Haius comprehenſi. XVI. In Allobrogibus Proteſtantium pullulat doctrina. XVII. Valentia capitur a L. Maugirono et diripitur. XVIII. Carolus Monbrunius arma capit, et in Venaſcinenſi comitatu turbas excitat, reque male geſta ad Helvetios confugit. XIX. Antonius et Paulus Moventii fratres ob religionem in Provincia itidem arma ſumunt. Antonius Draguiniani excita ſeditione crudeliter necatur. Paulus Genevam confugit, qui annis ſequentibus bellicae virtutis laude inter ſuos multum claruit. XX. Motus ob religionem in Armoricano tractu. Tom. II.

## LIB. XXVI.

CIↃ IↃ LX.

Franciscus II

Viennensis archiepiſcopi ad Monpenſeriam de occultis Guiſianorum adverſus Navarrum et Condaeum conſiliis monita, et paulo poſt ſecuta mors. II. Rex Aurelianum ad comitia indicta tendit. Andelotus aula in citeriorem Britanniam diſcedit. III. Navarrus et Condaeus diſſuadentibus pleriſque ex amicis tandem in aulam veniunt. IV. Condaeus capitur, et eodem tempore Roienſis ſocrus. Hier. Grolotius Aureliani praetor in carcerem truditur. Navarrus ſub libera cuſtodia retinetur, et de eo interficiendo ſumptum conſilium. Renata Ferrarienſis ex Italia in aulam venit. V. Condaei cauſa agitatur. VI. Regis morbus ingraveſcit, ex quo paulo poſt deceſſit, an decreto jam contra Condaeum facto, incertum. Navarrus, Lonviana Monpenſerii uxore et Hoſpitalio annitentibus, Catharinae reconciliatur. In Guiſianos dicteria ac ludibria. Annas Momorantius magiſter equitum in aulam evocatus, ſuperſtite adhuc Franciſco II, dum cunctatur in itinere, nuncium regis mortis accipit, et iter accelerat. VII. Condaeus cuſtodia liberatur, et in Picardiam ſe confert. VIII. Exſequiae Franciſci II vili pompa celebratae, Silvanectenſi epiſcopo et Sanſaco ac Broſſio funus deducentibus, non ſine Guiſianorum invidia; in quam Tanaquilli Caſtelli in Armorica viri illuſtris Carolo VII rege memoria renovata. IX. Navarrus Catharinae reconciliatus ſic adminiſtrationem publicam cum ea partitur, ut penes ipſam regimen eſſet, ipſe praeſidis generalis per totum regnum titulos et auctoritatem ſumeret. X. Fr. Vindocini in aedibus ſuis Baſtiliae vicinis ſub id ſecuta mors. XI. Hoſpitalius magiſtratum ſuum a lege aequiſſima inchoat, qua foeminarum ad altera vota convolantium voluntates fraenantur. XII. Memorabile S. C. Toloſae contra impoſtorem Arnoldum Tillium, qui ſe pro Martino Guerra ferebat, et uxorem ejus deceperat, latum. XIII. Pontifex novus, ut nomini Medicaeo, quod ſibi ſumpſerat, dignitatem majorem conciliaret, ſeque in eam familiam tanta gratia inſinuaret, de Coſmo rege Etruriae creando cogitat. XIV. Belgici motus ob religionem ſemina. Bartholomaeus Caranza archiepiſcopus Toletanus Sectarii mali poſtulatur, et Romam citatus in carcerem conjicitur. Oecumenici concilii petitio eluditur, et nationale impeditur. XV. In Carafas odium renudatum, et cardinalis ac Joannes Montorii comes frater in carcerem truduntur. Nec melius Petilianus ab eo habitus. XVI. Coſmus Romam venit, et fluctuanti pontifici fit auctor, nationalis a Gallis metu injecto, ut oecumenicum, quod Caeſar urgebat, perſequeretur. XVII. Tripolitana expeditio a Joanne Cerda Siciliae prorege ſuſcepta contra Dragutem, qui amoto Morutaha Caruennae regnum occupaverat, et Lotophagitidem inſulam vicinam, Solimano dynaſta ejus per fraudem capto ac poſtremo in furcam acto. XVIII. Inſulae deſcriptio et incolarum mores, opes, et erga principem cultus. XIX. Inſula in noſtrorum poteſtatem venit, et Cerda tributum Philippo a dynaſta pactus munitionem ſtruit, eique Barahonam caſtrorum praefectum cum valido praeſidio imponit, ſpretis Joannis A. Auriae monitis, qui auxiliari Turcicae claſſi duce

Tom. II. Piali purpurato venienti, relicta munitione in Aegaeo mari, antequam ſe cum Dragute et piraticis triremibus conjunxiſſet, occurrendum eſſe ſuadebat. XX. Tandem adveniente hoſtili claſſe, cum de milite in naveis imponendo tumultuarie conſultaretur, Alvarus Sandaeus ultro ſe obtulit, qui munitionem, cui defendendae Barahonam imparem videbat, contra Turcos tueretur. Oppreſſus Cerda, triremibus XIX et XIV navibus onerariis amiſſis, cum Joanne And. Auria vix effugit. Sandaeus cum in nova arce defendenda ſumma omnia feciſſet, dum per avia eruptione facta hoſtilem foſſam tentat perrumpere, et conſcenſis triremibus, quae ex clade ſupererant, in altum evadere, undique circumfuſus capitur, et ad Pialim, qui eum perhonorifice excepit, cum ſuis adducitur: qui in arce remanſerant, poſtea in miſeram captivitatem abducti. XXI. Sandaeus poſtea, Busbequii, qui Ferdinandi oratorem ad Portam agebat, interventu, a Turcis libertati reſtitutus, nec non Sanctius Leva et Berengarius Requeſenes. XXII. Petrus Macchiavellus Coſmi claſſi praepoſitus, ad Aegilium a Turcicis triremibus circumventus, periclitatur. XXIII. Ordo equeſtris S. Stephani in memoriam proſpere pugnatae ad Marcianum pugnae a Coſmo inſtitutus. XXIV. Livonica ſubjiciuntur. Infeſtatis a Moſco his populis magnus Holſatiae princeps auxiliarius venit, qui eos hoſte pejus habet. Tumultuantibus Moſci interveniunt, et Livonos prope Ermas profligant, ſucceſſumque urgentes Velinum arcem, in quam ſe Willelmus Furſtembergius ejerata dignitate receperat, capiunt, ipſumque ſenem triumphabundi Moſcam longe abducunt. Revalienſes omni ope deſtituti Erico novo Sueciae regi quanquam aegre ſe ſubjiciunt. XXV. Guſtavi patris, regii nominis in familia ſua fundatoris, mors et elogium: XXVI. Andreae item Auriae, et repetita jam intermortua ejus memoria. Bellaiorum obitus et laudes; Laelii Capilupi, Jacobi Bonfadii, Philippi Melanchthonis, Georgii Sabini, Petri Lotichii, Nicolai Gerbelii, Joannis Dryandri.

## LIB. XXVII.

CIↃIↃLX. Carolus IX. LIBER XXVII hiſtoriarum initia Caroli IX habet: comitia regni ſub deceſſore indicta Aureliani magna frequentia peraguntur. II. Hoſpitalii oratio. III. Pro plebeio ordine verba facit Joannes Angelus: IV. Pro nobilitate Jacobus Sillius Rupifortii comes: V. Pro ſacro ordine Joannes Quintinus Aeduus; in quo quod perſtrinxiſſet G. Colinium, qui Proteſtantium nomine libellum ſupplicem regi ad Fontem-Blaudi obtulerat, varie exagitatus et libellis ac dicteriis petitus morbo inde contracto paulo poſt deceſſit, cum prius commeatum a rege petens dicta publice excuſaſſet. VI. His peractis, ſignificatum praeſulibus, ut ſe ad proximum concilium Tridenti inſtaurandum pararent: per praefecturas mandatum, ut vincti ob religionem ſolverentur, et bonorum annotatorum libera poſſeſſio iis relinqueretur, comitiis in Maium menſem proximum rejectis. VII. Infauſta Henrici Borbonii Caroli Rupiſurionii filii ex caſu mors. VIII. Bellum contra Convallenſeis, qui ex Valdenſium reliquiis in Alpibus regi et Sabaudiae principi ſubditis ſuperant: deſcriptio locorum ab iis inſeſſorum, religio, mores, frugalitas atque adeo paupertas. IX. Fraxinea vallis. Hannibalis via. Truchefii a Pragellatenſibus clade accepta principium bello faciunt. X. Convallenſes porrecto per Luſernae comitem Sabaudo libello ſupplici vim conſcientiis et arma deprecantur. Trinitenſis comes in eos ducit, vario ſucceſſu. Virginis praeclarum facinus, ut pudicitiam ſervaret. XI. Prodigia toto orbe hoc anno viſa. XII. Renovatum contra Angrunios et Luſernenſeis bellum, Trinitenſi duce, qui ad Tornipratum ingenti clade adficitur. XIII. Phthorae ſeu toxici venenum, et ejus affectus. XIV. Cavortiana cum iis pacificatio aequiſſimis conditionibus, Sabaudo jam belli contra homines alioqui innocenteis pertaeſo; qui et hanc gratiam reconciliatis populis fecit, ut a Caſtrocaro Thuſco, qui ob religionem inter eos exulabat, et armorum uſum illos docuerat, regerentur. XV. In Belgio ſeverae in Proteſtanteis animadverſiones. Inquiſitionis inviſum nomen et metus. Confeſſio Philippo ab

CIↃIↃLXI.

ab iis exhibita, cum proteſtatione de obſequio quod principi debetur, de tributorum ſolutione, et ordinariis pro ejus incolumitate ad Deum precibus. XVI. Apud nos in regis conſiſtorio actum de ſumptibus minuendis ad populi levamentum: et jam tum inſtabant multi, ut externorum militum penſiones tollerentur. Italorum avaritia exagitata. Scotorum commendatio. XVII. Rex Aureliano diſcedens Fontem-Blaudi venit. Condaeus ad regem accedit, et tanquam a criminibus objectis innocens priſtinum in conſiſtorio locum ſumit, pleniore innocentiae declaratione ſenatui Pariſienſi reſervata. XVIII. Navarri cum regina parente ſimultates. Multa invidioſe in eos, qui Henrico II et Franciſco filio regibus publicam rem adminiſtraverant, propoſita. XIX. Danici oratoris cum Navarro de religione ſermones. XX. A. Momorantii alienus a Condaeo et Coliniis quamvis proximis ob religionem animus. XXI. Comitia Lutetiae inſtaurata. XXII. Momorantii cum Lotaringis Santandreano medio reconciliatio, et triumviratus aulici initium. XXIII. Parium Franciae origo et numerus. XXIV. Magni camerarii dignitas a Longavillanis fruſtra repetita.

## LIB. XXVIII.

CIↃ IↃ LXI.
Carolus IX.

Condaeus frequenti ſenatu abſolvitur. II. Bellovaci ob religionem tumultuatur, et aliis locis nimia loquendi libertate: edictum in id conditum, quo inter alia Papiſtae et Hugonoti vocabula inhibebantur; quod mox Julianum ſecutum eſt, frequenti ſenatu diſceptatum et promulgatum. III. Oratio Hoſpitalii, in qua nationalis concilii injecta mentio: quod Romam perlatum oecumenico maturando cauſam praebuit. IV. Guiſius, qui Caletum uſque Scotorum reginam neptem domum redeuntem comitatus fuerat, in aulam reverſus Condaeo reconciliatur. Summa dignitate quantum ad Condaeum, nec minore gravitate quantum ad Guiſium, res acta. V. Comitia ad Eſiae pontem tranſlata; et in iis recitatae ſuper regni adminiſtratione factae inter reginam et Navarrum conventiones. VI. Catharinae non ita alienam ſe a Proteſtantium partibus pro tempore ſimulantis ad pontificem literae; quibus animum ejus pupugit, multa illis innuens, quae emendationem in religione cum temperamento poſſent recipere. VII. Colloquium Poſſiacenum; quo Theodorus Beza et Petrus Martyr Vermilius venerunt. VIII. Hoſpitalii oratio a cardinali Turnonio laudata; quem Beza excepit: IX. Qui Sectarii nomen et invidiam amoliri conatus, cum ad caput de ſacramentis et de tranſubſtantiatione diſputatio deſcendit, calore contentionis ita abripitur, ut multa illi magna cum aſtantium praeſulum indignatione ac fremitu exciderint. X. Turnonii de iis ad regem expoſtulatio, et Bezae altera oratione excuſatio. XI. Nihilominus repetitum colloquium aliquot poſt diebus; in quo cardinalis Lotaringus colloquii auctor luculentam habuit orationem. XII. Tertio conveniunt, poſtquam colloquium ad pauciores contractum fuit; in quo Beza de eccleſia, ejus notis, quas in ſincera verbi praedicatione et recta ſacramentorum adminiſtratione conſiſtere aiebat, de doctrinae ac perſonarum ſucceſſione, de Scripturae dignitate, an ei praeſtet eccleſia, ac poſtremo de vocatione prolixe diſputavit. Ad quam Cl. Eſpencaeus ſummo temperamento appoſitiſſime reſpondit. Suas partes et interpoſuit Claudius Sanctius. XIII. Venerant et a principibus Germaniae, qui Auguſtanam confeſſionem ſequuntur, paſtores, inſtigante Fr. Balduino; ſed nullo fructu. Liber de officio pii viri, quod, ſuppreſſo auctoris, qui erat Georgius Caſſander, nomine, a Balduino propoſitus per manus hominum volitaret, mire odio Balduini exagitatus. XIV. Dein uno et altero conſeſſu de coena quaeſtio ventilata, et propoſita a paſtoribus formula ex Cyrilli Hieroſolymitani, ut aiebant, catecheſi; cujus extremam clauſulam improbavit Eſpencaeus, et aliam ſumma moderatione ſubſtituit. Mollita et interpretatione a Beza et ſociis prior formula. XV. Solutum colloquium: et praeſulibus mandatum, ut ſe ad futurum concilium pararent. XVI. Hiſpanis fama colloquii offenſionis cauſam praebet. XVII. Arturus Deſiderius, quod libellum Catholicorum, ut aiebat, nomine in

Gallia

TOM. II. Gallia ſubſcriptum in Hiſpaniam perferendum ſuſcepiſſet, ignominioſa poena mulctatur. XVIII. Tanquerellus item, quod regem ratione ſceptri pontifici ſubjacere publica diſputatione aſſeruiſſet, recantare juſſus; et damnata ea doctrina coram univerſo Sorbonico coetu. XIX. Concilium Tridentinum inſtauratur, Coſmo Florentiae duce inſtante. Pauli Vergerii Juſtinopolitani quondam epiſcopi ſcriptum contra pontificium diploma. XX. Legati pontificii ad conventum Naumburgenſem veniunt, Caeſaris adjunctis oratoribus. XXI. Altercantur inter ſe Proteſtantes; et varia Auguſtanae confeſſionis exemplaria proponuntur. XXII. Gulielmi Arauſionenſis cum Anna Mauritii Saxonis ſeptemviri filia nuptiae. XXIII. Livonia Polonis ſubjicitur, Gotardo Ketlero ex magiſtro Ordinis duce Curlandiae creato a Sigiſmundo Auguſto, ſicuti Sigiſmundus ejus parens Albertum Brandeburgicum ex Teutonici Ordinis magiſtro ante .... annos Boruſſiae ducem creaverat. XXIV. Walachia et Moldavia a Jacobo deſpota occupatae. XXV. Carafae Romae a novo pontifice male mulctati. Caroli cardinalis mors vita melior: in ſuas charitates indulgentia. XXVI. Navagerius, et M. Ant. Amulius, antea epiſcopatu Veronenſi, cum Romae pro republica oratorem ageret, a pontifice donatus, in illa tot cardinalium cooptatione creati cardinales. Senatus de Amulii creatione apud pontificem expoſtulationes. XXVII. Philippus, cunctante pontifice, Antonium Toletanum ad reginam mittit, ut nationale concilium impediat; qui ad Navarrum placandum vanis cum de Sardiniae regno et matrimonio Mariae Scotae, dimiſſa Joanna, promiſſis ludificat. XXVIII. Hippolytus Ateſtinus Ferrarienſis in Galliam a pontifice ob id legatus. Navarrus ad triumviros relictis ſuis inclinat, annitente Vincentio Laureo, et ſpem de regno Sardiniae et Tunetano conceptam confirmante, qui poſt cardinalis Turnonii obitum Navarro operam navabat. XXIX. Templa multis locis a Proteſtantibus occupata, et frequentatae publicae conciones: tumultuantur ob id Divionenſes in Aeduis. XXX. Lutetiae ingens ſeditio ad Medardi fanum in Sammarcellino ſuburbio. De ſeditioſis ſupplicium ſumptum, et prohibiti tota urbe conventus. XXXI. Joannis Tarnovii, Gabrielis Faerni, Arnoldi Arlenii Peraxyli, Melchioris Wolmarii obitus.

## LIB. XXIX.

CIↃIↃLXI.
CAROLUS IX.

MARIA Scota in regnum, praeternavigata Anglia, deſcendit. Jacobi Moravii cum Angla tunc habiti ſermones et conſilia. Tumultus per Scotiam ob religionem. Templa ac coenobia paſſim deſtruuntur. II. Prima regni initia, et varia de Mariae fortuna judicia: III. Cum Eliſabetha per oratores agit, ut ſecundum liberos, quos gigneret, proxima regni heres deſignaretur; quod illa non ſolum averſata eſt, ſed ex eo Mariae conſilia ſuſpecta ſemper habuit. Pro-
CIↃIↃLXII. teſtantes in regno pollent, Catholicis in arctum coactis. IV. Tertia redituum ſacri patrimonii portio ad ſumptus aulae et regni ſuſtinendos reginae adjudicata. V. Moravius variis inſidiis et saepius eluſis ac repetitis conflictatur: ad extremum palam erumpentibus fortiter reſiſtit, et Gordonios earum auctores praeter ſpem inexſpectata Dei benignitate caedit. Huntleius familiae princeps in conflictu exanimatus; Joannes filius, qui de reginae nuptiis ſpem conceperat, captus capite luit. Reginae ob tam proſperos ſucceſſus, et quod Proteſtantium partes per eum firmarentur, ſuſpectus Moravius. VI. Apud nos, ut obviam turbis iretur, conventus delegatorum ad Germani-fanum peraguntur. Hoſpitalii gravis oratio, qua ad laxandam Proteſtantibus libertatem inclinare viſus eſt, quando ſeveritate nec ſuppliciis, exiliis, bonorum publicationibus quidquam hactenus in eo negotio profectum eſſet. VII. Tandem conditum Januarium edictum, quo eccleſiaſtici in bona ac loca a Proteſtantibus occupata reſtituebantur, Proteſtantibus conveniendi toto regno poteſtas fiebat. VIII. De cultu imaginum inter praeſules et Proteſtantium paſtores, qui adhuc in aula erant, perſcripta formula, ſed irrito ſucceſſu. Senatus Pariſienſis in edicti promulgatione intercedit: quod addita clauſula, donec

a

a concilio univerſali de re tota decretum, aut a rege aliter ſtatutum fuerit, poſt unam et alteram juſſionem tandem promulgatum fuit. IX. Triumviri edictum ut vitio factum averſantur. Guiſii et Caroli cardinalis fratris cum Chriſtophoro Wirtembergico ad Tabernas Alſatiae congreſſus ad impediendam Helveticam ſeu Genevenſem confeſſionem, facta ſpe de Auguſtana toleranda. X. In reditu Vaſſiaci Proteſtantium praeter Guiſii voluntatem ſtrages edita. XI. Guiſius ad urbem venit; pertracto ad partes ſuas Navarro, ipſe, A. Momorantius et Santandreanus auctores ſunt reginae nutanti, quae ad Fontem-Blaudi haerebat, ut Lutetiam cum rege veniat. XII. Meloduni conſultatur, Condaeo cum ſuis obequitante, cui facta ſpes, quaſi rex reginaque ejus ſe fidei commiſſuri eſſent. Tandem regem regina ad Vicenarum caſtrum altero ab urbe lapide adducit. XIII. Condaeus cum ſuis Aurelianum tendit et occupat. XIV. Condaei uxor uno partu gemellos ex conſternatione enititur, quam Magdalena Mallia parens mox cum Contii principe et gemello partu ac filia Argentinam abducit. XV. Condaei ſcriptum, quo belli neceſſitatem excuſat, et in triumviros repetita ſuperiorum temporum memoria invehitur. XVI. Foedus Proteſtantium contra Guiſianos, quo de regis reginaeque matris captivitate conquerebantur. XVII. Foedus contrarium; cujus ad invidiam princeps jactabatur Philippus rex Hiſpaniae. XVIII. Rex reginaque edictum eodem die proponunt, quo ſparſi de captivitate rumoris vanitatem elevabant, ac de cetero Januario menſe factum, excepta Lutetia a conveniendi libertate, confirmabant. XIX. Agendici Senonum plebs in Proteſtanteis ſaevit. Condaeus ad Caeſarem ſcribit. XX. Rotomagum occupatum a Proteſtantibus et Dieppa firmata. XXI. Vindinum Cenomanorum item iis cedit. XXII. Inde Condaei proteſtatio ad Pariſienſem ſenatum et Rotomagenſem miſſa, qua et contumelioſe quaedam Caeſaroduni Turonum et Bloeſis in templis acta excuſat; et, dum regni delectus citantur, conditiones pacis ab eodem propoſitae; quibus petebat, ut Guiſius ejuſque fratres, A. Momorantius et Santandreanus aula excederent; ita ſe ab armis diſceſſurum, et Contii marchionem grandiorem natu filium in id ſe obſidem daturum pollicetur. XXIII. Ad ea a Guiſio reſponſum contrario ſcripto, quo praecipue auctoritas Navarri obtendebatur: XXIV. Cui rurſus prolixo ac virulento ſcripto, cujus auctor Valentinus epiſcopus ferebatur, reſponſum. XXV. Condaei ad Sabaudum et Palatinum ſeptemvirum literae. XXVI. Conventus de religione Aureliani a Proteſtantibus celebratus.

Tom. II.

## LIB. XXX.

CIↃIↃLXII.

Carolus IX.

Uno et altero edicto Proteſtantes urbe pulſi a Navarro, qui cum exercitu Caſtellodunum uſque progreditur, cum Condaeus frater cum altero haud paulo minore Aureliano exiiſſet. II. Colloquium inter reginam et Condaeum. Hinc literis utrinque fruſtra certatum, quibus exaſperatis animis ad arma poſtremo deventum. III. Proteſtantium militum initio ſumma moderatio ac diſciplina ſtatim per laſciviam ſolvitur. IV. Rurſus Talſiaci in Vindocino agro ad colloquium convenitur. Conditiones a Valentino propoſitae de regno ad tempus deferendo, modo triumviri domum quiſque ſuam concederent, quas initio belli pertaeſus Condaeus non improbaverat, omnino rejectae. V. Inſidiae ad intercipiendas regias huc illuc ſparſas copias irritae. VI. Bogentiacum, quod Guiſius praeſidio firmaverat, a Condaeo captum ac direptum: diverſa parte Bloeſae a Guiſio receptae. VII. Magna intemperie Caeſaroduni Turonum Proteſtantes graſſati. Ob id ſeverum S. C. Lutetiae in eos factum; quo aqua et igni interdicebantur, et jubebantur omnes in urbibus et in agro contra eos armari. VIII. Cum per Cenomanos diſcurſarent, iis ſe ſumma virtute Petrus Ronſardus opponit. IX. Andegavum irrito conatu tentatum. Gaſparis Schombergii tunc literis in urbe operam dantis virtus. X. Rupifortium a Monpenſerio receptum, ſupplicio de Paludano ſumpto. Exemplum veriti Proteſtantes Cratumnum a ſe occupatum deſerunt. XI. Caeſarodunenſes male a regiis mulctati. Vindinum mox ab iis relictum. Renati Cam-

Tom. II. pani notata ſaevitia et piſcaria ejus vivaria. Samarobrigae item, ad Abbatis-villam et Silvanecti Proteſtantes male accepti. XII. Montargirium, quo plerique e Proteſtantibus Renatae Ferrarienſis patrocinio ſe tutos rati confluxerant, a Malicornio tentatum, qui generoſum Renatae reſponſum veritus abſcedit. XIII. Miſſus a Condaeo Ludovicus Lanoius Morvillerius Rotomagum, qui res confuſas ordinaret, et adverſus Aumalium urbem tueretur. XIV. Senatus provinciae, qui Lupariam conceſſerat, horrendum in eos decretum. XV. Eliſabetha Anglorum regina iis auxilia ſumminiſtrat. XVI. Factionibus ſciſſa provincia. Proteſtantes Viriam capiunt ac vaſtant. Jo. Broſſius Stampenſis ex proxima Armorica, qui Bullionii provinciae praeſidis tergiverſationes frangeret, evocatus. Ejus adventu Laudi-fanum deſertum. Cadomi et in Conſtantienſi praefectura a Julio Ravilio Rufo Alfonſi Ferrarienſis vicario male habiti Proteſtantes, et Valoniae renovata contra eos odia. XVII. Rex puer interim in caſtra adducitur; et conſilio habito diviſae copiae, parte Nemoroſio et parte Santandreano attributa. XVIII. Avaricum Biturigum a Mongomerio a Condaeo miſſo occupatum. XIX. Evulgatumque eodem tempore acerbum contra Guiſianos ſcriptum et ſenatui Pariſienſi oblatum, qui regium reſcriptum S. C. confirmavit; quo ii, qui Aureliani arma ſumpſerant, contra regem reginamque ea ſumpſiſſe declarantur, et perduellionis damnantur. XX. Contra Condaeus ad maturanda auxilia Gaſp. Schombergium in Germaniam mittit, et ſcripto contra S. C. Pariſienſe innocentiam ſuam tuetur. XXI. Santandreanus Auguſtoritum Pictonum ducit, quod mox captum et octiduana direptione vaſtatum fuit. XXII. Inde verſae contra Avaricum vires, quo Ivoeus a Condaeo miſſus ſe incluſerat; quod poſt ſtrenuam initio defenſionem ab Ivoeo tandem deditur, non ſine Condaei offenſione. XXIII. Res ad Engoliſmam a Sanſaco et Huberto Rupifulcaudio Martrone geſta. Corpus Joannis Comitis ſanctitate praecipui magna impietate ſacello revulſum. Engoliſma dedita et Cognacum. XXIV. Rupellani ſe medios gerunt, cum ambigerent plerique, arma contra regem ſumere liceret. XXV. Conventus a Rupifulcaudio comite Mediolani Santonum cogitur, in quo agitata quaeſtione a LX paſtoribus decretum, arma reginae ſemel juſſu ſumpta contra regis regnique hoſteis et edictorum violatores legitima eſſe.

## LIB. XXXI.

CIↃIↃLXII.
Carolus IX.

Consultatione poſt Avaricum receptum habita, Aurelianum an Rotomagum ducendum eſſet, Rotomagum peti placuit, ut expugnatu facilius, antequam auxiliares ex Anglia copiae advenirent. II. Geſta in aliis regni toto eo anno provinciis. Proteſtantes Meldis ſpecie conveniendi per templa graſſati male mulctantur. Catalauni et Barri ad Sequanam non melius habiti. III. Sanſtephani et ducis Luneburgici caedes. Ceani, Antiſſiodori, Novioduni Aeduorum in eoſdem ſaevitum. Ad Leonardi fanum, Antranii, Charitaei ad Ligerim varia fortuna conflictati. IV. Male habiti Genabi et Molinii in Boiis. In Arvernis Aurilliaci, cum motibus cauſam dediſſent, adventantibus regiis urbem relinquere coacti ſunt. V. Divione ſevera judicia contra eos ob expilata templa. Lugdunum ab iis captum, et mox Cabilo ad Ararim. Qui Auguſtoduni in Aeduis erant, adveniente Tavanio, Lugdunum concedunt. Cabilo a Monbrunio deſeritur. VI. Matiſconis ab iis occupati irrita obſidio. Cluniacum captum, et bibliotheca magno rei literariae damno incenſa. VII. Matiſco altera obſidione a Tavanio capitur. VIII. In Delphinatu Valentiae Segalaunorum indigna Gondrinii praefecti regii Guiſianorum odio caedes. IX. Lugduno, Saltuenſi comite amoto, Fr. Bellomontius Adretius Valentini tumultus auctor a Condaeo praeficitur. X. Gratianopoli per templa ſaevitum in imagines, et Maugirono regio praefecto poteſtas abrogatur. Incenſum ab Adretio vicinum Carthuſianorum coenobium. XI. Arauſionenſis clades a Fabritio Serbellono pontificiarum copiarum ſummo duce. Principatus origo, et Bauſiorum et Cabilonorum ſtirps, juſque in eum principibus noſtris. XII. Adretius Petram-latam capit, tantam injuriam ulturus, et praeſidiarios

rios

rios ad unum interficit. Idem Bolenae factitatum, et poſtea Monbriſonii. XIII. Gratianopolis a Laurentio Maugirono intercepta, et mox ab Adretio recepta. XIV. Jo. Parthenaeus Subizius ob crebras de Adretio querelas a Condaeo Lugdunum miſſus. XV. Auxiliares copiae a Bernatibus, Novocaſtrenſibus, et Valeſianis miſſae certis legibus, et ut Lugduni cuſtodiae tantum inſervirent: poſtea a Bernatibus revocati ſui. XVI. In Provincia exortae ob religionem turbae: cujus praeſes Cl. Sabaudus Tendae comes non ita alieno a Proteſtantibus animo erat: Aquae Sextiae a Jacobo Cruſſolio, qui cum ſecretis reginae mandatis ad eum venerat, captae; mox et Bariolium, defendente locum Flaceano. XVII. Interea rebus in aula mutantibus, diplomate publico ſumma praefectura Summarivio Tendae comitis filio Proteſtantibus infeſtiſſimo committitur, qui, dimiſſis a patre copiis denuo collectis, eos bello perſequitur. Ciſtertio ab eodem irrita obſidione tentatur. XVIII. Mornacum in Venaſcinenſi comitatu a Monbrunio vi captum, et crudeliter vaſtatum. XIX. Vaureacenſis pugna: in qua Suſianus omnis peditatus ab Adretio caeſus eſt. Alia ab eo pari celeritate geſta. XX. Ciſtertio denuo a Summarivio obſidetur, ac tandem capitur, diffugientibus praeſidiariis, quibus ſe ad IV CIↃ exulum omnis ſexus aggregarunt, qui XL amplius diebus per inacceſſa et infeſta loca facto itinere a Moventio Gratianopolim in tutum deducti ſunt. XXI. Summarivii contra Proteſtantes in Provincia acerbitas. XXII. Lugduni obſidionem a Tavanio coeptam Nemoroſius adveniens perſequitur. Ad Belloreparium Adretianus peditatus et mox ipſe Adretius a Nemoroſio caeſus; qui verſa vice inter Lugdunum obſeſſum et Viennam Nemoroſium victorem in tantas anguſtias conjecit, ut ipſe obſideri videretur, et interim annona copioſa in urbem importari potuerit. XXIII. Delegati a rege et Sabaudo conveniunt de controverſis utriuſque ditionis finibus acturi, et diverſas ſententias ferunt. Cum de Taurino ſibi reſtituendo inſtaret Sabaudus per Margaritam uxorem, ſemel atque iterum interceſſit Bordillonius provinciae praeſes, et rationes contrarias in conſiſtorio regis propoſuit. XXIV. Tandem reſtitutum Sabaudo Taurinum hoc anno exeunte, cum ei ex Margarita uxore pridie Eid. Januar. Carolus Emmanuel natus eſſet, qui nunc paternam ditionem regit.

TOM. II.

## LIB. XXXII.

CIↃ IↃ LXII.

CAROLUS IX.

INITIA concilii Tridentini. II. S. Stephani equitum ordo a Coſmo inſtitutus, ſtatutis ac legibus de eo conditis, et filio Franciſco ſub id in Hiſpaniam miſſo. III. Coſmi clades domeſticae: IV. Contentio de praerogativa cum Ateſtinis Ferrarienſibus, in qua tractu temporis obtinuit. Petiliana cauſa a Philippo ad Imperatorem remiſſa. V. Maximiliani in regem Romanum ſolemnis inauguratio, et ritus. VI. Ebraimi de induciis in VIII annos pangendis ad Ferdinandum legatio. VII. Bellum Livonicum exardeſcit inter Suecos, Danos et Lubecenſeis. Chriſtophorus Revalienſis adminiſtrator cum Erico Sueco tranſigit. Lubecenſes et maritimae civitates a Sueco turbidis conſiliis nimium tribuente infeſtatae, qui ne amicitiam quidem cum Joanne fratre, cum Polono et Dano, ſervare potuit. VIII. Apud nos in Aquitania res turbant. Burdigalae inita factio contra Buriam Navarri legatum. Aginni Nitiobrigum diverſi motus. Magna multis locis Proteſtantium intemperies, qui aliis atque aliis locis ſuperiores, aliis etiam pelluntur. IX. Divonae Cadurcorum male habiti. Nec multo poſt ruſticorum Cadurcenſi caſu exaſperatorum concurſu patrata Fumelii caedes, quam XL ex ſubditis vario cruciatu adfectis ultus eſt Monlucius, qui inde infeſtum cum iis bellum, poſtquam a Condaeo Aurelianum occupatum fuit, toto biennio geſſit. X. Tumultus Toloſanus a Proteſtantibus, dum periculo praevertere cupiunt, excitatus; qui tandem repelluntur, et quamvis perſcriptis conditionibus male mulctantur. XI. Severum contra eos, et qui Montalbanum tenebant, et Nemauſi, Caſtri, Biterris, Monpelii, Lactorati, Villafrancae in Rutenis, Millialdi, Villanovae, Limoſii, Apameae erant, S. C. factum Pariſienſis aemulatione; quod uno et altero diplomate regio

Tom. II. regio contrario, quo tumultus Toloſani oblivio inducebatur, mitigatum fuit; eoque Joannes Coraſius et Arnoldus Cavanius ſenatu moti priſtinae dignitati ſunt reſtituti. XII. Galliaci magna Proteſtantium ſtrages edita. XIII. Montalbani irrita obſidio. XIV. Eam ultus Mirapicenſis veniens poſt tumultum Toloſanum. XV. Belloquadrum captum, et intra diem receptum. XVI. Jac. Cruſſolii Baudinei et Gul. Jouſac contraria in Septimania geſta. XVII. Frontinianum fruſtra a Proteſtantibus tentatum. XVIII. Ingens Summarivii ad Aegidii fanum clades. Jouſa damno affectus obſeſſis praeſto eſt. Mompeliana obſidio obſtinatis animis a Jouſa ſuſcepta; cui deplorandis templorum ac coenobiorum ruinis a defenſoribus proſpicitur. Magalona capta. Adretius familiari celeritate obſeſſis fert ſuppetias; ſed cognito Viennam a Nemoroſio interceptam eadem celeritate revolat: quo factum, ut, cum praeſens adeſſe crederetur, regii remiſſius illius metu agerent. Tandem ſoluta obſidio, Combaſii et Sanfelicii turmis in receptu a Bulliargio caeſis et ſignis amiſſis.

## LIB. XXXIII.

CIↃIↃLXII. CAROLUS IX.

Monlucius Aginnum vi et colloquio tentat. II. Irritus ad Burdigalam Duracii conatus; qui, Candala capto, Macarii fanum expugnat ac diripit. Davazani temeritate amiſſum Neracum. III. Targonenſis pugna in Benaugienſi tractu; in qua Duracius ceſſit, magno inde regiorum terrore ſparſo. Saviniacus Grano dedito vitam ſibi et ſuis ſalvam pactus, quod contra pacta feciſſe diceretur, a ruſticis ad internecionem deletus. IV. Monſegurium in agro Vaſatenſi a Buria captum. V. Aginnum deſertum Buria et Monlucius veniunt, ac praeſidio firmant. VI. Lauſerta in Cadurcis a Duracio capta; et crudeliter in ea habiti ſacerdotes. VII. Hiſpanae copiae in caſtra regia duce Joanne Carbaiaco veniunt, Jo. Bapt. Caſtaldo, qui ſummus his dux deſtinabatur, paulo ante mortuo. Penna capta et crudeliter direpta, foeminis cum pueris ab Hiſpano milite occiſis: VIII. Quam immanitatem ultus eſt Duracius, Cailo in Rutenis paulo poſt capto, et ſacerdotibus magno numero crudeliter obtruncatis. Bordetus Pontium in Santonibus et mox Satyri fanum vi capit, et ſacerdotes in eo repertos male mulctat. S. Mariae Madaurenſis et Antonii Marcollenſis templa expilata. Pugnandi ad Mirabellum occaſio amiſſa. IX. Montalbanum denuo a Buria obſeſſum. X. Monlucius Lactoratum praeſidio vacuum obſidet, caeſiſque ad Taraubam dedititiis, a Brimontio recipit. Caumontium item munitiſſimum ad Garumnam caſtellum a Petro filio ſeu vi ſeu aſtu captum ac dirutum: tantum Godofridi Caumontii loci domini ſupellectili parcitum. XI. Ad Rotomagi obſidionem totae vires regiae converſae; quod tuendum Mongomerius ſuſcipit. XII. Foedus a Proteſtantibus cum Eliſabetha Hamptoncuriae ictum; et in eo dictae leges: ſecundum quod illa ſcriptum evulgat, quo conſilii ſui rationes pluribus explicabat. XIII. S. Catharinae munimentum ſuperius et inferius impetu captum: dein ad ruinam impetum regii fecere et repulſi ſunt. XIV. Civilis mira mors; qui inter mortuos terra conditus, rurſumque depoſitus, et caſu deinde a ſervo ex annulo indicium faciente extractus, triginta plus minus annis funeri ſuo ſuperfuit. XV. Poſtridie Navarrus, dum infra dignitatem periculis ſe objicit, in laevo humero ſcloppeti ictum accipit. XVI. Impetu ultimo facto, poſt IV CIↃ utrinque occiſorum ſtragem, urbs capta ac direpta. Mongomerius cum trireme ad id parata vi remigii, aſſumptis ſecum Anglis et Scotis, catenam ad Caudebecum tranſverſam ſuperat et elabitur. XVII. Navarrus, ut in lecto jacebat, per ruinam ſuccollantibus Helvetiis triumphabundus invehitur. XVIII. Senatus provinciae, qui Lupariae jus dicebat, in urbem revocatus; qui ſevere in captos primarios civeis et belli duces animadvertit; quod exitium Baptiſtae Sapino ſenatori Pariſienſi et Joanni Troio Gaſtinenſi abbati, qui Aureliani captivi attinebantur, maturavit. XIX. Navarrus fatalem horam ſentiens a medicis in diverſa raptatur. Cum fluvio devehi vellet, Andelii ſubſiſtere coactus eſt; et XXXV a vulnere accepto die animam Deo reddidit. Ejus mores,

mores, ingenium, virtutes a voluptatibus obſcuratae. XX. Regina cum Dieppenſibus agit; qui dimiſſis Anglis in fidem accipiuntur, et a Fr. Momorantio benigne tractantur: eadem Cadomenſibus gratia facta. Dieppa paulo poſt aſtu intercepta a Catavilla, oppidanis inſciis, et a Mongomerio, qui Franciſcopolim Rotomago venerat. Nuncius amiſſi Rotomagi Condaeum de Andeloto ſolicitum oppreſſit, qui altero Duracianae cladis cumulatus eſt. XXI. Verenſis pugna urgente Monlucio commiſſa, et virtute Argentii praecipue parta. Duracius, cujus culpae ac ſecuritati clades imputata, dum Mediolanum Santonum cum Bordeto et Marcaſtello tendit, ccc ex regiis obvios ad internecionem delet. Ad famam Verenſis pugnae ſoluta ad Joannis fanum a Rupiſulcaudio comite obſidio; qui ad Morilloni montem acceptis Duracianis cum iis Aurelianum ad Condaeum tendit. XXII. Monpenſerius Mediolanum Santonum a Proteſtantibus relictum in fidem accipit, et mox inſulanos Oleronenſeis et Alvertenſeis ac denique Marennenſeis. Rupellae ſacra majorum reſtituit, et publicam aliis conveniendi libertatem abolet. XXIII. Montalbanum eodem die, quo ad Veram debellatum eſt, a Terrida tentatum et obſeſſum, paſtoribus ad extrema quaeque perferenda defenſores firmantibus. XXIV. A. Cruſſolius Septimaniae praeſes in duras leges a Proteſtantibus adigitur. XXV. Gratianopolis arcta obſidione preſſa, a Rembaldo Furmeiero Vapinco cum auxiliaribus veniente liberata. XXVI. Adretius a partibus diſcedit; et ad pacificationem uſque ſub cuſtodia. XXVII. Miſſus ad Andelotum in Germania militem ſcribentem a Condaeo Jacobus Spifamus Nivernenſium nuper epiſcopus. Andelotus cum auxiliari exercitu venit; et Nivernium et Santandreanum ad intercludendum tranſitum miſſos eludit. XXVIII. Edictum poſt captum Rotomagum publicatum; quo gratia praeteritorum fiebat, cunctis, ut ad ſacra majorum redirent, mandabatur. XXIX. Contrarium Condaeus ſcriptum vulgat; et cum valido exercitu loca Lutetiae circumpoſita occupat. Cum regina colloquitur nullo ſucceſſu. XXX. Aegidius Magiſter primarius ſenatus praeſes obit: Chriſtophorus Thuanus ei ſubſtituitur. Tom. II.

## LIB. XXXIV.

Condaeo a Lutetia recedenti oſtentum factum et fatale ſomnium viſum. CIↃ IↃ LXII. II. Drocenſe proelium maxime memorabile; in quo, captis aut occiſis ducibus regiis, penes Guiſium victoria et imperium remanet. Ann. Momorantius Carolus IX. captus, amiſſo Gabriele Monberonio filio. Santandreanus ob privatam injuriam a Baubinio interfectus. Condaeus captus et humaniſſime a Guiſio habitus. Oſſunius fame ſpontanea moritur. III. Franciſci Turnonii cardinalis obitus et elogium; Pauli Thermi equitum tribuni, P. Martyris Vermilii, Jacobi Hollerii, Gabrielis Fallopii, Bartholomaei Cavalcantii. IV. Regina Heſſo, a quo Germanarum copiarum dux Rotelhuſius miſſus fuerat, ut regem ipſamque captivitate, in CIↃ IↃ LXIII. qua a triumviris detineri dicebatur, eximeret, diplomate fidem facit, regem ſeque nunquam in captivitatem conjectos, nec ulla in re contra voluntatem quidquam facere coactos, nec Proteſtantibus, ut arma ſumerent, aut delectus per Germaniam haberent, edixiſſe vel mandaſſe. V. Armanni Claromontii Pilii in Aquitania poſt Monpenſerii inde diſceſſum geſta. VI. Montalbanenſes in fidem a regina accepti. VII. Annoniacum in Vivarienſi pago miſere vaſtatur ac incenditur. VIII. Peculiare contra Proteſtantes foedus Armeniaco et Strozzio cardinalibus auctoribus initum; quod et in acta a ſenatu Toloſae relatum eſt. IX. In Fuxenſi principatu ad Pyrenaeum res turbatae. Proteſtantium laſcivia per templa, paſſim dejectis altaribus, ſtatuis et imaginibus, diſcurſantium. Lombati fratres, et eorum immanitas et graſſationes. X. Lugdunum a Nemoroſio tentatum; et Subizii virtute defenſum, ac tandem ab eo Vido Deſpeo equitum tribuno poſt pacificationem traditum. Liber, quo principis et magiſtratus auctoritas detortis cavillatorie e ſcriptura locis in dubium revocabatur, paſtorum judicio in preſbyterio damnatus, et annitente Subizio publice combuſtus. XI. Gratianopolis tertio a Maugirono poſt

Tom. II. Adretii captivitatem obſeſſa, Cochio et Furmeiero contra ſtrenuam operam navantibus. XII. Colinius pleraque loca in Biturigibus et Turonibus capit. XIII. Guiſius, Aureliani decreta obſidione, Stampas venit, et inde Duracium dejicit. Regina cum rege Bloeſas venit Condaeum ſecum trahens. Prodigia et inſolitae coruſcationes ac tonitrua. XIV. Cadomum a Colinio in Neuſtria inferiore captum. XV. Nonis Februariis ad Aurelianum poſita caſtra. Turriculae captae et porta Aquenſis. XVI. Guiſius a Joanne Poltroto Mereo juxta axillam ſcloppeto diſploſo feritur; qui mox captus rem fatetur, et Colinium et Bezam quaſi ab iis ſubornatus onerat. Utriuſque apologia, qua tanti criminis invidiam a ſe depellunt. XVII. Guiſii morientis extremae voces tanto viro digniſſimae, virtutes, elogium. XVIII. Regina, Guiſio, cujus potentiam ſuſpectam habebat, mortuo, Chriſtophorum Wirtembergicum per Raſcalonem ſolicitat, ut in Franciam veniat, et in pacificando regno operam ſuam cum Proteſtantibus interponat. XIX. Charitaeum ad Ligerim a Bloſſeto interceptum. XX. Baiocaſſium civitas, Cadomo dedito, in Colinii poteſtatem venit. Julii Ravilii Rufi indigna mors. XXI. Poltrotus Lutetiam ducitur et a ſenatu poena perduellionis plectitur. Ejus variae et ſubinde mutatae confeſſiones. XXII. Edictum pacificationis.

## LIB. XXXV.

CIƆIƆLXIII.
Carolus IX.

Colinius, qui in Neuſtria aberat, edictum improbat. Lutetiae promulgatur, ſerius Toloſae. II. Diploma de reſtituendis decurionibus, et praeteritorum memoria abolenda, ac reſcindendis judiciis odio religionis belli tempore latis. III. Condaeus otio in voluptates laxatur. A paſtoribus increpitus Franciſcam Aurelianam Longovillani ſororem in uxorem ducit. IV. Edictum de bonis eccleſiae alienandis, ejuſque violenta executio. V. Colinius iterum de Guiſii caede ſe purgat. VI. Franciſcopolis, ab Anglis poſſeſſa, obſidione cingitur; et tandem, graſſante inter praeſidiarios peſte, a Warwicenſi comite pactis conditionibus deditur. VII. Rex major in ſenatu Rotomagenſi declaratus. Hoſpitalii cancellarii ſuper ea re oratio. Ad mitigandam invidiam tot rerum in gratiam Proteſtantium ab Hoſpitalio decretarum, edictum de decimis ſacro ordini ſolvendis a rege, cum Dieppam excurriſſet, conditum; quod et hodie nunc magna religione ſervatur. VIII. Senatus Pariſienſis edicto de majore regis aetate per delegatos intercedit, quod praeter morem factum eſſet, ut edictum ullum prius in Rotomagenſi aut alia regni curia, quam Pariſienſi, quae parium curia eſſet, promulgaretur. Tandem IV Kal. Oct. declaratio fuit promulgata, et acta illius inter conſtitutiones regias pro lege inviolabili relata. IX. Amplius de caede Guiſii a matre, vidua, filiis, fratribus publica expoſtulatio inſtituitur. X. Varia edicta de tranſactionibus, de argenti fodinarum curatoribus, ſacri ordinis per urbes immunitatibus, de projectis in aedificiis urbanis tollendis, de mercatorum juriſdictione, ac poſtremo de conſignationibus. XI. Charrii caedes Lutetiae patrata. XII. Briſſaci equitum tribuni mors et elogium. XIII. Concilii Tridentini hiſtoria continuata. XIV. Jacobi Walachiae deſpotae caedes. Ejus ſucceſſores. XV. Elogia Joannis Brodaei, Stephani Boetiani, Arnoldi Ferroni, Jo. Bapt. Gelli, Wolfangi Muſculi, Sebaſtiani Caſtalionis, Henrici Glareani. Peſtis ac terrae motus.

## LIB. XXXVI.

CIƆIƆLXIII.
Carolus IX.

De Finalio controverſia terminata, et ſecundum Alfonſum Carrectum marchionem a Caeſare pronunciatur. Bellum Corſicum recrudeſcit, Sanpetro a Baſtelica inſtigante; quod morte Navarri aliquandiu quievit. II. Orani a Turcis tentata obſidio irrito ſucceſſu. III. Mediolani ob inquiſitionis metum, ut ante XVI annos Neapoli, ſed non tanta mole, tumultuatum. IV. In Calabria item ab exulibus duce Marcone tumultuatur. V. In Scotia Matthaeus Stuartus Leviniae comes

comes et Henricus Darlaeus filius dignitati ac bonis regina annitente honorifice reſtituuntur: ab eaque gratia primae futuri matrimonii faces accenſae. VI. Eliſabethae Anglae cum Hiſpanis prima ſimultatum et diſſidiorum ſemina, quae bellum funeſtiſſimum ſecum traxerunt. Gul. Pageti mors et cumulata honoribus vita. Henrici item Manerii Rutlandiae comitis genus et mors. Franciſcae denique Suffolciae deploranda aeque mors ac vita. VII. Lithuania a Moſcis vaſtata. VIII. Erico Sueciae regi ob injurias in Ruſſica navigatione acceptas a Lubecenſibus bellum indictum; publicato prius ſcripto, quo ipſi ingratitudinem ſuam exprobrabant. IX. Danus itidem contra Suecum ſcriptum evulgat; cui Ericus Brunſvicus operam ſuam et copias defert. X. Suecus, cui ſatis non erat vicinos ad bellum prolectare niſi domi ipſe aleret, Joannem fratrem Finlandiae ducem ex levi ſuſpicione in carcerem conjicit; et inde irritam contra Helmeſtadium Hallandiae urbem cum numeroſo exercitu expeditionem ſuſcipit. XI. Gul. Grombachius inſigni facinore caedem Herbipolenſis epiſcopi anno CIↃ IↃ LVIII patratam cumulat, et Herbipolim manu armata occupat, et tranſactione a collegii ſodalibus vi extorta cum iis convenit, ut in bona, quorum poſſeſſione dejectus fuerat, reſtitueretur, Mandeſloo et Steinio amicis de damnis bello Albertino ab Herbipolenſi epiſcopo acceptis ſatisfieret, abolita omnino de caede Melchioris Zobeli epiſcopi inquiſitione. In conventu legatorum ad inopinata Imperii negotia Caeſaris juſſu congregatorum Grombachius ſcriptum recitandum curat; quo ſumpta arma excuſabat, et tranſactionem cum Herbipolenſibus factam ſervari petebat: cui contrario ſcripto reſpondet epiſcopus, XII. Colloquium inter Palatinum ſeptemvirum et Wirtembergicum in Malbrunenſi coenobio ſuper coena dominica, utriuſque partis theologis vocatis. XIII. Caeſar ad componendum inter Daniae, Sueciae et Poloniae reges bellum delegatos mittit, nullo exitu. XIV. Navalis pugna et velitationes maritimae inter Danos et Suecos. XV. Ferdinandus Caeſar moritur. Ejus ſtudium in componendo religionis diſſidio, aliae virtutes. XVI. Obitus Jo. Calvini, M. Borraei, Th. Bibliandri, P. Franc. Jambularii, Andreae Veſalii, Gul. Morellii, Jo. Butheonis. XVII. In Benthemienſi comitatu religio mutata. In Saxonia et per Vandaliam epiſcopatuum reditus principes ſuos faciunt. XVIII. Poloni res feliciter adverſus Moſcos geſta, duce Nic. Ratzevilio, caeſis amplius XXX hoſtium CIↃ, et ipſorum imperatore in pugna occiſo, qui Vilnae in Ruſſorum baſilica honorifice tumulatus fuit. XIX. Varia apud nos edicta condita. Facta ſacro ordini bona vili pretio ſuperiore anno alienata redimendi facultas. Decretum, ut annus, qui a Paſchali die fere incerto antea inchoabatur, deinceps a Januario inciperet. Turriculae deſtructae ob memoriam Henrici II mortis, et aedificandi in area privatis facultas data. XX. Conjuratio contra Joannam Navarrae reginam et liberos detecta. XXI. A pontifice, Philippo et Sabaudo legati pro concilii Tridentini promulgatione et Sectario veneno exſtirpando. Rex gratiis ab Hoſpitalio inſtructus actis modeſte ſe excuſat. Car. Molinaei gravamina contra concilium Tridentinum. XXII. Foedus inter regem et Eliſabetham Auguſtobonae Tricaſſium ictum: item, renovatum cum Helvetiis. XXIII. Rex regnum luſtraturus in viam ſe dat. Proteſtantes diverſis locis male habiti. Jo. Begati ſenatoris Divionenſis liber de non ferendis in eodem regno duabus religionibus. XXIV. Philippi paſſim depraedicata pietas in regis reginaeque invidiam; et imploratum jam tum a factioſis patrocinium. XXV. Gilberti Curaei in Vindocinis caedes inulta. XXVI. Interpretationes ad edictum pacificatorium ad placandas Proteſtantium querelas additae. Condaei de ea re ſcriptum. Lugduni peſtis graſſatur. Rex Maſſiliam ſumma pompa ingreditur; et inde tranſmiſſo ad Avenionem Rhodano in Septimaniam deſcendit, et Nemauſum venit. XXVII. Motus in Aquitania ob foedus ſuperiore anno factum a Bordillonio equitum tribuno componitur. XXVIII. In Italia Nicolaus Petiliani filius poſſeſſione a Coſmo dejectus Petilianum tentat, irrito conatu. XXIX. Actio Romae de praerogativa regis ac Philippi. XXX. Coſmus publicam adminiſtrationem Franciſco filio reſignat. XXXI. In Corſica bellum Sanpetrus Maſſilia ſolvens excitat. XXXII. Philippus claſſe inſtructa Pignonem Velezii in Africa oppugnat et capit. Garſias Toletanus inde Bugiam tentare cum in animo haberet, Sanpetri in Corſica ſucceſſibus revoca-

tus

Tom. II.

CIↃIↃLXIV.

TOM. II. tus eſt. XXXIII. Mich. Angeli Bonarotae praeſtantiſſimi pictoris, ſtatuarii et architecti, mors. XXXIV. Coſmus Marium Columnam et Julium Ricaſolium ad Maximilianum mittit, et Joannam ſororem Franciſco filio uxorem impetrat. XXXV. Conjuratio Romae contra pontificem revicta, conſciis capite plexis. XXXVI. Pontifex multa contra concilii decreta facit, charitatibus indulget, lites moleſtas Joanni Franciſco Vidio Balnei comiti, et de Tiferno Vitellio facit: Aſcanium Corneum in carcerem conjicit, et Corn. Bentivolium Bononiae poſtulandum curat: ipſi Alfonſo Ferrarienſi de Mutinae jurisdictione controverſiam movet. XXXVII. A concilii promulgatione rex ſe excuſat. Collata in Carolum cardinalem Borbonium legatio Avenionenſis a pontifice, quo ſe ſumptibus in civitate et Venaſcinenſi comitatu tuendo liberaret, rege ejus patrocinium ſuſcipiente. XXXVIII. Maximilianus cum archiduce Carolo fratre et Alberto Baioaro genero urget, ut calicis in coena ſolutis et conjugii gratia ſacerdotibus per ſuas provincias fiat: multaeque in eam rem adductae rationes.

## LIB. XXXVII.

CIↃIↃLXIV. CAROLUS IX. In Scotia de Mariae nuptiis agitur. Davidis Rizii Subalpini cantoris fortuna. Injecta ab Eliſabetha Angla per ſuos de Roberto Dudleio Leiceſtriae comite mentio: quem ſi Maria in virum deligeret, fore dicebat, ut ipſam parlamentaria auctoritate, ſi ſe ſine liberis decedere contingeret, regni heredem deſignaret. Guiſiani Auſtriacis procis in occulto favebant; regii utraſque nuptias averſabantur; illius ut indignas dotali regni Gallici vidua, horum ut ob potentiam ſuſpectas. II. Moravii potentia ſubnixi Proteſtantes Mariae importuni maturandis cum Henrico Darlaeo nuptiis occaſionem praebent. Henrici genus et proxima cum regina in ſpem ſucceſſionis cognatio. III. Nuptiae, non interveniente Eliſabethae conſenſu, quod urgebat Moravius, inſtante Rizio, peractae; pleriſque, et in iis Moravio, abſentibus; qui citati, quod non comparerent, exilio mulctati ſunt. Moravius apud Anglam perfugium habuit; nec niſi poſt biennium in Scotiam reverſus eſt. IV. Caecilia Guſtavi Sueci filia marchionis Badenſis uxor gravida in Angliam venit, ab regina perhumaniter accepta; apud quam et puerum enixa eſt, cui Edvardo Fortunato nomen inditum. V. Mac-Cartius praepotens Hiberniae regulus ſupplex reginae ſiſtitur, in gratiam receptus. Giraldo Deſmoniae et Thoma Ormondiae comitibus inter ſe odia exercentibus, auſtralis pars inſulae miſere adflictata. Deſmonio revocato Warhamus a S. Leodegario praeſidis titulo mittitur. VI. Apud nos rex cum regina Biterris, Narbonae et Carcaſſonae, aſperrimam hyemem initio anni expertus eſt. VII. Tumultus Pariſienſis, cardinali Lotharingo cum Aumalio fratre et Henrico Guiſio nepote in armis ad urbem veniente: cui ſe
CIↃIↃLXV. Franc. Momorantius, a veniente non monitus, oppoſuit, et poſtridie quam venit urbe diſcedere coegit. Libelli hinc inde ex hac occaſione ſparſi. Colinii a Coloniacenſibus Sebuſianorum regulis deducti. VIII. Cum rex jam Baionam ad colloquium cum Hiſpanis veniſſet, cauſa patrum Jeſuitarum in ſenatu acta. Origo et prima ſodalitii initia. Primum eorum votum ab Ignatio Loiola cum ſociis Lutetiae ad Montem-martyrum emiſſum. Petentibus, ut ſibi erudiendae juventuti ludum liceret aperire, interceſſit initio Pariſienſis epiſcopus, et poſtea academia et ſchola theologica; Jeſuitarum nomine ut arrogantiae pleno tunc rejecto. Leges in admiſſione prima appoſitae. De iis Caroli Molinaei conſultatio propoſita. Pro ſodalibus P. Verſorius, pro academia Steph. Paſchaſius verba fecit: pro rege peroravit Baptiſta Menilius. Amplius deliberandum cenſet ſenatus, ludi aperiendi interim conceſſa facultate. IX. Toloſae rex fratribus mutat nomina; et pro Alexandro et Hercule eos Henricum et Franciſcum vocat, patris et avi renovata memoria. X. Rex Burdigalam magna pompa intrat; ad poſtulata Proteſtantium reſpondet, minus aequo ſenatu: foederis a Candala initi memoriam abolet; novum contra Momorantios et Colinios factum eludit. XI. Inter luſus ac pompas Baionenſis colloquii ſecreta conſilia cum Albano de Sectariis exſtirpandis. Vipuſcoa et

et Biſcaia olim Cantabriae nomine comprehenſae provinciae, magna Gallici nominis jactura ac injuria, juriſdictioni Baionenſis epiſcopi a pontifice in Philippi gratiam eximuntur. XII. Bellum cardinalitium a Petro Salſeda in Mediomatricibus excitatum. XIII. In reditu, cum rex Engoliſmam veniſſet, Proteſtantium querelas audivit; et inde Caeſarodunum facto per Andegavum itinere profectus eſt, conventibus in ſequentem annum Molinii Boiorum indictis. XIV. Res in Pannonia geſtae, Lazaro Schuendio duce. Tocaium, aditu in Daciam commodum, magna vi oppugnatum; et, Fr. Nemethio, qui locum tuebatur, interfecto, deditum. Zatmarum munitum. Jo. Sigiſmundi interim circa Julam excurſiones. Erdeuda a Turcis capta, et praeſidiarii ad unum omnes interfecti. Dominarum-rivuli miſere vaſtati. XV. Caeſar pro calicis uſu et ſacerdotum conjugio apud pontificem inſtat. XVI. Conſilium de Melita inſula invadenda in Porta captum; in eamque expeditionem claſſis a Solimano inſtructa: Dragutes ſummae rei praeficitur. TOM. II.

## LIB. XXXVIII.

CLASSIS Turcicae ad Siciliae litora appulſus, et in Melitam deſcenſus. II. Hermetis arx oppugnata, in qua Dragutes lethaliter ſauciatus, ac poſt XIX diem impetu capta. III. Inde verſa vis ad S. Michaelis arcem. IV. Cardona auxilio veniens, et quid ad Hermetis arcem actum eſſet adhuc ignorans, a Quinzaco equite mendacio laudabili decipitur, et arcem adhuc a noſtris teneri credens copias ad Scalae portum exponit. V. Garſiae Toletani fruſtrationes in ſubſidio mittendo. VI. Quinzaeus ex vulnere, et mox H. Valeta Pariſotus, moritur. VII. Valetae ſummi magiſtri ad omnia invicta ac praeſens virtus. S. Michaelis arx et urbs ſimul tentatae. VIII. Poſt varias conſultationes et altercationes tandem, Garſia duce, claſſis auxiliaris, diu ante ventis jactata, in Melitae conſpectum venit: cujus adventu ſoluta IV menſium obſidio. IX. Clades in obſidione et in diſceſſu ſeu fuga Turcorum. X. Caeſaris ſorores, Barbaram Ferrarienſis, Joannam Franciſcus Medices, in uxorem accipiunt. Alexander Farneſius cum Maria Luſitana nuptias Bruxellis celebrat. XI. Pii IV mors. XII. Equitum S. Lazari origo. Sodalitium a Pio IV renovatum, Joannoto Caſtellionaeo magno magiſtro ordinato, quae dignitas poſtea a Gregorio XIII in Sabaudum poſt Joannoti mortem tranſlata eſt. Ejus apud nos reliquiae. XIII. Crebrae eo anno clarorum virorum mortes: Joannis Tuttavillae Villabonii, Philiberti Marſilii Sipetrae, Caroli Borbonii Rupiſurionii, Joan. Friderici Saxonis, Joannis Rantzovii, Joachimi Nehauſeni, Georg. Sigiſm. Seldii, Joan. Ungnadii Sonnekii, qui ſacra biblia in linguam Turcicam et Croaticam transferenda curaverat, Nic. Ratzevilii Olicae ducis: XIV. Virorum literis illuſtrium; Alexandri Aleſii Scoti, Joannis Matheſii, Joannis Langii, Conr. Geſneri, Hadriani Turnebi, Anton. Goveani, Gulielmi Philandri, Kyriaci Strozzae, Joannis Grollierii. XV. In Livonia Parnoviam urbem a Suecis occupatam Poloni recipiunt. Pugna navalis inter Danos ac Suecos, in qua Sueci vicerunt. XVI. Navigatio nova, mari per hoc bellum clauſo, ab Anglis et Belgis in Moſcoviam ſuſcepta. XVII. Pacificatio inter Danum et Suecum fruſtra tentata. Caeſar commeatum Suecis interdicit. XVIII. Roſtochium, occaſione captata ex ſenatus et plebis in urbe diſſenſione, Joan. Albertus Megalopolenſis dux, qui jus in ea ſibi cum Ulrico fratre vindicabat, accepto a Caeſare diplomate, oppugnat, et a civibus admiſſus praeter Caeſaris voluntatem poteſtate ſibi facta utitur. Ad res componendas delegati ab Auguſto ſeptemviro et ordinum inferioris Saxoniae circulis veniunt. Cives inter ſe reconciliantur. Joan. Albertus, qui inſcio fratre expeditionem ſuſceperat, Ulricum cum copiis intra urbem admittit. Juris, quod Megalopolenſes ſibi vindicant, initia. Arx in urbe a Joan. Alberto inchoata, et tandem in Caeſaris tanquam ſequeſtri manus tradita. XIX. Re utcunque compoſita, Joan. Albertus turbarum cupidus ad Albertum Brandeburgicum Boruſſiae ducem haud pacatiore animo principem ſe confert. Pauli Schalichii apud eum gratia; qui tandem exortis turbis profugit, relicto Joan. Funccio chronologici

CIƆ IƆ LXV. CAROLUS IX.

CIƆ IƆ LXVI.

Tom. II. operis ſcriptore pravorum conſiliorum conſcio, qui capite luit. XX. Magdeburgi Auguſtana confeſſio recepta, annitente Sigiſmundo Brandeburgico archiepiſcopo. Idem a Raceburgenſi epiſcopo factitatum. XXI. Henricus Julius Brunſvicus puer Halberſtadenſis epiſcopus a collegii ſodalibus magno errore delectus. XXII. Monaſterienſi epiſcopatu Bernardus Rufeldius ob concubinarum interdictum uſum collegii ſodalibus inviſus ultro cedit, et ejus loco Joannes ab Hoia jam Oſnaburgenſis epiſcopus eligitur. XXIII. Mors Wolfangi Anhaltini principis, Joannis Draconitae, Leonardi Fuchſii, M. Hieronymi Vidae Cremonenſis, Benedicti Varchii, Aloiſii Cornari, Caroli Molinaei juriſconſulti apud nos celeberrimi, Guliel. Rondeletii, Georgii Caſſandri, Lucae Fruterii, Joan. Petri Perpiniani. Joan. Valentini Gentilis dignus vita exitus.

## LIB. XXXIX.

CIↃIↃLXVI. Carolus IX.

Pius v in pontificem eligitur ex Giſleria familia. Carafae dignitati priſtinae et honoribus reſtituti. II. Julii Zoanneti, Petri Carneſeci, Aonii Palearii ſupplicia. III. Lex de lupanaribus Romae. IV. Pontificis mores et ingenium. V. Urbs nova Melitae, de magiſtri tam bene de re Chriſtiana meriti nomine, Valeta appellata. VI. Chios, antea Genuenſium, in Turcorum poteſtatem ex qua occaſione venit; á Piali citra negotium ſubjugata. VII. Auguſtana comitia: in quibus actum de Finaliana cauſa, de Oldenburgica controverſia, Monferratenſi, Vinarienſi, et religionis negotio, cui Jo. Franciſcus Commendonus cardinalis nomine pontificis interceſſit; ejus mandata; in Palatinum ſeptemvirum irrita molitio, Auguſto Saxone ſeptemviro ſocietatem detrectante. VIII. Durum Caeſaris ad legati regii ſuper matrimonio Eliſabethae filiae cum rege poſtulata reſponſum. IX. Carolus archidux Hungariae comitia Poſonii celebrat. X. Grombachius proſcribitur. XI. Joannis Sigiſmundi ad Pannoniae proceres inſolentia plenae literae, quibus Thordae contraria indicit comitia. XII. Ainaſcum haud longe ab Agria a Turcis captum. Pugna ad Sigethum commiſſa hoſtes a Nicolao Serinio fugati. XIII. Auxiliares Germanorum copiae: et Solimani in Hungariam deſcenſus. XIV. Veſprinium a noſtris receptum, et Tatta a Salmenſi expugnata. XV. Tatari a Schuendio caeſi. XVI. Pons admirandi operis in Danubio a Solimano C. Caeſaris aemulatione intra xii dierum ſpatium ſtratus. XVII. Sigethum obſidetur; et Sextili menſe, Turcis, ut rentur, auſpicato, ſumma vi oppugnatur. Serinii virtus et occubitus. Tandem expugnatur Sigethum. XVIII. Solimani mors, aſtu Mechmetis purpuratorum principis, dum Selimus certior fieret, et in caſtra veniret, celata. XIX. Jula Turcis deditur; et dedititii caeduntur. XX. Selimus, rebus Conſtantinopoli ordinatis, in caſtra venit: paternas exſequias ſolemni ritu peragendas Achmeti purpurato committit. XXI. Diſcedente Selimo, Joannes Sigiſmundus, Perthavi purpurati copiis adjutus, Tocaium tentat. Tatarorum per Daciam inaudita ſaevities; qui a Joanne ſemel atque iterum caeſi in Podoliam poſtremo Polonicae ditionis deſcendunt, et tandem ad internecionem a palatino provinciae delentur. XXII. Caeſar Viennam et Brunum in Marcomannis ad conventus peragendos redit. XXIII. Novus morbus in Hungaria exortus. XXIV. Apud nos Molinii in Boiis conventus peraguntur. XXV. Hoſpitalii oratio: eam ſecutum edictum; quo edictum ante biennium factum et poſtea Ruſſilonii firmatum denuo confirmatur, multaque praeterea judiciario ordini emendando et publicae tranquillitati conſtituendae ſanciuntur. XXVI. Fr. Momorantius cum cardinali Lotharingo et Colinii cum Guiſianis in ſpeciem reconciliantur, poſtquam G. Colinius ſe ſolemni jurejurando purgavit. Haec coram A. Ateſtina uxore et Carolo cardinali fratre acta, abſente Henrico Guiſii filio, qui ſub id ex Pannonica expeditione in aulam redierat. XXVII. Rambulietus in Angliam miſſus ad pacem firmandam, qui Norfolcium et Leiceſtrium regis nomine conchyliato torque donavit. XXVIII. Jacobi Sabaudi Nemoroſii et Franc. Roanae agitata cauſa. Collatio Pariſienſis cum theologis Pariſienſibus a Monpenſerio inſtituta. XXIX. Simonis Maii graſſatoris

graſſatoris ſupplicium Lutetiae ſumptum. XXX. De Lugduno tentato in aulam allatum; cujus ad ſecuritatem Petrobuſerius Cambaretus a rege praeficitur. XXXI. In Foxenſi principatu denuo tumultuatur. Multa utrinque intemperanter acta. Tandem Gul. Jouſa ſuperveniente motus compoſiti. XXXII. Diploma pontificium de Vipuſcoa et Biſcaia a Baionae epiſcopo exempta; quod tamen non niſi poſt A. Momorantium mortuum et pulſum aula Hoſpitalium executioni demandatum fuit. TOM. II.

## LIB. XL.

BELGICORUM tumultuum altius repetita initia. Belgii deſcriptio, origines, ſucceſſio, crebri per intervalla motus; publica hodie adminiſtratio. II. Inquiſitionis Hiſpanicae, per novorum epiſcoporum creationem et concilii Tridentini promulgationem, introductae metus. III. Turbantibus primum animis, Ecmondanus in Hiſpaniam a Margarita Parmenſi miſſus et benigne auditus. IV. Inter Anglos et Belgas de commercio diſſidium. V. Philippi mandata Parmenſi tranſmiſſa. VI. Foederatio Belgica contra Hiſpanienſeis ad Gertrudis-fanum inita. VII. Libellus ſupplex a CCCC e primaria nobilitate Parmenſi oblatus, qui ex habitu et inſignibus, quae geſtabant, Geuſii per ludibrium vocati ſunt. VIII. Placitorum moderatio, dum nova ab Hiſpanis imperia acciperet Parmenſis. Arauſionis princeps Antuerpiam ad placandam plebem mittitur, eodemque tempore Montinius et Bergenſis marchio in Hiſpaniam legati decernuntur. IX. Ad Centronum oppidum in Eburonibus denuo foederati conveniunt, et ſcriptum publicant; ad quos a Parmenſi Arauſionenſis et Ecmondanus miſſi. X. Dum cum foederatis agunt, undique de ſtatuis et imaginibus per templa dejectis et confractis affertur. XI. Inter Proteſtanteis diſſidia. Ad conciones conveniendi facultas data. Noercarmius Valencianas, a quibus ob viciniam noſtram plus metuebatur, cum valido praeſidio mittitur. XII. In Scotia, regis novi faſtidio ſubeunte, Rizius in flagranti apud reginam gratia; eoque regi ſuſpectus eſſe coepit, repoſito Cocherani exemplo, qui inſolito favore ex latomo Marriae comes effectus magnas turbas olim in regno excitaverat. XIII. Ex Matthaei parentis conſilio rex cum exulibus et proſcriptis a regina reconciliatur; et per Mortonium et Lindeſium, cum Patricio Ruveno re communicata, Rizii caedes imperatur et patratur. Poſt caedem Rizii Moravius in aulam ab exilio a ſorore revocatur. XIV. XIII Kal. Quintil. regina gravida filium parit: inde occaſio arripitur de regni Anglicani ſucceſſione in Anglia ipſa diſputandi: et Penbrochiae ac Leiceſtriae comites Eliſabetham urgebant, ut de nuptiis cogitaret, a quibus illa ob impedimentum naturale maxime abhorrebat. XV. Occiſo Rizio, Bothuelius rerum potitur. XVI. Puer regius Sterlini ſacro lavacro abluitur. Carolus rex, Philibertus Emmanuel Sabaudus, et Eliſabetha per legatos officio pio defuncti ſunt: et Jacobus Carolus dictus eſt. Cum de foedere Edimburgenſi per Bedfordium Maria urgeretur, ſe excuſavit. XVII. Rex ex morbo adhuc debilis Sterlino, ubi decubuerat, Edimburgum lectica defertur; et paucis poſt diebus IV Eid. Feb. immani parricidio necatur. De auctoribus varii rumores ſparſi: in aula jactatum, ex Huntilaei et Argathelii comitum fide, Moravium et Mortonium comites conjuratione inita ſcelus ſuaſiſſe et perpetraſſe. Rationes in medium allatae, ducto altius initio. XVIII. Vincentius Laureus Montisregalis epiſcopus in Scotiam a pontifice legatur, qui Lutetiae ſubſiſtere coactus eſt, et, rebus ob parricidium turbatis, ad reginam tranſmittere non potuit. XIX. Nuptiae Mariae cum Bothuelio. XX. Foederatio procerum pro incolumitate regii pueri contra Bothuelium; ex qua ad arma ventum. Moravius, petita a regina venia, in Galliam concedit. Cum acies utrinque inſtructae ſtarent, diſcedente Bothuelio, regina ad foederatos venit et retinetur, indignis modis ab iis habita. Mater Moravii ei in cuſtodia comes addita, quae contumelioſior erga ipſam fuiſſe jactabatur. XXI. Regina regnum ejerare cogitur, proteſtatione prius in occulto facta. XXII. Moravius e Gallia revocatus, prorex creatus, reginae rogatu regis pueri curam et regni adminiſtrationem ſuſcipit: dura ad eam captivam et contumelioſa verba.

CIƆIƆLXVI.
CAROLUS IX.

CIƆIƆLXVII.

XXIII.

Tom. II. XXIII. Variae de regina inter proceres dictae ſententiae. Interdictus ad eam legatis noſtris et Anglis aditus. XXIV. Bothuelii in Dania capti miſerabilis exitus. XXV. Motus in Hibernia. Hugonis Tir-Oeniae comitis gens a Cono-O-Neal repetita, factiones, diſſidia, defectiones. Shani poſt v quam rebellaverat annum caedes.

## LIB. XLI.

CIƆIƆLXVII. Carolus IX.

In Belgio Valencianae a Noerkarmio obſeſſae; qui poſt felicem contra Tornacenſeis ſucceſſum intra urbem admittitur. II. Brederodii, qui ſuperiore anno ſupplicem libellum obtulerat, ſuper eo ad Parmenſem literae, et ad eas Parmenſis reſponſum. III. Proteſtantium conatus irriti. IV. Sylva-ducis a Megenſi recipitur. V. Matthias Illyricus Antuerpiae turbas ciet. VI. Egmondanus et Hornanus, adventante Albano, fruſtra periculi ab Arauſionenſi admonentur. VII. Brugis conciones interdicuntur. VIII. Valencianae deduntur Noerkarmio. IX. Brederodii fuga et mors. X. Coloniae motus Conſtantini Liskirkii prudentia compoſitus. XI. Philippi de coercendis in Belgio Sectariis deliberatio. XII. Bergenſis in carcere moritur. Montinius capite plectitur. XIII. Albanus cum exercitu per Sabaudiam facto itinere in Belgium venit. XIV. Trepidatio Helvetiorum et Genevenſium in tranſitu Hiſpanorum. Controverſia Sabaudi cum Bernatibus de aliquot praefecturis, et ejus initia. XV. Edictum contra Proteſtanteis ab Albano propoſitum. XVI. Egmondanus et Hornanus in cuſtodiam traditi, et terrore ex eo Proteſtantes injecto fuga et exilio ſibi conſulunt. XVII. Arx Antuerpiae ſtructa. XVIII. Mechlinienſe armamentarium fatali urbi incendio conflagrat. XIX. Auxiliares ad regem copiae ex arcano foedere ab Albano miſſae, duce Jo. Ligneo Barbanſono Arembergii comite. XX. Caeſar inter Danum et Suecum belli componendi rationes init. XXI. Ericus contra ſuos ſaevit; cum vicinis varia fortuna depugnat. Sitinenſis inter Polonos et Moſcos pugna. XXII. De Slevicenſi principatu inter Danum et Holſatiae duces agnatos Othoniae agitata controverſia poſt decennium tandem hoc anno finem accepit. XXIII. Philippi Heſſi mors, virtutes, ingenium, corporis temperamentum. Erneſti Brunſvici item obitus. XXIV. De Antonii Croii Porciani morte quae tunc per libellos jactata. XXV. Virorum literis clarorum mortes; Michaelis Stifellii, Jo. Langii, Franciſci Robortelli, Octaviani Pantagathi, Pauli Leopardi, Joannis a Leia archiepiſcopi Trevirenſis, cui Jacobus Eltzius ſuffectus eſt. XXVI. Belli Gothani contra Auguſtum Saxonem ſeptemvirum a Jo. Friderico coepti origo, ſucceſſus. Gotha capta, Jo. Fridericus in carcerem diuturnum conjicitur. Grombachius, Zobeli Wirtzburgenſis epiſcopi caedis convictus, et praecipuus belli incentor, cum Chriſtiano Brukio, Hieronymo Brandenſtenio, Joanne Beiero et Davide Bomgartenero ſupplicio affectus. XXVII. De pecunia in belli Turcici ſumptus in Ratiſponenſibus comitiis decretum. XXVIII. In Pannonia Zatmarum et Munchauſium pari felicitate a Lazaro Schuendio capiuntur. Contraria Tranſilvani geſta. Comitia Poſonii: in quibus petitum, ut Auguſtanam confeſſionem profiteri omnibus liberum eſſet. XXIX. Legati ad Solimanum de pace ſive induciis. XXX. Genuae motus ob temeritatem Jo. Stephani Larcarii ortus, cum ipſius pernicie exſtinctus. XXXI. Corſicum bellum recrudeſcit, Sanpetro omnia ſumma faciente ut in libertatem inſulanos aſſereret. Ornanae uxoris ab eo alienatio ſevere vindicata. Ejus ex inſidiis caedes: quo mortuo, cum Alfonſo filio Genuenſes tranſigunt. XXXII. In Etruria marchionum Malaſpinarum et Jo. Franciſci Petiliani, qui tandem Nicolaum prius exheredatum teſtamento heredem inſtituit, res turbant. XXXIII. Picorum item et Gratianorum factione ſciſſum Burgum S. Sepulchri. XXXIV. Adventu Ludovici Gonzagae Nivernii Willelmus Mantuae dux ejus frater Monferratenſi ditioni proſpicit. Caſalium S. Evaſii quomodo illi annexum ſit. Gonzagarum in ea jus et ſucceſſio. Conjuratio Caſalii detecta et a Veſpaſiano Gonzaga revicta. XXXV. Apud nos S. C. Tertylliani de ſucceſſione matrum per edictum moderatio. XXXVI. Eliſabetha

ſabetha per Thomam Smithum et Henricum Norriſium pro Caleti reſtitutione apud regem inſtat. Grave ad ea Hoſpitalii reſponſum. Et poſt acrem diſceptationem Angli amice dimiſſi. XXXVII. Cum Eliſabetha interim a Caeſare per Stolbergenſem comitem de nuptiis Caroli archiducis fratris actum, et honorifica de iis a regina per Suſſexiae comitem obita ad Caeſarem et Carolum fratrem legatio: conditionibuſque utrinque propoſitis, parum res ab exitu abſuit. XXXVIII. De commercio legatio Moſci ad reginam, et Moſcovitica ſocietas contracta. Navigatio ab Hugone Willoughbeio ſive Richardo Chancellero per ſeptentrionem in Orientem et Cathaiam ſuſcepta. Ejus iter et relatio. Tom. II.

## LIB. XLII.

PROTESTANTIUM in Gallia de bello conſilia, ac rationes ejus gerendi inter duces diſceptatae. Miſſus in Germaniam Lanſacus ad delectus Proteſtantium impediendos. II. Exeunte Septembri, condicta a Condaeo die duces conveniunt, dum rex Moncelli eſſet; unde propere in Meldorum civitatem redit. Miſſus ad eos Fr. Momorantius monitis ſuis homines praecipites ſiſtit. Ad concilium inde reverſus cum retuliſſet, cum Meldis manendum eſſe A. Momorantius cenſuiſſet, contraria annitente factione profectio Lutetiam pronunciatur. Cum reclamaret Hoſpitalius, magnam in ſe invidiam et odiorum fomitem concivit. Obvii in itinere Proteſtantes armati, nulla alia re geſta. Inde pueri regis in eos inexpiabile odium. Lutetiae aditus interclusi. III. Viae reconciliationis tentatae, Hoſpitalio ad eos miſſo. Condaei excuſationes et proteſtationes, et petitionum capita propoſita. IV. Fecialis tandem ad eum, cum ad fanum Dionyſii eſſet, a rege mittitur, qui juberet, ut qui in armis erant, iis depoſitis, quam primum ſe coram rege ſiſtant. V. Libellus ſupplex oblatus, quo priora poſtulata mitigabantur. VI. Colloquium rurſus ad Capellam ex A. Momorantii et Hoſpitalii ſententia inſtitutum: quo dirempto, urbs arctius preſſa. VII. Aurelianum a Fr. Lanovio captum. VIII. Pugna Sandionyſiana, Andeloto abſente, commiſſa; in qua A. Momorantius victor lethaliter vulneratur, ex iiſque vulneribus poſtridie obiit. Ejus virtutes et elogium. IX. Circa Lutetiam poſt pugnam geſta. X. Delectus Proteſtantium in Germania interturbati, et novi a rege per Lanſacum impetrati. XI. Aquitanicae copiae ad Condaeum venientes in itinere Oratorium in Lemovicibus capiunt, Auguſtoritum tentant, et poſtremo Pontem ad Igonnam expugnant. Braium a Colinio oppugnatum, ſumma vi defenſum ac tandem deditum. Pacis rurſus initae rationes, miſſo ad Condaeum et foederatos Combaldo, qui tam gnaviter Braium nuper defenderat. Proteſtantes, omiſſo colloquio, obviam Jo. Caſimiro cum auxiliaribus venienti copiis procedunt, abducto ſecum peditatu. XII. In Delphinatu, Provincia, et Septimania mandatu Condaei delectus habentur. Nemauſenſis arx a Monbrunio capitur. Monpeliana a Sipetra Claudii Sabaudi Tendae comitis filio obſeſſa et tandem dedita. XIII. Poncenacus ad Champolium in Forenſi agro fuſus. XIV. Ludovicus Gonzaga Nivernius, accepta a pontifice pecunia, ex Subalpina provincia cum copiis Italicis in Allobroges deſcendit: cui ſe Adretius, relictis diu ante Proteſtantium partibus, adjungit. Matiſco a Nivernio obſidetur, et deditione accipitur. Dum Nivernium iret, in itinere juxta Donzium obvios Antranii praeſidiarios habuit, et certamine conſerto perrupit, ſed gravi vulnere accepto, ex quo tota vita magno valetudinis incommodo claudicavit. XV. Inſequente cum exercitu foederatos Henrico Andium duce, cui poſt A. Momorantii mortem ſumma praefectura delata fuerat, juxta Catalaunum ſuperveniente Timoleonte Coſſaeo Briſſaco, a Bloſio et Bloſſeto clades accepta. Arembergius cum auxiliaribus copiis ab Albano in caſtra regia venit. XVI. Catalauni, quo rex cum regina venerat, de pace inchoatum negotium, miſſo a Condaeo cardinali Caſtellionaeo: quod ad Caſtrum Vicenarum, rege mox Lutetiam reverſo, redintegratum. Tandem poſt contrarias hinc inde de Meldenſi conjuratione, cujus invidiam Proteſtantes qua poterant a ſe amoliri conabantur, excuſationes, omnino omiſſum eſt. CIƆIƆLXVII. CAROLUS IX. CIƆIƆLXVIII.

TOM. II. XVII. Jo. Caſimiri auxiliares copiae in Lotharingia comparent. Cum iis Condaeus Autiſſiodorum venit, et capto ac miſere vaſtato Irancio Igonnam et ad Montargirium Lupam tranſmittit, inde Aurelianum petiturus, ut ex Septimania et Aquitania advenienteis copias exciperet. XVIII. In Pictonibus geſta. Lucionium a Bocello et Silvagio vi captum. XIX. In Aquitania a Bl. Monlucio ad bellum proviſa. Lactoratum firmatum. Cum in Santones deſcendiſſet, Retenſis inſula a Leberone capta, praeſidiariis ad unum trucidatis. XX. Vicecomites ad Condaeum ex Aquitania properantes ad Cognacum in Arverno limite cum Santerano pugnant et vincunt: ſed, dum Cognacum noctu redeunt, pugna tumultuaria inter ignaros excitata, Poncenacus per errorem occiditur. XXI. Vicecomites Aurelianum veniunt: et mox, Bogentiaco in fidem accepto, Bloeſas ducunt; quae poſt modicam vim factam a Richelio deduntur. XXII. Ad Autricum Carnutum poſita a Condaeo caſtra. XXIII. Pacis repetitum negotium, ac tandem miſſis ad Longemellum utrinque delegatis tranſactum.

## L I B. XLIII.

CIϽIϽLXVIII. CAROLUS IX. In Scotia Gul. Metellanus et Jac. Balfurius, amoto Bothuelio, reginae liberandae incumbunt; iiſque ſe ſocios adjungunt Hamiltonii in proregis Moravii odium, et Huntilaeus et Argathelius comites et Gul. Moravius Tilibardinus. II. Regina, quae arce in Levino lacu cuſtodiebatur, corruptis a Georg. Duglaſſio cuſtodibus, elabitur: et, Hamiltonium ubi venit, prolatis teſtimoniis et facta ex Throckmortoni conſilio proteſtatione, ceſſio a regina facta tanquam vi extorta ac nulla publico inſtrumento revocatur. III. Inde, copiis utrinque in procinctu ſtantibus, ad Langoſidum vicum juxta Cartham flumen confligitur, colle a Moravio occupato. Fuſi viribus potentiores, dum minorem numerum contemnunt. Regina, abjecta omni ſpe, eo die in Angliam profugit, LX milliarium ſpatium emenſa. Dein nocturnis itineribus ad Heriſii reguli aedeis divertit; indeque Jo. Betonio miſſo, de rerum ſuarum ſtatu Eliſabetham docet. IV. Cum enixe ad eam peteret admitti, Eliſabetha id negaret, cetera abunde pollicita, inde ſuſpiciones mutuae inter eas ortae; dum Scota non admitti injurioſum, Angla admittere ſororem ac regni heredem, rebus nondum ſatis in Anglia pacatis, periculoſum exiſtimat. Ne tamen communem principum cauſam in ſororis periculo negligere videretur, ad proregem dat literas; quibus et conventus, in quibus contra Scotae amicos agi debebat, differrentur, et ipſe idoneos homines ad ſe mitteret, facti rationem reddituros. Prorex, qui metueret, ne Eliſabetha repulſam paſſa foederatos, qui regi puero contra reginam ſtudebant, deſereret, legationem ad eam decernendam curat, cujus ipſe princeps fuit. Aegre et coactus ad accuſationem contra reginam deſcendit. V. Jacobus Hamiltonius quaeſtionem de regni adminiſtratione coram Eliſabetha facit: auctis inde Anglae cum Scota ſuſpicionibus ex literis interceptis, prorex, placatiore Eliſabetha quam cum venerat, in Scotiam revertitur. VI. Puritanorum in Anglia origo. VII. In Belgio Arauſionenſis et Ant. Lalanius Hocſtratanus edicto ab Albano citantur: cui contrario ſcripto Dillimburgi prolixe reſpondent. VIII. Carolus Hiſpaniae Infans in cuſtodia habetur; et mox moritur. IX. Inquiſitionis Hiſpanicae in Belgas ſententia. X. Margarita Parmenſis publica ſe adminiſtratione abdicat. Structae inſidiae Albano. XI. Bellum contra Arauſionenſem. Juxta Dallemum foederati caeſi. XII. Cocavilla, Valens, Amandus, qui foederatis in Belgio militabant, in limite ab Gonnorio equitum tribuno capti et Lutetiae ſupplicio affecti. Manhemii in Palatini ſeptemviri ditione pecunia Hiſpanica intercepta. XIII. Helligerſiana pugna in Friſia; in qua Arembergius occubuit. Caroli Brimei Megenſis ex vulnere mors. XIV. Expiandae cladi in Friſia acceptae Egmondanus et Hornanus Bruxellis decollati. Culemburgii comitis aedes deſtructae. XV. Ludovicus Naſſovius Groeningam obſidet. Ad Groeningam in diſceſſu Naſſovianorum ſtrages. XVI. Ad Gemingam mox ab Albano debellatum. XVII. Arauſionenſis in Germania exercitum colligit, et ſe apud Caeſarem excuſat, et in Hiſpaniam ad Philippum mittendi Caroli fratris materiam ſuppeditat.

peditat. XVIII. Foederati ad Thenas ab Albano caeſi. Hocſtratani ſecuta mors. XIX. Arauſionenſis cum collectis copiis in Belgicum limitem excurrit, et Galliam intrat; et mox, tumultuantibus ſuis, Argentinam deflectit, ubi ſe Wolfango Bipontino conjungit. XX. Albertus Brandeburgicus, olim Teutonici ordinis princeps, et tunc Boruſſiae dux ac Poloni beneficiarius, fere octogenarius Tapiavi decedit: poſt eum Henricus Brunſvicus; cui ſucceſſit Julius filius, qui et confeſſionem Auguſtanam amplexus eſt et Verdenſi epiſcopo et Riterhuſenſi coenobiarchae ut idem facerent auctor fuit: et rurſus extremo anno Chriſtophorus Wirtembergicus literatorum fautor eximius. XXI. Trevirenſis motus in ortu ſuo exſtinctus. Tres lunae viſae. XXII. Bellum Suecicum inteſtinum Erici temeritate excitatum. Joannes carcere liberatus et Carolus contra fratrem ducunt, prius publicato ſcripto, quo Erici ſecus facta virulenter exagitabantur. Stocholmia tandem Joannes potitur, et, Erico in cuſtodiam tradito, Ordinum conſenſu rex declaratur, et pacem cum Dano facit. XXIII. Poloni cum Moſco bellum gerunt. Mutuae utrinque clades. XXIV. Colloquium Aldemburgi de religione inter Proteſtanteis inſtitutum. XXV. Eraſmus Limburgenſis epiſcopus Argentinae obit; Joannes Oporinus, Onufrius Panvinius, Franciſcus Luiſinus, Gulielmus Gratarolus, Rogerius Aſchamus.

## LIB. XLIV.

CIƆIƆLXVIII.
CAROLUS IX.

DOMINICI Gurgii de Hiſpanis in Florida ſumpta ultio. Praecedentes in Indiam a noſtris, duce Ribaldo et Laudonerio, ſuſceptae infelici ſucceſſu expeditiones. II. Petri Monlucii ad Maderam clades et mors. III. Gurgius ab expeditione triumphans male in aula et ab aulicis habitus. IV. In Pannonia pax Caeſari cum Turcis firmata. Irrita in Africam expeditio a Plombinenſi regulo ſuſcepta. Bellum a Sinane in Arabia confectum. V. Ferrarienſis et Florentinus de praerogativa denuo contendunt. Apud nos Florentinus favore reginae obtinet. VI. Pontificii de ſacri ordinis immunitatibus diplomatis a Philippo publicatio per ditiones ſuas prohibita, et a ſenatu Veneto eluſa. VII. Bellum in Gallia recrudeſcit. VIII. Proteſtantium querelae; et inter eas Renati Sabaudi ad Forum-Julii in Provincia caedes inulta. IX. Hoſpitalius, quod pacem ſuaderet, ab aula remotus. X. Jurisjurandi formula ad praeſides provinciarum miſſa ab Proteſtantibus exigenda. XI. Structae ad Nucetum in Aeduis Condaeo, quicum Colinius erat, inſidiae: de quibus datis ad regem literis conqueritur. Politicorum nominis, quod tantopere poſtea exagitatum fuit, origo. XII. Condaeus Nuceto profectus, non citra periculum Ligeri tranſmiſſo, per Pictones Rupellam pervenit. XIII. Navarrae ad regem literae. XIV. Cardinalis Caſtellionaei ex Brelaea arce in Bellovacis in Angliam fuga. XV. Andelotus in Armorica copias cogit. Ad Dagueneriam Martigii cum eo impar congreſſus. XVI. Edicta regia contra Proteſtanteis promulgata. XVII. Andeloti in Pictonibus expeditiones. Niortium deditum. Engoliſma eodem ſucceſſu obſeſſa, et tandem dedita. Pontium captum, et mox Angeriaci fanum, ac deinde Blavia in Garumnae aeſtuario. XVIII. Ex Allobrogibus, Provincia, Septimania et Vaſconibus undique copiae ad Condaeum accurrunt, duce Jacobo Cruſſolio Acierio. XIX. Pugna ad Meſſignacum, in qua Moventius et Petrogurdius caeſi, amiſſis XVII ſignis. Ex regiis pauci deſiderati, ſi Jacobum Caſtreum Sillacum excipias. Calviniacum a Colinio captum. XX. Pamproliana pugna. Jazenoliana eam majore mole inſecuta. Campiniacum a Condaeo captum, et viciſſim Mirabellum a regiis occupatum. Ad Loviodunum poſita ab Andino caſtra. XXI. Regis ad Caeſarem de auxiliis legatio. XXII. Auxiliares e Germania ad regem copiae. Ad Neoburgum Gallorum clades et Cocheus interfectus. XXIII. Nucetum in Aeduis poſt Condaei diſceſſum captum. XXIV. Claſſis Condaei; cui Turrius praepoſitus.

## LIB. XLV.

CIↃIↃLXIX.
Carolus IX.

Michaelis fanum in Pictonibus a Rupellanis tertio obſeſſum, et in poteſtatem redactum. Vicini tractus deſcriptio. II. Sancerrarum irrita obſidio. Luſinianum fruſtra tentatum a Mongomerio. III. Dieppa itidem irrito conatu a Catevilla tentata, nec non Franciſcopolis. IV. Baſſacana pugna, in qua Condaeus occiſus. V. Turbatos ſucceſſu Proteſtanteis Navarra confirmat, oſtentato principe filio, et Henrico Condaeo, ut nominis ſic virtutum paternarum herede. VI. Cognacum ad Carantonum ab Andino tentatum. Mucidanum in Petrocoriis obſeſſum ; et, deſideratis in obſidione Pompadoreo et mox Timoleonte Coſſaeo Briſſaco, deditum. VII. Navarrus ſummus Proteſtantium imperator pronunciatur. Andelotus Mediolani Santonum ex febre peſtilenti moritur. Ejus laudes, et Lavallae gentis ſucceſſio ab eo propagata. Fr. Hangeſti Genlii et Jacobi Bucardi mors. VIII. Ocellorum in Alpibus Gallicis arx a regiis recepta. IX. Bipontini cum auxiliaribus copiis in caſtra Navarri adventus. X. Regina cum Borbonio et Lotharingo cardinalibus Ratiaſtum Lemovicum venit. XI. Bipontinus, cum diu quartana laboraſſet, prius Wolrado Mansfeldio ſummo armorum duce dicto, ingraveſcente morbo, exſpirat. XII. Copiae pontificiae ex Italia, duce Sanfloriano, in caſtra regia veniunt. Bernardi Corbinelli caedes. XIII. Ad Rupem-bellam diu ambigua pugna, poſtremo regii ceſſere, Philippo Strozzio Gallici peditatus praefecto capto et Rupilaureo occiſo. XIV. Libellus ſupplex regi oblatus. Lud. Lanoius Morvillerius moritur. XV. Ludenſis comes ad Niortium interim caſtra ponit, a Pluvialio gnaviter defenſum. XVI. Colinius Luſinianum oppidum capit. Arx, in quam Guro praefectus confugerat, poſt verberationem dedita ; eique Pontius Mirambellus imponitur. XVII. Sanſacus Charitaeum fruſtra obſidet. XVIII. Expeditio Mongomerii in Novempopuloniam et Benearni pagum ; ejuſque mirae celeritatis ſucceſſus. Navarrinum et Orteſium in poteſtatem redacta, Joanne Lomanio Terrida capto. XIX. Diverſa parte Mons-Marſani a Blaſio Monlucio captus. XX. Orillacum in Arvernis captum a Proteſtantibus et crudeliter direptum. XXI. Colinius Auguſtoritum Pictonum obſidione cingit, quod Henricus Lotharingus Guiſius defendendum ſuſcipit. XXII. Ad avertendos hoſtium conatus caſtra ad Eraldi-caſtrum ab Andino poſita, et ſoluta Auguſtoriti obſidio. De Condivicino Namnetum intercipiendo fruſtratoria Colinio ſpes facta. Irrita et damnoſa Italorum ad Eraldi-caſtrum oppugnatio. XXIII. Colinius horrendo ſenatus-conſulto proſcribitur. Dominicus Albius Colinii cubicularius proditionis et veneficii convictus. XXIV. Arauſionenſis a caſtris Colinii diſcedens, tranſmiſſo Ligeri, in Germaniam evadit.

## LIB. XLVI.

CIↃIↃLXIX.
Carolus IX.

Andinus, Vigennam traducto exercitu, ad Loviodunum caſtra metatur. Inde ad Monconturium in hoſpitiorum metatione conflictus, quem nox diremit. Poſtridie totis viribus certatum, magno Colinii damno. Germanicus peditatus ab Helvetiis ad internecionem caeſus. CIↃ inter eos deſiderati, et CCCC equites ; CIↃ Galli : reliqui ad Parthenaeum receptum habuerunt. II. Conſultatione habita, duces in Angliam, Scotiam, Daniam ad auxilia imploranda mittunt. III. A. Valdraei Moii inſidioſa caedes. IV. Niortium deſeritur, quo rex venit. Luſinianum a Mirambello deditum, Fontenaium et Caſtrum-Eraldi. Conſilium de Joannis Angeriaci fano in poteſtatem redigendo Niortii captum. V. Colinius cum reliquiis in Aquitaniam, abductis ſecum Navarro et Condaeo, tendit, ut Andinum ad ſe adtraheret. VI. Sanſacus Vezelias tentat. VII. Nemauſus in Septimania a Proteſtantibus exulibus Maduronis aſtu intercepta, et Santandreanus praefectus a furente milite crudeliter confoſſus. VIII. Fani Joannis obſidio, in

in qua Seb. Lucemburgicus Martigius occumbit. Mediolanum Santonum deſeritur. Fanum Joannis honorificis conditionibus a Pilio regi deditur. IX. Joannis Capellae et Honorati Caſtellani praeſtantiſſimorum medicorum, qui regi operam navabant, ex lue peſtilenti mors. X. Res in Boiis a Montaraeo geſtae. Mariae Barbanſonae Joannis Barrenſis viduae virtus. XI. Maranum IV a Rupella leucis a regiis interceptum. XII. Avarici Biturigum proditio detecta et a Cl. Caſtraeo provinciae praeſide revicta. XIII. Excurſiones per Belſiam a Bulaeo equite. Milliacum in via Lugdunenſi nundinarum die direptum. Capti graſſatores Lutetiae capite luunt. XIV. In Aquitaniam deſcendunt principes: Aguillonium in Aginnatibus, cedente Monlucio, venientibus patet. XV. Ad eos triumphans e Benearni pago Mongomerius, Eluſa et Condomo in itinere captis, ſe adjungit, nequicquam ponte a Monlucio abrupto retardatus. Inde Montalbano in Septimaniam deſcendunt. Rex Italicas copias dimittit. XVI. Controverſiam de praerogativa inter Ferrarienſem et Coſmum, quae coram Caeſare agitabatur, inſigni praejudicio diremit pontifex, Coſmo magno Etruriae duce non citra Caeſaris indignationem creato. Exempla conſimilium creationum in medio allata. XVII. Altemburgenſe de religione colloquium ſine exitu ſolutum. Victoris Strigelii, Pauli Eberi, Joannis Loniceri, Danielis Barbari, Sixti Senenſis, Caelii Secundi Curionis, Baptiſtae Menilii obitus. XVIII. In Saxonia de controverſia Brunſvicorum cum urbe Brunſvica tranſactum; quae, utcunque tunc compoſita, ſemper poſtea per intervalla renovata eſt. Boruſſiae ducis inauguratio Lublini a Sigiſmundo Auguſto Poloniae rege confirmata. Gedanenſium cum ſenatu diſſidium, quod ſecutis inde calamitatibus materiam praebuit. Dani in Revalienſem portum invadunt. XIX. In Belgio Anglorum naveis Albanus ſiſtit, ob pecuniam interceptam; cujus cum reſtitutionem per Chapinum Vitellium in Angliam miſſum peteret, fruſtra fuit, magno negotiationis mutuae incommodo. XX. Rei pecuniariae intentus Albanus, quaſi omnino debellatum eſſet, ſtatuam in arce Antuerpiana invidioſam ſibi ipſe ſtatuit. Varia in Belgio et Norico prodigia. XXI. In Britannia occaſione tumultuantis Hiberniae varii motus fuere. Ormondiae comitis fratres foedus pro majorum religione reſtituenda ineunt, in id opes pontifice et Albano clam ſuas ſumminiſtrante. Regina in eos tandem ſupplices in gratiam Ormondiae comitis fratris ſumma clementia utitur. Compreſſus et Turloghus Leinighus ab Hebridianis, qui in Ultonia res novas movebat. XXII. In Scotia, reverſo in regnum Moravio, Araniae comes in patrem a Maria adrogatus ſe ei oppoſuit, et mox, cum a ſuis deſereretur, tranſegit. Argathelius in gratiam acceptus. Huntleius, quod cedere nollet, durius habitus. XXIII. Maria regno proprio excluſa in alieno laborat. Anglorum, qui majorum religionem abolitam dolebant, ſecreta conſilia. Deſignati duces Norfolcii dux, Arundelii et Penbrochiae comites, non omnino ignaro aut alieno ab iis Suſſexiae comite. Interpellata a Norfolcio Eliſabetha de herede nominando, eoque Scotiae principe; et ut cum bona ipſius venia Mariam Scotam ipſi in uxorem liceat ducere. Id in malam partem interpretata Eliſabetha rejicit, et Scotam ab eo tempore diligentius obſervari jubet, et benignas pro ea ad Scotiae ordines literas ſcribit. Norfolcius turre Londinenſi incluſus cum Roberto Ridolfo a pontifice clam ſummiſſo, et inde aliquanto poſt emiſſi. XXIV. Percius Northumbriae et Nevillus Weſtmorlandiae comites pro majorum religione in limite arma ſumunt. Quibus oppreſſis Leonardus Dacraeus majore mole res in limite novas molitur. XXV. In Scotia interim Limnuchi Moravius prorex a percuſſore Jo. Hamiltonio ex inſidiis occiditur. Excurſiones Walteri Scoti et Thomae Carri in limite Anglicano a Suſſexio revictae. XXVI. Proſcribitur a pontifice Eliſabetha, et a Jo. Feltono imperterrita audacia diploma ad epiſcopalium aedium valvas affigitur, qui ex conjectura comprehenſus ultro et palam ſe feciſſe profeſſus eſt et ſupplicio affectus. Ex ejus et aliorum confeſſionibus de conjuratione conſtitit. XXVII. Matthaeus Stuartus Leviniae comes, regis pueri avus, interrex, et paulo poſt prorex, creatur. XXVIII. Miſſi ab Eliſabetha Gul. Cecilius et Walterus Mildmaius ad Mariam, qui foedus Edimburgenſe urgerent, et conditiones novas proponerent. Ad eas graviter et prudenter a Maria reſponſum, re ad delegatos a vicariis ſuis remiſſa. XXIX. Thomas Stucleius acciſis rebus

TOM. II.

CIↃIↃLXX.

TOM. II. rebus in Italiam profectus ſpe pontificis animum implet, et pecuniam ab eo ſine alio fructu emungit. Connogherus O-brienus tertius Thomondiae comes res novas in Hibernia movet, ac poſtremo, fruſtra implorato noſtro auxilio, ſe reginae clementiae ſummittit. XXX. Gul. Herberti Penbrochiae comitis, Henrici Cliffordi Cumberlandiae itidem comitis, Nicolai Throcmortoni mors et elogium.

## LIB. XLVII.

CIƆIƆLXX. CAROLUS IX.

ALBANUS eventum rerum Britannicarum opperiens domi ſedet. II. Prodigia horrenda et terrae motus ingentes Ferrariae, Mutinae, Regii, Corregii, Florentiae, et Finalii in Liguribus. III. Formula concordiae inter Proteſtanteis a Jacobo Andreano perſcribitur. In Lithuania et Samogitia idem Sandomiriae tentatum. Joannes Caſimirus Baioarus Eliſabetham Auguſti Saxonis ſeptemviri filiam uxorem ducit. IV. Spirenſia comitia: Hamburgenſium et Holſatiae ducis in iis agitata controverſia. V. Anna Caeſaris filia, Philippo deſponſata, Zelandia ſolvens in Hiſpaniam ducitur: Eliſabetha altera filia regi uxor deſtinata in Galliam itidem deducitur. VI. Decreta in comitiis facta, et querelae ac legationes auditae. VII. Res in Livonia Magnus Holſatus turbat; et ad Moſcum profectus ab eo impetrat, ut Livoniae rex renunciaretur. Tandem Stetini de pace inter partes auctoritate Caeſarea actum. VIII. Apud nos Rupella in Santonibus a Polinio Garda in arctum redacta. IX. Joannes Sora naveis Venetas intercipit. X. Lanovianorum praecipitata contra Polinium pugna. Noallium et Maranum a Lanovio deditione recepta. Mox et Olonenſes arenae captae. XI. Pigallarius a rege contra Lanovium in Pictones miſſus Graviam arcem et Talmonium et Chiſaeum capit. XII. Proteſtantes quaſi pacis violatores ubique exagitati apologia edita ſe purgant. XIII. Res in Septimania a principibus geſtae. Bironus et Malaſiſius de pace acturi ad eos, cum jam circa Carcaſſonam incederent, mittuntur, cum literis regis, reginae, Andini ad Colinium amantiſſimis, irrito ſucceſſu. XIV. Principum per Septimaniam et Allobroges iter et expeditiones. Ad Ramberti-pontem in Seguſianis Colinius periculoſe aegrotat. Tandem principes in Aeduos deſcendunt, ubi Bricomotius rem gerebat; et Arnaeum-ducis petunt; et cum Arturo-Coſſaeo equitum tribuno confligunt, dubio utrinque eventu; et inde Charitaeum ad Ligerim veniunt. Miſſi inde ad regem de pace legati. XV. In Santonibus et Pictonibus interim geſta. Sangemmenſis pugna, in qua victor Lanovius; qui nullam tamen, qua modeſtia erat, ejus mentionem in commentariis facit. Lucionium captum; et eodem ſucceſſu Fontenaium; ubi Lanovius graviter in brachio vulneratus, ita ut, gangraena jam ſerpente, illud ſibi praecidi paſſus ſit. XVI. Jacopolis olim et vulgo Broagium in Proteſtantium poteſtatem venit; et eodem ſucceſſu Mauritii turris. XVII. Mediolanum Santonum a Subizio vi capitur, et Botavilla et Pontium occupantur. XVIII. Monlucius in Benearni pago bellum gerit: ad Rabaſtenium ingens et tota vita moleſtum vulnus in facie accipit. XIX. Luſitana navis a Jo. Sora intercepta. XX. Tandem pax ad Germani fanum conventa, multum reclamante oratore Philippico: et Germanicae copiae dimiſſae. XXI. Rex ad Meſeriam cum aulico comitatu profectus Eliſabetham ſponſam accipit. Germanorum principum Proteſtantium legatio ad regem de nuptiis gratulantium, et eum ad pacem nuper factam ſervandam exhortantium. XXII. Joannis Bernardi Sanſeverini Sommenſium ducis obitus. Bitſeorum comitum in Germania familia extincta. Joannis Brentii, Tiliorum fratrum, Jacobi Grevini, Joannis Merceri, Petri Montaurei mors.

## LIB. XLVIII.

CIƆIƆLXX. CAROLUS IX.

BELLUM Granatenſe, triennio ante repetitis ejus initiis, deſcribitur. II. Granatae prima cunabula. III. Mauriſci, Feſſanorum in Africa et Turcorum imploratis

imploratis auxiliis, Ferdinandum Valorium in regem eligunt; et ſolemni ritu Mahametem Aben-humeiam indigitant. IV. Inde Granatam recta ducunt: et vis ad Alhambram facta ſine ſucceſſu. V. Per totam Baeticam excurſiones et immanis crudelitas, ne reconciliationis ſpes eſſet. VI. Ab Inico Lupo Mendoza Mondejaris marchione provinciae praeſide ad Tablatam funduntur. VII. Toxici inter Mauros uſus. VIII. Gaſca a Toronenſibus inſidioſe necatur. Ad Guaiaras novi motus. Joannis Villaroelii infauſta audacia. IX. In partem belli miſſus P. Faſciardus Velezii marchio, non ſine occulta Mondejaris offenſa. Virgines a Mauriſcis immani ſacrificio mactatae. Subinde et Granatam miſſi Joannes Mendoza et Antonius Luna, qui Tendillae comiti Mondejaris filio praeſto eſſent, ſenſim imminuta patris ac filii dignitate. X. Bellum a Mauriſcis inſtauratur: et Aben-humeia rex, qui ante curſitando latebat, jam regia pompa prodire et incedere coepit. XI. Joannes Auſtrius belli contra Mauriſcos ſuſcepti ſummus imperator. Almeriae deſcriptio et origo. Catinus ſmaragdinus Genuenſium. Alcudia capta. Aben-Jahuaris belli incentoris ex moerore mors. XII. Mondejari adventu Joannis Auſtrii praefectura abdicatur. XIII. Mauriſci Granata miſerabili ſpectaculo expelluntur: a praeſidiariis injurioſe infeſtati. Ad Guadim ſive Accim Conſalvus funditur. Aben-humeiae regis ad captandam clementiae laudem edictum. Frexilliana a regiis obſeſſa, et tandem capta. Italicae triremes dum adveniunt varia tempeſtate jactatae. XIV. Magnae in caſtris regiis ducum ſimultates, Lud. Quixada diſciplinae auſterae viro et Conſalvo Sueſſano cum Velezio, Mondejare cum Deza et Velezio inimicitias haud occultas exercentibus. XV. Conventus regni Cordubae; quo Philippus ipſe venit. Conſerta feliciter a Velezio ad Bergim pugna. Vice verſa, ad Albunuelas feliciter a Mauriſcis pugnatum; et rurſus cum damno ad Bergim. Velezianorum militum rebellio. XVI. Aben-humeiae libidines, faſtus et ſecuritas. In eum conjuratio. Aben-humeia ab Alquacile ſtrangulato, Abdala in regem eligitur, qui ſe initio excuſat. XVII. Orgiva a Mauriſcis obſeſſa, et tandem capta. In regiis caſtris res confuſae. Sueſſanus, dum Orgivae obſeſſae ſuppetias laturus incedit, gravi damno affectus. Galeria et Urci et mox Illipula Filabriae et totus Bacenſis ager ad Abdalam deficiunt. XVIII. Ad Galeriam poſita a Velezio caſtra. Quejaris belli arx ab Auſtrio petita, et, diffugientibus Mauriſcis, capta. Inde tota vis contra Galeriam verſa. Favarae marchio juxta Calahorram funditur, et impedimenta amittit. XIX. A. Luna, Ronda deducere Mauriſcos in longinquiores provincias juſſus, ſeditione excitata impeditur, quae licentia militum immani vindicatur, corrupta foede militari diſciplina. XX. Guſmanorum et Pontiorum Legionenſium illuſtres in Baetica familiae. Per principes illarum cum Mauriſcis de conditionibus agitur. Melicus homo facinoroſus pacis internunciis interfectis rem turbat. Ad Arbotam locum a Mauriſcis munitum pugnatur. Clades ab Aracoſio ad Mundam accepta. XXI. Tandem Melici morte debellatum, biennali bello fine impoſito. Tom. II.

## LIB. XLIX.

Tom. III.

CIƆIƆLXX.

Carolus IX.

Selimus de Cypro ſubjuganda conſilium capit. Criſpi Naxo ſpoliati. II. Bellum Venetis indicitur; quorum ſub id armamentarium triſti augurio conflagravit. III. Apparatus contra vim Turcorum. Pontifex et Philippus auxilia large promittunt; Caeſar ob inducias negat. IV. Romae foedus ictum: et poſt aliquot altercationes ſacro Barnabae die M. Antonius Columna vexillum pontificium ſolemni ritu accepit. V. Claſſis Veneta Jaderae et Corcyrae peſte infeſtata Cretam contendit, fruſtra Margariti arce in itinere tentata. Soppotum in Epiro a Seb. Venerio in poteſtatem redactum. Claſſis pontificia Hiſpanam opperiens Hydrunte haeret. VI. Pialis Euboea ſolvens ſine certamine in Cyprum militem exponit. Inſulae deſcriptio, origines, quo jure ditionis Venetae facta. Cyprum tanquam juris Mamaluchorum, quibus Aegypto ſubjugata in imperio Othomani ſucceſſerunt, miſſo Nicoſiam nuncio, dedi poſtulat Muſtaphas. VII. Nicoſia Matthaei

Tom. III. thaci Dandoli culpa poſt XLVIII dierum oppugnationem capta. Caput Dandoli inibi occiſi haſtae affixum a Piali Famaguſtanis oſtenſum. Claſſis Chriſtiana ſegniter ad auxilia ferenda ſe comparat, exortis inter duces jam tum diſſidiis et Auria cunctante, ac tandem diverſa hinc inde abiit. VIII. Cypro Byzantium ad ſupplementum profectus Pialis in Aegaeo cum Venetis triremibus confligit, quo in
CIↃ IↃLXXI. certamine Vincentius Marius Priulus cadit. IX. Famaguſta obſeſſa, et auxilia ad eam ab Hier. Quirino feliciter introducta. X. Foedus ſacrum anno ſuperiore inchoatum poſt multas altercationes et in Hiſpaniam miſſitationes Romae tandem tranſactum; cujus is exitus fuit, ut jam tum de pace cum Turco quavis ratione redimenda Veneti cogitarent. Caeſar fruſtra et Polonus ad belli ſocietatem invitati miſſo Jo. Franciſco Commendono cardinali. Cardinalis Alexandrinus pontificis nepos ad regem ea de re legatus, qui inde ad Sebaſtianum Luſitanum tranſivit. XI. Famaguſtae ſitus et arctior obſidio, ac tandem poſt multas oppugnationes fortiter repulſas a M. Ant. Bragadino deditio. XII. Immanitas barbara Muſtaphae contra fidem datam in deditos ac Bragadinum praecipue ſaevientis. XIII. Hier. Magii indigna ſors ac tandem mors. XIV. Cypri variae clades. XV. Claſſis Turcicae inter haec aliis locis ſucceſſus. Epirotarum ſecretum pro libertate contra Turcos foedus. XVI. In Illyrico Scodra, Ulcinium et Soppotum, quod a Sarra Martinengo tenebatur, a Turcis recepta. XVII. Antivarum per ignaviam ab Alexandro Donato deditum, et paulo poſt Cazolis et Caſtrum-novum tentata ac virtute foeminarum ſervata. XVIII. Terrae motus in Italia ac praecipue Ferrariae, et inundationes in Germania et Gallia ad Rhodanum prodigioſae.

## LIB. L.

CIↃ IↃLXXI.
Carolus IX.

FINALIUM in Liguribus ab Hiſpanis interceptum. Mirandulae ex inteſtinis odiis res turbant. II. Joannes Auſtrius in Italiam venit, et inde ad claſſem Chriſtianam Meſſanae haerentem contendit. Conſultantes duces rurſus diſſident. III. Turcica claſſis in Ambracium ſinum, Cephalenia vaſtata, ſe recipit: Chriſtiana vix poſt multas tergiverſationes in viam ſe dat. IV. Echinadum inſularum et Corinthiaci ſinus deſcriptio. Ad Leucadem commiſſum memorabile proelium. Halis occumbit, Perthaus fugit, Uluzalis capeſſit pugnam et apertis noſtris in altum evehitur; victoria penes Chriſtianos ac praecipue Venetos, quibus Seb. Venerius praeerat, remanente: eam tamen funeſtam fecit Auguſtini Barbarici mors. Praeda ingens inter belli duces diviſa. V. Pontificis ad Philippum de foedere legatio; in qua et de juriſdictione regia in Sicilia et origine illius acriter jam tum diſceptatum fuit. Inde ad Luſitanum tranſitus, et de matrimonio Margaritae regis ſororis, quae Navarro deſponſata erat, cum Sebaſtiano actum. VI. Arabas et Perſas contra Turcum pontifex ſolicitat, et ad Mennam Aethiopum regem ſcribit: Uluzalis et clam ſolicitatus. VII. Columna ovans urbem ingreditur, et a M. Ant. Mureto publice laudatur. Halis in pugna occiſi filii a Philippo pontifici donati. VIII. Humiliatorum ordinis in Inſubria origo: ejus ob opes nimias diſciplinam collapſam dum reſtituere conatur Carolus cardinalis Borromaeus, ſcloppeti ictu inſidioſe petitus, evertendi et prorſus abolendi cauſam praebuit, contra obnitente Philippico oratore Jo. Zunica. IX. Apud nos initio anni cum Rupellanis regii delegati agunt, et Proteſtantium querelas audiunt. X. Tumultus ſub id Rotomagi ſecutus, ad quem compeſcendum Fr. Momorantius equitum tribunus cum delegatis e ſenatu Pariſienſi miſſus. Arauſione item tumultuatum. Rupellae ſynodus habetur, ubi et de collatione pecuniae ad Germanorum ſtipendia a Navarra cum filio, Condaeo, et Colinio agitur. XI. Rex ſolemni pompa Lutetiam ingreditur, et mox regina uxor; in ſenatum ſexto poſt die venit: oratio ejus, et judiciarii ordinis ſordibus corrupti ſugillatio; ad quam moderate Thuanus primarius praeſes reſpondet. Martio exeunte Eliſabetha regina more ſolemni ad Dionyſii fanum corona inſignitur. XII. Edictum de non geſtandis

dis

dis armis; quod mox ſecutus ex alia cauſa tumultus Pariſienſis, quem praeſenti virtute Franc. Momorantius urbis praefectus diſcuſſit. XIII. Sabaudus Jacobae Intramontanae cum Colinio matrimonium interturbare conatur. Cardinalis Caſtellionaei in Anglia obitus; qui, dum viveret, de Andini cum Eliſabetha Angla matrimonio ſermonem injecerat. XIV. Rex Bloeſas concedit ad Navarram, filium, Condaeum et Colinium excipiendos. Cum Burgolii in Turonibus eſſet, caedes Lignerolii patratur, variaeque ejus cauſae referuntur. Colinii ad aulam adventus et gratulationes. XV. Joachimi Brandeburgici ſeptemviri ex veneno obitus: Jo. Brandeburgici item. Pleſſia familia in Saxonia exſtincta. Mors Jo. Sigiſmundi Tranſilvani: item Georgii Thuvrii. XVI. Virorum literis clarorum obitus; Cl. Eſpencaei, Henrici Scrimgeri, Lud. Caſtelvetri, Georgii Fabritii, Joachimi Morlini. XVII. Anabaptiſtis inſtitutum a Friderico Palatino Frankentalae interpoſita fide publica colloquium. XVIII. Prodigia et ſpectrum Pragenſe. XIX. Res in Livonia inter Moſcos turbant, Torpato, paulum abeſt, intercepto. Moſca a Tataris occupata et incendio praeter arcem omnis vaſtata. XX. Propter decimae exactionem ab Albano imperatam in Belgio motus excitatus. Lovenſtenium Arauſionenſis inſtigatu ab Hermano Ruitero interceptum, et mox receptum. Joannes Cerda Medinae dux ſucceſſor Albano datus. Commotis paſſim animis ob Albani duritiem, Gulielmus Marcianus Lumaeus e Britannia in Batavos deſcendit, et Brielam capit ac munit. XXI. In Britannia legati a novo prorege Londinum veniunt, qui novis probationibus allatis Mariam parricidii convictam oſtendere nitebantur, et ipſam dedi ac legibus contra eam agi debere contendebant. XXII. Britannoduni arcis ſitus: ea intercepta conatu audaci, et archiepiſcopus ſani Andreae in ea captus, ac praecipitato judicio, quod deceſſoris ſui caedi participaſſe diceretur, proregis mandatu laqueo ſuſpenſus. Inde ſciſſum factionibus regnum. Prorex cum regiis Sterlini, Hamiltonii Edimburgi comitia celebrant. XXIII. Sterlinum aſtu interceptum, et in eo prorex oppreſſus et occiſus. Areskinus ei ſuffectus poſt annum morte repentina ereptus. Interea per Rob. Ridolfum et Roſſenſem epiſcopum cum Norfolcio de nuptiis Mariae actum; dum diverſa parte de ipſius Eliſabethae cum Andino nuptiis per legatos a regina matre miſſos ageretur. Tom. III.

## LIB. LI.

QUAEDAM ſingularia ad res Britannicas pertinentia. Leges majeſtatis renovatae. Joan. Storius ſupplicio afficitur. Motus in Hibernia compreſſi. Joannis Juelli mors. II. Norfolcius iterum ex ſuſpicione Turri incluſus, et cum eo Jo. Leſlius epiſcopus Roſſenſis, reperto inter ejus chartas commentario, quo conjurationis et matrimonii clam cum Norfolcio contracti, de religione Catholica reſtituenda, et filio, quamprimum eum in poteſtate habere poſſet, in Hiſpaniam mittendo, fides fiebat. Multi ob eandem cauſam proceres in carcerem truſi. III. Roſſenſis magnis utrinque rationibus cauſa agitata, an vere legatus eſſet, et an ei legatorum religio in cauſa perduellionis patrocinari deberet: tandem interrogatus cum ſolerter reſpondiſſet, ex ejus reſponſionibus probationes adverſus alios conjectura erutae, et praeſertim Norfolcium: nihil praeterea inclementius contra ipſum decretum. IV. Ingens et prodigioſus in agro Herefordienſi ad Kinnaſtonum viculum terrae motus; cui geminus memoratur accidiſſe poſtea ad pagum Hibornae in Bernenſi ditione, ſicuti ſuo loco demonſtrabitur. V. Norfolcius ſolemni parium judicio tanquam perduellis ad mortem damnatur, et mitigata poena capite plectitur. Paucis poſt diebus Barneius et Matherus capite luerunt, de conſiliariis aliquot interficiendis et Norfolcio liberando conſilium iniiſſe indicio Herli complicis convicti. VI. Edicta admodum ſevera contra perduelleis pro tempore publicata, addita clauſula, ut locum haberent quamdiu Eliſabetha viveret. VII. Miſſi dein ab Eliſabetha ad Mariam legati, qui multa querelarum capita contra eam proponerent; quorum partem pernegavit Maria, partem mollivit, et interpretatione diluit. VIII. Hanſeatica ſocietas renovata: ejus origo, civitatum numerus,

CIↃ IↃ LXXI. CAROLUS IX.

CIↃIↃLXXII.

TOM. III. numerus, leges. IX. Carlota Ludovici Borbonii Monpenſerii filia, ejerata monaſticae vitae profeſſione, e Gallia profugit ad Palatinum ſeptemvirum; apud quem renitente patre perhonorifice eo uſque manſit, donec Arauſionenſi principi nupſit. X. Alexandrinus cardinalis ad regem venit, et quid cum eo egerit. XI. Pii v mors. Ei ſuffectus Gregorius XIII. Cardinalis Lotharingus Romam cum cardinali Pellevaeo proficiſcitur. XII. Sponſalia Navarri cum Margarita regis ſorore. XIII. Foedus cum Eliſabetha confirmatum; et eodem tempore miſſus in Germaniam G. Schombergius, qui iiſdem legibus cum Imperii principibus foedus iceret. Nemauſi Proteſtantium ſynodus celebrata, cui Theod. Beza interfuit. XIV. Navarra ad urbem venit cum filio, Condaeo, Colinio, ac Proteſtantium aliis proceribus; paulo poſt, ſicuti jactabatur, veneno extincta. XV. De bello in Belgium transferendo actum; de quo Colinius ſententiam ſuam ſcripto comprehenſam regi offert. XVI. Huic contrario ſcripto Morvillerius reſpondet. Joannis Hangeſti Jenliſii copiae in Belgium praemiſſae indicio noſtro ab Albano delentur.

## LIB. LII.

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

COLINIUS fruſtra ab amicis monitus Caſtellione ad Lupam, quo excurrerat, invitatus in aulam venit, appetente nuptiarum die. De pace publica edictum. II. Nuptiae celebratae, pompae, haſtiludia. III. Legio praetorianorum ex Colinii conſenſu in urbem a rege introducta. IV. De caede Colinii deliberatio: V. A Maurevellio ſcloppeti ictu e Lupara exiens petitur. Delegati a ſenatu, qui de facto inquirerent. VI. Inde de caede univerſorum Proteſtantium conſultatum, quae et tandem decreta eſt. VII. Colinii, Rupifulcaudii, Telinii, Renelii marchionis, Guerchii, Baudinei, Pluvialii, Pontii Armoricae reguli, Lavardini, Forcei, Loverii, Montamarii, Montalberti, Cugnerii, Francurii, Grolotii, Pardallanii, Jo. Placii, Villamorii, Sammartini, Bellovarii, P. Salſedae, aliorum caedes. VIII. Item P. Ramus immaniter interfectus; et Dionyſii Lambini ex eo pavore ſecuta mors. Politicorum nominis origo. IX. Variae per literas regias facti excuſationes. X. Oxyacantha Lutetiae refloreſcit; et inde furenti plebi laetum ex caedibus augurium. XI. Rex tandem conſultatione habita in ſenatum venit, et facti invidiam in ſe recipit. XII. Meldis idem factitatum, Aureliani, Andegavi, Auguſtobonae Tricaſſium, Avarici Biturigum, Lugduni, aliquanto poſt Toloſae et Rotomagi. XIII. Colinii ſcrinia excuſſa; et in iis repertus commentarius, qui reginae pudorem pulſavit.

## LIB. LIII.

CIↃIↃLXXII.
CAROLUS IX.

VARIA de tumultu Pariſienſi judicia, et elogia. II. Montalbanum, Nemauſus, aliquot in Cebennis caſtella, Rupella et Sancerrae, Proteſtantibus ubique exagitatis perfugium praebent. III. Navarrus et Condaeus fide adacti ad ſacra majorum redeunt. Hugonis Sorelli Roſarii publica profeſſio et recantatio. IV. Romae, ubi erat cardinalis Lotharingus, ingens ex eo laetitia, jubilaeo indicto celebrata. Camilli Capilupi ſuper ea re ſcriptum. V. Navarri edictum de inſtauranda per ditiones ſuas majorum religione. VI. Poloniae regnum regina parens Andino filio ambit, quod Sigiſmundo Auguſto ſine liberis decedente ad electionem devenerat. Miſſus ad id ante tumultum Pariſienſem Joannes Monlucius Valentiae epiſcopus in Poloniam; qui ubi Coninum venit ad regni limitem, ad archiepiſcopos, epiſcopos, Palatinos, regni proceres literas dat, quibus Pariſienſem caſum ad invidiam contra Gallos ubique exaggeratum multis verbis elevabat. VII. Hugo Donellus in id ſcriptum evulgat, ſub Zachariae Furneſteri nomine: cui contrario Jac. Cujacius reſpondit. Scripſit item ſuper eadem re Vidus Faber Pibracius epiſtolam ad Staniſlaum Elvidium: cui reſponſum eſt libello Petri Burini nomine. VIII. Pomp. Bellevreus itidem a rege in Helvetios miſſus, ut factum excuſaret; qui

qui P. Carpentarii opera ad id uſus eſt, publicata ſub id epiſtola ad Fr. Portum contra Cauſarios; cui poſtea reſponſum eſt. IX. Inde in Colinium mortuum lata ſententia; et cum ejus effigie ad ſupplicium tracti Bricomotius et Cavagnius. X. Cum Rupellanis vi et per delegatos actum. Strozzius et Polinius quaſi ad Indias navigaturi jam pridem juxta cum claſſe in ancoris erant. Bironus ad Joannis fanum erat, qui nullam amice cum iis agendi occaſionem intermittebat. Inde orta diffidentia, quae Burdigalenſi diu poſt ſecuto caſu in majus aucta eſt. Edictum, quo de egregia regis erga Proteſtanteis voluntate ac benignitate fides fit, et eorum ſecuritati proſpicitur. XI. Rupellanae obſidioni initium factum. XII. Lanovius e Belgio rediens regi reconciliatur et Rupellam mittitur. Velitationes primae. XIII. In Aquitania reliquiae Proteſtantium in Cadurcis collectae in commune conſultant. Renerius inſperato Dei beneficio, quod amplius ſuperiore libro explicatur, ſervatus, Villemurium ad Tarnim occupat. Loca alia in Rutenis, Laureacenſi agro, in Cadurcis, in Fuxenſi comitatu, et Buxetum haud longe a Toloſa occupata. XIV. Sancerrarum obſidionis maxime memorabilis initium per Cl. Caſtreum Biturigum praeſidem factum. XV. Nemauſenſes a regiis praeſidibus tentati animoſe reſiſtunt. Puſinum in Vivarienſi pago a Proteſtantibus et Chelarium occupantur; et in Septimania proxima Sommeria, ad quam paulo poſt Damvilla provinciae praeſes caſtra ponit.

## LIB. LIV.

CIƆIƆLXXII.

Carolus IX.

Ob decimam in Belgio ante Pariſienſem caſum tumultuatur. II. Poſt Brielam in Batavis a Marciano Lumaeo Anglia pulſo occupatam, Roterodamum in poteſtatem a regiis redigitur: Hiſpani Vliſſinga pelluntur. III. Mildeburgum obſeſſum, irrito conatu. Enchuſae ad foederatos defectio. Valenciani tumultuantur. IV. Montes in Hannonia aſtu a Proteſtantibus capti. V. Goda, Dordracum, arx Gorcumenſis, Lugdunum, Lovenſtenium et Schonhovium in Batavis ad eos deficiunt. Mox et Alcmaria, Horna, Edamum, Medenblicum in Arauſionenſis verba jurant. Bergenſis comitis in Zutfanienſi comitatu et Tranſiſelana res geſtae. VI. Copiae Albani et Arauſionenſis. Valencianae beneficio arcis receptae. VII. Vliſſingenſium contra reliquos inſulanos geſta. Tergoeſa infeliciter tentata; Tſerarſio ob id injurioſe proditionis inſimulato. VIII. Jo. Cerda Medinae Coeli dux Albano ſucceſſor deſtinatus in Belgium deſcendit. Albani ad Montes caſtra poſt caſum Pariſienſem. IX. Jenliſius obſeſſis ſuppetias laturus, a Philippicis, noſtrorum indicio proditus, cum ſuis intercipitur. X. Spinolenſe coenobium expugnatur. XI. Lovanium, Mechlinia, Ruremunda in Arauſionenſis partes tranſeunt. XII. Montes poſt varias velitationes tandem Albano deduntur. XIII. Mechlinia recepta. XIV. Tergoa in Zelandia a foederatis iterum fruſtra tentata. XV. Marcianus Lumaeus, Ferdinando Toletano digreſſo, claſſem Amſterodamo admovet. Bergenſis comitis in Sicambris res geſtae. In Tranſiſelana paſſim defectiones, et in Friſia proxima Nederwormteri ductu. XVI. Albanus Moſae Trajectum venit. Nardenum in Friſia crudeliter direptum. Immanis facti a Numine defenſi propius miraculo exemplum. XVII. Harlemi obſidio a Friderico Toletano per hyemem concreta glacie coepta. XVIII. Fabius Urſinus cardinalis a pontifice miſſus longe aliam apud nos faciem, quam rebatur, reperit. Ejus cum rege colloquia, et de concilii Tridentini promulgatione enixa poſtulata, a quibus rex et regina ſe excuſaverunt. Rambulietus regis nomine, Duracius a Navarro, Romam miſſi. XIX. Stella nova et admiranda ſub Caſſiopeae aſteriſmo conſpecta, de qua varia mathematicorum judicia. Novus morbus novam ſtellam ſecutus, Pictonicus colicus vulgo dictus. XX. Lutetiae novus motus irrito ſucceſſu tentatus, et a Ludovico Gonzaga Nivernio eluſus. XXI. Inter Venetos et Hiſpanos de foedere nuper inito diſſidia; quorum is exitus fuit, ut Veneti de pace cum Turcis facienda ſerio cogitarent. XXII. Columna cum Veneta claſſe ad Corcyram ſe conjungit. Carolus Lotharingus Meduanae marchio cum delecta nobilitate e Gallia eodem venit, in patricio-

rum

Tom. III. rum cenſum a ſenatu, cum Venetiis eſſet, allectus. Fr. Noallio Aquenſium in Tarbellis epiſcopo et ad Portam Othomanicam oratori mandatum, ut Venetis in procuranda pace regis nomine praeſto ſit. Eminus tormentis cum Turcis a Columna et Venetis res geſta. XXIII. Ubi venit Auſtrius novae ſubortae altercationes. XXIV. Ad Coronen haud longe a Methone in Peloponneſo facta exſcenſione leviter pugnatum, et ad Juncum portum fuit receptus. Navarrini ſive Pyli irrita obſidio. XXV. In Umbria res turbant ob vectigalia nova impoſita ab Urbini duce, interventu novi pontificis compoſitae. XXVI. De titulo magni Etruriae ducis controverſia mota apud Caeſarem. XXVII. Hippolyti Ateſtini cardinalis obitus; item literis clarorum virorum, Aegidii Tſchudi Claronenſis, Joannis Wolfii, Donati Janotii, Hippolyti Salviani, Nicolai Gruchii, Antonii Rodolphi Cevalerii, Stephani Tzegedini, Joannis Geneſii Sepulvedae.

## LIB. LV.

CIↃIↃLXXIII. Carolus IX.

Veneti cum Turcis interventu regii oratoris tranſigunt; qui miſſis ad pontificem et Philippum legatis factum excuſant. II. Bellum foedere ſoluto in Africam a Philippo tranſlatum ad Tunetem expugnandam. Auſtrius urbe praeſidiariis nudata ſine certamine potitur; quae nihilominus militi diripienda conceditur. Arx deſignata inter urbem et ſtagnum, in cujus faucibus Guleta ſita eſt; eique Gabriel Serbellonus imponitur. Biſerta item capta. Amidas cum filiis Neapolim deducitur. III. Harlemi obſidio continuatur. Antonii Olivarii, qui Montium capiendorum auctor fuerat, in caput pretium ab Albano propoſitum; quod in urbem jactu cum immiſſum eſſet, pro eo XI capita in Hiſpanorum caſtra quaſi pro decima et auctario tranſmiſſa ſunt. IV. Lovanii prodigioſa aquarum diluvies; item Coro flante per Friſiam et Miſniam. Monſtrum bicorpor Amſterodami: ac lunae defectus longe maximus. V. Columbarum nuncia ab antiquitate repetita. VI. Tandem poſt octavum menſem et duas ingenteis oppugnationes ſumma vi repulſas extracta obſidione Harlemum ad ſummas anguſtias redactum arbitrio Albani deditur; qui ad bis mille aut per carnificem aut alia morte affecit. VII. Vario res interim eventu in Zelandia geſta, Mildeburgo et Rameka in Walacrenſi inſula in arctum coactis; quibus dum auxilio cum claſſe venit Boſſuvius comes a Marciano vincitur et capitur. Harlemo capto, Alcmaria petitur. VIII. Obſeſſi, Marciani victoriae certi, animis ſumptis fortiter reſiſtunt, et Hiſpanos ab obſidione diſcedere gravi damno accepto cogunt. Diſtributis copiis Julianus Romerus, captis circumpoſitis locis Lugdunum Batavorum cingit, quod proxima hyeme petere duces decreverant. Ramekenſis arx in Zelandia Arauſionenſi dedita. IX. Albano ſub exitum anni e Belgio diſcedente, Medinae quoque dux revocatur, et Ludovicus Requeſenes ſucceſſor deſignatur; qui Bruxellas veniens exercitum Albano tradente accepit. X. Rex, dum Monlucius in Polonia pro fratre Andino laborat, ad tumultus Pariſienſis invidiam mitigandam Gaſparem Schombergium ad Imperii principes legat, et ab iis in petitione regni literas commendatitias petit. Is in itinere cum Arauſionenſi per Naſſovium Francofurti tranſigit. XI. Damvilla ad Sommeriam caſtra ponit; quam amiſſo Candala ſororio tandem deditione a Gremiano recipit. XII. Puſinum Rhodano impoſitum intercipitur. Villanova a Baronio et Pradela aſtu capta. XIII. In Velaunis Sanvitalis Proteſtanteis urgebat. XIV. Monbrunius in Allobrogibus res eorum ſuſtentabat. Villarius marchio eoſdem ita infeſtabat, ut in Rupella et Sancerris omnis ſpes illis eſſet repoſita. XV. Sancerrae deſcriptio et origo. Obſidio, et prodigioſa obſeſſorum fames, et contra eam obfirmatio. XVI. Rupellae continuata obſidio. XVII. Radeſianus in Angliam miſſus, ut quod Lutetiae actum erat excuſaret; quod ſtrenue fecit: eodemque tempore invitata Eliſabetha, ut filiam regis de ſacro lavacro ſuſciperet, quae ſerio gravibus de cauſis de nuptiis cum Alençonio cogitat. XVIII. In Scotia ab Anglica factione Mortonius poſt ſubitam Marrii mortem prorex creatur. Alexandro Areskino pueri regii educatio committitur. Praeteritorum oblivio ſancitur. Cum Kirkaldius, qui arcem Edimburgenſem tenebat, conditiones accipere detrectaret, arx obſeſſa, ac tandem arbitrio Eliſabethae dedita. Kirkaldio ac Jacobo fratri gula fracta.

Lidingtonii ingenium, mors. XIX. Roſſenſis epiſcopus ad nos profugit. Gul. Howardi Effinghamii et Reginaldi Greii Cantii comitis obitus. XX. Hibernici motus a Perotto compreſſi. Factione aulica Walterus Ebroicus Eſſexiae comes in Hiberniam duris legibus miſſus variis incommoditatibus conflictatur, et tandem praeclaram, cum minus putabat, de rebellibus victoriam reportat. TOM. III.

## LIB. LVI.

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX.

RUPELLAE continuata obſidio. II. Andinus in caſtra venit. III. Irritum cum obſeſſis colloquium. Rupellani ſe purgant, et diffidentiae cauſas proponunt. IV. Colloquium redintegratur nullo exitu. Aumalius ictu colubrinae diſcerpitur. V. Lanovius anxius, qui permiſſu regis ad urbem venerat, Andini juſſu obſeſſos deſerit. Paſtorum in urbe intemperies; inter quos diſputatum an captis regiis parcendum eſſet. Anton. Claromontius Talarius fortiter pugnans lethali vulnere ſauciatur. Draco volans in aëre conſpectus. Coſſenii et Vergani occubitus. VI. Auxiliaris Mongomerii ex Anglia claſſis haud magno profectu. VII. Diſſidentibus in caſtris regiis principum et procerum animis, Alençonius cum Navarro, Condaeo, Henrico Turrio Turenae vicecomite, et ipſo Lanovio, juvenilis temeritatis conſilium ineunt; a quo ut foedo et periculoſo eos dehortatur Lanovius. VIII. Roianum in Garumnae aeſtuario interim a Campeto occupatur. Per Oartiſium tentatum colloquium. IX. Ingens oppugnatio, in qua quinquies repetito certamine toties regii cum damno repulſi ſunt. X. Tandem, nuncio de Andino in regem Poloniae electo in aulam allato, Villaregius a rege in caſtra mittitur, et pacificatio cum Rupellanis maturatur, qua Nemauſenſes et Montalbanenſes comprehenſi, Sancerranis ab ea excluſis. Variae clades in ea obſidione a regiis acceptae. XI. Poloniae regni deſcriptio, lingua, civitates, provinciae. XII. Regum poteſtas legum fraeno temperata. Senatores ac palatini. Regum ſucceſſiones et electiones. Ob religionem motus. XIII. Monlucii in electione procuranda contentiones, diligentia, ſolertia ad diſturbandas competitorum factiones. XIV. Tandem Andinus Kal. Maii hoc anno rex eligitur. XV. Legati ad electum regem miſſi in Galliam veniunt, et Lutetiae magna pompa excipiuntur. XVI. Cum Sancerranis a Cl. Caſtreo tranſigitur. Joannes Lerius incolumis ab eo ſervatus. XVII. Gulielmi Pratenſis Vitelliani caſus, qui paulo poſt Anton. Alegrium Milialdum ob privatam ultionem occidit. XVIII. Joan. Gulielmi Saxonis mors. Michaelis Hoſpitalii jam quinquennium ab aula remoti, Andreae Maſii et Caroli Langii, Franciſci Fabritii Macrodurani, Joachimi Curaei Sileſii, Jo. Baptiſtae Cynthii Giraldi, obitus.

## LIB. LVII.

CIↃIↃLXXIII. CAROLUS IX.

SERAPHINUS Olivarius ad novum Poloniae regem a pontifice mittitur. II. Legatorum Polonorum in regis Poloniae renunciatione pompa, et in decreti pronunciatione coram rege et totius regni proceribus ſolemnis actio: cujus maxima pars fuit Joannes Sarius Samoſcius: an is librorum de ſenatu auctor? III. Fr. Balduinus juriſconſultus moritur. IV. Pompae feſtae in Lateranis reginae matris aedibus. Praemiſſus in Poloniam Nic. Angeneus Rambulietus. V. Graſſatio Moſcorum in Livonia per interregnum. Roſtochienſium cauſa cum ducibus Megalopolenſibus, Caeſaris, Auguſti Saxonis et Brandeburgici ſeptemvirorum interventu componitur. VI. Paulus Foxius in Italiam et ad Germaniae principes a rege mittitur; in cujus comitatu erat hujus ſcriptor hiſtoriae. VII. Legati Poloni honorifice dimiſſi. VIII. Ante diſceſſum nonnihil altercatum ſuper conditionibus a Proteſtantibus propoſitis et inſolitis ac ſuggeſtis poſtulatis, quae rex fruſtratione eluſit. Libri ſeditioſi recenti Sanbartholomaei caſus memoria publicati; Anthenoticus, et Franco-Gallia, et dialogus Politici nomine: item Francia Turcica Ponceti, equitis ſancti Petri, ſub nomine, ad invidiam quorundam in aula; et matutinum pervigilium,

Tom. III. CIↃIↃLXXIV. et ſpecilla cryſtallina, et hujuſmodi libelli famoſi ad incendendos animos. IX. Novus rex ſolemni pompa Lutetiam ingreſſus legatos dimiſſos ſequitur, magno comitatu per Germaniam facto itinere. X. Rupellae detecta conjuratio; et conſcii aliquot, Rhaeticarum copiarum duces, ſupplicio affecti. Tumultuatum et aliis regni partibus. XI. Poloniae rex pergit; et, Boruſſia pertranſita, Miedzerici Uladiſlavienſem epiſcopum obvium habuit a regni ordinibus miſſum, qui ipſum luculenta oratione ſalutavit, cui a Vido Fabro Pibracio reſponſum. XII. Ubi Cracoviam venit, Radeſianum mittit, qui exſequiis deceſſoris ſui intereſſet; quae ſolito ritu celebratae ſunt. XIII. Quo facto, ipſe ſolemni pompa Cracoviam ingreſſus eſt, ingenti et Polonorum et principum ac procerum Galliae comitatu. XIV. Cracovienſis palatinus Proteſtantium doctrinae addictus in inauguratione intercedit, et amplius ſibi ac ſuis caveri petit. Heic Joan. Vincentius Laureus orator pontificius partes ſuas interpoſuit, ne quid ultra a Sigiſmundo Auguſto conceſſa in praeſens concederetur. Actum et clam de mittenda ad Joannem Sueciae regem legatione cum regis literis, ut eum ad amplectendam majorum religionem, quo inclinare videbatur, incitaret. Eo poſtea miſſus Antonius Poſſevinus. XV. Proteſtantium in Gallia motus. Res in aula turbant: et, dum rex ad Sangermanum eſſet, homines Alençonio addicti in armis ſe oſtenderunt. Politicorum et alio nomine Male-contentorum factio. Momorantii Alençonio favent. Guiſianorum contraria factio. Alençonius et Navarrus ſcripto ſe purgant. XVI. Quaeſtio de Mola, Coconaſſio, Turtraeis habita, et ſumptum ſupplicium. Condaeus, qui Samarobrigae erat, fuga in Germaniam abit. Franciſcus Momorantius et Arturus Coſſaeus equitum tribunus ſiſtuntur. Alençonius et Navarrus cuſtoditi. XVII. Mongomerius in Neuſtria res turbat; Danfronii in Aulercis captus et Lutetiam ductus. XVIII. Reginae matri ingraveſcente regis morbo regni adminiſtratio attributa et in ſenatu promulgata. XIX. Regis mors, ingenium, conſilia, virtutes. XX. Coſmi magni Etruriae ducis, Abdalae Feſſae et Marochi regis, obitus,

## LIB. LVIII.

CIↃIↃLXXIV. Henricus III. Nuncio mortis Caroli in Poloniam allato, Henricus Jacobum Faium Speſſaeum in Galliam ſubito remittit, cum mandatis, quibus adminiſtratio regni a deceſſore ſuo reginae matri attributa ei confirmabatur. II. De regis diſceſſu, quem urgebat regina, Cracoviae inter ſuos conſultatum. Praecipitatus pudendo conſilio ejus diſceſſus, praemiſſo Pomp. Bellevreo, cujus mandata morte Caroli regis exſpiraverant. Prius monitus Danzaeus, ut poſt diſceſſum apud regni ſenatores ex neceſſitate eum excuſaret. Legati ad eum ſeu perſequendum ſive exorandum miſſi fruſtra fuere. III. Viennae a Caeſare excipitur rex. Inde per Caroli archiducis ditionem deductus ad Fori Julii limitem venit; ubi obvios habuit ſenatus Veneti oratores, qui adventum gratularentur. IV. Pompa in Venetiarum ingreſſu, et novem dierum ſpatio omni honoris ac cultus et ſpectaculorum genere effuſa in tanti hoſpitis gratiam civitas. V. Inde Ferrariam venit, et Mantuam et Auguſtam Taurinorum. VI. Apud nos capto Danfronio, Laudi fanum vi a Matignono expugnatum, et Carentanum a Guitrio deditum. Rex, qui a Caeſare rerum auſpiciis regni componendarum, et a ſenatu Veneto, admonitus fuerat, impulſu matris mutat. Regina cum Rupellanis bimeſtreis inducias pangit. Damvilla ſibi a regina metuit. Bellum in Allobrogibus a Delfino principe geritur. VII. Mongomerius damnatur et ſupplicio afficitur. VIII. Caroli IX exequiae ſolita pompa frequentatae. IX. Condaeus ſcripto abſentiam et innocentiam ſuam atteſtatur. X. In Pictonibus bellum redintegratur. XI. Caſtrum in Albigenſi agro a Seriniaco Terrida interceptum. Virulentus contra Catharinam Mediceam liber. Regens filio venienti obviam proficiſcitur. XII. Expeditio Tunetana a Sinane purpurato ſuſcepta. Guletae munimentum a Turcis obſeſſum ac captum; et arx interior, ac mox a fundamentis diruta. Auſtrius ob adfectatum Africae regnum hanc cladem importaſſe creditus magna apud omneis invidia laborat. Sinan inde triumphabundus Byzantium tendens in itinere

in itinere Corcyram fruſtra tentat. XIII. Bellum in Dacia. Ejus et Moeſiae deſcriptio. Bogdanus Ivoniae criminationibus Walachiae principatu a Turcis exutus, ſuffecto ei Ivonia, qui ſtatim rebellavit. Felices primi contra Turcos Ivoniae ſucceſſus. Hieremias obviam venienti Capucio purpurato miſſus, a Petro Bogdani fratre perſuaſus, fidem fefellit. Caeſus Ivonia, ſupplex, accepta fide, ad Capucii tentorium pergit; et ſumma perfidia ab eo confoditur. XIV. Henricus in Taurinos venit, et de Subalpinis urbibus reſtituendis Sabaudo fidem obſtringit. Damvillae tentata reconciliatio. XV. Ubi Lugdunum venit rex, concepta de tanto principe expectatio ſtatim in primis regni auſpiciis jam tum laborare coepit. Symeonis Boſii de ea judicium.

## LIB. LIX.

CIϽIϽLXXIV.
HENRICUS III.

Guisianorum et Momorantiorum in regno factiones; et in aula ſubſidiariae Hoſpitalianorum et Morvillianorum. II. Conſultatio de bello inter Paulum Foxium pacem et Villoclarum bellum ſuadentes. Villoclari ſententia obtinet. III. Diana Momorantii captivi uxor pro mariti libertate deprecatura Lugdunum venit. IV. Nivernius de reſtitutione urbium Subalpinarum ſcripto comprehenſam conſultationem regi offert. V. Margaritae Sabaudae ſub id deceſſus. Savillianum et Pinarolium Sabaudo reſtituuntur. Rex Eliſabetham Sueci filiam ambit. Cum Rupellanis fruſtra agitur, cum Condaeo item in Germania. VI. Rex Avenionem venit cum aulico comitatu. Rogerius Bellogardius tribunus equitum creatus Delfino principi ſufficitur, et per eum Damvilla denuo tentatur. Liberonis dubia obſidio. VII. Rex in Natali ſe flagellantium pompae ipſe perſonatus intereſt. VIII. Caroli cardinalis Lotharingi mors, ingenium, virtutes. IX. Aloiſia Lotharinga, ſpreta Eliſabetha Sueca, a rege ambitur. X. Fontenaium in Pictonibus a Monpenſerio obſeſſum et captum. XI. Ad Luſinianum poſita caſtra. Meluſinae turris et gentis toto orbe illuſtriſſimae fabula et vetuſtas. Tandem a Roano locus Monpenſerio deditur, et Meluſinae turris dejicitur. XII. Eliſabetha Angla a Carolo rege coepta pro Alençonio et Navarro officia apud novum regem per oratores ſuos perſequitur, et edictorum in Proteſtantium gratiam conditorum confirmationem urget. Ad haec, de nuptiis negotium repoſitum. XIII. Guiſiani in aula libertatem Mariae Scotae urgent. Prodigia: et cetus immani magnitudine recedente mari deſtitutus. XIV. In Belgio Mildeburgum poſt longam obſidionem a Mondragonio foederatis Ordinibus deditur. Inde Trajectum ad Moſam petitur. XV. Ingens ad Mocam parta a regiis victoria; quam ſolemnis Hiſpanorum ſeditio ſecuta eſt. XVI. Naves Hiſpanae in Scaldis aeſtuario a Zelandicis interceptae. Diploma gratioſum fruſtra Madrito miſſum. Ex reditu Germanorum dimiſſorum captata occaſione, Magnus Saxo Lauemburgicus bellum in paterna ditione excitat. XVII. Sueci in Livonia improſperi ſucceſſus. Dano venditae arces a Moſco occupantur. XVIII. Bellum totis viribus in Batavis geritur. Fr. Valdeſius ad Lugduni in Batavis obſidionem redit. XIX. Caſtra ad Lugdunum vi Kal. Jun. poſita. Tandem ſupervenientibus auxiliis obſidio ſolvitur. XX. Antuerpia fruſtra tentata. XXI. Jo. ab Hoia epiſcopi Monaſterienſis mors; cui ſuffectus Joannes Clivenſis. Henrici Roberti Marciani obitus: XXII. Virorum literis illuſtrium, Pauli Manutii, Joach. Camerarii, Amaltheorum fratrum, Jo. Guinterii, Benedicti Aretii, Joach. Weſtfali, Cypriani Leovitii, Hermanni Cruſerii, Enimundi Bonefidii, Reginaldi Clutinii Flaviniaci, Jo. Verſoſae, Georgii Vaſarii architecti ac pictoris excellentiſſimi: XXIII. Selimi II, Tecmaſis Perſarum imperatoris, deceſſus.

## LIB. LX.

CIϽIϽLXXV.
HENRICUS III.

Rursus in Belgio interventu Caeſaris pacis via inita. Bredanus in id conventus; ubi diſceptatae utrinque rationes, et ſcripta publicata. II. Arauſionenſis mox Carlotam Borboniam Monpenſerii filiam in uxorem ducit. III. Bellum

Tom. III. lum inter haec vario eventu recrudeſcit. IV. Zelandicarum inſularum deſcriptio. Zirixea urbs in Scaldi praecipua; ejus origo et incrementa. Zelandorum mores, ingenium; in eos impetus a regiis factus: Oſtovelandia ab Ordinibus deſeritur, et mox Viana capitur. Inde ad Bomeneum ducunt. Ejus deſcriptio. Summa virtute locus a Lilio Gallo defenſus ac tandem vi expugnatus. Zirixea obſeſſa. V. Eliſabetha et Philippus in ſpeciem reconciliantur, conditionibus mutuis appoſitis. VI. Inter Ordines de patrocinio alicujus principis externi implorando jam tum conſultatum et diſceptatum. Eliſabetha patrocinium ſibi delatum accipere recuſat: et in Hiſpaniam pro pace mittit. VII. Academia Lugdunenſis in Batavis felici augurio inſtauratur. VIII. In limite Anglicano ex rixa inter utriuſque regni praefectos ſive cuſtodes certatum. IX. Eſſexii in Hibernia e provincia revocati geſta: et Henricus Sidneius rurſus eo cum ſummo imperio miſſus. X. In Livonia res turbant. XI. Comitia Ratiſponenſia. Caeſar titulum magni Etruriae ducis poſt adfinitatem contractam Franciſco confirmat. XII. Apud nos Liberonis obſidio a Bellogardio urgetur. Aquaemortuae in Septimania interceptae. Tandem ab obſidione Liberonis diſceditur. Proteſtantium per Septimaniam ſucceſſus. XIII. Foedus Politicorum ſive Male-contentorum, cui nomen Damvilla dedit, initum. Joan. Haius res novas in Pictonibus molitur. XIV. Rex Avenione diſcedens Durocortorum Remorum venit; ubi inauguratur, et Aloiſiam Lotharingam in uxorem ducit. XV. Legati a Condaeo, qui Baſileae erat, ad regem veniunt. De pace colloquium inſtitutum, et conditiones propoſitae. Eliſabetha Caroli vidua in Germaniam redit. XVI. Jo. Haii, qui res adeo in Pictonibus turbaverat, caedes et poſt caedem ſupplicium. XVII. Conditiones coram rege propoſitae in conſeſſu foederatorum Rupellae diſcutiuntur. Res in Pictonibus et Santonibus geſtae. Michaelis fanum in Periculo Maris in Neuſtria a Toceto captum et mox receptum. XVIII. In Pictonibus Caroli Roaldi Landerei ad Retenſem et Oleronenſem inſulas invadendas conatus. XIX. Bemii Colinii percuſſoris caedes. XX. Maſſiliae tumultus, et factiones Carſiſtarum et Raſorum in Provincia exortae. XXI. Monbrunii in Allobrogibus res geſtae: qui poſtremo captus in bello, et Gratianopolim deductus ſupplicio afficitur. Monbrunii morte armorum praefectura in Fr. Bonam Diguierium tunc confertur. XXII. Rex in ſenatum venit, et in Lotharingiae ducis ſororii gratiam annitente matre jura regia in principatu Ambarenſi cedit.

## LIB. LXI.

CIƆIƆLXXV. Henricus III. Cum Poloni per literas urgerent, ut rex in Poloniam rediret, decreta ampliſſima ad eos legatio. II. Henrico regnum Poloniae decreto ordinum abrogatur. III. Tatarorum per interregnum in Ruſſiam Polonicam excurſio. Controverſia de Jaderae finibus in Dalmatia inter Venetos et Turcos. IV. In electione novi regis diſcordantia Polonorum ſuffragia. Stephanus tandem electus. V. Alençonius apud nos aulam relinquens ſcripto proteſtationem vulgat. Literae ejuſdem ad pontificem et eodem tempore ad Imperii principes Proteſtanteis. Condaeus copias in Germania cogit. VI. Regina parens ad Alençonium pro concordia proficiſcitur. VII. Gul. Momorantius Thoraeus juxta Theodorici caſtrum a Guiſio, qui regium exercitum penes ſe habebat, caeſus; et ipſe Guiſius graviter in facie vulneratus. VIII. Induciae ſemeſtres a regina cum Alençonio pactae. IX. Pro pecunia a Pariſienſibus in delectus habendos petita verba reponuntur; et exagitata aulicorum avaritia. Urbes et ſecuritatis ergo loca promiſſa cum non traderentur, res in longum extracta. X. Lud. Berengarii Gaſtii caedes a Gul. Pratenſi Vitelliano patrata. XI. Interea promulgatae poſt longas tergiverſationes Rupellae induciae. XII. Jubilaei Romani celebratio. Caroli Friderici Cliviae ducis obitus. XIII. Henrici Roani, M. Antonii Bobae cardinalis, Bernardini Rotae, Franc. Mourolyci, Friderici Commandini, Matthiae Flaccii, Henrici Bullingeri, Hadriani Junii, Gul. Canteri obitus. XIV. Motus Genuenſium, et eorum origo et cauſae ex ultima antiquitate repetitae, et antiquorum ac novorum diſtinctio. Scripta utrinque publicata.

cata. Novis numero potioribus antiqui inferiores in urbe loco cedunt. XV. Pontifex partes ſuas interponit. XVI. Philippi, qui antiquis favebat, juſſu Jo. Auſtrius claſſem inſtruit. XVII. A Caeſare legati Genuam veniunt: a rege Marius Biragus. XVIII. Jo. Andr. Auriae apud novos literae minarum plenae; poſt quas ad bellum vis verſa. XIX. Auſtrius antiquis praeſto eſt. XX. Novorum auxiliares copiae; et magni Etruriae ducis in occulto iis faventis ad Auriam literae. Induciae inter partes factae. XXI. Caroli v aſtus in compedibus reipublicae Genuenſium injiciendis. Revocatae a Philippo penſiones; et ingens ex eo per orbem univerſum argentariorum clades. XXII. Proſper Fatinnantius Genuenſium dux; ejus rara prudentia et animi moderatio. XXIII. Libri utrinque pro cauſae defenſione publicati. Uberti Folietae dialogi. XXIV. Caſalii S. Evaſii conveniunt arbitri, et ſententiam pronunciant vi Eid. Mart. Imputatio ac moderatio uſurarum. Tom. III.

## LIB. LXII.

Ingens in Italia peſtilentia. II. Caeſar in Poloniae regno capeſſendo cunctatur. III. Stephanus citatis equis in Poloniam venit, et rex inauguratur. CIƆIƆLXXVI. Moſcus contra Stephanum Caeſari auxilia defert. Jo. Vincentius Laureus pontificis orator in Quados ſecedit, et inde conditiones proponit. Henricus III. Pontifex Joannem Moronum cardinalem in Poloniam mittit, quem re infecta et rejectis ſtomachoſe conditionibus Stephanus dimiſit. IV. Ratiſponenſia comitia; et in iis Proteſtantium de religionis libertate poſtulata. V. Maximiliani Caeſaris obitus, ingenium, virtutes; liberi: Friderici item Palatini ſeptemviri: Jo. Alberti Megalopolenſis ducis; et ejus in academiam Roſtochienſem munificentia. Helmſtadii ſchola a Julio Brunſvico inſtituta. Bornholmia inſula bona fide a Lubecenſibus Friderico Dano reſtituitur. Gul. Xylandri, Joſiae Simleri, Conr. Heresbachii, Georg. Joachimi Rhaetici, Hier. Cardani deceſſus. VI. In Belgio irritus Bredae conventus. Crimpenia inſula ab Arauſionenſi capta. VII. Ludovicus Requeſenes prorex moritur; et ante eum ex caſu Chapinus Vitellius. VIII. Belgii proceres antea regi addicti, creſcente in dies Hiſpanorum intemperie, cum Proteſtantibus atque adeo cum Arauſionenſi conſpirare incipiunt. Seditio plebis Bruxellis. Inde foedus Belgicum contra Hiſpanos a Belgii Ordinibus initum; cui et ſacer ordo ſubſcripſit: et interim ſolicitata Eliſabetha, et Alençonius, ut provinciarum patrocinium ſuſciperent, in partes aſcito Arauſionenſi. IX. Ad Thenas Ordinum copiae ab Hiſpanis caeſae. X. Trajectum ab Hiſpanis captum ac crudeliter direptum. XI. Antuerpiae dum timent Ordines, ei perniciem maturaverunt, Hiſpanis ex arce vim facientibus, et per urbem, quo opulentiorem, eo exquiſitiore avaritia graſſantibus. XII. Jo. Auſtrii in Belgium adventus: qua re et caſu Antuerpienſi minime territi ſed irritatiores Ordines ad Gandenſem arcem caſtra ponunt, et tandem capiunt. XIII. Gandenſis pacificatio. Valentianae in Ordinum poteſtatem veniunt; et eodem tempore Teneramunda et Cameracum. XIV. Friſia per Martinum Stellam ſolicitatur; qui, male a Gaſpare Robleſio provinciae praeſide habitus, praeſidiarios in eum Groeningae concitat. XV. Auſtrius Ordinibus ſuſpectus. Hier. Rodae ad eum praecepta, et Arauſionenſis ſuper eo ad Ordines monita. Induciae pactae, et ad Marcheſaminam conventus. XVI. Apud nos Alençonius ad ſenatum Pariſienſem dat literas. XVII. Exercitus auxiliaris e Germania, duce Caſimiro, venit. XVIII. Navarri ab aula diſceſſus. XIX. Transmiſſo ad Ligerim exercitu, Alençonio a Condaeo et Caſimiro exercitus traditur. XX. Molinii in Boiis de pace conventus. Alençonii, Caſimiri, et Navarri poſtulata. XXI. Tandem in Turones ventum, et Belli-loci juxta Lochias tranſigitur, edicto condito, quod rex in lectiſternio ſedens, ne qua mora interponeretur, ipſe promulgavit. XXII. Franciſci Momorantii innocentiae declaratio regio diplomate in ſenatu promulgatur. XXIII. Gaſparis Caſtrei Nancaei mors.

## LIB. LXIII.

CIↃ IↃ LXXVI.
Henricus III.

Pax ſubito turbat, ſecretis foederibus Catholicorum contra Proteſtanteis factis. II. Navarrus poſt publicam de religione profeſſionem a Rupellanis admittitur: cui et Condaeus ſe adjungit, et Joannis-fanum intercipit. III. Caſimirus de pace violata per literas apud regem expoſtulat. IV. Condaeus Broagium a Mirambello pactione recipit. V. Eliſabetha inter haec Philippicis partibus ſtudet, omnemque operam dabat, ne Belgae dominum mutarent aut Galli in Belgio pedem ponerent. Novi in Hibernia motus a Guil. Drurio compreſſi. Walteri Ebroici Eſſexiae comitis Roberti patris, et Antonii Coci deceſſus. VI. Apud nos res in Septimania turbant. VII. Bloeſenſia comitia. VIII. Davidis advocati Pariſienſis ad pontificem a novi foederis auctoribus ſecretus commentarius, a Sangoartio oratore regio ex Hiſpania ad regem miſſus, et a Proteſtantibus vulgatus. IX. Ex Jo. Morvillerii conſilio rex novi foederis, quod abolitum volebat, ſe principem profitetur. X. Decretum de una religione factum. XI. Proteſtantes contra comitia proteſtantur.

CIↃ IↃ LXXVII.

XII. Delegati ab Ordinibus ad Navarrum, Condaeum, et Damvillam mittuntur. XIII. Super decreto religionis rogatae principum ac procerum aulicorum ſententiae ac ſcripto comprehenſae. XIV. Tunc rex a Guiſianis ſibi primum coepit metuere. XV. Epiſcopi Tridentinae ſynodi promulgationem urgent: ſed collegiorum ſacrorum ſodales interceſſerunt. Praeclare quaedam in comitiis poſtulata. XVI. Damvilla tentatur. XVII. Navarri in Aquitania ſucceſſus. Coſſio Vaſatum a Jo. Fabato privatae rixae occaſione intercipitur. XVIII. Auditis delegatis, Navarrus ad regni Ordines ſcribit. XIX. Condaeus delegatos ad ſe audit, et verbis cum iis altercatur. Auditi poſtea delegati in Ordinum conſeſſu, et gravem Navarri de Navarrae regno ſibi erepto querelam pro omni reſponſo afferunt. XX. Poſtulata Ordinum regni, ſolemni cum gratiarum actione, oblata. De regii patrimonii contra regni leges alienatione actum. XXI. Damvilla de comitiis ut vitio indictis proteſtatur. XXII. Monpenſerius, qui ad Navarrum miſſus fuerat, in aulam reverſus pacem ſuadet. Re rurſus in Ordinum conſeſſu agitata, placuit, regem rogandum eſſe, ut ſubditos ad Catholicam Apoſtolicam Romanam religionem omni aequa ac legitima ratione ſed citra bellum reduceret, ſicuti P. Verſorio, ut peteret, mandatum fuerat. XXIII. Caſimiri ad regem literae expoſtulatoriae, quae ſcrupulum injecerunt aulicis negotii de religionis decreto propius penſitandi: ex eaque occaſione miſſus denuo ad Navarrum Bironus, qui de pacis conditionibus cum eo ageret. XXIV. Miſſus in Germaniam Guerchius viceccomes ad delectus Proteſtantium impediendos. XXV. Caſimiri ad regem ſuper bello et Willelmi Heſſi literae. XXVI. Chriſt. Thuani de foedere novo ad regem clam perlata ſententia. XXVII. Interim diſputatum, an Proteſtantibus fides ſervanda eſſet: tandemque conditum edictum de una religione, ceterum vita et bonis Proteſtantium, qui domi manerent, ſalvis. XXVIII. Broagium in Santonibus Mirambello a Condaeo redditum, et ſtatim poenitentia ſubeunte ademptum. Ludovici Tremollii foederis novi in illis provinciis auctoris deceſſus. XXIX. Exercitus regius alter Meduanio in Pictones et Santones ducendus attribuitur: alter Andino regis fratri; cum quo Charitaeum ad Ligerim obſidet, ac tandem deditione capit. XXX. Iſſoriacum in Arvernis obſeſſum, et fortiter defenſum, poſtremo arbitrio Andini deditum. Licentia ac libidine graſſatur miles; et, quod rapacitas intactum reliquerat, ignis primo, dein foedi imbres, incendio reſtincto, abſtulerunt.

## LIB. LXIV.

CIↃ IↃ LXXVII.
Henricus III.

Naves Luſitanae ſpoliatae a Proteſtantibus ad Olonenſeis arenarias. Calamea arx ſervata. Tonaeum ad Carantonum a regiis captum. Burdigalenſis claſſis regiae in Garumnae aeſtuario conatus: hinc contraria a Condaeo inſtructa. Aſinorum fauces in oſtio Garumnae; et ejus deſcriptio. Henricus Sabaudus captus. II. Broagium a Meduanio obſidetur; et poſt infelicem eruptionem tandem

tandem

tandem deditum. III. Damvilla ſub id a Proteſtantium partibus diſcedit, et Monpelium ac Nemauſum irrito conatu obſidet. IV. Tandem Bergeraci in Petrocoriis pax facta, condito edicto, quod ſuum vulgo rex vocabat; qui et mox Auguſtoriti Pictonum, quo venerat, edictum de monetis fecit. V. Obitus Franc. Folii Vigcani, Nic. Lotharingi Valdemontii reginae parentis, Bl. Monlucii, Jo Morvillerii, Huldrici Viglii Zuichemi juriſconſulti, Didaci Covarruviae juriſconſulti, Antonii Contii juriſconſulti, Petri Daneſii, Jo. Gorraei, Remigii Bellaquei, Hannibalis Cruceii, Petr. Andr. Matthioli, Petri Nonii, Jo. Barroſii, Lud. Andreae Reſendii, Adami Bodenſteinii. VI. In Belgio Auſtrius de pace cum Ordinibus tranſigit; eoque pacificatio Gandenſis confirmatur. Secundum haec Antuerpia pulſi Proteſtantium paſtores; et arx Ultrajectina in Batavis, Viana ac Culemburgum, ac poſtremo Antuerpiana arx Hiſpanis adempta, et Hiſpani Belgio juſſi excedere. VII. Auſtrius Belgii gubernator declaratur: ejus ad Ordines poſtulata; qui ob nimiam Eſcovedi familiaritatem, cujus ex interceptis literis conſilia patebant, Ordinibus ſuſpectus eſſe incipit. VIII. Ejuſdem de Angla regno expellenda cum pontifice clam Philippo inita conſilia. Clandeſtinum item cum Guiſio foedus. Eſcovedus in Hiſpaniam cum Auſtrii mandatis profectus Antonii Perezii juſſu interficitur. IX. Auſtrius per Eſcovedi abſentiam de arce Antuerpiana et aliis urbibus intercipiendis cogitat: ſpecie Margaritae Navarrae deducendae Namurcum occupat: factum ſcripto excuſat; cui Ordines reſpondent. X. Ordinum ad Philippum literae. Antuerpiae, Gandavi, Trajecti, Inſulae, Valentianis arces dirutae. Auſtrius cum Ordinibus denuo de pace agit. XI. Ordines exercitum contra Auſtrium conſcribunt. Breda a praeſidiariis tumultuantibus deditur. Arauſionenſis Brabantiae, Araſchotanus Flandriae gubertor deligitur. XII. Matthias Caeſaris frater Belgii praeſes deſignatur; qui noctu Vienna Auſtriae profectus, non monito fratre, in Belgium venit, et ab Ordinibus excipitur, Auſtrio hoſte declarato. Araſchotanus, exorta Gandavi ſeditione, cuſtodia attinetur. XIII. Cum Angla actum; quae, verita ne Belgae ad noſtras partes ſe adjungerent, cum iis foedus icit. Groeningae tumultuatur. XIV. Novae in Hibernia defectiones ab O-connoris et O-moris. XV. Thomae Smithi mors, ingenium, laudes. XVI. Martinus Frobiſherus in Indiam per ſeptentrionaleis inſulas occidentem verſus navigationem irritam ſuſcepit. Unicornia in mari. Tom. III.

## LIB. LXV.

SALENTINUS Iſemburgicus archiepiſcopatu Colonienſi cedit. Ei ſuffectus Gebhardus Truchefius. II. Dantiſcani, dum irritae Maximiliani electioni favent, in odium Polonorum et Stephani regis incurrunt, et exitiale ſibi bellum excitant. Dantiſci ſive Gedani origo et jura. Pugna ad lacum Lubiſſovienſem commiſſa ad IV CIƆ Dantiſcanorum caeſa. Tandem cum Stephano, Saxonis, Brandeburgici, ſeptemvirorum, et Heſſi interventu, tranſegerunt. Per haec diſſidia crebrae Moſcorum in Livoniam irruptiones. III. Alberto Friderico Boruſſiae duce ipſo nuptiarum die in animi aegritudinem prolapſo, Geórg. Fridericus Anſbacenſis proximus agnatus curator a Stephano datus, et principatus adminiſtrator conſtituitur. IV. Bruno-gallicus morbus. Prodigia et dirus cometes. V. Sebaſtianus Luſitaniae rex ex occaſione Mahametis apud ſe profugi in Africa bellum adverſus Melicum Cheriſium movet. VI. Portugalliae origo, fines, regum ſucceſſio, jus in ea pontifici. VII. Juvenis regis apparatus bellici, et a principibus undique petiti delectus. Cruciata a pontifice conceſſa. Auxilia ab Arauſionenſi ſummiſſa. VIII. Philippus a bello Sebaſtianum dehortatur. IX. Regis copiae, profectio, in Africam exſcenſio. X. Melici copiae apparent. XI. Acies utrinque ad pugnam inſtructae. XII. Melici moribundi ad ſuos et fratrem oratio. XIII. Moriens vincit, magna Chriſtianorum ſtrage edita. XIV. Sebaſtianus poſt obſtinatum certamen captus occiditur. XV. Mahametes belli incentor in Mucazemi vado ſubmerſus eſt. XVI. Hametes Melici frater in imperio ſuccedit. Coram eo captivi magno numero ſiſtuntur, et regis cadaver. XVII. Mahameti pellis detracta et per Mauritanias circumducta.

CIƆ IƆ LXXVII.
HENRICUS III.
CIƆ IƆ LXXVIII.

XVIII.

TOM. III. XVIII. Henricus cardinalis patruus jam ſenex ad regni Portugalliae ſucceſſionem regno impar vocatur, et inauguratur. XIX. Rege orbo, ambitores multi; Philippus Hiſpaniae rex, Philibertus Emmanuel Sabaudiae dux, Ranutius Farneſius Alexandri filius, Catharina Bracantina, Antonius Crati prior, Ludovici fratris Henrici filius: his et accedit Catharina Medicaea, noſtrorum regum parens. De Henrico cardinali maritando ad eludendas petitiones injecta mentio. Philippi de ſucceſſione actio; et praematurae ad Oliſſiponenſeis literae. XX. Ferdinandi infantis Hiſpaniae, Wenceſlai Auſtrii Caeſaris fratris, Seb. Venerii Venetiarum principis, Lud. Lotharingi cardinalis Guiſiani, Chriſtophori Madrucii cardinalis, obitus. Mors Laurentii Surii, Gerardi Falkemburgi, Ant. Mizaldi, Petri Leſcoti Clanii, Alexandri Picolominei, Jo. Bapt. Raſarii.

## LIB. LXVI.

CIↃIↃLXXVIII.
HENRICUS III.

MATTHIAS Bruxellas cum pompa ingreſſus pacis conditiones firmat. Auſtrius ſcripto contradicit. Rodolphus Caeſar fratris factum excuſat. II. Pontifex Auſtrio animos facit; qui pugna ad Gemblacum commiſſa Ordines profligat. III. Noerkarmius Sellius poſt ſemeſtre ex Hiſpania redit: et pacificatio Matthiae eluditur. IV. Amſterodamum in Batavis Arauſionenſem recipit, et libertatem religionis facit. V. Philippopolis, Heuda, Limburgum in Auſtrii poteſtatem veniunt. VI. Andinus ſe et opes ſuas Ordinibus per Rupipotium et Prunaeum offert: reſponſumque, ejus adventum laetum univerſo Belgio fore. VII. Caeſaris ad res Belgii componendas delegati. Ordinum ad Caeſaris poſtulata reſponſum. VIII. Edictum a Matthia denuo Antuerpiae promulgatum; quo Gandenſis pacificatio confirmabatur. Cathedraticum Romam ferri prohibitum. IX. Comitia Wormatienſia; in quibus Belgae legati audiuntur, pro iis Philippo Marnixio Santaldegondano verba faciente. Calidii Chryſopolitani nomine ad eam orationem reſponſum. X. Andinus ad limitem cum exercitu venit, et legibus dictis cum Ordinibus paciſcitur, et adverſus Auſtrium bellum gerit. XI. Stuprorum memorabilis ac generoſa utrinque vindicta. XII. Fr. Lanovius ab Ordinibus condicitur. Auſtriaci caeſi ac fugati. Araſcotum captum ac direptum. Valencianis tumultuatum. XIII. Proteſtantium libellus ſupplex pro libertate religionis; edictumque conditum, quo pax religionis in Belgio ſancitur. Cum proceres intercederent, et Bruxellas principum ſedem numero eximi peterent, aliquandiu tumultuatum. XIV. Elbertus Leoninus Romam ad elevandam invidiam ab Ordinibus mittitur. Auſtrius Belgio excedere juſſus tergiverſatur. XV. Gandavi tumultum excitat Imbiſius. Belgium factionibus ſcinditur. Gandenſium immanitas contra judices ab Albano ordinatos; et ad Matthiae mandata audax reſponſum. Jo. Caſimiri in Belgium adventus ſuſpiciones Male-contentis auget. Mechlinia Andino oppigneratur; qui, Cameraco firmato, recedit. Rigiaci Atrebatum tumultuatur. XVI. Gandenſes ab Arauſionenſi porrectis Eliſabethae literis ad tempus pacantur. XVII. Male-contenti tandem ab Ordinibus deficiunt. XVIII. Boſſuvii comitis deceſſus; et ante eum Joannis Auſtrii, in caſtris prope Namurcum. Jo. Eſcovedi in Hiſpania caedes, et pernicioſa conſilia. XIX. Alex. Farneſius Auſtrio ſufficitur. XX. Georg. Lalanii Rennebergii in Friſia poſt ejectum Billium res geſtae. Groeningenſium et Ommelandenſium diſſidium compoſitum. XXI. In Dacia ob Arianiſmum tumultuatur. XXII. In Anglia nuptiarum inter Eliſabetham et Andinum negotium calet. Miſſus interim Thomas Randolphus in Scotiam; cujus interventu Mortonii, Atholii, aliorumque procerum motus compoſiti ſunt. Henricus Sidneius, re in Hibernia bene geſta, in Angliam diſcedit. Margaritae Duglaſſiae, Henrici VIII neptis, deceſſus et varia fortuna. XXIII. Apud nos pacificatorium edictum in Allobrogibus et Septimania promulgatur. Rogerii Sanlarii Bellogardii cum Sabaudo et Proteſtantibus occultae coitiones. XXIV. Bertrandi Simienae Gordii mors, cui Laur. Maugironus ſufficitur. Prada in Dienſi dioeceſi, homo rapax, captus et ſupplicio adfectus. XXV. Neraciana collatio. Tripartita camera Aginni Nitiobrigum ordinata, quae in

cauſis

cauſis Proteſtantium jus diceret. XXVI. Andinus ex aula profugit. XXVII. Jac. Levii Cailuſii et Caroli Balſaci duellum, eum quatuor aliis. Levii luctuoſa mors regi. XXVIII. Juvenes e primaria nobilitate in aula regnant. XXIX. Libellus ſupplex invidioſus ab Ordinibus Burgundiae pro plebis levamento regi porrectus. XXX. In Venaſeinenſi comitatu Minerbia occupatur. Nemauſenſis tractatus Carpentoracti, Armeniaci mandatu et pontificii praeſidis auctoritate, a provinciae Ordinibus firmatur. XXXI. Jac. Gobio Matignonus equitum tribunus creatur. XXXII. Phil. Huraltus fit procaneellarius. *Tom. III.*

## LIB. LXVII.

*CIↃIↃLXXVIII.*

*Henricus III.*

Amurathes Selimi filius bellum Perſis infert. Perſici imperii a temporibus Alexandri Mammaeae filii repetita memoria, ſueceſſio. II. Superſtitionis Mahumetanae in duas ſectas diviſio. III. Perſici imperii quod nunc eſt fines, et ſatrapiae LXX, cum Tecmaſes deceſſit: nobilitas in eo potens: ingenium, mores, diſeiplina, opes. IV. Tecmaſis liberi. Iſmail, a patre Mahameti Hodabendae praelatus, regnum a paricidio fratrum auſpicatur, et ſaera Turcica amplecti ſe, abjecta majorum religione, profitetur, ae tandem eonjuratione procerum, non inſcia ſorore Peria Cocona, anno ſuperiore opprimitur. V. Eo mortuo, res omnis ad Hodabendam pervenit, Hamecis patrem. Periae caedes. Defectio procerum. Curdi Chaldaei in Meſopotamia, ut Vaivodae in Dacia. VI. Conſultationes in Porta de bello inferendo. VII. Amurathes epilepticus. Muſtaphas bello Cyprio clarus deligitur ſummus dux. VIII. Hodabendae de pace ad Amurathem legatio. Tatari utrinque auxiliares evocati. IX. Ad Chelderenſeis montes conſerta pugna aequali utrinque damno. Muſtaphas ad oſtentationem propugnaculum ex hoſtium reciſis capitibus erigit horribili ſpectaculo. X. Manucciar Georgianus citatus in caſtra Turcica venit. Georgianorum regio intra Taurum et montana illius imperii exacte deſcripta. Eorum principes et religio. XI. Simo Georgianus captus, et regno ſpoliatus. XII. Atropatenae deſeriptio. Tauriſium ſive Ecbatana. XIII. Tefliſium verſus tendunt Turci, graſſante in caſtris peſtilentia. Tefliſium a Muſtapha munitur. XIV. Turci caeſi, ac mox Perſae. XV. Canaco trajecto, Atropatena a Turcis infeſſa. Sahamal, Alexander Leventes, Dedeſmitis regina vidua ſe Turcis ſubjiciunt. XVI. Reflexo itinere Muſtaphas Erzirumum redit. XVII. Genuenſes in Tataria. Caſana bibliotheca. Tamerlanis ortus. Tatarorum regiones, hordae, prima initia, ritus, mores, et civilis adminiſtratio. XVIII. Eorum in caſtra Turcica adventus. XIX. Emir Hameces Hodabendae grandior natu filius cum exercitu miſſus Erem vi recipit, Tatarorum caſtra profligat, Sumachiam capit ae delet. Abdilehairi in aula Perſica caedes. XX. Oſmanis in Sahamalem paricidium. LXX CIↃ Turcorum ea expeditione abſumpta. XXI. Amurathis de bello Perſico perſequendo conſultatio. *CIↃIↃLXXIX.* XXII. Manucciar et Simo Georgiani a Chriſtiana fide deficiunt. XXIII. Hodabendae apparatus. Emangul Atropatenae praeſes ſummae rerum praeficitur. XXIV. Muſtaphae ſummiſſa auxilia, qui duodecimis caſtris Carſam venit et munit. XXV. Haſſan Tefliſio ſuccurrere juſſus magnis difficultatibus conflictatur. Aliculis dux viae, ſpe libertatis fruſtratus, Conſtantinopolim amandatur. XXVI. Ad Portam Muſtaphas in odium a Sinane adductus, qui et ei ſucceſſor deſignatur. Miſſos ad ſe comprehendendum eludit Muſtaphas.

## LIB. LXVIII.

*CIↃIↃLXXIX.*

*Henricus III.*

Apud nos, aula in luxum effuſa, rex novis rebus ſtudet. Ordo Sancti Spiritus, abolito conchyliato a Ludovico XI inſtituto. II. Edictum poſt comitia Bloeſenſia in ſenatu promulgatum. III. Collatio Neraciana in acta euriae refertur. IV. Inter Turenium et Duracium atrox ſimultas. V. Jo. Monlucii Valentiae epiſcopi deceſſus, et elogium. VI. Regina Toloſanum ſenatum monet, ut de ſeveritate contra Proteſtanteis aliquid remittat: inde in Allobroges tranſit, et fruſtra

Tom. III. cum Bellogardio et Damvilla agit. VII. Fr. Momorantii obitus, ingenium, virtutes. VIII. Navarri ad Mazeram in Fuxenſi comitatu conventus. IX. Buſſii caedes a Monſorello patrata. X. Juridici Auguſtoriti dies. XI. Condaeus Faram ad Eſiam occupat. XII. Conventus ſacri ordinis Meloduni. XIII. Tumultus Lutetiae ob negatas a ſacro ordine penſiones et decimarum praeſtationem, renovato in decennium contractu, compoſitus. XIV. Genevae patrocinium a rege in renovatione foederis Helvetici ſuſceptum. XV. Jo. Aumontius tribunus equitum creatus. XVI. Joannes Caſimirus in Britanniam tranſit. Poſt Carpam vi expugnatam Germani ad Endoviam caeſi, et minus honeſta pactione cum Farneſio tranſigunt. Caſimiri cum Ordinibus diſſidium, et e Belgio in Germaniam diſceſſus. XVII. Farneſius, Antuerpia tentata, ad Grobenduncam G. Schetti arcem vim facit, et pulſatam deditione capit. XVIII. Unio et pax religionis Ultrajecti, Arauſionenſe auctore, ſancitur. Silva-ducis unioni refragatur, ut et Gallobelgae. XIX. Tornacum et Cameracum in poteſtate Ordinum manent, Silva-ducis nutante. XX. Antuerpiae plebs ob ſupplicationem publicam tumultuatur: item Mechliniae. XXI. Ecmondanus irrito conatu Bruxellas tentat. XXII. Brugis res turbant. XXIII. Trajecti ad Moſam obſidioni inſtat Farneſius, ac tandem urbem capit ac diripit. XXIV. Coloniae inſtitutus de pace tractatus. Acta utrinque publicata. Plerique procerum ab Ordinibus deficiunt. XXV. Gandenſes ſolemnia inſaniunt. Mechlinia ab Ordinibus deficit: et Willebroca eodem tempore ab iis recipitur. Briela fruſtra tentata. Meningae ab Ordinibus receptae. Curtracum ab Alenio fruſtra tentatum. Warveca a Fr. Lanovio expugnata. XXVI. In Friſia res geſtae. Groeningenſibus unioni Ultrajectinae ſubſcribere recuſantibus bellum indictum, qui poſtremo eam acceperunt. XXVII. Ob militarem diſciplinam in Tranſiſelana motus. XXVIII. Ordines, irrito Colonienſis conventus exitu, de patrocinio alicujus principis praepotentis implorando cogitant. XXIX. In Hanſeatici foederis renovationem Vandalicae civitates formulam cum Edvardo IV initam urgent. Hamburgenſes poſt ſexennii diſſidium cum Dano tranſigunt. XXX. Andinus ad Eliſabetham venit exiguo comitatu. Perſcriptae matrimonii conditiones. XXXI. Anglia ob id religionis cauſa turbat. In Scotia et Amati Stuarti Albinii adventu res turbant. XXXII. Novi motus in Hibernia excitati a Fitzmoriſio. Hiberniae deſcriptio, ſtatus ab anno CIↃ CLXXII. Fitzmoriſii in rixa miſerabilis mors. Malbeii cum Deſmoniae comite geſta. Gul. Drurii morte res reginae conturbatae et foederati animos reſumunt. Gul. Pelhamus, accepto armorum imperio, contra Deſmonium ducit. Hiſpani ad Strangicallium caeſi. XXXIII. Nic. Baconi magni in Anglia ſigilli cuſtodis, Staniſlai Hoſii cardinalis, Jo. Hartungi, Eraſmi Oſwaldi, Joannis Stadii, Ludovici Regii, Jo. Bapt. Hadriani deceſſus.

## LIB. LXIX.

CIↃ IↃ LXXIX. Henricus III.

Stephanus Poloniae rex injurias a Moſco acceptas ulturus ad bellum ſe parat. Magni Holſati in Livonia motus. II. Moſci ad Polonum ſuperbiae et vanitatis plena epiſtola. Miſſa Romam ad frangendam Moſci potentiam legatio. Joannes Podokoua cum Naſſoviis in Poloniam excurrit et capitur. III. In comitiis Warſavienſibus decretum contra Moſcos bellum. IV. Inde Stephanus Leopolim venit, adducto ſecum Zauſio Turcico; et, ut Amurathem placatum haberet, Podokouam captivum coram Zauſio capite plecti jubet. Moſcis denuo in Livoniam irrumpentibus, Magnus Holſatus impar ſe Stephano ſubjicit. Petrus Wallachiae principatu ut indignus exuitur. V. Ad Wendam Moſci caeſi. VI. Rebus in regno ordinatis, Stephanus ſummum armorum ducem Nic. Mieletium Podoliae Palatinum dicit; et bellum Moſco denunciat, additis cauſis. Tatari regi operam ſuam ex foedere pollicentur. Gotardus Ketlerus in fidem accipitur. VII. Suiri de Moſco invadendo deliberatur, principio a Polotia facto. Ejus ditio, ſitus, et obſidio, et tandem ſecuta deditio. Crudelitatis inauditae veſtigia. Bibliotheca Polotiana. Eccleſiae Romanae religio reſtituta, et templi cura ſodalitio Jeſuitico

itico attributa. VIII. Mieletii et Bekeſii aemulationes. Socola et Suſa a Polonis captae. IX. In comitiis Warſavienſibus belli ſuſcepti invidia Stephanus laceratur. Jo. Samoſcii pro rege oratio; et regis apologia. Niſcerda a Polonis recepta. X. In Luſitania rex novus comitia celebrat. Gubernatores creati. Plebs Philippo infeſta. De matrimonio apud pontificem intercedit Philippus. XI. In ſucceſſione competitores. Henrici cardinalis averſus ab Antonio Crati Priore animus. Reginae regum noſtrorum parentis jus amplius diſcuſſum. An Portugalliae regnum in electionem cadat. XII. Enricis Jeſuitae, qui ei a ſacris confeſſionibus erat, ſuaſu inductus Henricus ad Philippi partes propendet. XIII. Odio Caſtellenſium occultus Luſitanorum erga Antonium favor. Peſtilentia Oliſſiponae graſſatur. XIV. Impar adminiſtrationi publicae Henrici animus, ac tandem obitus: ſtatimque apertae ante VIII menſeis teſtamenti conditi tabulae, quibus ſucceſſorem in ambiguo relinquebat. Antonius ab Henrico pulſus in Luſitaniam redit. XV. Philippus bellum parat, dum interim Jeſuitae et Franciſcani in diſcutienda miſeri regni ſucceſſione ludicris diſceptationibus Compluti et Salmanticae fatigantur.

TOM. III.

CIↃ IↃ LXXX.

## LIB. LXX.

CIↃ IↃ LXXX.

HENRICUS III.

LEGATI Luſitani ad Philippum belli neceſſitatem deprecantes. Comitia turbulenta et irrita. II. Philiberti Emmanuelis Sabaudi obitus; ejus laudes, ingenium, extrema vita mores. III. Baretus ad Carolum filium ab Ordinibus regni miſſus fruſtra fuit. Pontificis et imperatoris advocatio fruſtra imploratur. IV. Tumultuarie ad bellum ſe parant Luſitani. Gubernatores Antonium nolunt admittere. V. Ad Julium praeſidium ſpecie munitionis conſecrandae rex per tumultum renunciatur; et e veſtigio Oliſſiponae inauguratur. VI. Albanus, belli dux a Philippo dictus, in Luſitaniam deſcendit. Loca in limite capta, et pretioſa Bracantini ducis ſupellex direpta. VII. Bracantinus cum Philippo tranſigit. Cetobrigae Antonius magna pompa receptus. VIII. Cetobriga mox ab Albano capta, laetitia illa victrice in luctum verſa. IX. Pontifex per legatum in Hiſpaniam miſſum partes ſuas interponere vult; et a Philippo eluditur. X. Albani res geſtae; qui ſucceſſum urgens Oliſſiponam ipſam capit, ſuburbio per triduum direpto. Antonius in pugna vulneratus Julium praeſidium conceſſit; vixque admiſſus et ſtatim dimiſſus eſt. XI. In Albanum poſt tantam victoriam invidioſe ab aemulis jactata. XII. Philippi, qui in proximo erat, periculoſus morbus; quem Annae uxoris ſtatim obitus ſecutus eſt. XIII. Antonius Portum venit; et regie adhuc in eo ſe gerit. Sanctius Avila contra eum miſſus. Regno excidit, et fugam parat. XIV. Philippus, recuperata valetudine, Elvam venit. Pretium in Antonii caput edicto conſtitutum. Bracantino magiſtri equitum dignitas confirmatur. XV. Ad Ludovicum Ataidem Indiarum proregem ſcribit Philippus. Azorae ab eo alienae, et Antonio addictae. XVI. Militis licentioſe diſcurſantis laſcivia compreſſa. Excuſationes belli ducum. XVII. Ex proſperis Philippi in Luſitania ſucceſſibus capta a pontificiis occaſio belli in Angliam transferendi. Stucleio marchione, quem Sebaſtianus ſecum duxerat, in pugna Africana deſiderato, Sanjoſephus exercitus curator in exercitu, qui ſupererat, principatum ſibi ſumpſerat. Sub id in Hiberniam ad oſtium Shanoni deſcendit; cui Deſmonius et fratres ſe adjungunt. Contra eos Pelhamus cum Ormondio ducit. In Momonia ſucceſſus. Arturus Greius in inſulam prorex a regina miſſus. Ejus vario eventu ſucceſſus. Ormondius contra Sanjoſephum miſſus. Munitio, a Fitzmoriſio inchoata et a Sanjoſepho ad defenſionem perducta, poſt primam verberationem Greii arbitrio ſumma ignavia deditur. In dedititios ſevere actum. Multa et ſevere in aliis inſulae provinciis a prorege geſta. XVIII. In Scotia factio Anglicana labefactatur, Levinio, cui rex puer favebat, cum Jacobo Stuarto Ochiltrio reconciliato. Ad eum accuſandum miſſus ab Eliſabetha Robertus Bovius, nec auditus eſt. Mortonius ab Ochiltrio accuſatus in carcerem conjicitur. XIX. Henrici Arondelii comitis deceſſus: ejus gens antiquiſſima et mores ac forma. Inſolitus in

Tom. III. in Anglia diverſis locis terrae tremor. Edictum de revocandis pueris, qui extra inſulam in diverſis orbis partibus per Jeſuitarum ſcholas literis operam navabant.

## LIB. LXXI.

CIↃIↃLXXX.
Henricus III.

Fr. Draki felix, toto orbe circumnavigato, poſt triennium in patriam reditus. II. In Belgio de Andino in principem aſciſcendo deliberatur; eaque de re Arauſionenſis ſcriptum ad Ordines. III. Secundum haec de obedientia Philippo renuncianda actum. IV. In Friſia et Sicambris res turbant. Curtracum aſtu a regiis interceptum. Diverſa parte Niniva cum Ecmondano comite a Fr. Lanovio capta. V. Mechlinia ab Anglis capta et direpta. VI. Lanovius, ad Engelmonſterum poſitis caſtris, dum ad Inſulam intercipiendam excurrit, in reditu, Risborgio incumbente, pugnat acriter ac tandem capitur. Dieſta, Sichemum et Araſchotum in Ordinum poteſtatem veniunt. VII. Bruxellae et Gandavum fruſtra a regiis tentantur. VIII. Nivella recepta. Ad Buchainum infelix conatus, capto Sellio. IX. Sellii in carceris taedio morientis de Hiſpanis querimonia. Buchainum tandem vi aperta oppugnatum, et a Villerſio deditum. X. Andinus tandem in principem, annitente Arauſionenſi, ab Ordinibus deligitur. Cuſi in eam rem nummi. XI. Matthias de diſceſſu cogitans ſcriptum publicat, quo Auſtriacae familiae in conſiliis capiendis rationem haberi petit. XII. Gul. Hornius Heſaeus, dum partes regias relictis Ordinibus ſequitur, ex ſuſpicione captus eſt, ac Queſnoiae ſecuri percutitur. XIII. Rennebergius Friſiae praeſes a Cornelia ſorore ad defectionem ſolicitatur. Arauſionenſis, ut occaſionem deficiendi Rennebergio eriperet, arces per Friſiam demolitur. XIV. Tandem Groeninga Rennebergii defectione in regiorum manus venit, mox a Jo. Cornupto ſed irrito conatu obſeſſa. Rheno ab Ordinibus clauſo, Hohenloi per Friſiam et Rennebergii contrariae expeditiones. XV. Ad Herdenbergam adverſum ab Hohenloo proelium contra Mart. Schenkium commiſſum. XVI. Stenvica, quam Proteſtantes tenebant, obſeſſa, tandem crebris eruptionibus fugati hoſtes diſcedunt. XVII. Hattuma capta, et e veſtigio recepta. XVIII. In Luſitania Antonius a Philippo denuo proſcriptus: item Arauſionenſis; qui edita apologia, in qua pleriſque nimius viſus eſt, innocentiam ſuam tuetur. XIX. Anabaptiſtarum ſectae cunabula et dogmata. Jo. Willelmi inter eos regis vita ac dignus vita exitus. XX. Gerardi Grosbekii Leodicenſis epiſcopi, Jo. Moroni cardinalis, Hieronymi Wolfii, Emmanuelis Tremellii, Hier. Suritae, Alvari Gomecii, Hier. Oſorii, deceſſus. XXI. Ferdinandus Ferdinandi Caeſaris filius poſt Philippinae Velſerae obitum Annam Catharinam Gulielmi Mantuae ducis et Helionorae ſororis filiam in uxorem ducit.

## LIB. LXXII.

CIↃIↃLXXX.
Henricus III.

Apud nos irrita collationis Neracianae executione, ad bellum ſe parant Proteſtantes. II. Divona Cadurcorum a Navarro ex inſidiis et vi capta. III. Mimatum in Gabalis interceptum, et crudeliter direptum. IV. Condaeus, peragrata Germania, in Septimaniam venit: et juſſu ejus Merula in Cebennis Spaniacum, Ceſacum, Beduam capit. Alia a Proteſtantibus loca capta; nec non in Novempopulonia: quae pace inter Andinum et Navarrum facta reſtituta ſunt. V. Diguierii in Allobrogibus expeditio, et ruſticorum motus: contra eum Meduanius cum exercitu miſſus. Mura obſeſſa ac tandem dedita. VI. Meduanius poſt captam Muram venit Gratianopolim, et comitate ac moderatione rem cum Proteſtantibus gerit. VII. Bironi eodem tempore in Aquitaniam cum exercitu miſſi expeditio, et ruſticorum motus. Neracum tentatum. Mons-Marſani in Novempopulonia a Poiana vi expugnatum. Birono ex caſu crus fractum; et, diffidentibus belli ducibus, ſumma praefectura Carolo filio quindecenni attributa. VIII. Regula ad Garumnam a Duſſaco in regis manus tradita. IX. Rex ad Condaeum ſcribit, et

Faram

Faram ab eo interceptam repoſcit. Edictum in Proteſtantium gratiam factum, ne tam Fara repoſci quam religionis cauſa agi putaretur. X. Fara a Jac. Gobione Matignono obſeſſa; quae tandem deditur. XI. Andinus in Petrocorios excurrit, perſuaſo prius rege, pacem domi haberi non poſſe, niſi bellum foras educatur, quod in Belgium transferri commode poſſit. XII. Flexiae conventum, et edictum pacis denuo conditum. XIII. Peſtis Lutetiae graſſatur. Franciſcanorum coenobium incendio fortuito abſumitur. Peſtem praeceſſit novus morbus, olim Coqueluca et tunc dictus: ejus natura et remedia. XIV. Rixa ingens inter Monpenſerium et Nivernium. XV. Bellum inchoatum adverſus Moſcos perſequitur Stephanus. Cui de ſucceſſibus gratulatur pontifex. Vilna progreſſus rex ad Lepelam et Ulam caſtella de belli gerendi ratione conſultat. Tatarorum dux Ulanecius a Samoſcio captus. XVI. Luki obſeſſi; ac tandem, incendio per urbem accenſo et arce expugnata, ad internecionem trucidatis praeſidiariis, arx munita. Moſci a Polonis ad Toropeciam tranſmiſſo flumine incumbentibus profligantur. Nevela expugnatur. Literae Moſci ferae et verboſae. Jeſeriſcia capta; et Savolocia tandem poſt oppugnationem dedita. XVII. In ducenda uxore Moſcorum principum ritus. XVIII. Civitas Rigenſis civiliter cum rege tranſigit, et in fidem accipitur. XIX. Warſaviae comitia peraguntur. Philo Kimita, Lukis cum praeſidio relictus, Chelmam intercipit. XX. Turcica legatio ad Polonum. Tatari ad bellum Stephano fidem obligant. Tom. III.

## LIB. LXXIII.

In oriente Muſtaphas ex Perſide revocatur. Ei Sinan aemulus ſufficitur. II. Abas Mirifes in Perſia patris imperia detrectat. III. Hodabendae ad Portam de pace legatio a Maxude obita. IV. Hodabendae apparatus. V. Sinan Erzirumo Carſam venit. Mechemetis, tot annorum ac principum ſupremi viſiri, caedes. Muſtaphae ingenium ac deceſſus. VI. Teflifium a Sinane defenſum. Leventis Georgiani ad eum legatio. VII. Sinan Trialam cum exercitu venit; et inde in Childerenſeis campos deſcendit. Interimque de pace per Haidarem a Perſa miſſum agit; et ad Portam evocari petit, eoque mox pergit. VIII. Uluzalis Tunetem, diffugientibus Mauris, novo praeſidio firmat. IX. Stephanus contra Moſcum profecturus, per Samoſcium peditem, cujus penuria laborabat, ex Polonis ſcribit. Chriſtophori fratris Stephani deceſſus. Tractatus de pace inter Polonum et Moſcum irritus. X. Moſcus, miſſis ad Caeſarem et pontificem legatis, auxilia contra Turcos defert, dum bellum Polonicum tantiſper his veteratoriis artibus ſe retardaturum putat. Stephani acerbae ad Moſcum miſſae literae. Samoſcius ſupremus exercituum dux dicitur. XI. Suecus, diſtracto bello Moſcico rege, res in Livonia gerit. XII. Oſtrovia in inſula ſita poſt editam murorum ſtragem deditur. XIII. Pleſcoviae ſitus, origo: ad eam olim res a Polonis geſtae. Tatarorum Praecopienſium ſub Mahomete ſtatus. Pleſcoviae obſidio. XIV. Pontii Gardiae noſtratis in Livonia ſucceſſus. XV. Poſſevinus in Moſcoviam a pontifice antea miſſus inde ad Stephanum de pace acturus venit. Diſſidia in caſtris regiis exorta. Pezzurae monaſterium in proximo captum. XVI. Stephanus a caſtris ad comitia diſcedit. Legati de pace a Moſco veniunt. De Moſci principis morte cognitum. XVII. Ad exitum anni intentum frigus; et ejus mira effecta. XVIII. Collatio Tubingenſium paſtorum cum Hieremia patriarcha Conſtantinopolitano. XIX. In Luſitania rex Philippus Tomaram venit, et ritu ſolemni jusjurandum dicit. XX. Comitia dein celebrata. De Conimbricenſi academia abolenda cogitatum. Pontificis legati ad Philippum de ſucceſſu gratulaturi adventus. XXI. Antonius, qui adhuc in Luſitania latebat, fruſtra veſtigatus, tandem in Angliam appellit. XXII. Philippi Oliſſiponae ingreſſus. XXIII. Tertia inſula ab Antonii partibus ſtat. XXIV. Ex Anglia in Galliam Antonius profugit. XXV. Soli in Tertia inſula Jeſuitae Philippo favent. XXVI. Philippi cum rege expoſtulatio. XXVII. Tagi navigatio Toletum uſque a Jo. Bapt. Antonello perducta.

CIↃ IↃLXXX.
Henricus III.
CIↃ IↃLXXXI.

## LIB. LXXIV.

CIↃ IↃ LXXXI.
Henricus III.

In Belgio atque adeo Friſia Stenvica obſeſſa et fortiter defenſa. II. Amſterodamum Arauſionenſis venit, et inde in Friſiam tranſit. Staverae arx a Sonoio deſtructa et urbs munita. III. Rennebergius ex phthiſi moritur: Fr. Verdugus ei ſuffectus. Adverſus eum miſſus Norriſius Anglorum tribunus. IV. Novi Bruxellis motus. De Vliſſinga intercipienda captum ab Al. Farneſio conſilium. V. Breda a regiis aſtu intercepta. Eindovia aſtu itidem capta, et ſtatim amiſſa. In Flandria turbae. Andini de ſua in Belgium profectione ſcriptum. VI. Jus in Brabantiae principatu, quod ſibi ex uxoris dote competebat, publicato ſcripto Nivernius Andino id cedere paratus. VII. Andini copiae cum quibus triumphali pompa Cameracum ingreditur. Arenſium, Sluſa, Caſtrum Cameracenſe in manus ejus veniunt. VIII. Inde in Britanniam ad Eliſabetham ſe confert. IX. Ordinum ejeratio fidei ab obedientia Philippi Hagae Comitis facta et publicata. X. Matthiae e Belgio diſceſſus. XI. Tornacum a Farneſio tandem deditione captum. XII. Arauſionenſis de prava in Flandria publica adminiſtratione apologeticum ſcriptum. Bergae ad Somam irrito conatu ab Altapennio tentatae. Aquiſgranenſium ob religionem tumultus. Jacobo Elſienſi Trevirenſi praeſuli ſeptemviro Jo. Schombergius ſufficitur. XIII. Apud nos Flexianum de pace edictum VII Kal. Feb. in ſenatu recitatum. Aula in deliciis marceſcit. XIV. Legatio perhonorifica in Angliam de Andini matrimonio a rege decreta. Dotalium tabularum conditiones. XV. Poſtea Andinus ad eam venit, pacta rata habuit; datis utrinque annulis nec ſecutis nuptiis. Contra matrimonium et pro matrimonio diſcuſſae rationes, et virulentus ſuper ea re libellus a Puritanis diſſeminatus: contra eum ab Eliſabetha propoſitum ſeverum edictum, et de libelli auctoribus deprehenſis ſupplicium ſumptum. XVI. Per emiſſarios Eliſabetha, Durocortori Remorum et Romae, conjurationes et earum auctores ac conſcios rimatur. Everardus Hanſius capite luit. Edmundus Campianus e ſodalitio Jeſuitico ſacerdos ſupplicium tulit. Alii capite plexi. Edicta Anglicana contra Jeſuitici ſodalitii ſacerdotes. Ratio, ordo, et arcanum conjurationum. Contra ea ſcriptum a Gul. Alano publicatum. XVII. Randolphus in Scotiam miſſus, cum nihil proficeret, Anglicanae factionis addictos clam ad arma capienda incitat. Re detecta Randolphus aufugit, et Mortonius ad mortem damnatur. XVIII. Civitatum Hanſeaticarum negotium Andini interventu retractatur. XIX. Rex apud nos Jouſae nuptias celebrat invidioſis ſumptibus, paris Franciae dignitate prius ornati. Eadem dignitate Valeta ornatur. Jacobus Gobio Matignonus equitum tribunus in Aquitaniam cum primaria vicarii ſecundum Navarrum auctoritate mittitur. Miſſa et paulo poſt delectorum e ſenatu Pariſienſi decuria. Radeſianus res in Saluciano principatu poſt Rogerii Bellogardii mortem turbatas componit. XX. Secretus adverſus Argentinam conventus detectus et eluſus. XXI. Hiſpana contra Joannem Epiſcopium Caſſerium Melitenſis militiae principem ſubornato Romegaſſio noſtrate conjuratio. Miſſus ad motus componendos a rege Aemarus Caſtus. Uterque, et militiae princeps et Romegaſſius, a pontifice citati Romam veniunt. Utriuſque mors. Hugo Lupus Verdala in Caſſerii locum ſuffectus. XXII. Jacobi Billii Prunaei, Gul. Poſtelli, Huberti Langueti, Andreae Papii, Petri Ciaconii, Jo. Bapt. Camotii, Huberti Folietae, Lucae Paeti, Joannis Fichardi J. C. Franciſci Porti Cretenſis, Franc. Venerii patritii Veneti deceſſus.

## LIB. LXXV.

CIↃ IↃ LXXXII.
Henricus III.

Arturi Coſſaei E. T. obitus. Meduanius exercitui praepoſitus ad belli reliquias in Allobrogibus profligandas. Edictum in Proteſtantium gratiam denuo confirmatum. II. Ordinis ſacri a conventu delegati ad regem veniunt, et

et luculenta Reginaldi archiepiſcopi Bituricenſis oratio, qua Tridentini concilii promulgationem urget; de qua rex ſe excuſat. De electionibus item altercatum, non ſine mutua offenſione: de cetero benigno cum reſponſo delegatos dimittit: Edicta gravia in ſenatu, curia vectigalium, publicata. III. Expeditio in Aſſoras a Philippo et Antonio ſuſcepta. Inſularum ſitus, numerus, deſcriptio. IV. Ad Tertiam, amoto Figeredo, Emmanuel Silva Turris-viridis comes magno errore ab Antonio miſſus. Ejus cum Landereo noſtrate diſſidia. V. Philippi claſſis, et noſtra duce Philippo Strozzio, confligunt. Strozzius fortiter pugnando vincitur, et ſemi-mortuus in manus hoſtium venit. VI. Santacrucii in captivos et dedititios ſaevitia. Galli, fremente Hiſpano milite, in S. Michaelis inſula ccc circiter ſupplicio adfecti. VII. Indicae claſſis ad Santacrucium adventus et ſalutatio. VIII. Antonius e Tertia in Galliam profugit. IX. Didaci principis Hiſpaniarum, Albani, et Sanctii Avilae, deceſſus. X. In Luſitanos ſacerdotes, ſeu monachos, exercita a Philippicis ſaevitia. Exequiae regis Sebaſtiani peraguntur. XI. Andini e Britannia in Belgium adventus; Antuerpiae ſolemnis inauguratio: de ſupplendo aerario conſultatio. XII. In Flandria regii caeſi; in Atrebatibus Lentium interceptum. Farneſius, capto ſuperiore anno Tornaco, occaſionem capit militis externi conſcribendi. XIII. Inſidioſus contra Arauſionenſem conatus. Ejus ratio et executio. Joannes Jaureguius patrator captus, et cum aliis conſciis ſupplicio adfectus. Arauſionenſis ex vulnere convaleſcit, et Carlota Borbonia uxor ex pavore et vigiliis moritur. XIV. Aldenarda a Farneſio capta. Aloſtum a Gallis interceptum; iſque caſus, arce Gaesbekana a regiis itidem intercepta, penſatus. Dunkerka irrito conatu tentata. XV. Lira aſtu a Semplio Scoto prodente capta. S. Bernardi coenobium ampliſſimum, ob viciniam Lirae captae, demoliuntur Antuerpiani. XVI. Nicolai Salſedae conjuratio. Confeſſiones quibus multos involvebat, et ſupplicium. XVII. Chriſtophori Thuani praeſidis primarii mors: ei ſuffectus Achilles Harlaeus, tanto magiſtratu digniſſimus ſucceſſor.

## LIB. LXXVI.

CIↃIↃLXXXII.

Henricus III.

Andinus Brugis mutato ſenatu Gandavum tendit. Pugna apud Gandavum. II. Gaesbeka arx expugnata. III. Auxilia Farneſio ſummiſſa. Auxiliares item copiae Andino ſummiſſae. IV. Turcici legati pro commercii libertate ad Andinum Antuerpiae auditi. V. Schenkius in Friſia capitur, et, cum a regiis negligeretur, ad Andinum tranſit. VI. Lochemum fruſtra a Verdugo tentatum, qui Stenvicam tandem aſtu intercipit. VII. Regis profunda ſecuritas; et ſancti foederis, quod extinctum putabat, per eam renovata factio. VIII. Concionatores ex ambone ſeditioſe detonant; et plebis accenſae in Guiſianos occultus favor. IX. Kalendarii emendatio ex Antonii Lilii ſententia. Erroris altius repetitae et diſcuſſae rationes. Ejus publicationem urgente Caeſare in comitiis Auguſtanis Saxo ſeptemvir intercedit, tenuitque ne in Germania ab Auguſtanae confeſſionis principibus ac civitatibus reciperetur. In ſenatu Pariſienſi promulgatur; et in Belgio, Andino annitente. Synodus provincialis Burdigalae celebrata. Foedus cum Helvetiis renovatum. X. Foetus lapidei in utero Columbae Chatriae Agendici Senonum, cum corpus ſecaretur, hiſtoria amplius diſcuſſa. XI. Obitus Jac. Pelletarii, Laurentii Joberti, Georgii Buchanani. XII. Belli Colonienſis cauſae et initia. Coloniae urbis antiquitas et origines ſub Chriſtiano imperio. Gebbardus, qui Iſenburgico ſucceſſerat in archiepiſcopali et ſeptemvirali dignitate, ducta uxore, ſeptemviratum retinere tentat. Coloniae convenire Proteſtantibus interdictum. Gebbardi ad comitia Auguſtana legatio, et Coloniae cum armatis ingreſſus. Pontificis monitoriae ad Gebbardum literae. Proteſtantes Gebbardo praeſto ſunt. Ejus edictum, quo de confeſſione in religione ſua et libertate proteſtatur, nulla matrimonii mentione facta. Hoienſium comitum familia hoc anno exſtincta. XIII. In Ruſſia Pleſcoviae ſuperioris anni obſidio continuat; tandemque, interventu pontificis, pax inter Polonos et Moſcos coit, et Livonia penes Polonos remanet.

TOM. IV. manet. XIV. Inde inter Polonum et Suecum de Livonia oritur controverſia. XV. Tatarorum ad Stephanum, dum Rigae eſſet, legatio. Jancola Walachiae deſpota principatu ſpoliatus, et Leopoli, Stephani juſſu, ſupplicio adfectus. XVI. Polonica comitia, et in iis propoſita a Samoſcio, ac decreta. Rigenſis archiepiſcopatus aboletur. Tatarorum Precopienſium motus. XVII. Res Boruſſiae ordinantur. XVIII. In Pannonia majoris motus metus.

## LIB. LXXVII.

CIↃIↃLXXXII. HENRICUS III.

MECHEMETIS theatralis circumciſio, et in ea edita multorum dierum Conſtantinopoli ſpectacula. II. Cladis in Media Atropatena acceptae nuncio allato, legatus Perſicus indignum in modum Amurathis juſſu habetur. Mahametes purpuratus ad ſuppetias Teflifio ferendas miſſus magno damno accepto tandem Teflifium venit, et praeſidiarios tumultuanteis placat; et recta Carſam, nullo damno accepto, venit. III. Conſultatum, ut damni accepti invidiam apud Portam elevaret, de Muſtapha Georgiano, cujus proditione id factum dicebatur, morte adficiendo; quod cum ille praeſenſiſſet, praeſenti virtute periculum diſcuſſit, interfectis qui ad ſe interficiendum deſtinati erant. IV. Sinan in vanitate ſua ac ſuperbia perſeverans a ſupremi purpurati dignitate excidit. Huic in dignitate Siauſes ſuffectus. V. Hodabenda, Merize Salma incentore, contra Abam Merizem alterum filium, ad imperia ſua contumaciter reſpondentem, ducit; et cum ad Erim veniſſet, ſubeunte poſt iram poenitentia, cum ſupplice filio reconciliatur, et expeditionis auctorem Salmam interfici jubet. VI. Ferhates in

CIↃIↃLXXXIII. expeditione Perſica ſuffectus, qui anno ſequenti Erzirumum cum exercitu venit: inde ad Reivanum Armeniae oppidum caſtra ponit. VII. Manucciar Muſtafas a Turcis ex occaſione deficit. Per Haſſanem purpuratum ſubſidia Teflifio illata. Oſmanis in Atropatia geſta. VIII. Fames Romae. Seditio Romae ob caedem Raimundi Urſini et Syllae Sabelli a latrunculatoribus patratam. Ludovicus Urſinus Raimundi frater Vincentium Vitellium interficit, et Roma excedens exulibus per Latium ſe ducem praebet; ac tandem in Venetam ditionem concedit. IX. Apud nos regis in otio ſedentis de Belgico bello et fratris fortuna ac ſucceſſibus conſilia. X. De quibus monitus Andinus exitiale et dedecoroſum de Belgio per inſidias ſubjugando cum ſuis conſilium capit. XI. Antuerpia infeliciter tentata. Idem aliis locis pari infelicitate ac dedecore tentatum. Antuerpiani, revicta foeda cum Gallorum clade injuria, apologetico ſe ſcripto purgant. XII. Male-contentorum ex ea occaſione ad Ordines literae, et mox Parmenſis. Gandenſes turbant. XIII. Ad Andinum Pontius Mirambellus a rege fratre miſſus; et poſt eum Pomponius Bellevreus. XIV. Arauſionenſis in hoc caſu moderatio, et de reconciliandis cum Andino Ordinibus ſcripto propoſitum conſilium. XV. Andini poſtulata, et ad ea conditiones ab Ordinibus dictae. XVI. Eindovia interim per illud diſſidium a Car. Mansfeldio capta, et Dieſta dedita. Weſterloa item amiſſa. XVII. Andinus, ſpretis conditionibus, in Galliam diſcedit. Arauſionenſis inſidiis ab Hiſpanis petitus. XVIII. Dunkerka, et mox Neoportus, in Parmenſis poteſtatem venit. XIX. Arauſionenſis in Zelandiam ſecedit.

## LIB. LXXVIII.

CIↃIↃLXXXIII. HENRICUS III.

NOVAE inſulae in India Occidentali luſtratae. II. Apud nos rex in otio ſedens delegatos ad provincias mittit, qui de populorum querelis ad eos deferrent. Fiſcalia edicta, rege praeſente, in ſenatu promulgata. Flagellantium ſe Lutetiae ordines, et de iis ſtatuta confecta. III. Jouſae in Italiam profectio, et cum pontifice colloquium. Lud. Demontjoſii elogium. IV. Conventus ad Germani-fanum, in quibus S. Romani Rotomagenſis feretrum et privilegium exagitatur. V. Remenſis ſynodus celebrata: item eodem tempore Caeſarodunenſis,

ſis, ſive Turonenſis. VI. Alegrii et Vitelliani duellum. Anna Alegria Vido Lavallo comiti nubit. VII. Antoniae Borboniae Guiſianorum parentis, R. Biragi cancellarii cardinalis, Joannis Maldonati, Huberti Goltzii, Thomae Eraſti deceſſus. VIII. Suppetiae Gallis ad Tertiam tuendam relictis a rege Jouſae inſtigatu miſſae, duce Aemaro Caſto. IX. Philippus, adactis in Philippi filii verba ſacramento Luſitanis, et Alberto Auſtrio cardinali prorege impoſito, Madritum revertitur. X. Santacrucius ad Aſſoras cum claſſe miſſus, S. Michaelis inſulam appellit. Emmanuelis Silvae, qui Tertiam tenebat, faſtus, et prae ſe auxiliarium contemptus. Plagam tuebatur Caſtus; a qua dejectus Guadalupem ſe recipit. Fagina a Petro Toletano vi capta; et Pica, Sangeorgiana, Corvina, et Gratioſa, in fidem acceptae. Tandem Tertiani, omni ope deſtituti, huc illuc diffugiunt. Caſtus cum Santacrucio tranſegit, et navigiis commodatis in Galliam cum cccc reliquis tranſportatur. Silvae tandem a Maura ſerva proditi miſerabile ſupplicium. De religioſis et ſacerdotibus in Luſitania occiſis gratia a pontifice facta. Santacrucius triumphabundus in Hiſpaniam revertitur. XI. In Belgio comitia de Andino confirmando. Quidam in Jo. Caſimirum inclinant. Diſcordantibus Belgis concordes Hiſpani rem gerunt. Zutfania a Jo. Bapt. Taxi intercepta. Bergenſis comes ad Philippum tranſit. XII. Flandria Gandenſium occaſione turbat. Belgae ſenſim ad Hiſpanos inclinant. XIII. Bello Colonienſi inchoato, Bipontinus legatos ad urbis conſules mittit. Clivenſis dux, et in collegio Fridericus Saxo Lauemburgicus, Gebbardo adverſatur. Bremenſis archiepiſcopus ex eadem familia patrocinatur. Conventus provincialis contra Gebbardum. XIV. Gebbardus nuptias, clam cum Agnete contractas, publica ceremonia celebrat. Colonia Trajana a Lauemburgico occupata. Jo. Caſimirus Erneſtum gentilem epiſcopum Leodicenſem ab archiepiſcopatu Colonienſi ambiendo dehortatur. Contraria comitia a Gebbardo celebrata. Caeſar, omiſſa religionis et matrimonii cauſa, apud Gebbardum urget ut dignitate cedat. Andreas Auſtrius cardinalis a pontifice miſſus, tranſitu a Caſimiro arcetur. Gebbardus extra eccleſiae communionem pontificio diplomate, quod Caeſar ratum habuit, poſitus. XV. Novae electioni dies condicitur. Archiepiſcopi Colonienſes a pontificibus depoſiti. Erneſtus Baioarus in archiepiſcopum eligitur. Sacri collegii ſodales, qui Gebbardo favebant, diris devoti.

Tom. IV.

## LIB. LXXIX.

Caesaris et Caſimiri contrariae literae. P. Butricus ad Unkelium fruſtra vim facit. Tuitienſe monaſterium miſere incendio vaſtatum. II. Gebbardi ad Colonienſeis literae. III. Conventus ſeptemvirorum Moguntiae pro componendo Colonienſi diſſidio. IV. Ludovici Palatini ſeptemviri obitus: item Magni Holſati, et Catharinae Sueciae reginae. Hennebergica familia, Georgio Erneſto mortuo, exſtincta. Morte Ludovici Caſimirus ab exercitu diſcedit. V. Kalendarium novum Romanum ab Erneſto novo praeſule Coloniae receptum. VI. Propoſitae a ſeptemviris conditiones a Gebbardo rejiciuntur. Ad Hulſtanum pagum accepta ab Erneſto clades Truchesianis animos ad tempus facit. Caſtrum, quod Bonnae obſidionem difficilem reddebat, expugnatum: quo facto Bonnae obſidio urgetur. VII. Navarri de pace inter Proteſtanteis ſuper religionis diſſidio ſancienda legatio a Jac. Segurio et Sofredo Calignono obita. Cum ea legatio in varias per Germaniam reprehenſiones incurreret, ſcripta ad Caeſarem apologia Segurius factum tuetur. VIII. Bonna tandem deditur. IX. Gebbardus in Weſtfalia eccleſiaſticam reformationem fruſtra meditatur. Ferdinandus Bebergam capit. Ad Burgam in Zutfania ancipiti proelio pugnatum: tandemque, victis Truchesianis, victoria ad Baioaros inclinavit. Brunſvicus nothus captus. Recelineuſenſe oppidum poſt treis oppugnationes Ferdinando deditum. Gebbardus, ſuis dilabentibus, Delfos ad Arauſionenſem profugit. X. Erneſtus praeſul victor ſolemni ceremonia Coloniae inauguratur. Ordinga ad Rhenum intercipitur a Baioaricis. XI. Auguſtae Vindelicorum tumultuatur ob Kalendarium. XII. Gebbardus decani dignitate

CIƆ IƆ LXXXIII.

Henricus III.

CIƆ IƆ LXXXIV.

Tom. IV. dignitate in Argentinenſi ſacro collegio exutus. XIII. In Belgio itidem res Proteſtantium turbant, Gandenſium pervicaci contumacia. Ab Ordinibus agitatum, vectigalia pro evectione armorum et commeatus permittenda an prohibenda ſint: tandem edicto prohibita, magno errore. Lira fruſtra a Santaldegondio tentata. XIV. Gandavi ſeditio excitata. Ipra poſt diuturnam obſidionem in Philippicorum manus venit. XV. Carolus Croius Cimaci princeps et Flandriae praeſes Megenſis comitis heredem in uxorem ducit, et Proteſtantibus favere ſe etiam edito libro fingit. Tandem Brugenſes ſe dedunt. Montinius, obſtructo Scaldi, Gandavum obſidione urget. XVI. Andini ad Caſtrum Theodorici lethalis morbus; ingenium, virtutes, et generoſa tanto principe digna mors. XVII. Mortem Andini mox ſecuta Arauſionenſis caedes inſidioſa. Patratoris confeſſiones et ſupplicium. Naſſoviorum gens et foecunditas. XVIII. Eodem mortis Andini et caedis Arauſionenſis tempore detecta conjuratio Gul. Parrii contra Eliſabetham Anglam. Ejus confeſſiones; et memorabile Gul. Creightonii e Jeſuitico ſodalitio ſacerdotis, ab eo conſulti, reſponſum.

## LIB. LXXX.

CIƆ IƆ LXXXIV.
HENRICUS III.

Rerum noſtrarum ſtatus poſt Brabantini ducis mortem, rege ad ſegnitiem et otium prolapſo. Miſſus ad Navarrum Eſpernonius, et conditiones ab eo propoſitae. Colloquium Rupilaurei et Marmeti, medio et arbitro Arnoldo Ferrerio, poſtea a Phil. Mornaeo publicatum. Conventus Montalbanenſis. Guiſianorum factio invaleſcit. Edictum contra ſecretas coitiones. Bellavillae de famoſo libello convicti ignominioſum ſupplicium. Aucta Eſpernonio peditatus Gallici praefecto dignitas. II. Statuta de aulicae diſciplinae reſtauratione, a rege tempore non ſuo propoſita. III. Ludovicus Foxius turrem Corduanam in aeſtuario Garumnae exſtruendam ſuſcipit. Synodus Bituricenſis Avarici Biturigum celebrata. IV. In Polonia Stephanus cum Gedanenſibus tranſigit. Samuelis Sborovii contumacia; qui tandem captus, Samoſcio annitente, Cracoviae in arce capite plectitur. Muſtafas, a Turco legatus, a Stephano auditur. V. Joannis Baſilidae Moſcorum principis mors. Ejus ad Theodorum filium et proceres monita. VI. Novennales induciae inter Caeſarem, tanquam Hungariae regem, et Amurathem. Turci praedones caeſi. VII. In Oriente Hodabenda cum toto copiarum robore Tauriſium venit. Diverſa parte Ferhates Lorium venit, et locum munit, impoſito valido praeſidio. David Georgianus ad Turcos deficit. Simo Georgianus temere cum Turcis confligit, vix vita ſalva elapſus. VIII. Ferhates ultione contra Simonem ardens Cliſcam venit, et munit. Aliculis Perſae, quo duce uti decreverat ad expeditionem Tauriſianam Ferhates, fuga. Agiachalaſſum ab Hali occupatum, ac praeſidio firmatum. Emires Tauriſii ſatrapa ab Hodabenda luminibus privatur, Aliculi in ejus locum ſuffecto. IX. Via ad Tauriſium aperta, cum videret Amurathes Ferhatem militi inviſum, expeditioni futurae Oſmanem praeficit. Ejus nobilitas. Muchemetes Tatarorum princeps, Amurathis juſſu ob ejus perfidiam exaſperati, ab Oſmane in poteſtatem redactus; et ejus loco Iſlanes, qui Iconii captivus attinebatur, in ſolio conſtitutus. Siauſes, Muchemetis conſiliis participaſſe convictus, dignitate movetur; et Oſman ſumma inter purpuratos dignitate augetur. X. Ramadanis Tripolitani ſatrapae indigna viduae caedes a Gabr. Emo patrata: quae tanta injuria, Emo capite plexo, a ſenatu Veneto ſarta eſt. XI. Claſſis, quae non niſi quarto poſt anno ſolvit, in Hiſpania apparatus. M. Ant. Columnae, qui ei dux deſtinabatur, obitus. Philippus Philippum filium ſolemni ceremonia Mantuae Carpetanorum principem et heredem declarat, et in ejus verba regni Ordines adigit. Caroli Sabaudi cum Catharina Philippi filia nuptiae. XII. Vincentius Mantuae dux Helionoram Mediceam in uxorem ducit. Erici Brunſvici Papiae deceſſus. XIII. Brugenſes per literas ſolicitant Gandenſeis. Zutfania conatu irrito obſeſſa. Lilloa fruſtra a Parmenſi itidem obſeſſa. Teneramunda, Herentala, Wilvorda, in Parmenſis poteſtatem veniunt. XIV. Gandenſes ſe Parmenſi ſubjiciunt. XV. Antuerpiae obſidio

obſidio inchoatur. XVI. Parmenſis prolixas ad Antuerpianos dat literas. XVII. Regis et Eliſabethae in Belgii patrocinio ſuſcipiendo aemulationes. Catharinae matris perverſa ambitio. Navarrus ab uxore alienus. XVIII. Belgarum ad regem decreta legatio, cujus princeps P. Melodunus. XIX. Pauli a Fuxo archiepiſcopi Toloſani, Vidi Fabri Pibracii, Gent. Herveti; Caroli Borromaei, Jo. Franciſci Commendoni cardinalium; Fr. Turriani, Huldrici Fuggeri, Joannis Sambuci, Jani Gulielmii, Abrahami Bucoltzeri obitus. TOM. IV.

*In epiſtola tertia ad D. Meadum refertur, Thuanum* 80 *priores tantum Hiſtoriarum ſuarum libros cum eorum Epitomis praelo committere, ſe vivo, ſtatuiſſe; et iis adjicere epitomas, fuſius quidem deſcriptas,* 46 *librorum proxime ſequentium* (*a lib.* 80 *ſcilicet, uſque ad* 127) ut haberent lectores (*ſic enim ipſe loquitur*) unde deſiderium, quouſque illi ederentur, explere potuiſſent. *Has ampliores epitomas, quae adhuc inter MSS. bibliothecae regiae Pariſiis conſervantur, heic inſerere duximus; et quaecunque ſententiae ſeu verba in eorum* 46 *librorum epitomis in ed. Gen. et noſtra excuſis non leguntur, Italico charactere diſtingui curavimus.*

## LIB. LXXXI.

CIƆIƆLXXXV.

HENRICUS III.

BELLI inteſtini apud nos luctuoſiſſimi initium et cauſae, *ex occulto foedere inter Guiſium et Jo. Auſtrium icto.* II. Novi quaſi operis praefatio, et auctoris excuſatio. III. Guiſii, a Navarro, *cujus amicitiam Andino ſuperſtite ambiverat,* ſe deceptum querentis, aſtus in Caroli Borbonii cardinalis promerenda gratia, ut eum Navarro opponeret. IV. Juris Caroli patrui contra Navarrum defenſio, et contraria pro Navarro contra Carolum *Fr. Hotmani juriſconſulti* conſultatio. V. Guiſii conſilia, artes et ingenium. *Per diſſimulationem cum principibus, per concionatores et libellos cum plebe agit, ubique religionis cauſam obtendens.* VI. Ludovici Aureliani Catholicus Anglus exul. Picturae perſecutionum Anglicarum paſſim per plateas *et locis ſacris ad ſpectaculum ciendis ſeditionibus* propoſitae. *Contra declarationem illam ſcribit Dionyſius Butillerius.* Praecipitatum Philippi cum Guiſianis foedus occultum, *occaſione Antuerpianae obſidionis et legationis ad regem ab Ordinibus Belgii miſſae.* Ratio et conſilium regis in promovenda citra belli neceſſitatem cauſa religionis. VII. Foederis *pridie Kal. Januar. cum Jo. Bapt. Taxi* Jonvillae initi leges. VIII. Legatos Belgicos cum rex, ut eos audiret, Silvanecto Lutetiam venire juſſiſſet, Bernardinus Mendoza Philippicus orator *verbis minarum et faſtus inſolentis plenis* intercedit: *quem rex brevi et vere regia, ſi facta dictis reſpondiſſent, majeſtate digno reſponſo excepit, et tamen ambiguo.* Ab eodem Mendoza ſolicitatus Guiſius, *et obſeſſae Antuerpiae periculo demonſtrato coactus,* arma capit. IX. Edictum *ſub id propoſitum* IV *Kal. April.* contra clandeſtinas coitiones et molitiones. Delectus mandato regis apud Helvetios et in Germania *miſſo Gaſpare Schombergio Nantolii comite* habentur. *Schombergius per Baſſompetram a Carolo duce Lotharingiae retentus.* X. *Is* trium civitatum imperialium poſſidendarum ſpe a Guiſio gentili impletus, *qui ſe medium in cauſa religionis ſuperioribus temporibus geſſerat,* huic bello dat nomen. Ludeus Virodunum regis nomine tuetur: ſed cum a conjuratis cauſam religionis agi, *quae ſolemnis ad ſeditiones ferendas tunc temporis vox erat,* inclamantibus plebs arma ſumpſiſſet, *Guitaldo, qui latebat, prodeunte, et* Guiſio ſuperveniente, urbs capitur. Tullum eodem aſtu a furente plebe captum. Diviodurum Mediomatricum ab Eſpernonio ope Tagentii ſervatum. Guiſius, ſpe Divioduri potiundi fruſtratus, cum XII bellatorum CIƆ in Campaniam deſcendit. XI. Scriptum Peronae a cardinali Borbonio et foederatis publicatum: *quo ad religionem antiquam inſtaurandam et ſectarium venenum extirpandum, priſtinam nobilitati dignitatem reſtituendam, populum tributis levandum, auctoritatem regni curiis, quae violentia ſive prenſationibus aulicorum enervata conciderat, reddendam, ſumpta arma conteſtabantur.* Ad illud molli et languida declaratione regis nomine reſponſum. XII. Alia contra Guiſianos acriora

Tom. IV. acriora ſcripta tunc evulgata; *quibus Salſedae confeſſionum memoria refricabatur, recens ad Maſſiliam intercipiendam Nivernii conatus perſtringebatur.* XIII. Huberti Gardae Vincii ductu in Provincia pro foederatis arma ſumpta. Buquerius Maſſiliam commotam pacat, Engoliſmenſi praeſide Aquis Sextiis ſtatim evocato. Conjuratorum duces ſtatim ſecuri percuſſi, et urbs veniam a ſenatu et rege petere juſſa. *Inde ad vicinas in Septimania urbes, quae a Proteſtantibus tenebantur, datae literae, ne quid ejus motus occaſione turbarent.* XIV. Nivernius, qui Avenionem venerat, Romam ire perrexit; nec multo poſt a foedere omnino diſceſſit. *Claudius Matthaeus e ſodalitio Jeſuitico ſacerdos ſancti foederis paraveredarius vulgo dictus.* XV. Guiſius Perona Borbonium cardinalem Catalaunum magno comitatu adducit. Eſpernaeum in proximo ad Matronam regina parens a rege venit; in eoque colloquium cum Borbonio et Guiſio inſtitutum. XVI. Franc. Noallii epiſcopi Aquenſis ad regem liberum de bello in Belgium transferendo, *ne domi illud habere cogeretur,* in arcano conſilium. XVII. Contrariae ab aulicis allatae rationes: quibus rex perſuaſus, legatis Belgicis ad ſe advocatis, a patrocinio ſuſcipiendo ſe excuſavit; *commendationem apud Eliſabetham et Navarrum promiſit; de cetero quam honorifice potuit actis gratiis a ſe dimiſit.* XVIII. Henricus Stanleius Derbiae comes ab Eliſabetha miſſus, periſcelidis inſigni publica ceremonia regem donavit. *Apud eam et in Anglia per ſuum oratorem rex promiſſo pro Belgis officio defungitur.* XIX. *Interim* miſſi qui foederatorum jam diſcurrenteis paſſim copias reprimerent, Monpenſerius in Pictones, Jouſa in Turones et Cenomanos, Eſpernonius, *ubi convaluit,* Genabum. *Eodem tempore* arx Lugduni intercepta et diruta, *Mandeloti aſtu et aliorum, qui ei in aula favebant.* Jac. Gobio Matignonus equitum tribunus contrario aſtu arcem Burdigalae, *ea dejecto Valliaco foederatis addicto,* in poteſtatem redigit. In Pictonibus Maranum a Renato Roano captum et *ob Rupellae viciniam immiſſo a Rupellanis praeſidio* firmatum. XX. Navarrus, ſcripto Bergeraci *in Petrocoriis* IV *Eid. Jun.* publicato, contra foederatorum contumelioſa convicia ſe purgat, *et rejecta Tridentina ſynodo, alterius legitime congregati concilii ſe et ſuos auctoritati ſummittit, relapſi crimen diluit, Magdeburgici conventus et legationis Segurianae invidiam a ſe amolitur; ad extremum duello inter ſe Condaeumque et Guiſianos controverſiam dirimendam proponit.* XXI. Foederati libello a rege petunt, ut religio majorum inſtauretur, omni alia interdicta; Genevae patrocinium deſeratur. Poſt longas altercationes de ponendis armis edictum conditur *Non. Quintilibus* contra Proteſtanteis. Occultis pactis urbes ſecuritatis ergo foederatis attributae. Literae Navarri de edicto expoſtulatoriae, *cum triſti calamitatum ex eo ſecuturarum praeſagio.* Edictum, rege in lectiſternio ſedente, *triſti ſilentio* promulgatum XV Kal. Sextil. Solicitatae per regnum a foederatis urbes et praefecti. XXII. Henricus Momorantius Septimaniae praeſes fruſtra tentatus, *quanquam a Proteſtantium religione ſumme alienus, pro regni cauſa* cum Navarro conſilia et vireis jungit, icto cum Navarro ipſo Condaeoque foedere, *ad Pauli-fanum in Laureacenſi agro:* et inde IV Eid. Sextil. publicant commune ſcriptum, quo Guiſianorum ambitionem, conatus, et molitiones, *jam a Franciſci* II *temporibus, magna cum verborum acerbitate* exagitabant. Cuncta ad bellum toto regno parantur. XXIII. Rex, *quem jam belli taedebat,* Lutetiae Ordines convocat, et pecuniam in belli ſuſcepti ſumptus poſcit, *adeo praefracte, ut averſum ab armis animum cunctis proderet.* Miſſa perhonorifica ad Navarrum legatio, nullo exitu. XXIV. Romae proſcriptio Navarri et Condaei, cunctante pontifice, urgetur. XXV. Japoniorum regum legati Romae *deducentibus Jeſuitici ſodalitii patribus* magna pompa comparent, et literas *ſummae demiſſionis* a regibus ſuis ad pontificem adferunt. *Pro iis Gaſpar Conſalvus ex eodem ſodalitio verba facit.* XXVI. Gregorii XIII mors, ingenium, mores, munificentia. Pontii Pontiani illuſtriſſimi juvenis indigna Romae caedes. Nicolai Pontani Venetiarum principis mors; elogium. Jacobi Sabaudi Nemoroſii deceſſus, et monita ad Carolum filium.

# LIB. LXXXII.

CIↃIↃLXXXV.

Henricus III.

In novo pontifice eligendo factionibus ſciſſum collegium. *Cardinales ſacramento adacti de adigendo in leges antiquas eo qui in pontificem eligeretur.* Felix Perretus, qui Sixtus v dici voluit, tandem *die Mercuriali ipſi fatali* electus. Ejus natalis et ingenium. Severa pontificatus auſpicia. II. Graſſatores exules miſſi qui perſequerentur. *Curtietus Sambucanus tandem captus, ne manu carnificis periret, cum captivus duceretur, ſe mari merſit.* III. Tumultus Neapoli ob frumenti penuriam. Jo. Vincentius Staraces a plebe furente miſere diſcerptus. Petrus Giro Oſſunae dux prorex ejus mortem poſtea ſevere ulciſcitur. IV. Paulus Jordanus Urſinae familiae princeps Franciſci Perreti pontificis ex fratre nepotis caedis inſimulatus, ultionem veritus, in Venetam ditionem ſe contulit. Eo mortuo, Virginia Acorambona, primis nuptiis Perreti, et poſtea ipſius Pauli Jordani uxor, Patavium conceſſerat; ubi a graſſatoribus occiſa et expilata eſt. Caedis poſtulatus Ludovicus Urſinus Pauli gentilis, *cum ſe in judicio ſiſtere detrectans vim faceret,* a Veneto ſenatu tandem captus et ad mortem damnatus eſt. V. Navarrus et Condaeus a pontifice *novo, quod deceſſor ejus facere detrectaverat,* publico diplomate proſcripti. Ejus executio apud nos a rege prohibita. *Manet tamen decretum, et inter Sixti* v *conſtitutiones relatum in Bullario extat, cum Bulla olim a Pio* iv *contra Joannam Navarri parentem facta minime reperiatur. Comparatio priorum temporum cum his noviſſimis.* Audax facinus cujuſdam Romae Navarri ſtudioſi. Scripta alibi in eam rem pro proſcriptis publicata. VI. Accenſo apud nos bello, regis et Navarri contraria edicta promulgata. VII. In Pictonibus et Santonibus a Condaeo et Roano cum Mercuriano et foederatis geſta. VIII. Jacopolis a Condaeo in ſummas anguſtias redacta; qui, nuncio de arce Andegavenſi intercepta allato, protinus *inſtigante Claromontio Amboſiano* ab obſidione, *relicto ad eam Summenio,* diſcedit, et Ligerim ad Roſarium cum ſuis tranſmittit. Arx Andegavenſis a Jouſanis fratribus paulo poſt, *Rupimortio, qui eam ceperat, interfecto,* recepta; *et Condaeus ita undique cinctus, ut intercluſo Ligeris tranſitu elabi non poſſe putaretur.* Diſſipatae Condaei copiae; *pars Ligerim tranſivit, pars citra fluvium per agrum Vindocinenſem effuſa; et in iis* Condaeus ipſe in Inferiorem Neuſtriam deſcendit, et conſcenſa nave *inter Maclovii-fanum et Avrincas* Grenezaeam inſulam petiit. IX. Turenius interea Tutelam in Lemovicibus capit. X. Talliaburgum, Tremolliae ditionis oppidum ad Carantonum, *Carlotae Catharinae Tremollii ſororis aſtu eluſa Momorantia matre, ſuperventu comitis Lavalli* in poteſtatem Proteſtantium venit. XI. Meduanius in Aquitaniam cum exercitu miſſus Pictavium accedit, et *diviſis cum Matignono copiis* in Cadurcos deflectit, recepta in itinere Tutela. XII. Diguierii in Allobrogibus geſta. Caturigum civitas, et Dia in Vocontiis capta: mox et Montelium Adaemari, et poſtremo Ebrodunum. XIII. Alia ſuper alia contra Proteſtanteis edicta condita, *et perſcripta abjurationis formula; qua cum urgeretur ſynodus Tridentina, paſtores ſcilicet ſcriptum edunt, quo ſuos ad patientiam hortabantur, et fluxae hujus vitae commoda contra melioris atque adeo aeternae ſpem minime aeſtimanda oſtendebant.* XIV. Sacer ordo *libertate inſolita* regem per epiſcopum Brioceníem compellat; *petitque ut concilium Tridentinum promulgetur, nominationibus ſublatis ſacrae electiones reſtituantur, appellationes ab abuſu tollantur, bona eccleſiaſtica nullo caſu alienentur:* a quibus petitionibus rex *non ſine verborum acerbitate* pro tempore ſe excuſavit. Terrae motus prodigioſus in agro Bernatum, *mugiente per quatriduum ſolo, et parte montis rupta, qui ab Hiborna pago trihorii itinere abeſt, et vento erumpente ac ſuperato qui interjacet colle, pagum ipſum oppreſſit, ac foedis ruinis obruit.* XV. Literis clarorum virorum mortes: Georgii Armeniaci, Gul. Sirleti, cardinalium; M. Ant. Mureti, Petri Victorii, Caroli Sigonii, Sebaſtiani Echini patritii Veneti, Joannis Cratonis, Remberti Dodonaei, Joannis Molani, Petri Ronſardi.

## LIB. LXXXIII.

CIↃIↃLXXXV.
Henricus III.

In Belgio Stenvica a Willelmo Naſſovio Leovardiae praeſide fruſtra tentatur. Viciſſim et Bergae ad Somam fruſtra a Parmenſi tentatae. Silva-ducis ab Hohenloo comite capta, et ſtatim *Cloeti culpa cum ſuorum ſtrage* amiſſa. Neomagum in Sicambris ab Ordinibus deficit. Idem a Doësburgenſibus factitatum. *Quo minus idem facerent Arnhemenſes Nuenarius comes obſtitit.* Oſtenda in Flandria irrito conatu a Valentino Pardeo Mota tentata. II. Bruxellis excitata ſeditio; *cujus is exitus fuit, ut urbs poſtremo in Parmenſis manus ſit tradita: cujus exemplum Mechlinia, ſed ſerius, ſecuta eſt.* III. Munitiones a Parmenſi ad Antuerpiam exſtructae. Machina *ad catenam et naveis diſturbandas in aeſtuario Scaldis ad ingreſſum prohibendum poſitas* a Friderico Junibellio ſtructa. Ejus violentus impetus; et praeter omnium ſpem disjectae oppoſitae naves, et pons abruptus, *exiguo tamen profectu, culpa Jacobi Jacobini, qui Santaldegondium urbis praefectum et Junibellium in tempore minime monuit.* Parmenſis diligentia ſua damnum ſarcit, et pontem reficit. *Ineunte Maio navigium, cui Finis-belli nomen, contra Ordamenſem munitionem vix tandem impulſum eſt, nullo exitu.* Covenſtenii propugnaculi cura Camillo Borbonio Montano attributa: ejus gens et laus. Ibi acriter pugnatum, *Hohenloo comite et Iſelſtenio vim facientibus, qui poſtremo cum damno repulſi ſunt, ab igne hoſtili accenſo decepti.* Dein toto robore ad eundem Covenſtenium aggerem ab obſeſſis vis facta: *quem et captum perfodere aggreſſi ſunt: ſed ſuperveniente ipſo Parmenſi poſt longum et obſtinatum certamen* eo *cum magno damno* dejecti ſunt, *unaque omni auxilii ſpe exciderunt, et* poſtremo, *penuria urgente et excitata a plebe ſeditione,* cum Parmenſi tranſigunt, *permiſſa Proteſtantibus citra Inquiſitionis metum intra quadriennium conſcientiarum libertate.* Captivi utrinque dimiſſi, Telinio excepto. IV. Lanovius parens cum Ecmondano permutatus, *ſed duris admodum legibus impoſitis; a quibus tempora quae ſecuta ſunt, eum, fide et decore ſalvo, liberarunt.* V. Antuerpianae obſidionis exitu pendente Parmenſis, captato tempore, Placentiae arcis *tot annos a Carolo* v *et Philippo occupatae* reſtitutionem *pro praemio per Pomponium Torellam* apud Philippum urget; et, neceſſitate quaſi impoſita, obtinet. Celebratae Caeſarauguſtae Caroli Sabaudi cum Catharina filia coram Philippo parente nuptiae. Secreta de Saluciano principatu occupando et retinendo mandata a vitrico data. VI. *Poſt tot clades acceptas* decreta ampliſſima ab Ordinibus ad Eliſabetham legatio, et leges dictae; quae, Antuerpia interim capta, paulum mutavere, *Eliſabetha, quae plenum Belgii imperium a legatis delatum ſuſcipere rogabatur, patrocinio ejus contenta, et ſumptuum in bellum faciendorum pro ſecuritate oppigneratis Vliſſinga, Ramekenſi arce et Briela.* Regina ſcripto publicato rationes foederis cum Belgis initi reddit. VII. M. Schenkius ad Ordinum partes tranſit. Ejus et Verdugi in Friſia res geſtae. *Nuenarius comes Noveſium in Ubiis oppugnat et capit.* Coenobii, cui Montis-Mariae nomen, origines. *Id, ut et Tuitienſe, crudeliter direptum et everſum.* Nuenarius Amerongae in Ultrajectenſi ditione a Verdugo caeſus. *A Schenkio poſt cladem et Meurſio in locis Rheno circumpoſitis et Altapennii contra geſta.* VIII. Joannes Willelmi Cliviae ducis filius Jacobam Philiberti marchionis Badenſis filiam uxorem ducit. *Monaſterienſis epiſcopa, quam tenebat, Erneſto Baioaro Colonienſi ſeptemviro cedit.* Henricus Julius Halberſtatenſis epiſcopus Dorotheam Auguſti Saxonis ſeptemviri filiam in uxorem accipit, *et epiſcopam retinet. Mindenſis, qua ſe abdicaverat, in Antonium Schaumburgicum comitem a collegio confertur.* IX. Induciae inter Moſcum et Suecum in quadriennium ſancitae. Pontii Gardiae deploranda mors. X. Rigae tumultuatur, ob Kalendarium receptum, et Jeſuitas patres admiſſos. XI. Stephanus in comitiis Warſaviae Sboroviorum cauſam diſcutit, et Chriſtophorum *immanitatis inauditae hominem* proſcribit. Bolognetus cardinalis auditur pro ſacro ordine, ac decimis praeſertim, a pontifice miſſus, nullo exitu. Cum Theodoro Moſco biennales induciae pactae. XII. Curlandicae dioeceſis negotium inter Danum et Polonum componitur. Item Magdeburgicum

cum

cum Brandeburgico archiepiſcopo. XIII. In Anglia Henricus Percius Northumbrius in carcere occiſus reperitur, dubio caedis patratore. Philippus Howardus, Thomae Norfolcii ducis filius, Arondeliae comes, non petita venia, Anglia diſcedens, retractus cuſtodiae mancipatur. Edictum ſeverum contra Jeſuitas, et eos qui in ſeminariis illorum operam literis navabant. XIV. In Scotia, factione Anglicana et Levinia diſſidentibus, res turbant. Anglicani, conjuratione inita, ad Aniani-fanum haud longe a Sterlino, ubi rex erat, conveniunt; et regem, amoto Edmondo Stuarto, *qui in Galliam conceſſit*, et Jacobo Stuarto Ochiltrio, qui ſe Araniae comitem indigitabat, *et arcibus receptis*, in poteſtatem redegerunt. Araniae comes anguſtia omnium rerum preſſus, *poſtremo ex deſperatione ad latrocinia verſus vitam aeque miſeram et infamem exegit, uſque ad annum* XCI, *quo* a gentili quodam Mortonii forte obvio ultionem quaerente interfectus eſt, *et caput ejus perticae affixum toto regno impune circumgeſtatum fuit.*

## LIB. LXXXIV.

CIↃ IↃ LXXXV. Henricus III.

In Oriente Oſman, ſummae rerum ab Amurathe praepoſitus, Tauriſium expugnandum ſuſcipit. *Cum reliquae omnes copiae ex Turcica ditione Erzirumum conveniſſent, ſolae Damaſcenae et Aegyptiae non comparuerunt, bello tunc in Syria excitato occupatae.* II. Haſſanis eunuchi Aegyptii ſatrapae avaritia et opes, et ad Portam ob eas invidia. *Revocatus e provincia occupat, et per Syriam facto itinere in viam ſe dat. Inſidias ſtabuli comitis ad ſe miſſi eludit, et Conſtantinopolim venit, ubi ſpoliatus theſauris vita ſalva in Heptapurgum includitur.* Ebraimes gener Sultano deſtinatus in Aegyptum miſſus, pari *avaritia ac* rapacitate provinciam expilat; et in Syria contra Maronitas et Druſos, ſive Truſcos, et Arabum phylarchos, bellum gerit. Eorum ab antiquo origo, religio, mores, et militaris virtus. *Locorum, in quibus habitant, ſitus deſcriptio. Eorum inter ſe diſſidia et detrimentoſae cum Turco foederationes.* Serafadinus ab Ebraime victus. Contra Ebnemanem infeſto milite vadit, *et ſemel atque iterum acceptis ab eo muneribus, cum eum in poteſtate habere non poſſet,* vicarium ejus et CCCL Truſcos *ſumma immanitate,* contra fidem datam, trucidat : ipſum vicarium, pelle detracta, crudeliter excarnificat. *Inde triumphanti ſimilis Conſtantinopolim cum immenſis theſauris et praeda venit, nuptias ambitas his muneribus in Porta promeritus.* III. Oſman in campos Calderanos cum exercitu deſcendit, *Maxüdem Perſam ſecum ducens,* et *Naſſivano omiſſo* iter Tauriſium verſus pronunciat *: ubi in conſpectum urbis venit, ſemel atque iterum initio caeſi Turci ab Emire Hodabendae filio.* Aliculis, qui Tauriſium tenebat, eruptione facta, *itidem* Turcos caedit : quo facto, urbem cum incolis relinquit, *libertate facta, ut qua poſſent rebus ſuis ratione conſulerent, et in Hodabendae caſtra concedit.* Urbis ſitus, magnitudo, ac infirmitas. *Capta urbe et parta ingenti praeda arcem in ea extruit Oſman. Captata dein ex morbo Oſmanis occaſione* Turci *in praedam effuſi nullo non crudelitatis, avaritiae, ac libidinis genere* in deditiios ſaeviunt. IV. In diſceſſu ab Emire ſuperveniente ad VIII CIↃ caeſi. Dein inſtructa utrinque acie, *iterum majore mole pugnatum, et* XX CIↃ circiter Turcorum deſiderata. Oſman ex morbo decumbens, arce praeſidio firmata, diſcedit ; et *primis caſtris cum ad arma conclamatum eſſet,* rurſus a Perſa par occiſorum numerus Turcorum fuit, *et tota praeda recepta :* quo eodem die Oſman deceſſit, et Cicada purpuratus ejus loco exercitum ducit. Pugna ultima damno affecti Perſae. Teſliſium in reditu, a Davide Chano miſſis ſubſidiis, firmatum. Tauriſium a Turcomannis Perſae reconciliatis obſeſſum ; *ſed Tamaſſo Hodabendae filio ab ipſis corrupto ab obſidione diſcedunt, et Caſminum recta ducunt. Caeſi illi et primarii duces ſupplicio adfecti.* Chiulfalium muneribus oblatis a Reivani purpurato direptionem redimit. V. Ferhates, ſequenti anno Perſico bello deſtinatus dux, CIↃ IↃ LXXXVI.
Vanni exercitum luſtrat. Ordo incedendi. VI. Emzae contra Turcos res geſtae. Aliculis contra eum deteſtanda conſilia, et adverſus Turcos tergiverſatio. Ferhates

Tom. IV. hates Tauriſianam arcem novo praeſidio firmat, *et novas munitiones Coii et Cumi extruit.* Emza inſidioſe ab Aliculi interficitur, *cum eoque Perſicae virtutis lumen extinctum eſt. Parens ejus Hodabenda ex moerore paulo poſt deceſſit.* Tatarorum cum Perſis foederatio et adfinitas. VII. Novi motus in Syria a Manolio Truſcorum dynaſta *poſt Ebraimis diſceſſum* excitati ; *contra quem miſſus Halis Damaſci purpurati titulo.* Locuſtarum prodigioſae nubes in Syria, nec non in Thracia. In Croatia Turci magno numero a minore Chriſtianorum caeſi. VIII. Petri Toletani infelix ad Cercinnam, vicinam Africae inſulam, expeditio. IX. Franciſci Draci Angli in Indias Orientaleis expeditio. *Praeda ex occaſione in Galeciae litore parta. Ad S. Jacobi inſulam direpta et incenſa urbs : idem ad S. Dominici inſulam ſive Hiſpaniolam factitatum. Inſulae ſub Hiſpanis deſolatio, et quod de ea ſcripſit Bartholomaeus Caſa Chiappae praeſul. Carthago item in continenti proxima petita, quae poſt aliquod certamen* C *florenorum* CIↃ *incendium redemit. S. Auguſtini et S. Helenae inſulae vaſtatae ; et Angli, qui Virginiae in praeſidio erant, ſummi beneficii loco in patriam reducti. Capta pleraque his locis tormenta cum Jo. Friderici Saxonis ſeptemviri inſignibus.* X. *Romae ob pulſos et longe fugatos exules publica laetitia.* Obeliſcus in Vaticano loco obſcuro defoſſus, inde artificioſis machinis a Dominico Fontana tranſlatus. XI. Pontificis ad Quinquepagicos Helvetiorum legatio, et cum iis pro religione Catholica foedus *annitente Lud. Fiſero* initum. *Cum Santomius Tricarienſis epiſcopus in* controverſia Lucernatum cum Bronnenſis ſacri collegii ſodalibus *uſurum ſe gladio ſpirituali interminaretur, Lucernates horridam libertatem contra opponunt, re de cetero utcunque pro tempore compoſita.* XII. Octavii Farneſii Parmenſium ducis, et Margaritae ejus uxoris, deceſſus. Aloiſii Ateſtini cardinalis mors, ingenium, liberalitas *principalem omnem modum ſupergreſſa.* Antonii Perrenoti cardinalis, Martini ab Aſpilcueta Navarri, D. Antonii Auguſtini Tarraconenſis archiepiſcopi, Octaviani Ferrarii, Julii Caſtellani, Laurentii Gambarae, Hier. Columnae, Galeacii Caraccioli Vici marchionis, Martini Chemnitii, Rodolfi Gualteri, Ludovici Lavateri, Matthaei Weſembecii deceſſus. XIII. Auguſti Saxonis ſeptemviri mors. XIV. Stephani Poloniae regis res geſtae, ingenium, mores ; ex ira et indignatione ob motum Rigae excitatum obitus.

## LIB. LXXXV.

CIƆIƆLXXXVI.
Henricus III.

In Belgio ſupplicatio anniverſaria Antuerpiae in nominis Gallici invidiam inſtituta. Res in Friſia a Jo. Bapt. Taxi geſtae. *Viciſſim a M. Schenkio, qui Venloam tenebat, Hiſpani caeſi.* II. Leiceſtrius in Zelandiam et Bataviam magno comitatu deſcendit, ubique ab Ordinibus regia magnificentia exceptus. Ei ſumma armorum, terra marique belli gerendi, aerarii diſpenſandi, poteſtas facta. Mauritius Naſſovius et Hohenlous comes in ejus verba adacti. *Aegre tuliſſe tantam poteſtatem Leiceſtrio factam voluit videri Eliſabetha, eaque de re per legatos expoſtulavit : ſed ab Ordinibus poſtremo placatur.* III. Res ſevere a Leiceſtrio ordinantur, *negotiationibus per menſarios prohibitis : quod tandem remiſſum.* Edicta ad reprimendam praedandi licentiam ab Eliſabetha facta. IV. Tolbiacum in Ubiis a M. Schenkio fruſtra tentatum. Loci origo et celebritas. Werla in Weſtfalia capta ac direpta, *ſuperveniente Altapennio ab arcis obſidione Schenkius abſcedit.* Hiſpani poſt trimeſtrem obſidionem ad Graviam caeſi. Gravia tandem *ſuperveniente Parmenſi* dedita. *Hemertus et alii duo, qui locum dediderant, Leiceſtrii juſſu ſupplicio adfecti.* Ad Venloam dein verſa vis, quae et tandem Parmenſi deditur. *Annona a Parmenſi in regias civitates comportari juſſa a Bergopſomenſibus intercepta, et caeſi auxiliares milites. Mercatores item ad nundinas Coloniam tendentes ſpoliantur.* Parmenſis Noveſium ducit, et oppidum vi capit ac *crudeliter* diripit, *Cloeto in eo ſauciato capto, et laqueo, ob violatas a praeſidiariis ſummo Parmenſis periculo inducias, cum aliis ſtrangulato. Loca circumpoſita capta.* V. Leiceſtrius in Batavia delectus facit, ut, in Flandriam

driam impreſſione facta, Parmenſem, qui Noveſium obſidebat, domum revocet. Tom. IV.
Mauritius Naſſovius in Pleumoſios deſcendit, ut Neuſam obſidione liberet. Sidneius Axelam citra ſanguinem in Flandria capit. Ad Hulſtam et Gravelingam irritus conatus. Druſiburgum in Zutfanienſi agro a Leiceſtrio captum. Ad Zutfaniam poſita caſtra. Acriter certatur juxta Warusfeldium pagum *deteriore Philippicorum conditione, ſed victoriam obſcurante Philippi Sidneii caede. Captis circum praeſidiis et Venloa liberata Leiceſtrius a Zutfaniae obſidione diſcedit.* VI. *Inde* ipſi cum Ordinibus publicam adminiſtrationem pertaeſis contentiones, *utrique poſtremo detrimentoſae.* Ipſe in Angliam ob motus exortos tranſmittit. VII. *Apud nos* Meduanius in Aquitaniam *cum exercitu* profectus *cum Matignono provinciae praeſide de belli gerendi ratione conſultat. Diſſidentibus belli ducibus copiae dividuntur. Meduanius per Petrocorios ducit, dum Turenius interim in Vaſatenſi et Aginnenſi agro rem gereret. Veſera ad Terraſſonem tranſmiſſa. Ad Montiniacum poſita a Meduanio caſtra: oppido impetu capto arx ſtatim dedita. Ad Criſſeum tranſmiſſus Duranius. Ad Geniacum reſiſtere auſi ſuſpendio necati. Capta plura loca in Turenia ditione.* VIII. Ejus deſcriptio, origines, immunitas, et ad Turrianam gentem per adfinitates jus devolutum. IX. *Montalbano* Navarrus, *dum copias cogit,* ad ſacrum ordinem dat literas *expoſtulationis plenas*: item ad nobilitatem, et ad tertium, quem vulgo vocant, ordinem, ſeu popularem; *quibus univerſos et ſingulos, omiſſa belli, quae ab hoſtibus regni ſuggerebatur, ratione, ad pacis conſilia hortabatur. Matignoni ad Caſtellum irrita obſidio. Meduanius cum coeli injuria conflictatur. Crebrae utrinque velitationes.* Roianum in aeſtuario Garumnae a Plaſſaco, *qui Pontium in Santonibus tenebat,* interceptum; *quod Navarro ad res gerendas poſtea magnum momentum attulit, telonaeo loci beneficio inſtituto, quod illi* CC *aureorum* CIↃ *ad belli ſumptus ſuſtinendos ſubminiſtrabat.* X. Condaeus ex Anglia Rupellam redit, et Dampetram in Pictonibus capit, *et paulo poſt Talliaburgi Carlotam Catharinam Tremolliam in uxorem ducit.* Subiza et Mornacum in proximo caſtella a Vido Lavallo recepta; et eodem tempore Alnetum, Monde-viſium, et Chizaecum ad Botonam in fidem a Condaeo accepta. *A Ranguio Saſatum interceptum, et mox Malicornio deditum. Uliarus inſula a Sanlucio tentata.* XI. Cruenta Condaei in Tiercellina legione caedenda in Mediolani Santonum conſpectu victoria, *quae illuſtriſſimam Lavallorum familiam paene jam tum evertit.* Renati Roani Rupellae *ex animi moerore* deceſſus. *Matignonus ad Caſtelli obſidionem redit. Cujus capti ſeu dediti gloriam ei Meduanius eripuit, tacitis cum Joanne Fabato loci domino initis de deditione conditionibus. Baſiliae-fanum a Meduanio obſeſſum et deditum. Ad* Monſegurium *in Vaſatenſi agro poſita caſtra aegrotante Meduanio; quod poſt acrem verberationem Matignono* deditur. *Leges ſeditione exorta non ſervatae, et dedititii partim caeſi partim ſpoliati ſunt.* XII. Haud obſcurum Meduanii et Matignoni diſſidium. XIII. Navarrus Rupellam venit, et Maranum munit; *ad quod ſub id Bironus caſtra ponit. Ejus ſitus et propter paludes circumpoſitas difficilis acceſſus.* XIV. Subductus a Birono, conditionibus cum Navarro conventis, a Marano exercitus, ob proximum reginae, condicto cum Navarro colloquio, adventum. XV. Meduanius cum Matignono Caſtellionem ad Duranium obſidione cingit, *quam ſpe diuturniorem expertus eſt.* Locus *tandem* conditionibus certis deditus, quae praeſidiarios ſpectabant. *Oppidani, quod dotale id uxoris erat patrimonium, arbitrio Meduanii permiſſi, quorum bona militi in praedam ceſſerunt: quidam Burdigalam ducti et ſupplicio adfecti. Inde ſcriptis inter belli duces certatum, dum moram et inutiliter conſumpti temporis et pecuniae culpam alter in alterum rejicit.* XVI. Annam Caumontiam, Carancio principi prius nuptam, Meduanius ſecum abducit. Carancii cum Carolo Birono duellum. XVII. In Campaniae limite Donzium, Bullionicae ditionis oppidum, Guiſius *per A. Sanpaulum non citra ſanguinem* in poteſtatem redigit. Novum edictum contra Proteſtanteis a rege conditum, *quo apud plebem a foederatis corruptam ſe purgaret, quaſi iis et Navarro in occulto faveret.* XVIII. Annas Jouſa cum exercitu in Velaunos, Gabalos, et Rutenos miſſus. XIX. Philippus Altovitus Engoliſmenſi Provinciae praeſidi *ob criminationes ſecretas* inviſus, ab ipſo confoditur

Tom. IV.

Aquis Sextiis, et confoſſus ipſum lethali vulnere ſauciat. Ei in praefectura Eſpernonius ſuffectus, et exercitus ipſi, ut et Jouſae, attributus. XXVII edicta fiſcalia in belli ſumptus *rege in juſtitiae lectiſternio ſedente Lutetiae magno omnium Ordinum fremitu* XV *Kal. Quintil.* promulgata. Helvetiorum ad regem de pace legatio. Rex Lugdunum uſque procedit, *ut inde armis Jouſae et Eſpernonii propior favorem aſpiraret.* Germaniae principum pro pace legatio. Collatio Montis-Pelicardi inter Auguſtanae et Helveticae Genevenſiſque confeſſionis ſocios habita, nullo concordiae inter partes exitu. *Regis ſocors et in rerum nihili impenſis immodicum ingenium.* XX. Malezium in Gabalis a Jouſa captum, VII *ex ducibus in furcam actis.* Gabali ad epiſcopum Mimatenſem pertinent. *Durandus epiſcopus cum Philippo Pulchro de pariatu tranſigit Lutetiae anno ſalutis* CIƆ CCCVI. Marologium a Jouſa obſeſſum, et *poſt pulſationem arbitrio Jouſae* deditum. *Direptum oppidum, nec fides ſincere ſervata dedititiis. Poſt praedam quod ſupererat ignis unde immiſſus incertum abſumpſit.* Inde ad Petram pulſatio *praeter ſpem* directa, quae poſtremo victoris arbitrio dedita eſt, *praefecto Mimatenſibus, quibus multum damni dederat, tradito, qui de eo ſupplicium ſumpſerunt. Inde* ad Salvaniacum caſtra poſita in Rutenis, *ſenatus Toloſani rogatu*; quod et tandem deditum eſt.

## LIB. LXXXVI.

CIƆ IƆLXXXVI.

Henricus III.

REx Lugduno veniens legatos Germaniae principum, *quos ſe expectare Lutetiae juſſerat,* audit. *Offenſus horrida libertate repoſcentium fidem datam ſcripto acerbitatis pleno ad eos miſſo* male habitos a ſe dimittit. II. Ad Orcanum foederati conveniunt, et *regem in hoc bello praevaricari cauſati etiam eo inſcio nec jubente* arma capienda decernunt ad Jametium et Sedanum in poteſtatem redigenda. Rupes-regia, Guiſii aſtu intercepta, armis capiendis occaſionem praebet. *Ea recepta Guiſius, qui jam Donzium tenebat, Bullionii ditionem ſumptis armis invadit, et Raucuriam capit.* III. Anglicus orator *ab Eliſabetha miſſus* ſententiam contra Mariam Scotam latam, et probationes conjurationis initae, ad regem adfert. IV. Franc. Brito homo emota mente *ſcriptum ad ſeditionem ciendam huc illuc per regnum diſcurſans publicat:* captus et ad mortem a ſenatu *ad exemplum, ſed ſpe veniae a principe impetrandae,* damnatur; *quam tamen minime impetravit, ſuſpendio necatus.* V. Franc. Bonae Diguierii in Allobrogibus Gelaſiae-fanum et Mirabellum in poteſtatem veniunt. Ad ſolvendam Alemanii obſidionem cum delectis ducit Diguierius, et Vincianos caedit ſine certamine, ingenti ſtrage edita. *Victoriam funeſtam fecit Alemanii domini, cujus rogatu expeditio ſuſcepta fuerat, in conflictu occubitus. Uxoris Alemanii et in ſuſtinenda obſidione virilis animus et in viri morte conſtantia.* VI. Eſpernonius in Provinciam cum exercitu venit. Caturigum civitatem, *quam ſuperiore anno ceperat Diguierius et poſt recentem ſtragem muniverat, Kal. Novembrib.* obſidet. *Magna turris admotis tormentis deditur, Dominico Vico in ea obſidione graviter in crure violato. Dedititii ſevere habiti. Brealta arx ſtatim, ſed aequioribus conditionibus, dedita. Tandem* Caturigum civitas conditionibus *Ebroduni, ubi Diguierius erat, per Bricomotium* conventis, *quibus et oppidanis proſpectum,* deditur. Induciae cum Provinciae Comitatenſibus, interventu Henrici Momorantii, a Diguierio prorogatae. VII. Regina parens Pictavium ad condictum cum Navarro colloquium venit: ad Brixii-fanum, *haud longe a Cognaco,* locus condicitur. *Colloquio ſemel atque iterum repetito* res inter querimonias et mutuas *de obfirmata ad perniciem hinc mente, hinc fide violata,* exprobrationes tranſacta. Tandem propoſitis ad famam neque tamen pactis induciis, colloquium ſolvitur. Miſſi continuo a Navarro in Germaniam, qui, *induciarum famae ſeu vanitate ſeu fraude demonſtrata,* auxiliareis urgerent. VIII. Conjurationes in Anglia contra Eliſabetham Mariae Scotae cauſa initae; *quae in ipſius caput poſtremo reciderunt.* Varia Mariae fortuna, et, poſt mortem alterius mariti, calamitates. *Conjurationem de ea liberanda Thomae Howardi Norfolcii et Gul. Parrii de Eliſabetha occidenda Antonii Babingtoni ultima excepit, et miſeram captivam*

*poſtremo*

*poſtremo obruit. A Ballardo e ſodalitio Jeſuitico ſacerdote Babingtonus ad facinus patrandum incenditur, inſtante apud Philippum Pageto, ut Hiſpanae copiae patrato facinore praeſto eſſent. Dies dicta ad S. Bartholomaei feſtum apud nos Pariſienſi intemperie memorabile. Comprehenſi re detecta Babingtonus et Ballardus in arcem Fotheringhaiam, ubi Maria cuſtodiebatur, ducuntur.* IX. Delegati ad arcem Fotheringhaiam miſſi: *poſt proteſtationes a Maria interpoſitas et inficiationes, prolatis a Gul. Cecilio amanuenſium ſuorum chirographis et Babingtoni ipſius literis, conventus diſſolvitur.* X. Re a delegatis Londini coram cccc judicibus agitata, et examinatis probationibus, Maria tanquam perduellis ad mortem damnatur. *Sententia, quantumvis inſtantibus ordinibus ut executioni mandaretur, ab Eliſabetha dilata.* Miſſi in Franciam et Scotiam legati. XI. Pomponius Bellevreus a rege miſſus luculentam pro Maria orationem ad Anglam habuit, *refutato imprimis et acerbe exagitato Conradini exemplo. Dein propoſitae a legatis, nam Martinus Scoti nomine aderat, conditiones, quibus libertati reſtituta Scota Eliſabethae ſecuritati conſuleretur: quibus uno verbo reſponſum, nihil cautiones et hujuſmodi fidejuſſiones reginae mortuae profuturas.* XII. Conſcii numero xiv extremo ſupplicio adfecti. *Facta ſpes Babingtono Eliſabetha occiſa de Mariae matrimonio.* XIII. Promulgata, inſtantibus Ordinibus, in Mariam ſententia; tandem et ſubſcripta, *ſed non appoſito executionis die. Davidſonus ſupremi ſigilli auctoritate firmata acta in ſenatum adfert, et inconſulta Eliſabetha per R. Bealum ad Salopiae et Cantii comites, qui Fotheringhaiae erant, ad maturandam executionem perferenda curat.* Mariae ſumma conſtantia, et in religione majorum perſeverantia, *et noviſſima mandata ad filium perferenda Melvino data. Ad nuncium Londinum perlatum accenſi ignes in laetitiae ſignum injuſſu magiſtratus.* XIV. Eliſabetha dolorem ex eo prae ſe fert, lugubria ſumit, *et Davidſonum ab aula relegat, neque poſtea revocavit.* Magnificae exequiae Mariae decretae. XV. Apologia ad eluendam judicii invidiam pro Eliſabetha publicata; *qua Mariae facta cum Joannae Neapolitanae et Licinii cauſa comparantur, et majore clementia et aequitate ab Eliſabetha cum Maria, quam aut a Conſtantino imperatore cum Licinio aut a Carolo Andino cum Joanna, actum ſcripti auctor contendit. Alia itidem exempla in eandem rem cumulata. Secretis et extremis tabulis Philippus Angliae et Scotiae rex a Maria nominatur, quod ex Rogerii Tritonii abbatis Pinarolii fide refertur.* XVI. Apud nos ea res varie accepta: *qui dum cognatam reginam in libertatem aſſerere cupiebant, ei exitium maturaverant, invidiam in regis ſecuritatem ſeu tergiverſationem rejiciunt.* Exequiae in majore urbis templo Lutetiae regia pompa celebratae. *Oratione a Bituricenſi archiepiſcopo habita, laudati Guiſii, non ſine regis livore, qui ab eo tempore ſibi anxie timere coepit.* XVII. Urbanae conjurationis initia et progreſſus. *Conſcii ſuperſtites, qui poſtea ei nomen dederunt: ad eam incentiva a Menevilla addita, et calumnioſi rumores artificioſe per plebem ſparſi: per confeſſiones et in arcano faces credulis animis ſubjectae.* Jo. Franciſci Mauroceni cardinalis aequitas, et a factionibus pernicioſis alienus animus. *Supplicationes in regno vagae per homines ſubornatos.* XVIII. A Pariſienſibus ſeditioſis crebrae ad alias urbes ad ſeditionem ciendam nunciorum miſſitationes, *Bernardino Mendoza Philippico oratore, qui res in Anglia miſcuerat, ſocias operas commodante.* XIX. Occultus de Bononia in Morinis intercipienda, *ut claſſi Hiſpanae recipiendae inſerviret,* conatus. *Multa in invidiam Eſpernonii ſermonibus et libellis jactata.* XX. Nicolaus Polinius, qui coitionibus urbanis *cum Jo. Clerico Buſſio et aliis* participaverat, quae inter conjuratos dietim agebantur ad regem per Cevernium cancellarium defert: *ejuſque delatione factum, ut et conatus contra Bononiam irritus ceciderit, et inſidiae regi ipſi in urbe ſtructae exitum non habuerint.* Foederati *de venia regis, quem tam graviter offenderant, deſperantes,* Guiſium Auguſta Sueſſionum in urbem repetitis nunciis evocant. XXI. *Sub id* Meduanius, ex Aquitania *quaſi triumphata* reverſus, ſe factioſis ducem neceſſitate adactus praebet; *Morlerium ob ſecretas coitiones a praefecto mercatorum carceri mancipatum, ignaviae eorum qui circa regem erant, plus quam viribus ſuis confiſus, liberandum ſuſcipit.* Ultima factioſorum in urbe contra regem conjuratio itidem per Polinium detecta.

CIↃIↃLXXXVII.

 tecta. XXII. Guiſius, intempeſtivi motus ratione, cum Pariſienſibus per Menevillam expoſtulat, ac vix tandem placatur.

## LIB. LXXXVII.

CIↃ IↃ LXXXVII.

Henricus III.

Guisius, dum in limite Campaniae bellum gerit, a Bullionio paene opprimitur. *Robertus Thinus Schelandrius, qui Jametium tenebat, caſtella a Valdemontio cardinali circum exſtructa capit. Villa Franca fruſtra a Bullionio tentata. Irritus et viciſſim ad Deſiderii-fanum Caronii conatus.* Valdemontii cardinalis, *qui in foedere ſe Borbonii cardinalis pro vicario gerebat,* deceſſus. II. Navarrus, *ubi a colloquio cum regina Rupellam venit,* Turenium in Petrocorios mittit. Caſtellio ad Duranium, *qui tot menſium et hominum jactura Meduanio conſtiterat,* nocturno conatu a Turenio interceptus. Navarrus Chiſaeum, Saſaeum, Maxentii-fanum, Fontenaium et Mauleonum, eodem ſucceſſu capit. III. Jouſa cum exercitu in Pictones deſcendit, et Proteſtanteis *ſecurius agenteis* ad Eligii-fanum *crudeliter* caedit. Captum et Maxentii-fanum, *et militi in praedam renuentibus belli ducibus conceſſum.* Tona ad Carantonum capta; *et Pulliani in proximo immaniter caeſi.* Maleacum receptum. Diſcedente ab exercitu in aulam Jouſa, Navarrus recedenteis inſequitur uſque ad Haiam in Turonibus; *ubi levibus cum Lavardino proeliis conſertis Alenium ex Arelatenſi nobilitate, qui Caſtellionem tutatus fuerat, et Belgicis expeditionibus bello clarum ducem, amiſit; et pontem Monſorelli ad Ligerim ſternit.* IV. Henricus Buchagii comes Jouſae frater *amiſſa Catharina uxore vitae aulicae pertaeſus* in patrum Capucinorum coenobio cilicium ſumit. *Eſpernonius Margaritam a Fuxo Candalam illuſtriſſimae ac potentiſſimae familiae heredem in uxorem ducit.* V. Jouſa *deſperabundus* ad exercitum revolat. Sueſſio ad Navarrum fratrem patruelem tranſit *a Turenio ad Monſorellum exceptus.* VI. Pugna ad Cutracum. Loci ſitus, et utriuſque aciei ordo. Navarrus vincit *exiguo ſuorum damno et magna regiorum ſtrage, ex quibus bis mille perierunt, et in iis plerique procerum. Capti et complures, quos erga* ſumma humanitate victor uſus eſt. Jouſa ipſe et Sanſalvatorius frater deſiderati, *et in hoſpitium ubi prandium ſumpſit Navarrus illati. Tanta victoria non utique uſus eſt aut uti potuit Navarrus, dilabente a ſignis onuſto praeda milite et voluntaria nobilitate in ſuas domos concedente. Ipſe Navarrus retro Pavium ad ſororem profectus eſt, Condaeo Ligerim contra petendum et auxiliaribus Germanis in eo occurrendum cenſente. Turenius interim, ne nihil ageret, Sarlatum fruſtra obſidet.* VII. Auxiliaris exercitus, VIII CIↃ equitum et XX CIↃ peditum, in campos Argentinenſeis ad diribitorium deſcendit VIII Kalendas Septembreis, duce Fabiano a Donavio *libero Boruſſiae barone*; cui attributus a Jo. Caſimiro Michael Huguerius. Summus imperator a Navarro nominatus Guil. Robertus Marcianus Bullionii dux; *qui Sedano profectus venientibus occurrit, cum bis mille peditibus Gallis et* CCC *equitibus. Donavio a Caeſare mandatum, ut expeditionem omitteret. Ad edictum Caeſareum generoſum reſponſum.* VIII. Lotharingiae dux, *qui foederi nomen dederat,* ad defenſionem ſe parat. Rex cum Guiſio in Meldis collocutus non ſine acerbitatis ſenſu ab eo diſcedit, *parte tamen exercitus ei commiſſa, et altera ſibi ſervata, cum qua Ligeris tranſitus inſedit.* Germani Vogeſum ſuperant et ad Saleburgum caſtra ponunt, *et inde Blamontium ducunt. Guiſius fani Nicolai municipium tuendum ſuſcipit. Primus error auxiliarium, quod non in Lotharingia bellum duxerint, ſed ei parcentes e veſtigio in Galliam penetraverint. Ad S. Vincentii pontem Cl. Caſtreus ſummus caſtrorum praefectus praemittitur, et ulterius provectus Guiſius periclitatur. Germani, amiſſa pugnandi eo die occaſione, fruſtra eam poſtridie quaerunt.* De itinere inter auxiliares diſſidium. IX. Ad Griſellam Caſtellionaeus *longo et difficili itinere* cum delectis copiis venit. Ligerim petendum duces decernunt. *Claravallenſe coenobium ſe pecunia a direptione et incendio redimit. Ad Caſtellionem ad Sequanam eruptione a Caſtreo facta acriter pugnatum. Tranſmiſſo Sequana ad Igonnam ventum.*

*Ibi*

*Ibi Marcianus comes Bullionii frater deceſſit. Germani contra Guitrium caſtrorum praefectum ob hoſpitia incommoda quiritantes.* X. Seditio Lutetiae excitata ad opprimendum regem; qua *ſegni patientia* compreſſa ad exercitum Genabum venit, *et vada ſervanda Nivernio committit.* XI. Monglaſſius a Navarro miſſus, ut vada monſtraret, fruſtra fuit. Reflexo per Belſiam itinere inter tres exercitus infeſtos Germani magno errore incedunt. Ad Vimorium nocturna pugna utrinque minime incruenta. *Caſtrum Nantonis deditum. Ad Montargirium periculoſus Caſtellionaei conatus.* XII. Helvetii auxiliares ad regem mittunt, et a Nivernio moniti conditiones accipiunt. Franciſcus Borbonius Contii princeps in Germanorum caſtra venit. XIII. Ad Alnetum Donavius inſigni clade adfectus, *primum ex inſidiis incumbente Caſtreo, et poſtridie eruptione per arcem in Germanos equites, qui in municipio hoſpitium habebant, a Sanpaulo et aliis legionum tribunis facta.* Hoc caſu territi Helvetii cum Eſpernonio *juxta conditiones a Nivernio, qui tunc ex lapſu crure fracto decumbebat, dictas* tranſigunt. Ad Genabum recedentes Germani a regiis iterum caeſi. XIV. In Morvano pago *Cormuntii captivi interventu* cum Germanis *per Eſpernonium* de conditionibus *ut prius cum Helvetiis* agitur, et *ubi in Matiſconenſem agrum deſcenderunt* poſtremo tranſigitur, *contra pugnante Caſtellionaeo, qui cum ſuis ſumma virtute in Septimaniam, unde venerat, perruptis Mandeloti inſidiis ſe recepit. Donavius, effuſis per Montem-Pelicardicam ditionem Lotharingicis, praeter regis voluntatem, graviter infeſtatus, et populares inaudita ſaevitia ac libidine vexati. Inde graves Wirtembergici adverſus Lotharingiae ducem querimoniae, quae paulum ab armis abfuerunt.* Bullionius aeger Genevam concedit, ubi ultimam vitae diem clauſit. XV. Confuſe in ea expeditione acta omnia. *Cum quererentur utrinque belli duces, convenerat, ut querelae ſilentio ſepelirentur. Sed Donavius, ut ſe per Germaniam purgaret, non ſtetit pactis, et ſcriptum nundinis exeuntibus, ne ad illud reſponderi poſſet, Francofurti publicavit, quo invidiam ſucceſſuum a ſe amoliebatur, et culpam in Gallos diſſidenteis rejiciebat : ad quod nihilominus tanta celeritate a Jac. Bongarſio reſponſum fuit, ut eodem tempore utrumque ſcriptum per manus hominum volitaret.* XVI. Miſera regis inter hos ſucceſſus et ſiniſtros contra ipſum a factioſis ſparſos rumores conditio, ſimul et cunctatio.

Tom. IV.

## LIB. LXXXVIII.

CIƆ IƆ LXXXVII.

Henricus III.

Diguierii in Allobrogibus res geſtae. *Campi, Ventrolium deditum. Saltus praeſidiarii excurrentes male mulctati. Pons-Cometus et Monaſterium capta*; *item Merindolium, Scalerium, Juncarium capta. Inter haec Montelium Adaemari a Sanferreolio et Ancono interceptum. Nuncio a Diguierio, dum Vivi eſſet, accepto, Poetus arcis praefectus eo revolat : et cum confuſe a nobilitate foederata, quae cum Suſae comite huc illuc confluxerat, agerentur omnia, eruptione ab arcis praeſidiariis facta tandem regii opprimuntur, edita ingenti ſtrage. Bis mille occiſi, et in iis Suſae comes, Anconus, Podius Sammartinus, alii: capti item plerique.* II. Helvetii auxiliares, qui in Allobroges venerant, a Bernardo Valeta Eſpernonii fratre caeſi; *quo in certamine praecipua laus Alfonſi Ornani fuit. Capta* IX *ſigna et ad regem miſſa. Giraldus Aemarius comitis Griniani filius ad Diguierium tranſit.* Monaſterienſis arx a Brigantionis praeſidiariis capta; et tandem Queracenſis arx. *Diguierii in morte unici filii conſtantia et nunquam intermiſſa belli cura.* III. Gotardi Ketleri Curlandiae ducis, Gulielmi Gonzagae ducis Mantuae, Franciſci magni Etruriae ducis, deceſſus. IV. Literis clarorum virorum, Eliae Vineti, Jacobi Skekii, Joannis Wigandi, Germani Valentis Guelii Aureliani epiſcopi, Jacobi Pamelii, Jacobi Mangoti filii fiſci in ſenatu patroni, obitus. V. In Belgio res inter Leiceſtrium et Hohenloum comitem et Ordines agitur. *Edvardus Norriſius ad certamen Hohenloum comitem ex morbo decumbentem provocat.* Parmenſis Wouam, Marcantio prodente, capit. Geldria item civitas a Cl. Barlemontio Altapennio recipitur. VI. Willelmus Stanleius ad partes Philippi tranſit, *et Daventriam Jo. Bapt. Taxis in manus tradit.*

TOM. IV. *tradit.* Rolandi Eboracenſis itidem defectio. Willelmus Ruſſellus Bedfordiae comitis filius, *poſt Sidneii mortem Vliſſingae ab Eliſabetha impoſitus,* cum Walacriae praefecturam *tanquam annexam* ambiret, ab Ordinibus fert repulſam, omniaque ex illa occaſione in Zelandia turbat. VII. Delegati ab Eliſabetha res in Batavia ordinant. Per Leiceſtrii abſentiam ſumma rerum Mauritio Naſſovio commiſſa. VIII. Scriptum Ordinum ad Leiceſtrium expoſtulationis plenum; *quo et rem Belgicam ut apud reginam commendatam habeat, rogant, et tuti itineris et commeatus literarum onus deprecantur.* IX. Magna in Belgio ac Flandria praecipue inedia, caritas, et vaſtitas, *ita ut lupis famelicis urbes paterent.* C *amplius homines ſeu pueri circa Gandavum devorati. Famem morbi, ut fit, ſecuti.* Parmenſis, *provincia paulum levata,* Brugas cum exercitu venit. X. Poſita ad Sluſas caſtra. *Blankenberga inter Oſtendam et Sluſas Jacobi Meieri rerum Flandricarum ſcriptoris ortu nobilis.* XI. Leiceſtrius in Belgium venit. Ad Engelemum, *quod propterea Crepacordii nomine deinceps indigitatum fuit,* Altapennius cum ſuis caeſus. *Ad Sluſas magna vi res geſta*; XLV *ordinum ductores in obſidione deſiderati. Tandem* urbs *admodum honorificis conditionibus, cum Leiceſtrius fruſtra ſuppetias introducere tentaſſet,* Parmenſi deditur. XII. Leiceſtrius Dordracum venit. Simultates inter eum et Ordines in aperta odia evadunt. Plebs Leiceſtrio favet. XIII. *Ordines publice declarant, abdicato ſemel Philippo, omnem ſupremam et abſolutam auctoritatem in ſe tranſlatam eſſe, libera armorum terra marique, quantum ad diſciplinam et expeditiones ſuſcipiendas attinet, penes Leiceſtrium manente poteſtate, qualis Caroli* V *temporibus penes Mariam reginam ſororem, Sabaudum, Margaritam Parmenſem fuit.* Scripta ultro citroque inter ipſos commutata, *et tentata Hohenloi comitis cum Leiceſtrio conciliatio interventu Ordinum; qui, ut Leiceſtrio ſacramentum dicat, ab ipſo minime impetrare potuerunt. Et quia* CC *florenorum* CIↃ *in ſingulos menſes non ſuffectura dixerat Leiceſtrius, proindeque ſi non haberent Ordines unde belli ſumptibus in poſterum ſatisfacerent, mature illis de pace cum Hiſpanis agendum, nec opus eſſe ut Eliſabetha in hoc bello diutius ſe ſumptibus inutilibus vexet, eam ſummam ſufficere et Arauſionenſis tempore ſuffeciſſe demonſtrant; et inſuper, alio ſcripto ex communi civitatum Bataviae, Zelandiae, et Friſiae deliberatione publicato, antiquitatem gentis et principum ſuorum a primis initiis repetunt, et nobilitatis ac civitatum in adminiſtratione publica et in jurejurando auctoritatem demonſtrant.* XIV. De pace cum Hiſpano Friderici regis Daniae interventu, ex conſilio Eliſabethae, ſed inſciis Ordinibus, actum. *Qua de re cum Caius Ratzovius ex Hiſpania rediens in itinere a Bergoſomenſibus praeſidiariis ſpoliatus ad Ordines Hagae retuliſſet, illi ſe excuſaverunt, et, reſarcito utcunque damno, legatum quam potuerunt honorifice dimiſerunt. Quod ad animum revocans Fridericus, naveis Ordinum ad* IↃCCC *in faucibus ditionis ſuae naviganteis retinuit, nec niſi* XXX *talerorum* CIↃ *exſolutis dimiſit. Eliſabetha rurſus per legatos ſuos in comitiis Hagenſibus negotium pacis urget, a qua denuo ſe Ordines excuſant.* XV. Paſtores *publicae ſe adminiſtrationi immiſcentes* plebem contra magiſtratus incitant, *in Leiceſtrii gratiam.* Coitionis principium Ultrajecti factum; ubi captum conſilium de Lugduno *ope profeſſorum et juvenum rebus novis ſtudentium, qui magno numero operam literis ea in urbe navabant,* intercipiendo et Anglis tradendo. Re detecta *ab Andrea Schotto* comprehenſi *Nicolaus Maudius, cujus egregiam in Sluſis defendendis nuper operam Ordines experti fuerant, Coſmus Piſcaerengius et Jacobus Volmarus, qui* capite luerunt. *Adolfus Metkerkerus rei conſcius fuga ſibi conſuluit. Lambertus Danaeus, Hugo Donellus, Hadrianus Saravia profeſſores ſolum mutare juſſi.* Eliſabetha, *cum ſeveritatem Ordinum recenti adhuc Antuerpiani caſus memoria, qua erat aequitate, apud ſe excuſaſſet,* rem *quoque hoc rerum ſtatu* palam diſſimulavit, et *nihilominus* conſtantiam in foedere cum Ordinibus ſervavit, revocato mature e provincia Leiceſtrio; *cujus tamen dignitati datum, ut ſe ſponte praefectura abdicaſſe videretur.* Scriptum ea de re exeunte anno publicatum. *Meppela interim haud longe a Linga ab Adolfo Meurſii comite in Friſia capta et mox amiſſa.*

*M.*

*M. Schenkius Bonnam biduo ante natalem crepitaculis admotis capit.* XVI. Fran. Dracus, *qui ſuperiore anno per Indias Occidentaleis excurrerat,* hoc anno ad inſpiciendam claſſem Hiſpanam, quae contra Eliſabetham parabatur, miſſus, ad Luciferi-fanum in Baetis aeſtuario multas naveis deprimit. XVII. In Pannonia a noſtris proſpere contra Turcos geſta. Copanum *haud procul a Balatone lacu* cum magna praeda captum. Turci *ſupra Katzerolacum, uno a Caniſa milliari,* a Georgio Zerinio magna clade adfecti. *Captus Mahumetes Quinqueccleſienſis purpuratus, Alis pugna ad Echinadas interfecti filius, qui Copano nuper capto aufugerat.* XVIII. In Polonia Stephano mortuo ſciſſa ſtudiis comitia. *Leges ambitus renovatae. Sboroviorum factione actum, ut auctoritas et ſummum exercituum ducis imperium Zamoſcio, qui aberat, abrogaretur. Lithuani cum Polonis expoſtulant, et Boruſſi querimonias ſuas jungunt ; quorum poſtulata ad tempus ſuſpenſa. Rigenſes etiam auditi, confeſſionem Auguſtanam urgentes. Publica pax imperatur et promulgatur. Orator Pontificius auditus pro religionis cauſa palam verba facit ; in arcano Auſtrios ut Ordines commendatos haberent Pontificis nomine rogat. Iis Sborovii, qui Stephani tempore apud Caeſarem perfugium habuerant, ſtudebant. Septemviri Imperii principes et pro illis per legatos advocationis officio defuncti ſunt. Theodorus Moſcorum princeps legatos et miſit. Chriſtophori Tranſilvani Stephani fratris filii et ſuos miſerunt. De indigena ſeu Piaſto eligendo et in comitiis magna contentione actum :* ſed praecipuus fuit Sigiſmundi Joannis III Suecorum regis et Katharinae Jagellonicae filii favor ; *pro quo Ericus Sparre regni cancellarius et Ericus Brahe comes auditi ;* qui *et tandem* Zamoſcio annitente, *miſſis in ſuffragia epiſcopis et proceribus,* rex Poloniae renunciatur v Eid. Sextileis. Dein pridie Eidus Sextileis Sborovianorum factione in regem Maximilianus Auſtrius Caeſaris frater eligitur, *utramque electionem improbantibus Lithuanis.* Leges Maximiliano dictae, quas Olomuciae ille ratas habuit. Leges itidem Sueco datae ; *inter quas dura illa videbatur, ut Livoniae parte, quam occupabat, et magnis ſumptibus ac ſuorum ſanguine quaeſiverat, in Polonorum gratiam cederet. Pro ea vadimonium Anna regina conſtituit.* XIX. Tandem Sigiſmundus, *Zamoſcii, qui Cracoviam tenebat,* repetitis literis evocatus, *Joannis patris permiſſu* Gedanum venit, et ad Olivenſe coenobium ſolemni ſacramento adigitur, *proteſtatione de Livoniae parte, quam Sueci tenent, non cedenda prius interpoſita.* XX. Maximilianus, cum ſe in viam cum Sborovianis dediſſet, v a Cracovia milliaribus ſubſtitit. *Primo res utrinque literarum miſſitationibus, dein et velitationibus acta. Poſtremo* occurrente Zamoſcio *acriter* pugnatum, et victi Auſtriaci. XXI. Sigiſmundus Cracoviam regia pompa ingreditur ; et *poſt acerbam de Livonia inter regem et Zamoſcium contentionem, quae vix tandem in illud tempus dilata eſt, quo Sueciae regno potiretur,* inaugurationis ritus ſolita ceremonia peracti. XXII. Novus rex, *miſſis ad Caeſarem literis, belli, cujus neceſſitatem* CIƆIƆLXXXVIII. *deprecabatur, quaſi denunciatione facta,* copias inſtruit, quibus *cum ſummo imperio* Zamoſcius praeficitur. *Ad Vielunum ventum in Quadorum et regni finibus. Inde tranſmiſſis anguſtiis* ad Bitſinum acriter XI *Kal. Febr.* certatum, et ter mille Auſtriaci occiſi. Bitſinum eodem ſucceſſu a Zamoſcio captum, et in eo Maximilianus ipſe, *et multi proceres Poloni, et epiſcopi ; in quos* ſumma moderatione uſus eſt victor Zamoſcius, *et ejus exemplo novus rex.* XXIII. Pontifex Philippi interventu per Hippolytum Aldobrandinum cardinalem in Poloniam miſſum de Maximiliano libertati reſtituendo agit.

Tom. IV.

## LIB. LXXXIX.

CIƆIƆLXXXVIII.

Henricus III.

Missus contra Bonnam anno ſuperiore a Schenkio interceptam cum exercitu Carolus Croius Cimaci princeps, et obſidio Martio menſe coepta ; et poſt ſeptem menſes III Kal. Octob. deditio ab Othone Potiliſo facta. II. Negotium de pace cum Eliſabetha a Parmenſi urgetur, dum interim immanis illa claſſis apparatur. Reluctantur Ordines, et oblatas conditiones minime admittendas decernunt,

Tom. IV. decernunt, et per legatos *in Angliam miſſos multis rationibus, et recentibus Gandavi, Brugarum, Sellianae in Hiſpaniam legationis exemplis contra pugnant, et* ad bellum fortiter capeſſendum reginam hortantur. III. Tandem Borborgi inſtitutum colloquium inter Anglae et a Parmenſi miſſos delegatos, nullo exitu, *et Jacobo Crofto, qui conditiones quaſdam ſcriptis mandaverat, ubi in Angliam rediit, carceri mancipato.* IV. Theodori Sonoii cum Mauritio altercationes, et Medenblikenſium praeſidiariorum intemperies. *Idem aliis locis factitatum, reliquiis factionis Anglicanae, quae ſuperiore anno exſtirpata putabatur, paſſim repullulantibus.* V. Gertrudbergenſes deſperata gratia poſt ſeditionem Parmenſi locum tradunt. VI. Bedfordiae comitis filii Vliſſingae praepoſiti cum Ordinibus et Mauritio diſſidium. VII. Eliſabetha, de claſſis Hiſpanae eventu anxia, praefectis ſuis, ut ſe erga Ordines et Mauritium moderatius gerant, enixe mandat. VIII. Catalogus navium, ducum nomina, armorum genera, commeatus copia, et ordo claſſis : cui Lud. Peres Guſmanus Medinae Sidoniae dux delectus ſummus imperator. *SS. officii, hoc eſt Inquiſitionis, vicarius generalis claſſe vehebatur, cum circiter* C *ſive e ſodalitio Jeſuitico ſive ex Capucinis, et* IV *mendicantium ordinum collegiis.* IX. Edictum fulminatorium ſub id a pontifice conditum, quo, *poſt Pii* V *et Gregorii* XIII *diplomata,* Eliſabetham ut indignam regno, quod uſurpabat, ob crimina fuſe in eo enumerata *denuo* proſcribebat, et cuivis capiendam ad ſupplicium de ipſa ſumendum objiciebat, regni Anglicani omni jure in Philippum tranſlato. *Edicti executioni deſtinatus Gul. Alanus Lancaſtrenſis, ſub id in cardinalium collegium cooptatus, et in Belgium procedere juſſus.* X. Parmenſis, qui, claſſe in Angliam expoſita, ſummus armorum dux deſtinabatur, apparatus bellicus, qui fere navigiis planis conſtabat : cui oppoſita Ordinum claſſis duce Juſtino Naſſovio. XI. Bellici in Anglia apparatus, *eo tardiores, quod aliquam de pacis colloquio ſpem regina concepiſſet.* Carolus Howardus ſummae rerum praeerat, eique ſuffectus Franc. Dracus. XII. Primus conflictus pridie Kal. Sextil. *cum Hiſpanae naves Vectim et Plimmuthum praetervectae in Belgium ad conjungendum ſe cum Parmenſi tenderent, magno errore. Poſtridie Valdeſiana cum ipſo P. Valdeſio in Draci poteſtatem venit, nec non et Michaelis Oquendi ſemiambuſta praetoria.* IV. Non. Sextil. et acriter certatum, ſed Hiſpanorum ſemper deteriore conditione ; *et magna navis Veneta a Georgio Kennero expugnata.* Dein levibus excurſionibus, poſt et majore vi certatum, *et ipſe Jo. Martines Ricaldus Sidonii vicarius in media ſua claſſe oppugnatus ; quo in certamine Martinus Frobiſherus magnam laudem meruit. Parmenſis fruſtra Dunkerkam venit ; unde Gul. Stanleius cum* IↃCC *circiter Anglis, navigiis planis conſcenſis, in Angliam exſcenſionem facturi ſolverant.* XIII. Naves VIII, ut in obſidione Antuerpiana, materia ad ignem concipiendum et ejaculationem refertae, in mediam Hiſpanorum claſſem immiſſae. Praetoria triremis, qua Hugo Moncata vehebatur, oppugnata a *pinaſſis* Anglis ; et, cum ad Caletenſe litus illiſiſſet, capta ac direpta, ipſo Moncata interfecto. Mancipia Turcica et Africana a Gordano Caleti praefecto defenſa in terra Francia perfugium habuerunt et libertatem receperunt. *Aſculanus princeps nauſeabundus ex Sidonii praetoria ad Iccium portum exſcendit, et terreſtri itinere ad Parmenſem ſe contulit.* Ad Dunkerkam et ultra ab Anglis pugnatum, et IV magnae naves Hiſpanae amiſſae, et una minor ad Blancebergam. Claſſis de cetero vento diſſipata. *Angli* C *tantum toto illo tempore deſiderati. Amiſſae et* II *magnae naves in diſceſſu, utraque* IↃCCC *amphorarum capax.* XIV. Circumnavigata Britannia Sidonius, in freto Hibernico aliquandiu jactatus, in Cantabriam perrexit. *Ricaldus, qui cum* XVII *navibus remanſerat, amiſſis pleriſque e ſuis in poteſtatem inſulanorum devenit. Praetoria Cantabrica, qua M. Oquendus vehebatur,* CIↃ *amphorarum capax, cum omnibus vectoribus in eodem freto periit. In ſumma Hiſpani* XXXII *naveis amiſſas et* X *capitum* CIↃ *amiſſa, majorem numerum Angli et Belgae edunt. Quid Bern. Mendoza de ſumptu in claſſem illam facto regi dixerit. Sidonius* in Hiſpaniam reverſus a Philippi conſpectu juſſus abſtinet. Parmenſis et ob id culpatus. XV. Thomae Candiſhi triennalis navigatio. Juxta S. Sebaſtiani inſulam, atque adeo Deſiderii portum, canum marinorum ingens multitudo,

titudo, *foecunditas, ſpecies, caro ad eſum optima,* et *vivax* natura, *ut, niſi maſſarum ictibus capita conterantur, vix emoriantur. Aves item ſine alis cuniculorum inſtar terram fodientes.* Freti Magellanici enavigatio. Paitam, *quae Limae praefecturae ſubeſt,* civitatem capit, et *direptam* incendio delet. *Vaſtata Pruna inſula.* Aquatulica civitas, *haud longe a Quita promontorio* igne conſumpta. S. Annae praetoria navis rebus pretioſis onuſta poſt ſex horarum certamen *ad Californiae promontorium* capta et direpta. *Inde* ad Latronum et Philippinas inſulas ventum. *Philippinae et earum populi cum Aethiopibus et Chinenſibus commercium exercentes. Sanguelii, et eorum miri ingenii et pulchritudinis opificia. Mos clavum plumbeum in pueris pudendo inſerendi unde invaluerit.* Ad Javam majorem accedit Candiſhus. Regis in ea potentia ; et uxorum ingens numerus, *quae mortuo eo ſe gladio ſumma alacritate confodiunt.* Promontorio Bonae Spei ſuperato ad S. Helenae inſulam ventum ; et inde in Angliam incolumis eo anno pervenit. XVI. Parmenſis, de ſucceſſu claſſis, et quid de ſe Philippus ſentiret, anxius, revocatis copiis Tolenſem inſulam, *quam Georgius Eberardus Solmenſis comes defendebat,* irrito conatu tentat, CCCC ex ſuis amiſſis, *et vix e luto extricatis Octavio Mansfeldio et E. Lalanio Rantiaco.* Damnoſus item ad Bergas ad Somam conatus. Wactendonka in Sicambris a P. Erneſto Mansfeldio oppugnata et *poſt bimeſtrem obſidionem* deditione recepta. *Berkae item ad Rhenum admotae copiae.* Mauritius Naſſovius Verae in Walacria marchio ob rem bene geſtam creatur. XVII. Ultrajecti factio renovatur, *Gerardo Daventrienſi incentore.* Nuenarius eo *cum occultis* ab Ordinibus *mandatis* miſſus occaſione captata civitatem *oppidanorum benevolentia fretus* in poteſtatem redigit, et ſeditioſos pellit ; *pulſa factione civeis in patriam reſtituit. Tileborgi, haud longe a Silva-ducis, praeſidiarii obtruncantur.* XVIII. Cum Jo. Monlucio Balagnio Cameraci praefecto prorogatae a Parmenſi induciae. Telarum in ea urbe ingentis pretii opificium. XIX. R. Dudleii Leiceſtrii in Anglia obitus. Ejus genus, ingenium, fortuna, ſucceſſio. XX. Friderici II Daniae regis mors. Legatio Ordinum ad Chriſtianum IV heredem. XXI. Viri doctrina clari obierunt Joannes Wierus, Theodorus Zuingerus, Bernardinus Tileſius, Spero Speronius, Augerius Ferrerius, Joannes Auratus. Tom. IV.

## LIB. XC.

De anno octogeſimo octavo hujus ſaeculi, Jo. Regiomontani, Gaſp. Bruſchii Egrani, Joannis Stofleri praedictiones. Prodigia diverſis orbis partibus ; *quibus nullum magis dirum, quam Henoticum apud nos foedus, quod oſtento vir doctus comparavit, quod tempore Neronis factum narratur, cum in agro Marrucino olivetum publicam viam tranſgreſſum eſt, et in locum oliveti e veſtigio arva ſucceſſerunt* ; *nam foedere eo factum, ut Hiſpania in Franciam migraverit, et Galli in media Pariſiorum civitate ſuperbe inambulantem Celtiberum aſpexerint.* II. Gul. Roberti Bullionii ducis Carlota ſorore ſuperſtite deceſſus Genevae, et teſtamentum. Nuncio mortis allato Carolus Lotharingiae dux ad invadendam eam ditionem Franc. Lanovii curae commendatam vireis vertit. III. Jametii obſidio, et ad eam a Lotharingieis geſta. *Fruſtra miſſi a rege, qui ſequeſtrari locum peterent. Sedani eodem tempore obſidio redintegratur. Tandem oppidum deditum, arce penes Schelandrium manente.* Ab Arembergia de matrimonio Carlotae et comitis Valdemontii agitur. IV. Lanovius, *pro cujus libertate fidem interpoſuerat Lotharingiae dux, cum commiſſa fidei ſuae Bullionia ditione neceſſitatem illius tuendae ſibi impoſitam videret, ne quid contra decus ſuum facere videretur, ſi Lotharingico vim facienti vim contrariam opponeret, antequam ad arma deveniret,* ſcriptum evulgat, quo facti ſui rationem reddit. V. Conventus Nancii foederatorum et ejus capita ad regem allata et eluſa, *non ſine concionatorum et ſeditioſorum in urbe murmure.* VI. Cumulati in Eſpernonium poſt Jouſae mortem invidioſi honores, et cum Petro Eſpinaco archiepiſcopo Lugdunenſi cum verborum acerbitate contumelioſum coram rege diverbium ; cujus is exitus fuit, ut Lugdunenſis aperte ad Guiſii

CIↃIↃLXXXVIII.

Henricus III.

Tom. IV. partes ultionem quaerens defecerit. Libelli in Eſpernonium ſparſi ad regem invidia apud plebem onerandum; *et repoſita ex annalibus Anglicanis Petri Gaverſtoni Vaſconis hiſtoria, cujus odio Edvardus* II *in magnas ſe calamitates induerit. Cui ſcripto alio pari acerbitate retaliatum eſt, quo foeda archiepiſcopi vitia et Guiſii immoderata ambitio ſugillabantur.* Funebris pompa Jouſae cum effigie; *qui honos ſolis regibus et regum filiis ac magiſtro equitum apud nos habetur.* VII. Henrici Borbonii Condaei ſub id mors *incidit, ad Joannis Angeriaci-fanum* non ſine veneni ſuſpicione *extincti. Comprehenſi ob id domeſtici, et ex iis* Joannes Ancellinus *Brillaudius*; *qui lata ſententia* a quatuor equis diſcerptus *fuit.* Carlota Catharina Tremollia *uxor, quod variante Brillaudio nominata eſſet, ſiſtitur, et quia praegnans erat, quouſque peperiſſet, ſub cuſtodia retenta eſt. Acta contra eam facta, et rei perſecutio appellatione interpoſita a ſenatu Pariſienſi interpellata, quod id juris ſit regii ſanguinis principibus et Franciae paribus, eorumque uxoribus, quae radiis maritorum coruſcant, ut tantum in Pariſienſi ſenatu, quae curia parium dicitur, criminis poſtulati cauſam dicant.* Condaei ingenium, mores, fortuna ſemper adverſa. VIII. Hoc caſu erectis plebis animis factioſi, cum metus inceſſiſſet a rege *toties et* tam graviter offenſo, Guiſii adventum ad urbem urgent. Nova de rege et Eſpernonio opprimendis conſilia a Polinio detecta. Regis ad ea revincenda ſegnities et tarditas. IX. Pomp. Bellevreus Auguſtam Sueſſionum ad Guiſium miſſus, ut ejus ad urbem adventum miſeris precibus redimeret. Eſpernonius Rotomagum ad praefecturae novae poſſeſſionem capiendam profectus. Ultima conjuratio de rege capiendo, *ſparſa initio fama quaſi a Proteſtantibus captus eſſet, et Sueſſionem, quaſi in itinere a Guiſio receptus eſſet, abducendo*, itidem a Polinio detecta; *quae cum fruſtra fuiſſet, Brigardus a conjuratis ad Guiſium miſſus, ut Guiſii ad urbem adventum poſtremo obtineret, periculo ſuorum poſt tot detectos conatus demonſtrato.* X. Tandem Guiſius conjuratorum precibus perſuaſus ad urbem contra regis imperia venit, et ad regem a regina matre, *quae ipſi in occulto favebat*, introductus ſumma fiducia regem cunctatorem alloquitur. Auctis ſuſpicionibus duplicatae in urbe excubiae, et Helvetii *nocte quae* v *Eid. Maias ſecuta eſt* a Birono introducti; ſed tanta lentitudine adminiſtrata omnia, *urbanis tribunis aliiſque belli ducibus nihil movere juſſis*, ut factioſi Guiſio auctore ſatis temporis habuerint munitiones doliareis paſſim per vicos exſtruendi, et copias regias locis in quibus diſpoſitae erant poſtremo expellendi. XI. Guiſius ſub veſperam urbis potens cum ſuis excubias ordinavit, XII. Anglicani oratoris inter has turbas generoſum ad Briſſaci comitem reſponſum. XIII. Metu regi injecto neceſſitudinem urbis deſerendae poſtridie Guiſius impoſuit. Regifugium. XIV. Regina in urbe remanet rerum componendarum ſpe. Baſtilia in Guiſii manus a Laurentio Teſto traditur. Magiſtratus urbani abrogati et novi a Guiſio ſuffecti. XV. Rex Autricum Carnutum ſe confert. Inde miſſae ad provinciarum praefectos literae, quibus Lutetiae ſucceſſus ita narrabatur, ut, *dum motus culpa in Guiſium rejicitur*, in ignaviam regiorum res recideret. XVI. Contra has exultationis et victricis fortunae plenas publicat Guiſius. XVII. Et quatriduo poſt ebrii fortuna animi ad Baſſompetram dat literas. XVIII. Perſonatae Flagellantium ſe ſupplicationes Lutetia Autricum veniunt, ut religionis ſpecie foedus Pariſienſe in ipſa urbe, ad quam rex perfugium habuerat, per ſeditioſos ſubſcriberetur; et tamen a rege admiſſae.

## LIB. XCI.

CIƆIƆLXXXVIII.

Henricus III.

Missi a ſenatu ad regem inſtigante regina delegati; et edictum de revocandis aliis pleriſque promulgatum, *ſero poſt turbas ad aucupandam plebis praeoccupatae gratiam remedio.* Claudii Dorroni a rege in ſenatum miſſi oratio. II. Libellus contra Eſpernonium et Valetam fratrem in regis invidiam. Libellus Borbonii cardinalis, Guiſii, et aliorum nomine ſubſcriptus. III. Ad eum regis, *dum molliter et languide res geritur*, *haud validius* reſponſum. IV. Sub id et evulgatum

evulgatum pro Eſpernonio et Valeta ſcriptum, quo Guiſianorum ambitio acerbe perſtringebatur. V. Eſpernonius in aulam e Neuſtria reverſus ultro praefectura nuper donata cedit, quae ſtatim in Monpenſerium collata eſt. Inde, ut invidiae cederet, in Santones et Engoliſmenſem agrum cum ſummo imperio, *jam faſtidio ejus in animo regis ſubeunte,* proficiſcitur. VI. Delegati in provincias a rege miſſi, qui tumultus Pariſienſis eventum elevarent, et de comitiis regni ſpem facerent. Jac. Aug. Thuanus in Neuſtriam, quo rex concedere conſtituerat, praecedere jubetur. Franciſcopolis, *quae ab Andrea Brancatio Villario tenebatur, ſubminiſtrata a Pariſienſibus Henoticis pecunia,* ad Guiſium inclinat. VII. Auguſtobona Tricaſſium in Campania a Guiſio ſolicitata; ac tandem, Ludovico Guiſiano cardinali iterum accedente, plebis et factioſorum opera *per abſentiam Joachimi Dintevillae* in poteſtatem redacta, *et regiis ac urbanis in ea abdicatis magiſtratibus novi ſuffecti.* VIII. Villaregius *Vernonio, quo rex Rotomagum tendens venerat,* ad reginam matrem cum pleniſſimis de pace mandatis mittitur. Conditiones eaedem quae in Nanciano conventu propoſitae, ac inter alias de Tridentino concilio promulgando. Actum et de Aureliano ſecuritatis cauſa foederatis attribuendo; *de quo cum non aſſentirentur Balſaci Interamnates fratres provinciae praefecti, qui Guiſio primum addicti ad regis partes tunc inclinabant, res aliquandiu altercationibus extracta: tandem ſecretis pactis conceſſum Aurelianum; ita tamen ut Balſaci Dorlanum in Belgico limite, necnon rex ipſe, non autem Aurelianum conceſſum fuiſſe perſuaſum haberent.* IX. Miſſus interim in Picardiam Thuanus a rege cum literis ipſius propria manu ſcriptis, ut Abbatis-villam et Samarobrigam, quae nutabant, in fide confirmaret, *et Bellaforerium, qui Corbiam tenebat, promiſſorum memorem eſſe juberet.* X. Villaregius in aulam redit, dum rex ſpectaculis Rotomagi occuparetur; et, quoniam ſumma armorum praefectura in arcano promiſſa Guiſio fuerat, diplomatis exemplum etiam regi attulit. XI. Tandem conditum edictum Quintili menſe, *de Catholica religione aſſerenda et extirpanda peſte ſectaria S. Concilio Tridentino damnata,* quod Rotomagi mox promulgatum eſt, et ab Honorato Laurentio *in Aquenſi ſenatu fiſci patrono* Henotici titulo ſingulari libro laudatum. XII. *Quia autem jurejurando adacti principes et proceres ſubſcribere jubebantur, et rex aliis exemplo ſuo praeiverat,* Nivernius ſubſcribere juſſus aliquandiu ſubſtitit, quod eo Navarrus proximus regni heres a ſucceſſione excludi videretur: *qua de re cum regem monuiſſet, et nihilominus ut ſubſcriberet a rege juberetur,* tandem nec niſi repetitis juſſionibus *adactus* fidem cum aliis proceribus interpoſuit. XIII. Miſſi a Guiſio archiepiſcopus Lugdunenſis et Cl. Caſtreus, qui pro edicto gratias agerent, ceterum de dignitate aucta ipſum affectata modeſtia excuſarent, *et magiſtri Palatii plena poteſtate contentum eſſe oſtenderent.* Suſpicionis regis contra Villaregium ex eo et Aurelianenſi negotio origo nata. XIV. In Pictonibus Lavardinus *Maranum poſt diuturnam obſidionem tandem honeſtis conditionibus a Boſcodulio et Jarrio deditum in fidem accepit. Quod rurſus ſumma diligentia cinctum et ſolertia oppugnatum, capta prius Charronia inſula et circumpoſitis munitionibus, cum arce in Navarri poteſtatem venit, traditis ſignis, et Cluſello, qui loco praeerat, captivo manente; cui poſtea Navarrus libertatis gratiam fecit, modo ne contra regem militaret.* XV. In Provincia Arauſio irrito conatu a Suſae comite tentatus. Diguierii et irritus ad Gratianopolim conatus. Giera haud hinc procul munitione ab eo expugnata, *poſt aliquot utrinque diſcurſationes et leves conflictus, Diguierius* cum ſuis *clivum* Mauri-podium *vulgo dictum* Vapinco vicinum inſidet, et *tanta* celeritate, *equitibus ceſpites comportantibus,* munit, *ut Ciſtertione ſuperveniens ad diſturbanda opera Valeta fruſtra fuerit. Ad Vivum Carcilianus cum Morgianarum copiarum parte Diſemium caedit.* Jargium a Diguierio captum. *Stella item a Poeto capta, et Charpello in arcem ſe recipiente direpta.* Fanum-ſpiritus fruſtra tentatum. XVI. Valeta, ubi de edicto Juliano cognovit, *quod ſub id Gratianopolim, ut promulgaretur, allatum fuit,* et de Meduanio cum exercitu brevi in Allobroges venturo, ab Eſpernonio fratre monitus Eidib. Sextil. *Monmaurii interventu Guberneti* defenſionis et offenſionis foedus cum Diguierio icit. Interamnium in Venaſcinenſi comitatu a Blacono captum. Delphini caſtrum a Bricomotio item captum, *et Oſcenorum*

Tom. IV.

*norum municipium a Bellomontio munitum.* Oſceni tandem poſt arctam obſidionem dedente Bellomontio recepti. Viciſſim Ancona a Diguierio capta. XVII. Rex Rotomago in Carnutes deſcendit; et, auditis in itinere a ſenatu miſſis delegatis, *pro quibus verba fecit Barnabas Briſſonius praeſes, et Medontae ſalutata regina parente et uxore,* Autricum tendit; quo ſtatim cum regina matre, *quae Medonta Lutetiam redierat,* Guiſius ad eum venit. XVIII. Diploma de amplificata Guiſii dignitate a Villaregio factum; *quo magiſtri Palatii officio annexam magiſtri equitum functionem exercere jubebatur.* XIX. Novae ſuſpiciones ortae ex literis pontificiis ad cardinalem Borbonium et Guiſium, quem Machabaeis comparabat, ſcriptis, et Nivernii prudentibus monitis; qui, exercitui in Pictones mittendo ſummus dux deſtinatus, *literis, quae in conſiſtorio lectae ſunt, ſpecioſe ſcriptis* ſe a munere injuncto excuſavit. XX. Jura proximi regis agnati Borbonio cardinali ad turbandum legitimae ſucceſſionis ordinem Henoticis annitentibus attributa, et in ſenatu, cum diploma promulgaretur, in majus aucta.

## LIB. XCII.

CIↃ IↃ LXXXVIII.

Henricus III.

Audax contra Eſpernonium inita Engoliſmae conſpiratio. Origo ejus, et regis conſilium. *Perſuaſum fuerat in aula Eſpernonium deſperata regis gratia cum Navarro vireis et conſilia ſociaturum. Itaque periculo tot locorum munitorum, quae ille in poteſtate habebat, territus rex hominem in poteſtate habere conſultum exiſtimabat. Ubi Eſpernonius ad urbem venit, Suchetus conſulis ſororius, re cum aliquot provinciae proceribus ac nobilibus communicata, in aulam mittitur, qui de regis voluntate, quam mutatam intellexerant, certius cognoſceret: per Villaregium ad regem introductus cognoſcit id velle regem, ut Eſpernonium, quo pernicioſis ejus conſiliis praeverteretur, vivum ſiſterent, et ad ſe adducerent: quo intellecto, et re rurſus a Villaregio penſitata, ad ſuos revertitur, et ordo rei exequendae componitur.* II. Jo. Bordii Hoſſaei a Navarro ad Eſpernonium itationes. III. IV Eid. Sextil. factus a conjuratis ad arcem et caſtellum, in quo Eſpernonius erat, impetus, *cum uxor ad ſacrum audiendum abeſſet, et Bordius arcis praefectus ex compacto foris evocatus eſſet.* Summa virtus *uxoris a conjuratis comprehenſae,* et praeſentia animi in Eſpernonio; et *poſt* XXX *horas, quibus cibo obſeſſi abſtinuerant,* conjuratis e nobilitate urbe faceſſere juſſis, et gratia oppidanis facta, motus compreſſus; cujus culpam cum in Villaregium rejiceret Eſpernonius, et per literas apud regem de injuria expoſtularet, rex rei invidiam in ſe derivavit, et nihil niſi juſſu ſuo factum affirmavit. IV. Retractatum de Aureliano negotium, *quod ſecuritatis cauſa Guiſio a rege conceſſum fuiſſe ſupra dictum eſt.* V. Cum intercederent Balſaci, ex eo alienari a Villaregio rex coepit; quem, *ut Guiſio in occulto faventem ac proinde ſuſpectum,* ab aula relegat, et cum eo Petrum Brulartum et Cl. Pinarium a ſecretis epiſtolis, Pomponium Bellevreum, et ipſum cancellarium, *cui Aureliani praefectura in Balſacorum gratiam adimebatur.* Martinus Ruzaeus Bellilocus et Ludovicus Revolius ab epiſtolis aſſumpti. VI. Evocatus et Roma Arnoldus Oſſatus, et e Seguſianis Petrus Morennus; qui ſe excuſarunt. Procuratio ſigillorum Franciſco Montholono *Franciſci filio, qui eandem dignitatem olim Franciſco* I *rege meruerat,* attributa. VII. Factum comitiis initium a ſupplicationibus publicis IV Non. Octobreis, quae demum XVII Kal. Novembr. inchoata ſunt. Ordo et pompa comitiorum. VIII. Rex Ordines longa et compoſita oratione alloquitur; *in qua poſtea foederatorum importunitate, cum publicaretur, quaedam mutare, et ſecus quam pronunciaverat edere, coactus eſt.* IX. Regem dicentem excepit Montholonus, et *longa oratione* ejus egregiam voluntatem et reginae parentis merita exaggeravit. X. Pro ſacro ordine verba fecit Reginaldus Belnenſis Biturigum archiepiſcopus. XI. Pro nobilitate Claudius Belloſremontius Seneſcaeus; pro tertio ordine Michael Martellus Capella, per ſeditionem nuper mercatorum praefectus Lutetiae creatus. XII. Biduo poſt conventum, et unionis edictum pro fundamentali regni lege publico praeconio promulgatum fuit. *Cum ſacramento cuncti*

*cuncti adſtantes adigerentur, Belnenſis pro jurisjurandi religione, vera eccleſiae unione, multa graviter dixit, ad amoliendam invidiam, quaſi ſacer ordo claſſicum toto regno caneret, et pacem publicam conturbaret. Inde ad S. Salvatoris aedem ad hymnum B B. Ambroſii et Auguſtini decantandum itum, vileſcente interim regio nomine, dum per illas promulgationes Henoticae foederationi auctoritas accreſceret.* XIII. Sueſſio paulo ante relicto Navarro ad regem redierat; cui in arcano a cardinali Mauroceno pontificio legato, quod Navarri partes ſecutus eſſet, *et Cutracenſi pugnae interfuiſſet,* venia impertita. Intercedunt Lutetiae ſeditioſi. XIV. Sabaudus per has turbas *occaſionem oblatam nactus* Saluciarum principatum in Subalpina provincia occupat. Guiſii ſuper ea re ad Sabaudum advocationem petentem reſponſum. Per Alimium excuſationes a Sabaudo propoſitae minime in bonam partem a rege acceptae. *Cuſus in eam rem a Sabaudo nummus, in quo Centaurus coronam ſubjectam calcans coelatus erat, cum inſcriptione* OPPORTUNE; *cui contrario ab eventu* OPPORTUNIUS *alter ab Henrico* IV *poſtea cuſus.* Bellum, cum initio factioſi in comitiis reclamarent, tandem annitente ipſo Guiſio ad eluendam invidiam contra Sabaudum communi ordinum conſenſu decretum. *Qua re cum potentiam, contra quam rebatur, rex experimento ſummam et nimiam non ſolum inter Ordines ſed toto regno Guiſii eſſe comperiſſet, recuperandae illo ſuperſtite auctoritatis deſperatione conſilium tunc demum de eo e medio tollendo cepit.* XV. Libellus Veracis titulo tunc evulgatus a Michaele Huralto Hoſpitalio *factus, et Juſto Lipſio inſcriptus, quo treis in regno factiones eſſe oſtendebat, quarum regia ut juſtior ſic debilior, Guiſiana in ſpeciem potentior, Navarrena tutior eſſet et firmior.* Libelli *artificioſe et eleganter ſcripti* lectione cum ſumme gaviſus eſt Guiſius, tum vel eo maxime animos ſuſtulit, quod regis debilitatem illo argui cerneret: quod rurſus regis deſperationi facem ſubdidit. XVI. Miſſus Joannes Angennaeus Poignius ad Sabaudum, qui captas urbes reſtituere recuſanti bellum denunciaret. Datum et negotium Piſanii marchioni apud pontificem oratori, ut de tanta injuria apud eum expoſtularet, et jus quod in principatu illo regi competebat, quod in dubium revocabat Sabaudus, prolatis teſtimoniis demonſtraret. Sabaudi ambitio Alimii ſana monita repudiat. Ejus ad Helvetios itidem optimos monitores reſponſum. Bellum in ſpeciem contra Genevam paratum. XVII. Ferdinandus Medices cardinalis dignitatem renunciat, et Chriſtiernam Claudiae regis ſororis et Caroli Lotharingiae ducis filiam in uxorem accipit. Fiduciariae nuptiae Bloeſis celebratae. *Carolus Engoliſmenſis Caroli* IX *naturalis filius procuratorio nomine pro magno Etruriae duce ſponſi officio defungitur.* XVIII. Caſus ſub id intervenit mali ominis, rixa a nobilibus pueris Borboniorum et Guiſianorum *in pergula Britonum* ſub noctem excitata, in qua unus et alter occiſi; *et qui ad motum ſedandum accurrerant, immiſcentibus ſe lixis, humi ſtrati et vulneribus ſauciati.* Id majoris motus exulceratis animis principium eſſe potuit, anxio interim rege et Guiſio, qui in cubiculo regis erat; qui tandem quievit. XIX. Res interea in Pictonibus a Navarro geſtae. Obſidio Montis-acuti ſoluta. *Arnoldi Stellae juxta Pictavium et Renati Burri Garſaei haud longe a Pillemillio, quod eſt Condivicini Namnetum in ulteriore Ligeris ripa ſuburbium, legiones caeſae.* Bellovarium admotis tormentis a praeſidio deditum. XX. Rupellae *eccleſiarum* Proteſtantium celebrata comitia XVIII Kal. Decembreis. De diſciplina militari leges contra dejeratores, ſtupra, raptus, latrocinia renovatae, *et pauperibus facta collatione proſpectum*; tum de aerario et belli ſumptibus amplius diſputatum.

## LIB. XCIII.

CIƆ IƆ LXXXVIII. Henricus III.

Libellus Navarri nomine et Proteſtantium regi oblatus; *quo Januario edicto libertatem conceſſam, concilii item nationalis toties petiti copiam fieri, et ut bonis, unde dejecti injurioſe fuerant, reſtituerentur, poſtulabant.* Quo Bloeſis allato, *ad concilii mentionem* delegati excanduerunt, et *inde occaſione captata* regi auctores fuerunt, ut de ſucceſſore legitimo Catholico deſignando mature cogitaret. II.

TOM. IV. Secundum haec *in ſacri ordinis conſeſſu pridie Non. Nov.* Navarrus ob ſectarium crimen, *in quod perfidioſe relapſus eſſet,* regni ſucceſſione indignus pronunciatur: *cui decreto ceteri ordines acceſſerunt.* Cum rex urgeretur ut ſubſcriberet, *et decretum diplomate confirmaret,* ſe excuſavit, *et rationes a Navarro ſaepius repetitas in medium attulit,* et ut legatio *denuo* ad ipſum decerneretur cenſuit. *De legatione cum non adſentirentur ordines, et in propoſito perſtarent, rex ad poſtremum petitiones eorum importunas eludit.* III. Ludovicus Gonzaga Nivernius cum exercitu in Pictones proficiſcitur. *Mauleonum antequam muri pulſarentur deditum, et in deditos aliquatenus ſaevitum. Ad Montem-acutum promota caſtra; et poſt exiguam pulſationem, Colombario cogente, locus ſub conditione deditur. Dein ad Ganachiam verſa vis: ejus ſitus et robur, et munitiones a Pleſſio Getaeo inſtitutae, et ſuburbia poſtremo diruta.* IV. Regis nomine in dies vileſcente factio Guiſiana conſurgit; et de populi levamento rex intempeſtive interpellatus, *cum ſe ob belli neceſſitatem primo excuſaſſet, hoc repulſa conſecutus eſt, ut ejus odium in ſe reciderit, beneficii vi tandem extorti gratia conciliandae ordinum benevolentiae in Guiſium redundaverit: gratiae tamen ſpecioſis verbis regi actae.* V. Dein in theſaurarios verſum odium publicum; et *ut numerus eorum minueretur* petitum; *item* ut in quaeſtores regni quaeſtio a judicibus minime ſuſpectis haberetur. VI. Majore contentione de Tridentinae ſynodi promulgatione actum; qua in cauſa ſoli Jacobus Faius Speſſaeus fiſci patronus, et Jacobus Gueſlaeus cognitor regius, *ab omnibus cum deſerti eſſent, minime ſe deſerunt, ſed* jura regni et libertates eccleſiae Gallicanae conſtantiſſime tutantur. *Literae Lanſaci, olim in concilio cum Ferrerio et Pibracio oratoris regii, qui negotium cum praeſulibus urgebat, a Speſſaeo ſinu prolatae, quibus vitii concilium arguebat; et inde cum indignabundo murmure, inde cum riſu et joco, aſtantium recitatae.* VII. *Hac actione, qua magiſtratus ſuos indignum in modum habitos videbat* rex, *etſi a concilio non omnino abhorrebat,* exaſperatus, accedentibus multis odiorum et ultionum ſtimulis, de caede Guiſii, *capto ex deſperatione rerum ſuarum conſilio,* cogitare coepit. VIII. Inter Lotharingicos in factione concordes occulta ac domeſtica diſſidia; *et ceterorum contra Guiſium, etiam Caroli Meduanii fratris, livor.* Carolina factio. Praefectura Lugdunenſis in Nemoroſium *Mandeloto mortuo* collata, Allincurio rejecto. IX. Meduanii, dum Lugduni eſſet, cum Alfonſo Ornano *de Guiſio* ſecreti ſermones ad regem perlati. Mariae Aumalii uxoris a marito et ſermones in Guiſium eodem tempore ad regem delati. Petulantes Monpenſeriae voces. Joannis Aumontii equitum tribuni in aulam adventus. Is a Guiſio fruſtra tentatur. De Guiſio equitum magiſtro creando, *ſpreta regis auctoritate,* potentes inter ordinum delegatos prenſationes. X. De Aureliano acerba inter regem et Guiſium altercatio, *et praefractum Guiſii ſuper ea re reſponſum.* XI. Rex, fidis ſevocatis, habita prius longa ad eos oratione, caedem Guiſii decernit. XII. De ratione rei exequendae aliquandiu diſceptatum fuit; *cum Aumontius Guiſium et complices comprehendendos et jure contra eos agi debere contenderet; alii generoſius hoc quam tutius conſilium rejicerent, et quod in ea re ageretur, poſt rem peractam juris rationem habiturum dicerent. Dies et locus condictus, ex Guiſii verbis explicata, quae in iis verſabatur, difficultate.* XIII. Guiſius ab amicis ſaepius monitus, ut ſibi caveret, monita eorum negligit. *Decretis duobus in cauſa Mota-ferrani et epiſcopi Lingonenſis contra civitatem Lingonum factis ſubſcribere rex re dilata recuſat.* XIV. IX Kal. Januar. rex ſummo mane, frequenti admodum conſiſtorio, *quod in aula cubiculo proximo habebatur,* breviculum rerum poſtridie diſceptandarum recitari jubet. Interim cum rei exequendae deſtinatis agit, et oratione efficaci ad facinus patrandum eos hortatur. Cum proceres et Guiſiani veniſſent, et jam deliberatio coepta eſſet, rex Guiſium per L. Revolium a ſecretis epiſtolis rei ignarum in conclave proximum evocat; qui ubi intravit, oppeſſulato, ut fit, oſtio, a conjuratis repetitis ictibus confoditur. XV. Comprehenſi cardinalis frater et Lugdunenſis archiepiſcopus, qui in conſiſtorio erant; et in cubiculo ſuo cardinalis Borbonius ſiſtitur. Siſtuntur et Jonvillae princeps Guiſii filius, Nemoroſius et Ellebovius, *et plerique per urbem factioni addicti.* Inde cum Mauroceno legato pontificio rex per Revolium agit, *et,* juſtis rei cauſis expoſitis,

poſitis, *de non intermittendo contra Navarrum ſuſcepto bello fidem denuo obſtringit.* Aumontius cum Carolo Balſaco Aurelianum miſſus, ut arcis beneficio, ſi poſſent, urbem in poteſtate haberent. Miſſus et Alfonſus Ornanus Lugdunum, qui Meduanium, ſi in tempore veniret, manu armata ſiſteret: verum ille a Bernardino Mendoza monitus periculo praevertit. XVI. Guiſii et Meduanii fratrum, quantum ad mores et ingenium, inter ſe comparatio. XVII. Cardinalis Guiſiani ob verba minarum plena *et ingenium ejus ſuſpectum* imperata caedes. *Amborum corpora calce viva abſumpta.* XVIII. E magno concilio aſſeſſores delecti, qui *mortuos et ſuperſtites* captivos in jure interrogarent. Reſpondere detrectat Lugdunenſis. In crimine majeſtatis eccleſiaſtici privilegii praeſcriptionem ceſſare, exemplis ex hiſtoria noſtra petitis, demonſtratur. Nicolaus Fumaeus Bellovacenſis epiſcopus ad Lugdunenſem, ut ad interrogata reſpondeat, fruſtra mittitur. XIX. Aliunde probationes conquiſitae et evulgatae ad fidem conjurationum *cum Hiſpanis, Sabaudo, et toto regno initarum* faciendam; quae tamen, praeoccupatis populorum animis, nullum ad defectiones ſiſtendas momentum habuerunt. XX. Rationes in contrarium ab Henoticis allatae. XXI. Segnities in revocando e Pictonibus exercitu, *ut Aumontio in Aureliani obſidione praeſto eſſet. Radeſiani fatale regi conſilium.* Rex captivos *Borbonium cardinalem, Annam Ateſtinam Guiſianorum parentem, Lugdunenſem, alios,* Amboſiam in arcem deducit, *amoto Rillio, et magno errore ſuffecto in ejus locum Gaſto.* Edictum, quo Catholicorum unio Juliano edicto ſancita denuo confirmatur, XXII. Lutetiae, ubi caedis nuncius venit, res turbant, *et cuſtodiae portis a factioſis apponuntur. Poſtridie poſt veſpertinas preces* concilium in urbanis aedibus habetur, *cui Harlaeus ſenatus princeps et Auguſtinus Thuanus collega ſumma animi intrepidi praeſtantia interfuerunt.* In eo, *Joanne Rolando verba faciente,* delata ſumma Aumalio praefectura. Inde in omnem intempericm effuſi contra regem concionatores; ſed, incerto adhuc Aureliani obſeſſi eventu, miſſus Claudius Hieroſolymitanus eques Aumalii frater, qui praeſentia ſua obſeſſis animos faceret. XXIII. Suppetiae cum nitrato pulvere onuſtis carris miſſae a Fargio et Montinio ex occaſione interceptae.

Tom. IV.

## LIB. XCIV.

NAVARRUS iterum Eſpernonium per Bordium urget. *Cognita Guiſii morte, de Caſtellionaeo ad eum mittendo conſilium omittit.* II. De Niortio occupando conſultatur, *accenſis odiis, quod Valeta ſub moenibus occiſus ignominioſe a praetore urbis in furcam actus fuerat, et oppidani ſucceſſibus fidentes vicinis aſſidua diſcurſatione moleſti eſſent. Sangelaſius rem exſequendam ſuſcipit.* Ejus ordo et ſucceſſus. *Admotis crepitaculis capta urbs et crudeliter direpta. Laurentius praetor, qui in Valetam mortuum ſaevierat, mortuus patibulo affigitur; ut et Jamartius, qui multa indigne in Navarrum et regiae familiae decus dixiſſe ferebatur. Arx honeſtis conditionibus a Malicornio dedita.* De ſuppetiis Ganachiae obſeſſae ferendis actum. *Navarrus, dum in itinere eſſet, acuta ex pleuritide correptus febre pro conclamato habitus fuit. Interim urgebatur obſidio.* Tandem, *poſt auditum Caravaſium comitem a Nivernio miſſum, conditionibus ab ipſo comite oblatis* fit deditio, *et Granpratenſis comes cum legione ſua loco imponitur.* Reducto exercitu Nivernius cum Caſtreo *Bloeſas* ad regem venit. III. Catharina regina parens ex veternoſa gravedine, accedente ad morbum moerore, decedit. *Teſtamento Carolum Engoliſmenſem regis Caroli naturalem filium in bonis omnibus patrimonialibus heredem inſtituit. Praedicta illi a Mathematicis, et, inter alia, ut a Sangermano caveret. Rei ludibrium.* IV. Finis comitiis impoſitus, *et edictum unionis denuo jurejurando firmatum et pro lege fundamentali ſancitum.* Habitae orationes a delegatis ut in media pace et ſecuro otio. Bituricenſis pro ſacro ordine verba fecit, *et multa graviter et erudite pro ſarcienda ſacra diſciplina, electionibus reſtituendis, et foedis nundinationibus prohibendis dixit; pro recipienda Tridentina ſynodo, ſcholis inſtaurandis, judiciario*

CIↃIↃLXXXVIII.

Henricus III.

CIↃIↃLXXXIX.

Tom. IV. *judiciario ordine reſtituendo, populo levando:* Briſſacus pro nobilitate dixit, *ornata admodum oratione*; et *ultimus* pro tertio ordine Stephanus Bernardus, *in corruptam militarem diſciplinam, in mangones edictorum, novorum tributorum fabricatores et aulicas hirudines, appellationes a judice ordinario ad conſiſtorium regium per iniqua diplomata devolutas, et in partium concilio, vere ita dicto, quod in eo partes judices ſedeant, agitatas, juſſiones nimium frequentes in gravium edictorum promulgationibus, mira libertate invectus eſt.* Dimiſſi delegati; fide obſtricta, ut in ſuis quique provinciis tranquillitati publicae ſtuderent; quod pauci praeſtiterunt. V. Soluta Aureliani obſidio. VI. Gaſtus Amboſiae impoſitus *a captivis perſuaſus* de cardinali Borbonio liberando deliberat. Rex continuo eo advolat, et, depenſis xxx aureorum CIↃ, cardinalem, Jonvillae principem, et Ellebovium ab eo redimit, *et ceterorum gratiam ei facit.* VII. Nicolaus Harlaeus Sancius cum plenis mandatis ad auxilia maturanda in Helvetios et Germaniam a rege mittitur. VIII. Lutetiae factioſi, ut eorum, qui obedientiae ſcrupulo obligari ſe dicebant, conſcientias ſolverent, in eam rem libellum collegio Sorbonico porrigunt; in quo, *poſt ſacrum S. Spiritus celebratum,* a decano pronunciatum eſt, populum vinculo obedientiae ſolutum eſſe, *et contra regem pro religionis defenſione arma capi poſſe: decretum ad pontificem miſſum et implorata ejus auxilia.* IX. Hoc acto in ſenatum converſa rabies. xvii Kal. Febr. cum de legatione ad regem mittenda deliberarent, Buſſius loricatus intervenit, *ſtipantibus hinc inde Baptiſta Macautio et Gul. Marillaco ſenatoribus; et cum breviculo nomina comprehenſa recitare inciperet,* Achilles Harlaeus et Auguſtinus Thuanus praeſides *ſurrexerunt, eumque ſecuti omnes* in Baſtiliam ab ipſo ducuntur. *Ea re aliquantum commoti in urbe licet factioni addicta animi, et arma ubique per regiones a civibus ſumpta; quos ſubito concionatores, ambone conſcenſo, falſa veris miſcentes, et nihil in captos ab humanitate alienum admiſſum iri affirmantes, placarunt.* Novum jusjurandum in ſenatu, qui ſuperabat, propoſitum, *quo ſpes omnis reconciliationis tolleretur; cui Baſtonus proprio ſanguine ſubſcripſit.* X. Dein Catharina Clivia Guiſii uxor atrata, luctuoſo comitatu ad ſcenam introducta, *mariti patriſque ejus praeclare factis commemoratis, et exaggerato parricidio utriuſque fratris,* ſibi de caede mariti juris via ſatisfieri ſupplex petiit. *De commeatu in urbem importando decretum in ſenatu factum.* XI. Meduanius ex Heduis venit, et, rebus in tranſitu Aureliani ordinatis, in itinere a factioſis invitatus Autricum Carnutum divertit, urbem poteſtatis ſuae facit, et inde Lutetiam venit. *Radeſianus interim captus in Boiis, et, cum ſe a Joanne Barrenſi Neovio* L *aureorum* CIↃ *redemiſſet, in Namnetes deſcendit, et conſcenſa triremi in Hiſpaniam pergit; et inde, arcano cum Philippo colloquio habito, Barcinone ſolvit, et Genuam atque inde Liburnum Etruriae portum appulit, ubi toto bellorum tempore decubuit.* XII. Adventu Meduanii concilium unionis Catholicorum inſtitutum xii *Kal. Martias, quod in praefecturae palatii aedibus ſtatis diebus haberetur.* In eo factum de convocandis regni generalibus comitiis decretum, ſumma belli et negotiorum poteſtate penes Meduanium manente, qui titulo vicarii generalis ſtatus regalis et coronae Franciae rempublicam adminiſtraret. *Decretum in ſenatu dein promulgatum* vii *Eid. Martias, et Meduanius a B. Briſſonio praeſide in verba decreti adactus.* XIII. Intemperies concionatorum. Libelli et verſus inepti. Effigies ad horrorem in ſacellis ad pulvinaria erectae. Libri in regem famoſi, *et impoſtoria fraude illi multa afficta.* Supplicationes et in eum inſtitutae, *et a pueris decantatae ad candelas epodae, quae quaſi Meleagri titione extincto, ſic etiam extinctae regis vitae finem afferrent.* Laodunenſes etiam foederationi Henoticae ſubſcribunt; *et ea de re Joannis Bodini ſententia ex literis ad Briſſonium ſcriptis publicata.* XIV. Romae per Hier. Gondium abſolutionem de Ludovico cardinali occiſo coram cardinali a Jouſa et Piſanio marchione oratore ſuo a pontifice fruſtra rex ſupplex petit. Pontificis ea de re in conſiſtorio oratio ab Henoticis Lutetiae publicata. Jacobi Dioi Melitenſis equitis ad pontificem a Meduanio miſſi mandata. *Poſt Dioum et miſſus Lazarus Coqueleius ſenator Pariſienſis, cum Nic. Pila Orbaſii abbate.* Miſſus et a rege Claudius Angennaeus Cenomanorum epiſcopus, *vir probitate et doctrina inſignis. Ad eum monita Ferdinandi*

*dinandi magni Etruriae ducis.* Cenomani coram Jouſa cardinali et Piſanio, *poſt longum apud pontificem de ſucceſſu rerum et egregia inpoſterum ſpe ſermonem*, de benedictione impertienda ſupplex petitio. Pontifex amplius de cardinalis Guiſiani caede ſatisfieri petit, et cardinalem Borbonium et archiepiſcopum captivos ſibi tradi. Cenomani de regis in regni ſui epiſcopos, in rebus quae civilem adminiſtrationem ſpectant, poteſtate, ſumma libertate explicata ſententia. *Magna et de abſolutione a confeſſore regio vi diplomatis ſecreti conceſſa, quam ſufficere aiebat Cenomanus, et ſaepius repetita altercatio.* Pontificis exprobrationes vanitati propiores generoſe a Piſanio eluſae. Novis demum mandatis acceptis Cenomanus in genua procumbens abſolutionem ritu ſolemni regis nomine petit. Pontifex in ſpeciem placatus, non impertita abſolutione, inſtat ut captivi tradantur. XV. Flaviam et Urſinam nepteis nobilitatis Romanae primariis regulis, *Virginio Urſino Bracciani duci, et M. Antonio Columnae*, elocat. Ferdinandi magni Etruriae ducis nuptiae magna pompa cum Chriſtierna Lotharinga Florentiae celebratae. XVI. Samarobriga in Ambianis, *praetore urbis, quem rex Bloeſis captum dimiſerat, incentore*, rebellat, *et Maria Borbonia cum S. Pauli comite filio in carcerem conjiciuntur.* Abbatisvilla, Rotomagus, *ejecto Tanaquillo Venatore Carrugio, et Claudio Grolartio primario praeſide aliiſque praeſidibus et ſenatoribus inde diſcedentibus*, Vindinum Cenomanorum, *capto Philippo Angeneo Fargio epiſcopi fratre*, Melodunum, Silvanectum, Creolium ad Eſiam, Claromontium in Bellovacis deficiunt. Catalaunum, *ejecto Chriſtiano Savinio Ronaeo a Guiſio impoſito, et evocato Philippo Thomaſſino*, fidem ſervat. Lugdunum diu nutat et tandem deficit. XVII. Villaregii in partes tranſeuntis excuſatio. Cl. Caſtraeus, qui fidem regi dederat, capta occaſione *ex arce Argentoni a Navarro intercepta*, deficit, et vectigalia provinciae retinet. XVIII. Maria Lucemburgica Mercuriani uxor in Armorica Condivicinum Namnetum excitata ſeditione in poteſtatem redigit. Mercurianus re cognita Condate Redonum venit, ab epiſcopo Dolenſi introductus, Renato Tornaminio, Monbaroto, et Aſſaraci marchione, qui regium nomen tuebantur, pulſis. Monbarotus, qui turrem urbis munitam tenebat, admotis tormentis locum dedit. Fulgeria eodem ſucceſſu capta. Vitreacum *haud hinc longe, Lavallae ditionis oppidum, a Bordagio captum et* regi vindicatum. Nec multo poſt Redonenſes poenitentia ducti Charronerium a Mercuriano impoſitum urbe pellunt. *Joſſellinum Roanorum caſtellum a Molaco occupatum, et, Sanlaurentio Mercuriani nomine ſuperveniente, tandem receptum.* XIX. Burdigalae res turbant, *a patribus Jeſuitis excitata ſeditione*; quam Matignonus provinciae praeſes ſumma animi praeſentia, *diſturbatis doliaribus munimentis a plebe per vicos ſtructis*, paucorum caede compreſſit. *Duo ſoli ſupplicio affecti; ceteris a viro juxta prudenti ac moderato parcitum.* Patres Jeſuitae, ut ſecuritati publicae in poſterum conſuleretur, urbe exacti; qui Aginni Nitiobrigum, et Veſunae Petrocoriorum, quae civitates ſub id rebellaverant, perfugium habuere. Tom. IV.

## LIB. XCV.

MAXIMA omnium Toloſae intemperies plebis *a novitiis theologis et zelotis incitatae* fuit, qua Jo. Stephanus Durantius ſenatus princeps cum Jacobo Daſiſio fiſci patrono, *quod regiis partibus addicti dicerentur*, oppreſſus eſt, crudeliter *primum* interfectus, *et poſtea in platea ignominioſe ſuſpenſus, appenſa ex adverſo regis effigie, cujus ſe aſpectu poſt mortem ſcilicet ſolaretur.* Durantii genus, ingenium, mores, integritas. II. In Arvernis Randanus provinciae praeſes, *Claromontano epiſcopo fratre inſtigante*, ad Henoticos deficit, Rigomagi arce belli conſtituta. Tumultuarius ordinum Billomi coetus, *quo a Toloſa delegati cruore innocentium hominum adhuc madentes convenerunt; et foederati in templo Jeſuitico ſacramento adacti. Claromontani et Monferradenſes, cum non comparerent, proſcripti. Iſſoriacum, quod foederi ſubſcribere recuſaverat, et Ivonem Alegrium Milialdum regi addictum evocaſſe dicebatur, a Randano crepitaculo admoto cum* CIↃ IↃ LXXXIX. Henricus III.

*arce captum.* Auguſtobona Tricaſſium in Campania a Simphalio fruſtra tentata. III. Rex Bloeſis, *cum facto opus erat, rem verbis agit,* edicto Februario menſe propoſito, quo cunctos ad obſequium gratia praeteritorum facta vocabat ; ni facerent *intra Kal. Martias proximas, tanquam* perduelleis et laeſae majeſtatis *in primo capite ac patriae proditae* reos declarabat; *urbibus, quae defecerant, privilegia, magiſtratus, juriſdictionem abrogabat.* IV. Falandrius a Sueſſione in Cenomanis caeſus. V. Bloeſis conſultatum, quam imperii ſedem rex deligeret, *in quam ſenatum transferre, et conſiſtorium belli tempore tuto poſſet deponere.* Nivernius Molinium in Boiis tendendum cenſet, *haud longe a Lugduno, ubi plerique adhuc regiis partibus addicti erant, et inde venturus cum auxiliari exercitu Sancius commode expectari poſſet.* Contra diſputabat Sueſſio, *qui regis Ligeri relicto diſceſſum fugam interpretaturum hoſtem dicebat,* et Bloeſas omni ratione, *quas hoſtis proculdubio petiturus eſſet,* ſervandas oſtendebat. Dum rex ambigit, allato ſeditioſos Caeſaroduni tumultuare, ex neceſſitate conſilium capit, et *adductis ſecum captivis* Caeſarodunum venit. Andegavum *cum Briſſacus ad ſeditionem concitaret, Petri Deodati Picarici, qui arcem ab Henrico Jouſa impoſitus tenebat, incorrupta et fruſtra a foederatis tentata fide,* ſervatum *eſt, Aumontio equitum tribuno per arcem in urbem introducto.* VI. Senatus x Kal. April. Caeſarodunum tranſlatus ; *eaque de re diploma, rege ad S. Juliani in lectiſternio juſtitiae ſedente, promulgatum.* Jac. Aug. Thuanus a primarii praeſidis functione, quae ipſi honorifice a rege deferebatur, ſe excuſat, *et precibus erga regem efficit, ut in Jacob. Faium Speſſaeum,* donec Achilles Harlaeus libertati reſtitutus eſſet, *conferretur.* Edicta pleraque contra urbes perduelles promulgata. VII. De Navarro, *qui interea operam ſuam regi deferebat,* evocando clam initio agitur, mox et propalam, *poſtquam omnis per Maurocenum pontificium legatum tentatae reconciliationis cum Meduanio ſpes evanuit.* Poſt Niortium captum *Maxentii-fanum, Malleacum, Loviodunum, Mirabellum, Vivonum, Bochardi inſula, Caſtrum Eraldi,* in Navarri poteſtatem veniunt, et poſtremo Argentoni *ex occaſione* arx. VIII. Navarri ſcriptum elaborata oratione, quo belli neceſſitatem deprecatur, *et reconciliandis cum rege foederatis ſe pararium offert.* Tandem induciae annales pactae, *re per Philippum Mornaeum Pleſſium cum Gaſpare Schombergio tranſacta.* Locus tranſmittendis copiis ad Ligerim Navarro, *quas Meduanio oppoſiturus eſſet,* promiſſus. *De eo altercatum. Cum Pontes Seii tradi non poſſent,* Salmuria conceſſa eſt. IX. Alterum *pari elegantia* ſcriptum nomine Navarri, *quo de conſilio ſuo poſt inducias cunctos regni ordines certiores faciebat, et ſecuros eſſe, quod ſeditioſi paſſim urgebant, de religionis periculo jubebat, Avenione et Venaſcinenſi comitatu in iis comprehenſo.* X. Intemperies et protervia Pariſienſium concionatorum, *quo res, omni reconciliationis ſpe praeciſa, ad extremam armorum neceſſitatem adducerent.* Joannis Buceri de juſta Henrici III abdicatione cruciarius liber. Decretum et a theologorum collegio *Non. April.* factum, quo preces pro rege in canone Miſſae *et collecta ſecreta concipi ſolita* inducebantur, *aliis impia audacia in locum earum ſubſtitutis. Diſputatum et de cardinalibus, epiſcopis et ſacerdotibus, qui poſt cardinalicidium cum Henrico Valeſio, ſic rex a ſeditioſis tunc vocabatur, in rebus ſacris participabant, an in cenſurae vincula incidiſſent.* Cum Thomae Bellamici Carmelitae *paulo ante defuncti* ſcriptum objiceretur, quo nullam juſtam, *ne quidem ob religionem,* ſumendorum armorum cauſam eſſe poſſe aſſerebatur, *Calderius bibliopola* libellum contrarium ejus nomine publicat, quaſi ab eodem Bellamico, cum in extremis ageret, *ut ederetur, ſuae fidei commendatum, ad tollendam offenſionis, ut aiebat, quam Politici arripere ex eo poterant, occaſionem. Itaque* cumulata in eandem rem a recte ſentientibus *Simonis Vigorei archiepiſcopi Narbonenſis et Cl. Sanctii Ebroicenſis epiſcopi ex ipſorum ſcriptis deprompta* contraria teſtimonia. *Inopia plebem inſanientem urgente tertia pars penſionum locatoribus aedium ſenatus-conſulto remiſſa. In dies et* felicium ſucceſſuum nunciis artificioſe a Monpenſeria confictis et per concionatores vulgatis aures vulgi implentur. XI. Silvanectenſes Thoraeum evocant, qui regis nomine urbi praeſit. Commentitii Henoticorum per regnum ſucceſſus. *Signa ex arca repraeſentata a Monpenſeria*

*Monpenſeria pulverulenta et lacera, et ad tholum majoris templi ſuſpenſa.* Conjurationes Lugduni et Rotomagi afflictae. XII. Gualteranorum in Neuſtria clades a Monpenſerio, *qui ad Faleziam ſedebat, ultro obſidione ſoluta,* deletorum. Ter mille caeſi. XIII. Petrus Friſonus Remenſis decanus Romam a Meduanio *et unionis concilio* miſſus, qui pacificationis negotium impediret. Petri Molani detectae latebrae, *et* CCCLX *aureorum* CIↃ *in ejus aedibus reperta et inter milites diſtributa.* Monitus a B. Mendoza Meduanius nova mandata *Dioo et Coqueleio* ſuis Romae oratoribus dat, ut de abſolutione, quam pontifex regi impertiturus creditur, *ipſius et Nemoroſiae matris et Guiſii viduae ac Monpenſeriae ſororis nomine* proteſtentur. His inductus rationibus pontifex monitorio diplomate regem, niſi cardinalem Borbonium libertati reſtituat, ferit; *quod* III *Non. Maias factum, tantum* IX *Kal. Jun. promulgatum fuit.* XIV. Poſt decretum cardinalis a Jouſa Roma diſcedit, et Venetias cum Arnoldo Oſſato venit. Piſanius cum Cenomano diverſo itinere in Galliam Narbonenſem deſcendit. *Ex conſilio ſenatus Veneti, magni Etruriae ducis, ducis Mantuae, remiſſus Iſaias Brochardus Cliella, de injurioſo et iniquo diplomate apud pontificem expoſtulaturus, qui regem cum comitatu regiae dignitati ſuae conveniente Romam proficiſci decreviſſe denunciaret. Conſultum et viſum ut rex eodem tempore Avenionem et Venaſcinenſem comitatum per Valetam Provinciae praeſidem aut Alfonſum Ornanum Diguierii viribus ſubnixum occuparet.* Id conſilii ab Italiae principibus regi datum, *qui ita* agreſte Sixti ingenium *noverant, ut nullo cultu et obſequio ad amicitiam inflecti, tantum vi ac convitiis* ad officium cogi poſſet. XV. Pecunia undique per Italiam a rege conquiſita. Salucianus principatus Etruſco oblatus; quo recuſato de Maſſilia conditionibus certis oppigneranda actum. XVI. Viciſſim foederati pontificem non ſolum de theſauris ſpiritualibus, ſed argentaria gaza ex arca promenda urgent. XVII. Meduanius, *rejecta omni conditione a Mauroceno legato pontificio propoſita,* Vindocinum venit, et urbem, Jacobo Mallio Beneartio perfidioſe tradente, poteſtatis ſuae facit. Fruſtra Reginaldi caſtrum tentat. Audoeni-fanum capit; *eaque in obſidione Joannes Belloſortius Canilliaci marchio deſideratus.* XVIII. Aumontius et Eſpernonius, ut regi ſerviant, reconciliantur. XIX. Navarrus Pleſſiacum *primo a Caeſaroduno lapide* ad regem venit, et familiariter ab eo tempore cum eo degit. XX. Cluſellus a Navarro dimiſſus, fide data, ne contra regem arma ferret, occaſione quaeſita deficit, et Meduanio ſuburbiorum cis Ligerim occupandorum viam monſtrat. Pugnatum in iis acriter deteriore regiorum conditione. Sueſſio in Armoricam cum copiis mittitur, *et ad caſtrum-Gironis capitur.* XXI. Petrus Forgetus Fraxineus regi a ſecretis epiſtolis in Hiſpaniam mittitur, ſpecie ut de matris et ſocrus morte communem dolorem apud Philippum teſtaretur, revera ut ejus voluntatem periclitaretur, *petitis adverſus rebelleis auxiliis, et excuſationibus de Cameraco, quo cedere paratum regem oſtendebat, in medium allatis. Ab altero ſe Philippus excuſavit, alterum ut infirmitatis confeſſionem accepit.* XXII. Miſſus in Germaniam ad militem ſcribendum Gaſpar Schombergius Nantolii comes, cum Jac. Aug. Thuano; *quam in rem* CC aureorum CIↃ a magno Etruriae duce ſuppeditabantur. *Per Aquitaniam et Septimaniam in Provinciam iter fuit, et inde Genuam petivit Schombergius, obſtructis et intutis aliis itineribus.* XXIII. Pictavium nutat. Rex eo ſerius profectus ingreſſu urbis injurioſe excluditur; *cum prius Armanus Bironus equitum tribunus, cum illac ad regem tendens iter faceret, a Berlando apparitore itidem injurioſe urbe ejectus eſſet. Cum rex inde Eraldi-caſtrum conceſſiſſet, de Silvanectenſi pugna accepit, Savoſio caeſo, et auxiliari Helvetiorum exercitu, quem Sancius ducebat, ad Ripaliam in Sabaudica ditione victore.* XXIV. Ordo pugnae ad Silvanectum, in qua Longavillanus belli erat ſummus dux. Lanovii aſtus, et Aumalii et Balagnii copiae in fugam verſae. *Menevilla occiſus.* XXV. Savoſius cum delectis in Caſtellionaeum imprudenter incurrens prope Bonnevallium *poſt obſtinatum certamen* ad internecionem caeditur. *Forcevilla et Savoſius ipſe ex vulneribus acceptis mortui.* XXVI. Gilberti Pedifolii Commerondi militum per Cenomanos impiae graſſationes, quas vix Meduanius praeſentia ſua compeſcuit. Alençonium in Aulercis a Rantio deditum. XXVII. Monpenſeriae ad Meduanium fratrem

ſratrem literae, quibus de *caſu Silvanectenſi et* Aumalii ignavia liberius querebatur, a Navarro interceptae, et ad Aumalium miſſae.

## LIB. XCVI.

CIↃIↃLXXXIX.
Henricus III.

Negotii inter Helvetios a Sancio procurati ſucceſſus. *Bernates* c *aureorum mille regi in bellum contra Sabaudum gerendum largiuntur. In belli ſocietatem veniunt Tigurini, Baſileenſes, Scafuſiani, Fridericus Wirtembergicus, et ſenatus Argentinenſis. Genevae ſitus. Joannes Calvimontius Guitrius, Bellovaſius et Bellilocus, collecta manu a Sancio moniti Montoriam arcem et Bonam oppidum crepitaculis admotis capiunt, pontes Arvae abrumpunt. Jorii-fanum et Geſſa capta. Cluſurarum a Guitrio omiſſa obſidio. Thononienſis arx Sancio dedita. Ripaliae ſitus, origo; et unde dicterium emanavit, Ripaliam facere. Poſt aliquod certamen locus deditus et incenſus, et biremes in eo contra Genevam paratae.* II. Sancius *his actis* Helvetiis perſuadet, ut in Franciam ad regem veniant, et equitatum ab eo accipiant, quo ſe deinceps contra Sabaudum tueantur. Bernatibus aſſentientibus *Sancius, et accepto Haraucuriano equitatu,* in viam ſe dat. *Sabaudi poſt deceſſum Sancii in Allobrogibus circa Genevam ſucceſſus. Boega recepta, Jorii-fanum, munitio ad Arvae pontem, Ternera: ad Sonzium* II *a Geneva leucis S. Katharinae munitio aedificari a Sabaudo coepta. Bona obſeſſa irrito conatu. Valpergae et Maſini comites a Vattevilla Bernate ad Pilonaeum coenobium caeſi. Inſoliti genus morbi finem bello eo anno impoſuit. Sancius, per Sequanos et Lingones facto itinere, et aſſumpto ſecum Gul. Saulio Tavanio, ad caſtrum-Villanum copias admovet, inſtigante Ludovico Dijiaceto loci domino; quod ab hoſtibus ſtatim deſertum eſt.* Longavillano a rege mandatum, ut cum Lanovio obviam venienti Sancio procederet, *et, niſi extrema neceſſitate urgente, ad certamen ſe cogi non pateretur.* III. Edicto novo jura, privilegia, *immunitates,* urbibus perduellibus abrogantur. IV. Capto a Mercuriano ad Caſtrum-Gironis Sueſſione, Henricus Borbonius Dumbarum princeps in ejus locum *Navarri commendatione* a rege ſufficitur. V. Navarri, *qui Bogentiaci erat,* ad Aurelianenſes literae. VI. Gergolium vi captum, *et Jallangius, qui locum tuebatur, ſuſpendio necatus. Pari ſeveritate in Pitiverienſeis reſiſtere auſos in Belſia actum.* Stampis morte adfecti magiſtratus, qui populo rebellandi auctores fuerant. Pons Eſiae obſeſſus, et poſt Altafortii, *qui Allincurio loci praefecto attributus erat,* mortem tandem deditus. *Eodem quo deditio facta eſt die,* Jametiana arx in Mediomatricibus a Schelandrio poſt arctam XI menſium obſidionem deditur. Dintevilla Montem-falconem *a Sanpaulo occupatum Ambliſii et Termenſis copiis ſubnixus* recipit. Ad Georgii-fanum pugnatum feliciter ab Ambliſio, *et Sanpauliani caeſi.* CXX *deſiderati et* LX *capti, et in iis Artigotius.* Res mutant, Ambliſio mutante et ad Lotharingiae ducem a partibus regiis tranſeunte. Cl. Jouſa Torteronus a Sanpaulo ad Novum-Caſtrum oppreſſus; *quo in certamine Renatus a Jouſa Verpellius* XX *annorum adoleſcens occubuit, magno ſui relicto deſiderio.* Mons-Rigoli ad Igonnam ab Eſpernonio *per Amblevillam* interceptus, et ſtatim a Meduanio *ſuperveniente* receptus. VII. *Longavillanus cum Lanovio obviam Sancio profectus, eum ad Caſtellionem ad Sequanam nactus, inde recta ad regem contendit; et Sequanam ad Piſciacum, pridie quam Pons-Eſiae deditus eſt, tranſmiſit. Inde fanum Clodoaldi ventum, ponte nobile municipium, a quo hoſtes ſtatim depulſi.* In Germania a Willelmo Heſſo ad regem mandata data, *ut de rebellium multitudine ſecurus eſſet, ceterum a capite raſo ſibi caveret.* VIII. Jacobus Clemens Dominicanus *e Sorbona Senonum vico adoleſcens, literarum rudis et vita in otio inter ganeas acta infamis, et quia monachorum ordinibus regem ſciebat gaudere, et illis ad ipſum facileis patere aditus,* in caſtra venit; et *primo exagitatus, dein a Jacobo Gueſlaeo cognitore regio in hoſpitium ducitur; et poſtridie, quia literas a Briennio Lutetiae captivo* ad regem *habere ſe dicebat, ad ipſum, mane cum ſurgeret,* a Gueſlaeo nihil tale ſuſpicante introducitur, et porrectis

literis

literis legendo intentum cultro ancipiti e manica prompto in imo ventre ferit. Accurrentibus domeſticis *nobilibus* Clemens, *faucibus eliſis, crebris inſuper vulneribus* nullo irae ſpatio dato confoditur. IX. Rex vulneri diem ſupervixit. Moriens proceribus et nobilitati, quae aderat, Navarrum commendat, *et de diplomate pontificio monitus, quod ſe ignorare affirmavit, ejus abſolutionem a Stephano Bellaqua impertitam accepit, et placide defecit. Inſtrumentum ea de re confectum a cardinali Gondio epiſcopo Pariſienſi confirmatum, et principum ac procerum aſtantium ac Bellaquae ipſius manu ſubſcriptum. Ingenium ejus religionibus devotum : profuſa et omnem modum ſupergreſſa in dando natura : mollities in cultu : in jure dicendo per intervalla ſeveritas : in negotiis ſegnities ; in vitandis periculis tarditas ; inſtantibus animi praeſentia, praeteritis ſecuritas : major amicorum, quam ſui regnique amor : in iis fovendis indulgentia, in dimittendis faſtidium. Mortem deploravit ſingulari libro valde gravi Petrus Aerodius.* X. Nuncio Romam perlato pontifex *effraeni linguae impotentia* in mortuum ſaeviit. Evulgata ab Henoticis *caſu exultantibus* ejus in conſiſtorio habita oratio ; *contra quam auctor Veracis librum Anti-Sixti nomine Latine, Andreas Mallarius Fulminantis titulo declamationem Gallice, ſcripſit.* XI. In Belgio tentata Tergoenſis inſula a Parmenſi *per Philippum comitem Ecmondanum* irrito conatu. Gertrudbergenſium praeſidiariorum *cum Hohenloo comite et Mauritio repetitae altercationes, et poſtremo* defectio. Heuſda a Mansfeldio nullo ſucceſſu obſeſſa. Bommela fruſtra tentata. Parmenſis, *firmatis praeſidio circa Sylvam-ducis extructis munitionibus,* aeger ad Tungrenſeis aquas proficiſcitur. XII. Alexandri Farneſii cardinalis patrui deceſſus. *Ad dolorem ex eo conceptum acceſſere apud Philippum Paſtrani ducis et Aſculani principis animoſae de claſſe profligata delationes, inſtigante Campaniaco.* XIII. Blienbeka M. Schenkii arx a Marco Ria Varambonio tandem ad deditionem compellitur. In Friſia utrinque geſta. Schenkius *auxiliareis Verdugo a Parmenſi cum pecunia miſſos juxta Veſaliam ad Lipae ericetum caedit. Ad Neomagum infelici conatu vim facit, et lembo ſubmerſo* perit. *In cadaver Vahali extractum oppidani immaniter ſaeviunt. Hujus morte Gebbardus Truchefius, qui in Batavis erat, ſpe omni recuperandae Colonienſis adminiſtrationis cum excidiſſet, in Germaniam ad propinquos ſe confert.* Gul. Naſſovius Soldincampiam munitionem *in oſtio Reedipienſi caeſis praeſidiariis* in Verdugi conſpectu expugnat. Nuenarii ad Arnhemium miſerabilis interitus. *Ad Berkam Varamboniani a Fr. Veero caeſi. Tandem* Berka Varambonio deditur. XIV. Expeditio ab Anglis ad revincendam ſuperioris anni injuriam in Hiſpaniam Draco duce ſuſcepta, *inſtigante Antonio, qui ad primum ſuum in Luſitaniam appulſum populareis rebellaturos affirmabat. Huic militiae Robertus Ebroicus Eſſexiae comes Gualterum fratrem ſecutus, aula valere juſſa, nomen dedit.* Ad Coronam in Gallecia claſſis appellit, *et expoſito milite inferius oppidum capit, et in eo Joannem Lunam. In ſuperiore erat Joannes Pacecus Cerralbi marchio, qui locum tutatus eſt. Inferius oppidum aſportato omni commeatu incendio deletur. Ad Burgum acriter pugnatum, victoria penes Anglos manente : inde ad Celticum promontorium Luſitaniae progreſſa claſſis, et Penica Antonio deditur. Heic venerabundi ſacerdotes monachi ac ruſtici agminatim confluunt, et ad Antonii pedes procidunt. Inde Caſcalium ventum haud longe ab Oliſſipona. Norriſius terreſtri itinere profectus Oliſſiponam tentat, ſed irrito conatu. Tandem, decreſcente Anglorum numero et creſcentibus Hiſpanorum copiis, Caſcalium reditum. Aciem Angli inſtruunt, qui ex omni numero tantum* IV CIↃ *ſani ſuperabant. Arx Caſcalii admotis tormentis deditur, et igne pulveri nitrato ſubjecto protinus ſubvertitur. In reditu Angli adverſa tempeſtate cum Hiſpanis certant ; et* morbis *in claſſe* graſſantibus tandem domum redeunt, XIII CIↃ, qui Anglia ſolverant, ad VI CIↃ redactis. XV. De navibus Germanorum in itinere interceptis querelae inſtitutae, *et hinc inde libri pro defenſione juris ſui vulgati.* Danicus denarius Britanniae olim ante Gulielmi nothi tempora impoſitus. XVI. Apud Caeſarem Proteſtantium legati pro collegio Argentinenſi et Aquiſgranenſibus intercedunt. Edictum contra Belgas Aquiſgrani domicilium habenteis factum. Auſtriae et Viennae

TOM. IV.

ennae ordines liberam Auguſtanae confeſſionis profeſſionem petunt. XVII. Beutenae in finibus Quadorum et Sarmatiae delegati conveniunt, *pontificis nomine Hippolytus Aldobrandinus cardinalis, Philippi Veſpaſianus Gonzaga,* de Maximiliani libertate acturi; conventumque ut ſine pretio dimitteretur, fide data, ut regis Poloniae titulis in poſterum abſtineret; *cui tamen conditioni a Rodolfo Caeſare fratre jurejurando firmatae, cum ad fineis Sileſiae venit, ſtare noluit.* XVIII. Acta in comitiis Warſavienſibus, *ut liberae electionis formula conſtituatur, Livonia non dividatur, ſed veluti integrum regni membrum per vices a Polonis et Lithuanis adminiſtretur. Caſtellum ad Dunae oſtium ſolo aequatum.* De templo Jeſuitis patribus Rigae reſtituendo et Kalendario Gregoriano res ad regni comitia rejecta. Coſlovia ad Pontum Euxinum a Coſacis direpta. In Ruſſia Tatari *infeſtis animis Moſci inſtigatu provinciam ingreſſi* duce Jo. Sario Samoſcio aliquoties caeſi. Coſaci Tataros inſigni clade afficiunt. XIX. In oriente Ferhates, *dum commeatum in munitiones per Armeniam ſtructas importat,* a Perſis et Tataris Circaſſis caeſus. Tumultus in Syria a ſuperſtitionis Mahumeticae devotis exorti. XX. Grandis ad Portam ſeditio a Praetorianis orta; *quibus placandis Ebraimes gratioſus hero purpuratus poſt multas altercationes tandem poenae deditur. Incendio mox ſive fortuito ſive ab iiſdem accenſo direptae Hebraeorum domus, et damnum illud quinquies centies centenis aureorum* CIƆ *aeſtimatum.* Maurorum Tripolitanorum in Africa a Turcis defectio. XXI. Jacobi VI Scotorum regis et Annae Friderici II Dani filiae *et Chriſtiani* IV *ſororis* nuptiae Croneburgi fiduciaria ceremonia contractae. *Cum ſponſa ad virum duceretur, obvium maritum Aſloiae in Norvegico ſinu habuit; qui peractis nuptiis ingruente hyeme Croneburgum retro abiit.* In Dania pro jurejurando inter regni ordines et regis tutores acta. XXII. Julii Brunſvici academiae Helmeſtadienſis fundatoris, Franciſci Roaldeſii juriſconſulti, Chriſtophori Plantini, Joannis Sturmii, Henrici Molleri, Martini Cromeri, Melchioris Guillandini, Jacobi Zabarellae deceſſus. Andreae Dudithii vitae compendium et elogium. Lud. Guicciardini mors.

## L I B. XCVII.

CIƆ IƆ LXXXIX.

HENRICUS IV.

CONSULTATUR in caſtris de ſucceſſione; et ſaniore ſententia qui erant, eam legitimo heredi deferendam protinus cenſebant, *ne, re in incerto relicta et fluctuantibus animis, imperium ſolveretur.* Alii rem integram ad comitiorum regni convocandorum arbitrium rejiciebant. *Alii comitiorum auctoritatem minime defugiebant, ſed addebant, interim in caſtris manendum, et Navarro tanquam ſupremo exercitus imperatori parendum.* II. Proxima de ſede ac receptu primis regni auſpiciis deligendo conſultatio fuit. Et placebat multis, ut Navarrus Ligerim cum iis quas habebat, *et ſe ſub ſignis habiturum ſperabat,* copiis, *nam plerique in dies dilabebantur,* verſus tenderet, et Caeſarodunum Turonum, *qua in civitate deceſſor ſupremi imperii majeſtatem quaſi depoſuerat,* peteret, *ubi ſe medium inter Aquitaniam et circumpoſitas Lutetiae provincias ſiſteret,* et inde rerum gerendarum omina captaret. Alii receſſum fugam interpretaturum hoſtem dicebant, et ad famam pertinere, ut in veſtigio ſi poſſet maneret; recentes in caſtris Helvetiorum copias eſſe, quas ſi retinere ad aliquot menſeis queat, citra periculum manere et decus tueri poſſet. III. Sancii interventu Helvetii operam ſuam *ad trimeſtre ſine ſtipendio* deferunt. IV. Sanior pars obtinuit, et Navarrus ab omnibus magno procerum conſenſu, *poſtquam de religione C. A. R. tuenda idonee cavit,* rex ſalutatur, *et ille ſtatim omnia regiae majeſtatis ſumpſit inſignia, eodemque loco, quo deceſſor ſuus ſedit, ut nihil praeter perſonam mutatum videretur.* V. Obſequium detrectantes ſevere alloquitur, et poteſtatem abeundi facit. VI. De loco adhuc ambigebatur, ſuſpecta tum maxime praefectorum fide. VII. Aemari Caſti virtus anxietate regem ſolvit, Dieppa, quam tenebat, *ejecto praeſidio, et arce cum oppido* in regis manus ſine conditione conſignata. Gaſpar Peletus Veruna, qui arcem Cadomenſem tenebat, Caſti exemplum ſequitur, et

inferioris

inferioris totius Neuſtriae regem potentem facit. Hinc praecipue toto belli tempore regi opes. Novum-Caſtrum *in Caletenſi agro, quod Dieppenſibus multum incommodabat*, a Guitrio et Haloto receptum. De Rotomagi jam tum obſidione actum. VIII. Meduanius, *Lutetiae emiſſis, qui veluti Clementis obſides paulo ante carceri mancipati fuerant*, ad urbes foederatas ſcribit, et ad Philippum, et aperte, *mortuo rege ſororio*, ab eo auxilia in cauſa religionis petit. Promulgatum et nomine Meduanii diploma, quo de obedientia regi ſuo Catholico, hoc eſt, cardinali Borbonio, proteſtabatur; quem ſub id rex Chinonia arce *ad Vigennam, ubi a Fr. Regio Chavinio cuſtodiebatur*, in Pictones tranſtulit, et Fontenaii-comitis Carolo Eſcalario Bolaio cuſtodiendum commiſit. IX. Burdigalae ſenatus-conſultum pro pace regni conditur, *nulla regis mentione facta, et tantum deplorata deceſſoris ſui morte*; *quod ad tempus prudenter diſſimulavit Matignonus.* Toloſae ſenatus-conſultum factum, quo ut in publico gaudio ſupplicationes decretae, mandatumque ne Navarrus pro rege recipiatur, *et Bulla Sixti contra eum decreta denuo promulgetur.* X. Meduanii cum Parmenſi Bincii in Hannonia colloquium. XI. Rex Darnetalio profectus *per Caſtellionaeum Eſſuorum oppidum et Treportium in fidem accipit. Ibi de copiis Meduanii ingentibus cum cognoviſſet, ad Longavillanum et Aumontium continuo mittit, ut ſibi omni alia re omiſſa praeſto ſint.* Ad Arcas conſedit et caſtra munit; *Poletum et ſpatioſum Dieppae ſuburbium munitum, et ducta foſſa, ne medium ſe hoſtis inter Arcas et Dieppam eo occupato interponeret.* xvi Kal. Octobr. levibus proeliis proſpere a rege certatum, *indeque felicis ſucceſſus augurium captum.* Infelicius poſtridie a Meduanio pugnatum. *Biduo poſt cum hoſtis ſe caſtris continuiſſet, regii Poleto egreſſi ad* c *ex hoſtibus caedunt.* xi Kal. Octobr. demum totis viribus certatur, *et primo impetu Sagonae comes Caroli Aureliani Franciae prioris quaſi de regis patrui paricidis poenam repoſcentis manu mactatus eſt. Tum ad vallum, in quo rex erat, progreſſis Germanis, qui Meduanio militabant, initio de deditione agi coeptum; qui, cum de ſtipendio ſibi debito non caveretur, ſubito converſis armis regios infeſtant,* et in certamine illo ad cccc ex hoſtibus ceciderunt; multi capti. *Deſiderati Jacobus Agutius Santandreanus comitis Saltuenſis frater, et Claudius Caſtelletus Duillius: ex regiis Joſias Rupifulcaudius Ruſſii comes, et Carolus Martellus Baccavilla. Ad Arcas rurſus a Gardo, qui arcem tenebat, damno adfecti hoſtes; et* tandem Meduanius iii *Non. Octobr. omnino* ab obſidione diſceſſit. *Qui Rotomagi erant ſenatores, in primarium praeſidem ac reliquos, qui Cadomum interea conceſſerant, decretis fulminant, et omnem illis auctoritatem abrogant.* XII. iv ciↃ Anglorum *duce Rogerio Willelmio Dieppam appellunt. His* viribus fretus rex, *ut Meduanium ad limitem excurrentem domum revocaret,* aſſumptis item Sueſſionis et Aumontii copiis, Lutetiae *propinquat, et* ſuburbia Kal. Novembr. expugnat. iↃccc *defenſores occiſi, multi capti, et in iis Edmundus Burgoinus Dominicanus, qui paricidium regis laudaſſe in concionibus dicebatur.* Meduanius ad rei famam, *non abruptis, ſicuti mandatum erat, Eſiae pontibus,* cum equitatu ad urbem venit. XIII. Bonivetus ad Bretolium oppreſſus, et poſt deditionem interfectus, *et caput ejus a milite Florimundi Halvini Menelei marchionis proxima cognatione conjuncti conto affixum et Bellovacum perlatum.* Iſſodunum in Biturigibus *a Gamachio* in fidem regis adactum. *Verum is poſtea cum ſuis a Joanne Neovio Barrenſi ad Pratenſe coenobium fuſus.* Granpratenſis comes in Campania prope Vitriacum hoſtem profligat, et *poſt Vitriaci-cremati arcem dirutam* adverſo proelio cum Sanpaulo commiſſo *magna clade afficitur,* vulneribus *etiam* acceptis, *ex quibus Catalaunum relatus* deceſſit. Fara ad Eſiam, *inſtigante Darſio,* a Menelei marchione intercepta ac direpta. XIV. *Urbanus Sangelaſius Convenarum epiſcopus tumultus Toloſani ab initio incentor factione ſua pervicit, ut* Gul. a Jouſa *provinciae vicarius* urbe pelleretur. Ratiaſti Lemovicum res turbant, quas *praeſentia animi et prudentia ſua* Annas Levius Ventadurius compreſſit. *Motus auctores ſupplicio affecti. Epiſcopus urbe exactus.* XV. Lutetiae qui jus dicebant, decretis in regios fulminant. XVI. Caeſaroduni Turonum detecta conjuratio *in Carolum Vindocinum regis patruelem et Lenuncurium cardinaleis, Aegidium Sovraeum*

provinciae

Tom. IV. *provinciae praeſidem, Jacobum Faium Speſſaeum, alios; quibus oppreſſis hinc Cl. Caſtreus ex Biturigibus, inde ex Pictonibus Georgius Villoclarus Guerchius, urbem cum ſuis copiis occupaturi erant.* Conſcii *qui comprehenſi ſunt plerique ex ſacro ordine ut in ſeditione* ſupplicio adfecti. *Sammartiniani collegii ſodalis Tornator Vindocini interventu poenae eximitur. Inde calumniandi regios arrepta occaſio, quaſi in monachos et ſacerdotes ſaevirent; eaque de re evulgata Lutetiae decreta, etiam per tubicinem Caeſarodunum ad ſenatum miſſa. Contraria decreta, poſtulante Jacobo Gueſlaeo cognitore regio, Lutetiam remiſſa. Cautum et ſenatus-conſulto pro donationibus, quae inſinuatione egebant, ut in archiva curiae referrentur, atque ita valerent, quamdiu bellum duraret, ac ſi locis a lege praeſcriptis eſſent inſinuatae. Ludibrio* Carolus Borbonius cardinalis captivus poſt quadrimeſtre, *cum in actis ejus nomen minime expreſſum eſſet,* ex occaſione *nominatim* rex vocatus. Decretum de ea re factum, *et ſecundum haec indicta Metioſedi regni comitia in Februarium proximum.* XVII. Pontifex, non expectato Franciſci Lucemburgici Pinaci ducis, cum principum *et nobilitatis, quae circa regem erat,* mandatis ad eum miſſi, ad urbem adventu, Cajetanum cardinalem *inſtante Lazaro Coqueleio* in Galliam legat. *Mandatis pontificiis nulla cardinalis captivi ſive Caroli* X *mentio: quod rurſus nova murmura Lutetiae excitavit.* XVIII. Rex relictis ſuburbiis Stampas concedit*: ubi Alexander Claromontius in Lodevenſi dioeceſi comes, qui a rege defecerat, captus.* Aloiſia Henrici III vidua de paricidio deceſſoris ſui vindicando regem per libellum et literas interpellat. Rex Caſtellodunum venit; ibique legati Helvetiorum, *qui ad ſuos pagos miſſi fuerant,* auditi *fidem ſuam regi deferunt, et* foedus *cum deceſſoribus initum* cum ipſo renovari petunt. XIX. Quid Venetiis actum ſit ad primum paricidii Henrici III nuncium. Inde ſponſiones, inde comploratio. *Repetito per Joannem Mocenicum, qui Caeſároduni erat, priore nuncio, et addito principes ac proceres totumque exercitum concordibus votis Navarrum regem ſalutaſſe, ex comploratione publica paulum animi erecti; et, M. Antonio Barbaro S. Marci procuratore referente, decretum ut ad eum ſenatus nomine tanquam Franciae regem ſcriberetur, nequicquam pontificio, Philippico, ac Sabaudiae ducis frementibus legatis.* XX. *Venetiis tunc erat Jac. Aug. Thuanus, et Gaſpar Schombergius Nantolii comes Florentiae, qui ſemel atque iterum Mantuae convenerunt; acceptaque in occulto Etruſci et Gonzagae fide Veronam veniunt et iter dividunt. Schombergius in Germaniam tendit, datis Thuano mandatis ad regem perferendis, qui per Rhaetos et Helvetios iter habuit. Pecunia ab Etruſco in Germanicos delectus commodata, et jam Auguſtam Vindelicorum praemiſſa, intellecta Henrici* III *morte ſubito revocatur. Leo Scotus ſenator Pariſienſis ab Henoticis ad Helvetios miſſus ope pontificii et Philippici oratoris regias res conturbat. Nic. Brulartus Sillerius res regis apud eos procurat. Secreta Etruſci ad regem mandata a Thuano ex Schombergii fide perlata.* Vindocinum obſeſſum; *quod cum Benehartius, qui arcem tenebat, neque defendere, neque de deditionis legibus convenire potuiſſet, facta vi* expugnatum *fuit; ipſeque ſtatim comprehenſus et Franciſcanus, qui rebellioni concionibus ſuis cauſam dediſſe dicebatur, militari judicio a Birono ad mortem damnati.* XXI. Inde rex Caeſarodunum in Turones excurrit, et a Joanne Mocenico oratore Veneto rex Franciae ſalutatur, *excuſatione praemiſſa, quod non per oratores extra ordinem miſſos ſenatus officio defunctus eſſet; quod propediem, cum per itinerum ſecuritatem liceret, facturus eſſet.* Vindini Cenomanorum obſidio, et, *poſt ſuburbia longe ampliſſima ab obſeſſis incendio conſumpta,* deditio ſecuta. *Bellomontium, Tuvolia arx, Lavallum, Guntheri-caſtrum, Sablatum* in fidem accepta. Conventus regni Februario indicti in Eid. Mart. rejecti; *intra quod tempus bona ſpe fretus rex fore praedicit, ut Deus difficultatibus his et aliis ſubinde exorientibus componendis viam inveniat, quod augurium Euriacae pugnae fuit eo die commiſſae.* Helvetii, accepta *Francofurti Nivernii depoſita* pecunia, dimittuntur. *Eam ob rem ad Nivernium miſſus Thuanus, qui apocham Nivernii ad regem attulit, et de bello contra Sabaudum movendo conſilium ſcripto comprehenſum.* XXII. Sabaudus poſt Henrici III mortem ad ſenatum Gratianopolitanum

ſcribit,

ſcribit, *et ſui ut tanquam ultimi regis amita prognati in ſucceſſione ratio habeatur petit, aliis ob ſectariae pravitatis vitium ab ea excluſis. Res a ſenatu ad comitia regni rejecta, interim armorum vim ab eo deprecante, ne induciae inter Ornanum et Diguierium pactae violentur.* Bellum a Sabaudo in Provinciam tranſlatum. *Lambeſcum a Valeta captum, et ob caedem Onufrii Rameſortii trucidatis defenſoribus incendio deletum. Valetani in tranſitu Rhodani a Carſio comite ad Taraſconem caeſi : ex occaſione luci in proximo excidendi oppidanis egreſſis, Taraſconem nobiles regiis partibus faventes occupant. Alexander Vitellius a Sabaudo in Provinciam miſſus.* Bellum Genevenſe recrudeſcit. *Bona deditione recepta* XI *Kal. Septembreis, occiſis contra fidem datam praeſidiariis.* XXC *pagi in Gexenſi praefectura incendio vaſtati. Verſoviam* II *a Geneva leucis in Lemani ripa munire inſtituit Sabaudus.: munitioni a S. Mauritio nomen poſitum : quae ſtatim a Genevenſibus cum arce recepta eſt, et munitionibus deſtructis navigationi lacus libertas reſtituta. Tolonii arx in Provincia aſtu a Valeta per Montaltum capta.* XXIII. Caſtrum-Briandi a Dumbarenſi receptum. Alençonium *obſeſſum ac poſtremo* deditum, *cum arce quam Lagous tenebat.* Argentanum receptum, et *ex occaſione* Damfronium. Ad Faleſiam poſita caſtra, *quae a Briſſaco tenebatur.* Admotis tormentis oppidum *per arcem inferiorem* captum ac direptum; *arx inferior paulo poſt dedita. Inde* Lexovium itum ; quod admotis tormentis, *antequam diſploderentur,* a Loncampio deditum eſt. *Eodem victoriae curſu Pons-Adaemari, Pons-epiſcopi, et Noviomagus Baiocaſſium civitas* in fidem accepta. *Ad Honflorium in aeſtuario Sequanae majus negotium fuit, et in quo rex ipſe vitae periculum adiit, per inducias diſploſione facta, qua Bellofontanus, quem regem ex amictus ſimilitudine rebantur eſſe obſeſſi, interfectus eſt. Tandem a Britone equite locus deditus, et mox in propinquo arx Tuccia.*

## LIB. XCVIII.

CIƆ IƆ XC.

Henricus IV.

Pons-Esiae a Meduanio *per praefecti abſentiam* captus. *Meulantum obſeſſum, cui ſuppetias laturus rex e Neuſtria cum rapta manu advolat.* Obſidionis Meulanti exacta deſcriptio. *Joachimi Berengavillae ſolertia ac virtus in ea uſque ad regis adventum ſuſtinenda.* Vernolium in Perticenſi agro a Sueſſione in fidem acceptum. II. Sancius ad Imperii principes amicos in Germaniam remiſſus ad auxilia maturanda. *Pecunia a Norimbergenſibus et Ulmenſibus Wilhelmi Heſſi commendatione ſumpta. Copiae, antequam jurejurando adigerentur, a Carolo Lotharingiae duce in campis Argentoratenſibus ad Botzemam diſturbatae. Quae ſuperfuerunt, diverſis itineribus in Galliam deſcenderunt. Pars ad Metim haeſit; pars per Lingones in Heduos pervenit, et ſe cum Aumontio, qui illis locis bellum gerebat, conjunxit.* III. Monbarri irrita obſidio. IV. Lucemburgicus Romam venit, et mandata *a regiae proſapiae principibus aliiſque proceribus ac regni officialibus quae habebat* pontifici coram exponit. *Ad eorum literas tandem* pontifex, *ſed poſt Euriacae pugnae nuncium,* ambigue reſpondet. V. Cajetanus legatus Lutetiam venit, *ab Santionio compoſita ad tempus oratione ſalutatus. Facultates legati contra regni jura, ut erant tempora, promulgatae. Ipſe in locum majorum venit; et cum ſub uraniſco ſedere vellet, quae ſedes regis eſt ſolius, Barnabas Briſſonius manu prenſum retinuit, et in inferioribus ſubſelliis e regione poſt ſe ſecundo loco ſedere juſſit.* Rex ſuper adventu Cajetani diploma ad ſenatum mittit, et ſecundum illud ſenatus-conſultum factum ; cui contrarium decretum ſtatim Lutetiae conditum *fuit.* Sorbonici collegii contra regem cenſura. Cajetanus ad epiſcopos *et archiepiſcopos,* qui regis partibus favebant, ſcribit, *ut ſe ab illo ſegregent, neque praetextu illum inſtruendi in eo loco maneant, in quo dominatum is exerceat, qui a ſancta ſede jampridem extra eccleſiae communionem ſit poſitus, et in quo ipſis ſine animae periculo verſari non liceat.* VI. Conditum et a Pariſienſibus *in eam rem* decretum *ad diluendam invidiam ſucceſſionis regni in incerto relictae,* quo Carolo X obedientiam praeſtare cuncti jubentur, *et iterum pro unione jusjurandum ab omnibus*

Tom. IV. *omnibus exigitur.* VII. Philippi eodem tempore evulgatum diploma VIII *Eid. Martias,* quo ſtudium ſuum in conſervanda Catholica religione *et ſectario malo extirpando* teſtabatur, *repetita ab Henrici* II *temporibus origine,* operamque ad Carolum X liberandum ſuam offert, *et ad id cunctos principes hortatur, quo facto concordibus votis arma contra Mahumetanos ad terram ſanctam recuperandam vertantur. Imperata in id per Gaſparem Quirogam cardinalem in ſingulas dioeceſes pecunia.* VIII. Lugduni detecta conſpiratio de urbe H. Momorantio tradenda. Arx Rotomagi intercepta et ſtatim dedita. Edmundus Burgoinus Dominicanus in ſuburbiis urbis captus, *qui Clementis factum laudaſſe dicebatur,* Caeſaroduni ad mortem damnatur, *quam ſumma conſtantia pertulit in quatuor partes ab equis diſcerptus, cum paricidium palam deteſtaretur, et graviſſimam poenam commeritum eum diceret, qui facti ſuaſor aut auctor extitiſſet.* IX. Caſtra ad Drocum poſita pridie Kal. Mart. Poſt irritam oppugnationem, *hoſte adventante,* deducta tormenta. *Jam tunc aperte Philippus res foederatorum adjuvabat, et Meduanius Bruxellas profectus copias auxiliareis a Parmenſi acceptas ſecum trahebat.* X. Ad Andreae-fanum, *quod* IV *a Nonancuria leucis verſus Euriacum abeſt,* regia acies inſtructa. Ejus ordo. Meduanius ſuos ex adverſo neceſſitate victus inſtruit. *Turbata incumbentibus Germanis a regiorum tormentorum diſploſione infeſtatis acie, ſtatim* ad regem victoria inclinat, *quae tamen diu inter duo praetoria vexilla haeſit.* Meduanius dilabentibus ſuis deſertus ad Medontam receptum habuit. *Helvetii, qui ultimi in campo ſervatis ordinibus remanſerant, tormentis admotis deditionem paciſcuntur, et traditis ſignis et ſtatim reſtitutis dimittuntur.* XI. Meduanius Medonta profectus, quae ſtatim regi, *qui Roſnii in proximo hoſpitium ſumpſerat,* patuit, fanum Dionyſii venit, *plebis Pariſienſis commotae primos occurſus vitans*; et *inde* datis ad Philippum literis ſucceſſum neceſſitate pugnandi excuſat, *et ſi porro ſubſidiis ab eo juvetur, ſpem facit fore, ut non ſolum jacturam ſarturus, ſed majores progreſſus contra Navarrum ſit proculdubio facturus.* Ad pontificem eodem die dat literas, eodem quoad ſucceſſum exemplo, ſed ex Hiſpanorum conſilio addita expoſtulatione, quod in tam juſta cauſa neque milite neque pecunia ab eo juvetur. *De ſubſidiis mittendis Romae inter pontificem et Philippicos legatos altercationes acerbitatis plenae.* XII. In Arvernis, *eodem quo ad Euriacum die,* a regiis ad Iſſoriacum feliciter pugnatum. *Randanus foederatorum dux ex vulnere ſtatim deceſſit. Arx Iſſoriaci, quae obſidebatur, dedita.* XIII. *Sub id poſt hos ſucceſſus* Bironus, *dum rex Medontae eſſet,* a Cajetano cardinali ad colloquium vocatus Noſiacum venit *cum Anna Anglurio Givrio; qui, ut erat feſtivus, ludibrio legatum ad poenitentiam ipſum impertita benedictione hortantem excepit. Colloquii is exitus fuit, ut Cajetanus animadverterit, longe aliter in Romana aula inter homines de calamitate aliena ſecuros diſputari, aliter in ipſo regno inter proceres et nobilitatem de regni cauſa exiſtimari ac judicari.* Injecti *tunc* de pace *ſeu reconciliatione* inter regem et Meduanium, *Philippo Mornaeo Pleſſio et Villaregio mediis,* ſermones. XIV. Corbolium et Latiniacum regi deduntur. Res feliciter in Mediomatricibus a Sobolio et Realio geſtae. Lanſaci copiae in Cenomanis ad Meduanam caeſae. Pontifex, *a Nivernio monitus et Lucemburgico,* per literas Cajetano ſuccenſet, quod non potius cum Vindocino et Lenuncuriano aliiſque principibus *ac proceribus regni,* quam cum Meduanio, capita contulerit. XV. In Armorica Maclovii-fani arx, *quam Honoratus Buellius Fontanus regis nomine tenebat,* a Maclovienſibus intercepta, *et ipſo Fontano interfecto direpta.* Ad Melodunum poſita a rege caſtra, et oppidum *triplex* partim vi captum partim deditum. Sequanae et Matronae atque adeo Igonnae impoſita minora oppida in fidem accepta. Ad Agendicum Senonum civitatem, *quam Chanvallonius tenebat,* poſita caſtra; *et facta pulſatione oppugnatio tentata, ſpe in occulto deditionis ſecuturae facta.* XVI. De induciis Cajetanus interventu Cenetenſis epiſcopi cum Birono agit, quo, mora interpoſita, interim commeatus Lutetiam copioſior importaretur, *et ſubſidia e Belgio advenirent.* Regis cum Cenetenſi *fortuitus et tamen deſtinatus* occurſus et ſermones. XVII. Vernolium in Perticenſi agro a Carolo Fr. Roſello Medavidio interceptum, *Theodoro Lignerio praefecto capto, et Joanne Drocenſi*

*Drocenſi Morinvilla nobilitatis praecellentis et virtutis duce.* Legiones Tavanii vicecomitis a Monpenſerio, et Ponſenaci a Car. Humerio caeſae. Res item feliciter a Realio ad Felinum in Mediomatricibus geſta. Pontificis cum Olivare Philippico oratore acerbae contentiones. Rex Calas S. Botrudis venit, et Lutetiam uſque cum delectis progreſſus ad S. Martini ſuburbium certat; *quo in certamine Fr. Lanovius graviter vulneratur.* Charentonii et S. Mauri Foſſatenſis pontes ad Matronam occupantur. Eſiae pontes itidem capiuntur. Firmitas Bernardi, *Drago Comneno pulſo,* regi ab oppidanis vindicatur. XVIII. Carolus Borbonius cardinalis ſenior *ex calculi doloribus* Fontenaii moritur; ejuſque regis ad ludibrium creati morte incerta inter foederatos ſucceſſio jacet. *Inde Hiſpani de regno ipſi cernendo accenſa ambitio, cui ſe Meduanius ſemper conſtantiſſime oppoſuit.* XIX. *Ad fraenandos plebis in urbe et toto regno impatienteis animos* a Sexdecimanis collegium Sorbonicum de ſucceſſione conſulitur; decretumque *ex ipſorum ſententia contra regem omneiſque patrueleis et partibus eorum addictos conditur,* a Cajetano cardinali legato, *Fr. Panigarolo,* et *Roberto Bellarmino,* qui cum eo erant, probatum. XX. *Tum* ſupplicationes ad plebem deludendam inſtitutae, in quibus ordines ſacri armati, *praeeunte Gul. Roſa Silvanectenſi epiſcopo, militantis eccleſiae ſpeciem referentes,* magna piorum offenſione incedebant; *etiam diſploſis a rudibus monachis ſcloppetis domeſticus Cajetani interfectus.* Urbs ad anguſtias ſummas redacta; in qua cum ſummo imperio Nemoroſius erat, et Bernardinus Mendoza omnia ſumma cum Cajetano faciebat, ut plebs ad perniciem obduraret.

## L I B. XCIX.

CIↃIↃXC.
Henricus IV.

Bordeseria Aureliano egreſſus Magdunum ad Ligerim *admotis tormentis capit,* et Caſtellodunum in poteſtatem redigit. Eo mox miſſus Aumontius; *qui ſuburbia et oppidum cum recepiſſet, longe graviſſimum damnum* c *amplius* CIↃ *aureorum aeſtimatum accepit, igne ab hoſte maligne immiſſo, qui ampliſſima illa ſuburbia depaſtus eſt.* Urbe ad extremas anguſtias redacta ſenatusconſultum factum, quo de pace cum Henrico Borbonio agere *aut mentionem injicere* capitale erat. Crebrae inter haec velitationes. II. Dammartinum in Pariſienſi agro, *locus commeatu abundans, poſt diutinam obſidionem* in poteſtatem regis venit. Dionyſii item fanum, quo capto in arcto urbs relinquebatur. III. Philippus Huraltus Cevernius cancellarius in aulam revocatur. Nivernius *domo, qua per has turbas ſe continuerat,* in regis caſtra venit, et cum delectis copiis Turenae vicecomes *vix ex diuturno morbo recreatus.* Inſidiae ad intercipiendum Silvanectum a Ronaeo ſtructae ac detectae: xxvii *ſive monachi ſive ſacerdotes conſcii, nulla fori praeſcriptionis ratione habita, extremo ſupplicio affecti.* IV. Irritum Cajetani cum Jo. Vivono Piſanii marchione *in Hier. Gondii aedibus* colloquium. Suburbia omnia eodem tempore a rege capta. Magna in caſtris regiis ſecuritas, et incerta de Parmenſis adventu adhuc fama. Toto trimeſtri in urbe xii hominum CIↃ fame abſumpta. *Tumultus in palatii area panem aut pacem petentium.* V. Condictus colloquio ad S. Antonii coenobium extra muros Gondio cardinali et archiepiſcopo Lugdunenſi locus, quo rex cum Cevernio cancellario et Birono equitum tribuno venit. Petitionibus delegatorum reſponſum *ex tempore ſumma gravitate* a rege, *quod et ſcriptis comprehenſum illis traditum fuit.* Literae regis ad Nemoroſium, *ut ſe reſpiciat et conditiones accipiat, hortantis.* VI. Meduanii et mox Parmenſis cum toto exercitu ad Meldorum civitatem adventus. Nantolieta arx praeſidio valido firmata. Petri Delbenii ad fanum Dionyſii obitus. VII. Rex, *deducto ex ſuburbiis milite,* obviam hoſti cum toto exercitu proficiſcitur, *et ad Calas caſtra metatur. Inde* miſſus ad Meduanium fecialis qui proelii copiam faceret. Ad denunciationem reſponſum Parmenſis, qui interim Latiniacum oppugnatione capit. *Urbs, ex indignatione, nocturna oppugnatione fruſtra tentata.* VIII. Rex, datis ad praefectos literis, irritae obſidionis caſum elevat. Dimiſſi belli duces in ſuas quiſque provincias. Rex Silvanectum concedit; ubi Jac. Faius Speſſaeus,

Speſſaeus, *magno ſui relicto deſiderio*, obiit. Claromontium oppugnatione captum et arx dedita, *cui Morellius Choſius impoſitus*. Tavanius vicecomes et Falandrius a Guichio, Ragniaco, Sipetra, occurſu fortuito caeſi. Mirabellum in Pictonibus *ſive Salmurienſi praefectura* a Villoclaro Guerchio vi captum. Auguſtobona Tricaſſium magna cum regiorum jactura fruſtra tentata; *et Soloturienſis e primaria nobilitate, qui carcere attinebatur, in eo conatu crudeliter a furente plebe mactatus*. IX. Corbolium a Parmenſi vi captum. Rex Geſſoriaco in agro Vexinenſi Turenae vicecomitem ad auxiliarem exercitum ſcribendum mittit. X. Corbolium *crepitaculis admotis* a Givrio receptum. *Diutina et tandem* irrita Menehildis-fani in Campania a Lotharingicis copiis obſidio. Poxium a Nivernio vi captum et *trucidatis defenſoribus* direptum. XI. Rex Parmenſem cum rapta manu inſequitur, *et juxta Fimum adſecutus aciem ſtruit, et periculoſe certat, ſed exiguo damno, et ad Pontarſium receptum habuit. Nivernio, Givrio, et Parabero in caſtra venientibus ultra proceſſum, et ad Creſciacum haud longe ab Arbore Guiſae rurſus certatum. Inde rex abeunte Parmenſi Quintini-fanum venit*. Corbia *admotis crepitaculis in proximo* ab Humerio capta, *et in ea Pontius Bellaforerius occiſus*. Villafranca in Campaniae limite a Sanpaulo occupata. XII. Henrici Dumbarenſis in Armorica contra Mercurianum res geſtae. *Vitreacum fruſtra a Mercuriano obſeſſum, et arx amiſſa ac ſubito recepta. Hennebonda a Dumbarenſi capta et munita. Lopadrum in Blaveti canali a Mercuriano captum et crudeliter direptum. In Raſcotium ſeverum Dumbarenſis judicium. Moncontarium Dumbarenſi poſt vim factam et repulſam deditur*. Auxiliaris ex Hiſpania exercitus *duce Joanne Aquila* Blavetum appellit, cui praeſto fuit Mercurianus. *Hennebonda ſtatim obſeſſa et dedita, amiſſis in ea* IX *machinis cum apparatu bellico et copioſo commeatu*. De Hiſpanorum in provinciam adventu literis ad invidiam in Mercurianum plenis apud Ordines expoſtulat Dumbarenſis. Loca in limite Armoricae et Cenomanorum ope Dumbarenſis *a Brandelio Campano Villanae marchione* recepta. XIII. Burdigalae Matignonus a ſenatu tandem obtinet, ut vetere ſigillo regio conflato novum cuderetur, in quo regis Henrici IV nomen et inſignia *Franciae et Navarrae* coelata erant. Rionium in Condomenſi agro receptum. Burgus in Garumnae et Duranii aeſtuario capitur, arce ſalva; quam Eſpernonius auxilio veniens, oppido abſcedentibus hoſtibus, penes ſe retinuit. Curiae belli tempore ad fanum Joannis Angeriaci, Bergeraci, et Montalbani, quae Proteſtantibus jus dicerent, inſtitutae, regio diplomate revocantur. XIV. Sabaudo in Provincia ſe gnaviter opponit Valeta. *Caëta in arce ſua per Diguierii amicos oppreſſus, continuoque admota Brigantioni a Diguierio tormenta, et oppidum a Claveſono deditum. Ocelli irrito conatu tentati. Salinas haud longe a Barcinona a Boeſſeto et Bricomotio male mulctatus. Superveniente Diguierio Fr. Martinengus a Maximini-fano, quod arcta obſidione cinxerat, diſcedit. Barta a Diguierio capta. Pauli-fanum a Sabaudo captum, et ſubito a Diguierio ſuperveniente recipitur. Ad Calmoſium caeſi hoſtes. Sonnas cum Seguſionem peteret, Diguierio incumbente,* CCCC *ex ſuis amiſſis funditur. Ocelli poſt hos ſucceſſus a Ponſenaco deduntur prid. Kal. Octobr. Venuſtus ad Talonum caeſus. Sabaudus Nicaea veniens, facto per Antipolim itinere, Julii-forum occupat. Mox et Draguinianum venit, circumpoſitis caſtellis in fidem receptis*. Carſius ad Salonem poſitis caſtris a Valeta caeſus. Aquis Sextiis ſenatus-conſultum fit, quo legatio ad Sabaudum decernitur, ut patrocinium Provinciae contra ſectarios ſuſcipiat, *eique qui rex legitimus exiſteret integram ſervaret*. A factioſis ei ad ingreſſum cuncta honorifice inſtructa. Accipitur intra urbem XVIII Kal. Octobr. *Carſio contra fremente, qui inde diſcedit; et poſtridie in ſenatum venit, et poſt habitam ab Honorato Laurentio orationem tanquam protector Provinciae in verba ſua cunctos adactos ad manus oſculum admiſit*. XV. Diguierius ad Gratianopolim *jam longo tempore obſeſſam* redit, et urbem conditionibus perſcriptis ab Albinio XI *Kal. Januar.* recipit. *In Henrici* IV *Franciae et Navarrae regis fidem omnes ordines adacti, et de religione C. A. R. ſarta tecta ſervanda cautum*. XVI. In Gexenſi praefectura capta Cluſura Genevenſes infeſtantur. *Praefectus, qui locum dediderat, Genevae ſupplicio afficitur.*

*Crudeliter*

*Crudeliter utrinque certatur. Ab Amadaeo caeſi Genevenſes temere Lurbano in lecto decumbente egreſſi.* Magna inter Juraſſum montem et Cluſuram vaſtitas. Gul. Cluniacus Conforginus Vianam fruſtra tentat. *In vindemia colligenda et certatum acriter juxta Bonam, et* CCC *circiter occiſi et* L *capti; in quos Conforginus belli jure humanius odiis ſopitis uti coepit.* Ad Cruſilliam Neapolitani et Hiſpani ab eodem caeſi. XVII. Virorum literis illuſtrium mortes; Fr. Hotomani juriſconſulti, Jac. Cujacii juriſconſulti, Gul. Salluſtii Bartaſſii, Rob. Garnerii, Jo. Bapt. Benedicti, Joannis de Nores Cyprii, Julii Alexandrini, Nicodemi Friſchlini, Franciſci Salinae, Ambroſii Moralis. Diſpar Marci Bragadini et dignus vita exitus.

## LIB. C.

Tom. V.

CIↃ IↃ XC.

Henricus IV.

In Belgio Car. Mansfeldius Berkam ad Rhenum, *omni ſpe auxiliorum per Meurſii comitis caſum praeciſa,* capit. Hiſpanorum legio, *cui Emmanuel Vega praeerat,* ob non ſolutum ſtipendium *Curtraco occupato* rebellat. Omnes Philippi vires omiſſo Belgio in Galliam verſae. Inde Mauritius et Ordines, *qui ſe defendere ſatis huc uſque habuerant,* rei gerendae occaſionem arripiunt, *et feliciſſime ab eo tempore perſequuntur.* Subſidia ab Ordinibus et Angliae regina regi miſſa. II. Breda a Mauritio *aſtu militari* intercepta. Itali ſocordiae *et ignaviae* inſimulati Bruxellis juſſu Parmenſis capite luunt. *Irrita Bredae et damnoſa obſidio. Praeſidiarii eruptione temere facta a Decio Manfredo et Corn. Gaſparino male mulctati.* III. Mauritius Neomagum in Sicambris arcta obſidione premit, et Mansfeldii adventu a vi facienda revocatur. Knodſenburgi munitio in proximo ab eo ſtructa. Nova navigationi via invenitur, *foſſa infra Neomagum a Rheno in Wahalim per Betuviam perducta. In Vorna inſula ſupra Bommelam munitio a Solmenſi comite ſtructa.* In Friſia res geſtae. Loca ad Rhenum poſt Parmenſis in Galliam profectionem, et in Brabantia, a Mauritio capta. Venloae oppidani *ſeductis Germanis praeſidiariis* Italos *ut ſibi graveis* aggrediuntur, et oppido pellunt, *ac mox Germanos, ceterum ſe in regis fide futuros Mansfeldio confirmant.* Lochemum fruſtra ab Hiſpanis tentatum. *Hovium in Eburonibus a Grobbendonco deditur. Navis* CC *amphorarum a Mauritianis juxta Oldenburgum capta conflagrat.* IV. Conventus Coloniae et poſtea Francofurti, in quo de injuriis utrinque ab Hiſpanis in limite acceptis expoſtulatio inſtituitur, *et legatio ad Parmenſem et Ordines decernitur.* Ordinum reſponſum acerbum et contra Hiſpanos invidioſum. Eorum vires hoc anno in majus auctae. V. Friderici Perrenoti Campaniaci de bello in Galliam tranſlato judicium *et augurium.* Emmanuelis Lalanii Rantiaci marchionis *ex vulnere ad Corbolium accepto nec bene curato* Bruxellis obitus. Gul. Lalanii Hocſtratani itidem mors. VI. In Livonia irritum inter Joannem Suecum et Moſcum colloquium. Jamma arx, IV *a Narva milliaribus,* a Theodoro deditione capta. *Tatari Crimei a Moſco immiſſi Suecos per Livoniam infeſtant.* Carolus Joannis Sueci frater cum Theodoro tranſigit; *et, Narva Livonica, quae arcte premebatur, retenta, Ruſſica aliiſque circum arcibus Theodoro ceſſit.* Niſoviorum *per pontem Euxinum* infeſtae excurſiones quaſi Polonis inſtigantibus factae, ad Portam Othomanam indigniſſime acceptae. *Miſſi Tatari, qui injuriam contrariis in Poloniam excurſionibus ulciſcerentur. Ii a Niſoviis profligati.* Samoſcius cum exercitu in limite comparet, et cum Turcico Moeſiae ſuperioris praetore agit, *et conditiones ab eo motus componendi propoſitas ad comitia Varſavienſia remittit.* Eliſabethae Anglae interventu Poloni cum Turco reconciliantur. Graves in Pannonia et inſoliti terrae motus. Templum Bonnae ad Rhenum conflagrat. VII. Caroli archiducis obitus. *Ejus liberi et adfinitates per eos contractae.* VIII. Sixti V mors. Plebis contra eum odium. Opera publica. *Didacus a Compluto ab eo in Sanctorum numerum relatus. Aliorum Sanctorum memoria renovata. De ejus praecipitato mortis termino ab Hiſpanis diſſeminata maligne narratio.* IX. Jo. Bapt. Caſtanaeus, qui Urbanus VII dici voluit, in ejus locum ſuffectus, paucorum dierum pontifex. Quo *rurſus* mortuo magnus comitiorum aeſtus fuit in ſucceſ-

TOM. V. ſore deligendo. *Cum Sanctorius numero votorum deſtitueretur,* tandem in Sfondratum *cardinalem* ſuffragia poſt bimeſtre interregnum inclinarunt. Is Gregorius XIV dictus. X. Lucemburgici per interregnum datae ad cardinaleis graves literae. Pari libertate ad Gregorium, *poſtquam eum in pontificem electum Venetiis reſcivit, alias ſcribit,* quibus factionis Henoticae *apud nos* perniciosa *contra regnum et religionem ipſam* conſilia exagitabat. XI. Exulum *in regni Neapolitani limite et Piceno* per interregnum graſſationes. Alfonſus Picolomineus his ſe ducem praebet. *Edictum in eos propoſitum.* Octavius Caeſius et Virginius Urſinus contra eos ducunt. Picolomineus *a ſuis deſertus tandem in Biſaccionis tribuni, qui magno Etruriae duci militabat, manus incidit, a quo Florentiam perducitur, et*
CIƆ IƆ XCI. tanquam latro ſtrangulatur, *unco ad ſpectaculum appenſus, cum prius novus pontifex Montem-Marcianum, quo ducatus titulo fruebatur, Herculi Sfondrato fratris filio tanquam perduellionis crimine ad S. ſedem devolutum adjudicaſſet. Virginius Urſinus ad Bellum-montem magno vitae diſcrimine manus conſerit.* Fames Romae et in Latio. XII. Alfonſus dux Ferrariae ad urbem venit; *qui cum liberos non haberet, de imperio in Caeſarem Eſtenſem transferendo cogitans cum pontifice et cardinalibus agit,* et re infecta diſcedit. XIII. Veneti de Turcorum conſiliis veriti valido praeſidio Cretam firmant. Hier. Lipomani a Porta Othomanica revocati caſus. Bergomo et Brixiae, *quibus ſenatus ob militem in Inſubribus a Philippo ſcriptum metuebant,* proſpectum. *Pons ligneus Ripae-altae ex lapide et marmore exquiſito ſtructus, pecunia ad id ex legato Bartholomaei Coleoni ſuppeditata.* Patavii Jeſuitae patres, *qui Corneliorum favore ſublevabantur,* in ordinem redacti, *et cum profeſſores contra eos querimoniam inſtituiſſent, plura petitis jam tum a ſenatu impetraverunt.* XIV. Bellum inter Turcos et Perſas, *quod ſopitum credebatur, ex occaſione* renovatum, *Usbeco, qui Perſicae ditionis portionem uſurpabat, adfinitate et foederatione cum Perſis reconciliato.* Claſſis Turcica in Ponto Euxino inſtructa. *Aſſanis aſtrologi et Aſſanis Veneti ludificationes, et hujus miſerabilis exitus.* Sinan *ob nimiam loquendi libertatem* relegatus, et Ferhates aemulus in primarii Veziris locum ſuffectus. Grandes penſitationes deſpotis vicinis ab Amurathe imperatae. *Poloni cum Turco interventu Anglici legati et Veneti ſenatus reconciliati, et verſa contra Auſtriacos arma.* XV. Tatari in Polonorum ſenatu admiſſi et auditi, de Coſacorum injuriis ſibi ſatisfieri petentes. Chriſtophorus Sborovius *Samuelis ſupplicio affecti frater* comitiorum decreto reſtituitur. *Ab Auſtriacis legatis petitum, ut caput ſuperioris anni in comitiis contra Auſtriacos inſertum, ne quis eos in novi regis electione nominare auderet, induceretur. Tandem* diſſidia inter Auſtriacos et Polonos componuntur, contracto inter Sigiſmundum regem et Annam Caroli archiducis filiam matrimonio. *Anglico legato gratiae actae pro egregie navata in pace Turcica opera, et ut Elbingae in Boruſſia Angli inſtitores commorari poſſent, prorogata gratia.* Boruſſiae ordinum eluſa poſtulata. Cracoviae plebs contra Proteſtanteis inſurgit, *et aedeis in quibus conveniebant incenſas demolitur. Inde Proteſtantium rege inconſulto conventus.* Suecus parum proſpere res contra Moſcum gerit, *et lues peſtifera Revaliae et Narvae graſſatur.* Hanſeaticae ſocietatis conventus Lubecae celebratur. XVI. Res in Pleumoſiis et Germanico limite geſtae. Odetus Telinius *poſt ſeptennium* libertati reſtituitur. Turnohuta arx *a Bredae praeſidiariis militari* aſtu intercepta. Item Weſterloa. *Propugnaculum in ripa Iſalae ex adverſo Zutfaniae erectum a Franc. Veero captum.* Zutfania *ipſa* a Mauritio *ſuperveniente obſeſſa tandem* deditione recipitur. Daventria poſt acrem verberationem dedita. *Ad Cnotſenburgenſem munitionem in Batavia a Parmenſi clades accepta, et ſoluta loci obſidio.* Hulſta *in Flandria* per Parmenſis abſentiam a Mauritio in poteſtatem redigitur. Neomagus *et* ad deditionem *a Mauritio* compellitur, *et cadaver M. Schenkii tam indigne ab oppidanis habitum honorifice in principum provinciae monumentum infertur.* Legati a Caeſare de pace Coloniam conveniunt, et inde Bruxellas et Hagam tendunt. XVII. Anglorum ad intercipiendam Indicam claſſem improſperi primo congreſſus: clades poſtea penſata a Cumberlandio, *capta nave amphorarum* CIƆ IƆ *capaci, quam variis mercibus onuſtam triumphabundus in Angliam ſecum avexit.*

XVIII. Joannis

XVIII. Joannis Friſiae comitis et mox ſecuta Chriſtiani Saxonis ſeptemviri mors. Ejus morte res in Germania mutavere. Bernardus e Waldecenſium comitum familia ſub id deceſſit, epiſcopus Oſnabrucenſis, cui *inter multos competitores* ſuffectus Philippus Sigiſmundus Brunſvicus. XIX. Literis clarorum virorum obitus; Jac. Amioti, Ant. Chandei Sadeelis, Hug. Donelli juriſconſulti, Adolfi Metkerki, Victoris Giſelini, Ant. Carafae cardinalis, Laurentiae Strozziae, Hen. Gravii.

## LIB. CI.

CIƆ IƆ XCI.
Henricus IV.

REGINA Angliae *toties inſidiis et tandem bello ab Hiſpanis petita, quod ſuum in regis fortuna periculum verti cerneret, Horatio Pallavicino ad Imperii principes Proteſtanteis miſſo* cum iis egerat, ut regi in communi cauſa ſuccurrerent. Facta ſpe auxiliorum Turenius a rege, *cum Geſſoriaci eſſet,* mittitur cum ampliſſimis mandatis: *qui primum* in Angliam, *inde* in Bataviam *tranſiit.* II. Poſtea *cum Pallavicino* Chriſtianum Saxonem *adhuc ſuperſtitem* adivit. Inde ad alios principes et civitates digreditur. *G. Schombergius, qui in aula Saxonis antea fuerat, ei initio perſuaſerat, ut ducendi in Galliam exercitus ipſe curam ſuſciperet; et juvenis ad magna natus eo inclinabat, donec Jo. Caſimiro, penes quem conſiliorum in Germania tunc arbitrium erat, difficultates et moram ſubinde injiciente, et Caeſare ipſo annitente, ab eo conſilio deſtitit.* Schombergius ab eo tempore ſuſpectus Heidelbergam conceſſit, et in negotiis expediendis Turenio ſemper praeſto fuit, *et cum tribuni Germanicarum copiarum tanto munere commode fungi non poſſent, commodata ab Heſſo pecunia ſeorſim militem ſcripſit.* III. Argentinenſes *hinc* occaſione ſumpta de Carthuſianorum coenobio, *quod urbi quaſi imminebat,* deſtruendo conſilium pridem initum ad exitum perduxerunt, *ejuſque aeſtimationem et compenſationem Turenius regis nomine, quod ad ipſius, in cujus ditione hic ordo olim fundatus fuit, id auctoritatem ſpectaret, in ſe recepit. Ea de re jam actum cum Theodorico Schombergio fuerat; qui pugna Euriaca cum occubuiſſet, pacta cum eo inita, et rata ab ordinis delegatis habita, remanſerant irrita; ſecundum quae denuo cum ipſis conventum fuit.* IV. Ad Hohemium copiae auxiliares conveniunt, Chriſtiano Anhaltino principe duce. Summum dein imperium in Turenium *cedente Anhaltino* tranſlatum, *donec exercitus regi traderetur, quo facto Anhaltinus priſtinam auctoritatem in eo retineret.* Luſtratur et recenſetur exercitus. *G. Schombergius diverſo itinere per montana Argentoratum ducit, ibique Rhenum tranſmittit, cui ſe Fabianus Reburius aggregat.* V. Pariſienſium *apud nos* expeditio *nocturna S. Genovefae die* contra Dionyſii-fanum, *cujus cuſtodia Dominico Vico commiſſa fuerat, duce Cl. Aumalio equite Hieroſolymitano;* in qua *poſt captum oppidum* a Vico *ex deſperatione rerum ſuarum animos ſumente* ipſe oppreſſus et interfectus eſt; *quo caſu ſui jam oppidi potentes huc illuc dilapſi ſunt.* VI. Aſtu tentata Lutetia, et S. Farinatae dies. *Neapolitani praeſidiarii ex ea occaſione intra urbem admiſſi.* VII. Literae Gregorii XIV ad Philippum Segam cardinalem, *qui Lutetiae erat, quibus auxiliorum brevi mittendorum ſpem facit.* Literae item pontificis ad unionis concilium *et ad ceteros regni proceres eodem exemplo.* Hercules Sfondratus dux Montis-Marciani *creatur, et honorifico matrimonio auctus* exercitus auxiliaris imperator ſolemni ceremonia *traditis duobus vexillis* pronunciatur. *Cardinalis Lotharingus Romam venit, petens ut exercitus in Lotharingiam deſcendat, ad Germanorum tranſitum impediendum.* Meduanius per literas facultatem ſacri patrimonii in belli ſacri uſus alienandi petit. Idem Philippus *per Sueſſanum novum oratorem* a pontifice petit, et neuter obtinet. *Miſſi ad Helvetios, qui pro aere alieno, quod L. Fifero debebatur, cum Quinquepagicis tranſigerent.* Ad Laudem-Pompeiam exercitus pontificius luſtratur. VIII. Autricum Carnutum a rege inopinato obſidetur. IX. Dubio obſidionis eventu *Caeſaroduni* Tertianae factionis, *quae paene res regias evertit,* fundamenta jacta ſunt. *Color quaeſitus, quod rex, reconciliationis et amplius religioni cautum iri ſpe facta, poſt Euriacam victoriam quaſi fidei datae vinculo ſolutus rem de die in diem*

*per*

Tom. V. *per moras adfectatas extraheret. Libellus in eam rem Andegavi cuſus, quo illius auctor regem ad Catholicam religionem quamprimum amplexandam exhortabatur.* Factionis princeps cardinalis Borbonius junior ab hominibus male animatis deceptus. *Scipio Balbanius Lucenſis cum ſecretis mandatis ob id a Bellozano Romam miſſus. Ejus literae a Porta Bevillerio interceptae et ad Meduanium miſſae, et inde ad regis notitiam perveniunt.* X. Inter haec obſeſſio Autrici exitu non caruit: *ponte a Caſtellionaeo ad ruinam factam ſtrato miles in muro tectus loco edito ſiſtitur. Nec multo poſt Piſcario interfecto, qui ſtrenuam operam in defenſione navaverat, colloquium poſcit* Bordeſeria *et* urbem dedit. Ad levandos agreſteis edicto militares leges publicatae. Decuria Rupellae, quae de praedis *Henrico* III *rege a Navarro inſtituta* judicabat, edicto itidem revocatur, *decimis, quae ex iis exigebantur, remiſſis.* XI. Theodorici-caſtrum ad Matronam ſub id *ſive vi ſive ſecreto conſilio* deditum res regias conturbavit. *Pinariis, qui locum tenebant, ob id negotium faceſſitur, vixque exſoluta grandi pecunia uterque ſe periculo exſolvit.* Dordinga et Alnetenſis arx a Birono obſeſſa et in fidem accepta. XII. Lotharingici omnes *aut ipſi aut per legatos, ut et Sabaudus,* Lutetiae de republica conſultaturi conveniunt. Pontifex Philippo inſtigante regis Catholici electionem urget. Aemulationes inter contendenteis. Legatio *pro auxiliis validioribus* ad Philippum decernitur; cui obeundae Petrus Janinus deſignatus. Fr. Lucemburgici literae ad pontificem novum, quibus Marſilii Landriani *cum mandatis acerbitatis plenis* adventum in Galliam multis *ac gravibus* de cauſis deprecabatur. XIII. Caſtrum-Galliardi ad Sequanam a rege in fidem acceptum. *Inde expeditio contra Lupariam feliciter ſuſcepta, et locus medio die interceptus. In eo captus Cl. Sanctius Ebroicenſis epiſcopus paulum a periculo abſuit, ob libros contra regium nomen ſcriptos.* Cardinalis Borbonius Caeſaroduno in aulam ſive in caſtra evocatus, *quaeſito colore ut conſiſtorium prius divulſum in unum cogeretur, re vera ad labefactandam Tertianae factionis in dies invaleſcentem potentiam.* Fr. Borbonio Contio exercitus in Pictones ducendus attribuitur, *ſpreto ob ſuſpiciones Sueſſione.* XIV. Contra Landriani mandata in Catalaunenſi curia ſenatus-conſultum horridae libertatis praecipiti affectu factum. XV. Regis edictum, quo Julianum ultimum deceſſoris ſui revocabatur, cum Medontae eſſet, conditum; cui cardinalis Borbonius intempeſtive intercedere voluit; *et, cum aliud non poſſet, ſurgendo obrogare; ſed cum nemo praeſulum, qui frequentes aderant, ejus exemplum ſequeretur, rurſus ſedere juſſus obmutuit.* XVI. Edicto Caeſarodunum allato, quo et Landriani mandata exagitabantur, dictae graves ſententiae, *et epiſtolae Leodicenſium in cauſa Henrici* IV *Caeſaris diris devoti ad Paſchalem* II *renovata memoria.* Secundum haec pari gravitate ac libertate ſenatus-conſultum factum, *perorante Antonio Seguierio fiſci patrono.* XVII. Dein contra Catalaunenſe et mox Caeſarodunenſe ſenatus-conſulta contraria Lutetiae facta. XVIII. Medonta *nocturno aſtu ab Henoticorum vicinis praeſidiis* per regis abſentiam tentata. Helvetii jam dimiſſi *cum ad Udencum hoſpitium haberent* fruſtra a Meduanio ſolicitati, ut per unionis urbes iter haberent. Conſiſtorium regis poſt Medontae detectam conjurationem Autricum transfertur, ubi praeſulum, qui in comitatu regis erant, concilium cogitur, in eoque contra Landriani mandata fit decretum, *quo interdictum ab eo promulgatum nullum declaratur, et* legatio ad pontificem permiſſu regis mittenda decernitur. Intercedit ſenatus, *ne recenti adhuc ſenatus-conſultorum, quae Romam mittere prohibebant, memoria legatio praecipitaretur.* Multa hinc inde ſcripta pro interdicti defenſione et adverſus illud promulgata. XIX. Rex ad Noviodunum caſtra ponit. *Obſeſſis ſuppetias Tavanius vicecomes laturus capitur. Contra levem regis armaturam ancipiti pugna certatur. S. Bartholomaei coenobium oppugnatione captum.* Tandem urbs a Villa deditur. XX. Guiſius, qui Caeſaroduni in arce cuſtodiebatur, deluſis cuſtodibus elabitur XVIII Kal. Novembr. *medio die, et obvios Caſtreum alioſque conſcios habuit.* XXI. Albiniacum in Biturigibus fruſtra obſeſſum. In Lemovicibus infeliciter ad Aredii-fanum a regiis pugnatum, *in eoque proelio deſiderati Rupifulcaudius comes, Coſta-mezerius, alii primarii e nobilitate duces; neque tamen Aredii-fanum, quod Cambaretus tuebatur, amiſſum.* Guerchius Belacum

iacum in Marcia obſidet ; ſed *poſt unam et alteram oppugnationem irritam et cuneos actos, cum res in arcto eſſent,* ſuperveniente Cambareto *cum Petrogurdio obſeſſi confirmantur, et Guerchius* ab obſidione diſcedit. XXII. Calviniacum a Contio captum. Oblinca, Bella-arbos, Arcimboldi-burgus, et Savini-fanum in fidem accepta. Mirabellum *eodem victoriae curſu* a Contio cum arce captum. Cellae et receptae in Biturigibus. Ad Morilloni-montem hoſtes cc caeſi a Petro Pideo Neda, *quem Contius Calviniaco impoſuerat.*

## LIB. CII.

CIↃ IↃ XCI.

Henricus IV.

Chevrerius Mercuriani dux, *dum delectus* in Andibus *haberet,* a Pichariсo caeſus. Bellae-inſulae marchio ad Mercurianum deficit. Moncontürium oppidum *in Briocenſi dioeceſi* a Sanlaurentio interceptum. *Admotis ad arcem tormentis* cum ſuperveniſſet Coëtkeni marchio *acriter pugnatur, et* Sanlaurentius, *qui Coëtkeni filiam in uxorem duxerat,* c *ex ſuis amiſſis* in fugam pulſus. *Quemadeus ex regiis deſideratus.* II. Angli auxiliares *duce Edvardo Norriſio* Pimpolium appellunt. *Brehealis inſula Pentevriae ditionis a Tremblaio ope Anglorum in poteſtatem redacta. Dumbarenſis coacto exercitu Guingamum capit. Inter Guingamum et Quintinum Dumbarenſis et Mercurianus utrinque inſtructa totum triduum ſtant acie, medio rivulo, nec ulla re geſta.* III. Fr. Lanovius in caſtra venit. Juxta Curlaecum hoſtis caeſus. Infelix de Lembala obſidenda captum conſilium ; ad quam Lanovius, *dum locum propius luſtrat,* lethali vulnere feritur, et *Moncontürium deductus* xviii poſt die *ſumma animi conſtantia inter Monmartini manus* deceſſit. *Soluta obſidione Dumbarenſis fanum Brioci conceſſit. Velitationibus dein utrinque tantum certatum. Caſtellio inter Fulgeriam et Vitreacum a regiis captus. Lavalli juridicus ira praecipiti in furcam actus. Coteniſanus itidem indigne habitus. Blanium Roanorum arx regali ſtructura a Mercuriano capta et incendio fortuito conſumpta.* Hunaldaei primarii provinciae reguli obitus. Sanlaurentius ad Seſſoniam turrem a Surdeaco caeſus, et ipſe captus. Monianum in Cenomanis *a Pleſſio Cratumni praefecto, locum prodente Moyſe Maſſono Cricabovii, qui praeerat, domeſtico,* interceptum, *et ipſe Cricabovius ſpoliatus et immaniter interfectus.* Juxta Peiracum in Cadurcis a Ventadurio et Teminio hoſtes caeſi. *Peiracum dein captum* vi *Kal. Decembr. et plerique in eo hoſtium caeſi, quidam et e nobilitate primaria capti.* IV. In Allobrogibus Diguierius *poſt acceptam in fidem Gratianopolim Scalas ditionis Sabaudicae ducit, et oppidum cum arce capit. In Provinciam inde a Valeta invitatus diſcedit, et loca quaedam in Saltuenſi comitatu recipit. Ad Vinonem ſe cum Valeta conjungit Berrae obſeſſis ſuppetias laturus. Ad Sparronem* xvii *Kal. Maias hoſtes caeſi.* cc *equites deſiderati et capta* iii *ſigna. Poſtridie major accepta clades, cum reliqui a ſtrage ſe victoris arbitrio dediſſent.* ccc *fere equites,* ciↄ *pedites exarmati et captivi retenti, et in iis Alexander Vitellius, Sanromanus, et* xxx *ductores.* xv *ſigna itidem amiſſa. Mariniana et Giamum expugnatum. Reducto a Diguierio exercitu Camberium fruſtra tentatum. Blaconus Monſloriacum caſtellum vi capit. Givorda caſtellum in agro Lugdunenſi vi captum. Ad Monmelianum diſcurſante huc illuc Diguierio certatum. Berra tandem a Sabaudi ducibus capta. Lucium Caſtellum archiepiſcopi Aquenſis a Diguierio vi captum.* V. Copiae Pontificiae in Sabaudiam deſcendunt. Ad Charrae-pontem *in Baiardae arcis conſpectu* feliciter certatum Diguierii auſpiciis. *Bis mille quingenti ex hoſtibus interfecti.* ccc *equi bellatores capti, et* xviii *ſigna. Ad Bellilocum* iↄ *poſtridie interfecti. Parta ingens praeda* cc *aureorum* ciↄ *aeſtimata. Barcino in comitatu a Diguierio capta, qui inde ad Valetam, qui Digniam obſidebat, contendit. Dignia tandem dedita. Inde ad fanum Reparatae conjunctis viribus veniunt, quod a Sabaudo obſidebatur. Soluta eorum adventu obſidio.* Chriſtiana Daguerra Saltuenſis comitis vidua virili animo foemina a Sabaudo alienatur. Maſſilienſes ſuſpectum Sabaudi patrocinium habent, *et Pierrobonum ei addictum urbe pellunt.*

 Ad

TOM. V. Ad Vinonem Sabaudus a Valeta caeſus, *qui inde Sparronem venit et vicina Berrae loca in poteſtatem redegit.* VI. Sancii in Sabaudia res geſtae. Regia Hiſpanorum pecunia in Rinfeldia ſylva capta. *Tres equitum turmae in Veneta ditione a Pauſania Brachiaduro, Portiis comitibus fratribus, et F. Naſio ſcriptae ad Sancium veniunt. Ad Buringam poſita caſtra, et certatum, magnoque in diſcrimine verſatus Brachiadurus. Dilapſis praeſidiariis Buringa in Sancii poteſtatem venit, muris poſtea nudata, et rurſus a Sabaudo inſtaurata.* Guitrius bello in Sabaudia gerendo a rege deſtinatus in caſtra venit, et Verſoviae *admotis tormentis* oppidum capit ac crudeliter diripit. Arx paulo poſt a Compoſio deditur. Mox et Evianum municipium *in lacus ripa ſitum* capitur, *et pari crudelitate diripitur.* IV Eid. Mart. ad Monthovium pugnatur : Sonnas, *proelii aliis diſſentientibus auctor*, in primis ordinibus pugnans cadit. VII. Guitrius dein in Aumontii, qui rem in Heduis gerebat, caſtra venit, *in itinere varia peſte adflictus, Brachiaduri et Portii turmis caeſis.* Auguſtoduni origo, nomina, ſitus. Ad urbem poſita caſtra. Artuſius, qui Cabilonis arcem tenebat, tradendae arcis ſpe facta Aumontium deludit. Tandem Auguſtoduni obſidio *poſt aliquot oppugnationes* ſolvitur. VIII. Nemoroſii conſilia et conatus. Ad Virodunum, *convenientibus Lotharingiae duce, Meduanio, Nemoroſio,* luſtratae pontificiae copiae, *a quibus Cajetanus diſceſſerat.* IX. Gregorius XIV *ex calculi doloribus* decedit, *exhauſto grandi illo theſauro a deceſſore ſuo tanta cura ac parſimonia congeſto.* Fames miſeranda circa urbem, et lues popularis *a fluxione, qua correpti intra decimum diem exanimabantur.* LX hominum CIↃ *eo malo* in *ſola* urbe abſumpta. *Inſtante M. Bonello cardinali Alexandrino, monachis cardinalibus, quod antea non obtinuerat, galerus ruber a Gregorio conceſſus.* X. Huic paucorum dierum Jo. Antonius Fachinettus ſuffectus, qui Innocentius IX dici voluit. Cum multa *praeclara* animo agitaret, *in bellum Gallicum* L *aureorum* CIↃ *in ſingulos menſeis deſtinaſſet,* poſt bimeſtre deceſſit. XI. Factio ſexdecimanorum, *qui et zelotae dici gaudebant,* Lutetiae invaleſcit, *et ex cardinalis Segae conſilio Hiſpanis enixe faventis regebatur.* Gondius cardinalis ſibi et bonis metuens urbe diſcedit. Pulſo epiſcopo factio ſenatum aggreditur. XII. Barnabae Briſſonii ſenatus Pariſienſis praeſidis *inſtigante J. M. Cromaeo* deploranda mors; et cum eo a ſexdecimanis crudeli ſupplicio adfecti Claudius Arcerius et Jo. Tardivius. XIII. Sexdecimanorum ſuper Guiſii liberatione et Briſſonii morte ad Philippum literae, quibus ei regnum adminiſtrandum, *aut per ſe, aut per eum quem ſereniſſimae infanti filiae generum deſtinaverit,* deferunt : quae in itinere *a Chaſerone* interceptae ad regem perlatae ſunt. *Hoc ſucceſſu tentata Meduanii patientia, Sega et Hiſpani, quatenus ulteriora ferre poſſet, longe expectatione ſua falluntur.* XIV. Meduanius ad rei nuncium *tantos irarum aeſtus generoſo animo concepit, ut, omni alia re omiſſa, ab exercitu* in urbem ſibi *quamprimum* revertendum exiſtimaverit. Baſtilia protinus a Buſſio *impunitatem pacto* reſtituitur, *eique Burgus imponitur.* Per Vitrium Luſcarius, Anruxius, Emonotus, Amelinus comprehenſi, *et ad ceterorum terrorem* in ima Luparae aula laqueo gula fracta ſuſpenſi. *Expoſtulante pro ſexdecimanis Bucero curione, diplomate praeteritorum gratia facta, ab ea exceptis Cromaeo, Cocherio, et commentarienſi.* XV. Rex ad auxiliarem exercitum excipiendum interea ad limitem excurrerat. Carlotae Marcianae cum Henrico Turrio Turenae vicecomite Sedani nuptiae contractae finem acceperunt ; *in quas, Lotharingiae duce et Nivernio excluſis, qui eas filiis ſuis ambiebant, rex prudentiſſime pro tempore conſenſit.* In Viroduni conſpectu cum foederatis leviter pugnatum. XVI. Caſtellionaei ſub id in arce ſua ad Lupam deceſſus, *eoque nuncio, ut et Lanovii, non mediocriter rex adflictatus eſt.* Monpenſerius Avrincarum urbem *longa obſidione fatigatam ad extremum* ad deditionem cogit. XVII. Conſilium de obſidendo Rotomago captum, et ad eam rem ſubſidia. Auxilia item ab Eliſabetha Anglorum regina ſubminiſtrata. Ad defenſionem in urbe parata omnia, miſſo primum a Meduanio parente Henrico filio, et arceſſito Franciſcopoli Andrea Brancatio Villario. *Primus ad portam Caletenſem factus ab Anglis impetus, in quo Edvardus Ebroicus Eſſexiani comitis ſummi copiarum ducis ex fratre nepos cecidit.* Urbis deſcriptio ac ſitus. *Gornaeum caſtellum et Caudebecum*

*debecum in fidem accepta. Rex ad majorem et aedileis urbis ſcribit, et fecialis cum reſponſo contemptus pleno remiſſus.* XVIII. Parmenſis cum auxiliari exercitu venit. Fara ad Eſiam deponendis tormentis *invito Meduanio et reſiſtante* Hiſpanis conceditur. XIX. Petitiones jam tum Hiſpanorum pro ſereniſſima infante a Claudio Caſtreo eluſae. Senatus-conſultum contra Henrici Borbonii fautores in urbe factum, *poſt detectas aliquot machinationes.* Varia et diverſis locis repetita certamina. Halotus Momorantius *ob privatas ſimultates* ab Alegrio marchione *nihil tale cogitans* pugionum ictibus Vernonii confoſſus. XX. Rex extra Aumaliam exercitui auxiliari obviam procedit, *leviter in velitatione perſtricta e longinquo cute ſauciatus. Nivernius, qui ultimum agmen ducebat, Aumaliae Givrium equo ſuffoſſo lapſum et luxatum altero commodato ſervat.* Novum-Caſtrum, quo ſe Givrius *ad ſiſtendum Parmenſem* incluſerat, a Parmenſi deditione captum. *Velitationibus et incurſionibus certatur.* Chalinius a Cicoto capitur. XXI. Parmenſis et Meduanii aemulatione diſſidentium de vi ſumma in regiorum caſtra facienda cum belli ducibus conſultatio. Villarii per regis abſentiam acris eruptio, *qua ad S. Catharinae vallum* CCC *ex regiis caeſi,* III *tormenta avecta, vallum dejectum, cunei deſtructi.* XXII. Poſt quem ſucceſſum *rurſus* Parmenſis et Meduanius diſſident ſententiis, *cum ille fortunae inſtandum, hic, urbe in tuto per ſucceſſum illum collocata, nihil temere certaminis aleae committendum cenſeret. Secundum haec* Parmenſis trans Somonam exercitum reducit. Irritus ad Spiritus-fanum Aumalio inſtigante conatus. Pontificiae copiae recenſitae et ad paucos redactae.

## LIB. CIII.

CIϽ IϽ XCII.
HENRICUS IV.

REX ad obſidionem redit, ductoque vallo urbem arctius cingit, *etiam flumine utrinque obſtructo. Batavica claſſis in Sequanae aeſtuario infra urbem.* Multa confuſe *et perperam* inter regios adminiſtrantur. *Et tamen ſeu morbis ſeu certaminibus crebris res obſeſſorum rurſus eo redactae, ut Villarius, qui ſe omni periculo poſt primum illum ſucceſſum defunctum putabat, niſi intra praedictum tempus ſuccurreretur, cum rege ſe tranſacturum denunciaverit.* II. Parmenſis cum auxiliari exercitu, *relicta Hedini majore impedimentorum parte, Somonam ad Blancam-tacam vadat, et ſextis caſtris plus itineris confecit, quam viceſimis priore expeditione fecerat.* Rex, qui copias in obſidione ſparſas habebat, *evocatis auxiliaribus, qui continuo advolarunt, et deductis tormentis* ad Pontem Arcuenſem ſuos colligit. Diſſident Meduanius et Parmenſis, *et ille obtinet, ut Caudebecum, omiſſo inſequendi regis conſilio, ducatur, locum annona copioſum, qua urbs laborabat, et alendo militi commodum. Parmenſis, dum locum luſtrat, ſclopeti ictu in brachio ſauciatus.* Batavi cum claſſe ad Quillebovium ſe recipiunt. Caudebecum deditum et in praedam militi ſalva annona conceſſum. Rurſus in caſtris diſſident belli duces, *cum Parmenſis Juliobonam petendam diceret, Meduanius Caudebecum minime deſerendum cenſeret*; *quod ſi fieret, regem continuo advolaturum, et claſſe Batavica fretum loco recepto urbem in eaſdem anguſtias, quae prius, conjecturum.* III. *Parmenſi decumbente ex vulnere,* Rex ad Ivetotium, *quem locum hoſtis inſederat,* cum toto robore *pridie Kal. Maias* comparet. Ivetotiani regni origo. Rex feliciter cum hoſte certat. *Magna in caſtris hoſtilibus omnium rerum penuria. Rurſus ad ſilvam nocturnum a rege certamen inſtauratur, et cum antea diſſiderent duces, inſtante communi periculo, concordes aciem labantem ſuſtinent, totoque illo die citra univerſi proelii aleam utrinque incurſionibus pugnatur.* IV. *Inde proxima nocte ſine ſtrepitu diſceditur, et poſtremo* de exercitu ultra Sequanam transferendo conſultatur. Pontones in id fabricati, *et extructae utrinque munitiones, ne tranſituri incumbentibus regiis diſturbarentur.* Pugnatum in tranſitu. *Error regiorum, qui non maturius per Arcuenſem-pontem equitatum in ulteriorem ripam immiſerint tranſeuntibus diſturbandis.* V. Parmenſis magnis itineribus ad Clodoaldi-pontem venit, *ubi ex urbe* ad eum ſalutandum *principum uxores ac viduae et* cuncti ordines confluunt. Tranſmiſſis *ad*

Tom. V.

*ad reficiendum ſe in Briam* copiis Theodorici-caſtrum petit. Villarius, *dum Meduanius Rotomagi decumberet,* Quillebovium *muniri coeptum una et altera oppugnatione* fruſtra tentat, *et a Lud. Britone Grillonio praetorianae legionis tribuno repellitur. Faius, qui per Bellogardii loci praefecti abſentiam locum muniendum ſuſceperat, eo excludere cum Bellogardium vellet, magnas turbas in aula regis excitat, quae morte ejus ſuperveniente compoſitae ſunt.* Monpenſerius provinciae praeſes ſub id Lexovii decedit. Henricus Dumbarenſis filius, *inde Monpenſerius dictus, qui res in Armorica gerebat,* ei ſuffectus. Jo. Calvimontius Guitrius *famoſus bello dux* eodem tempore in Bellovacis obiit. VI. Eſpernaeum in Campania a Guiſio captum. *Cum oppidum Nivernii provinciae praeſidis ſuaſu ante omnia recuperandum rex decreviſſet,* Bironus parens, dum *poſt coenam* locum luſtrat, ictu minoris tormenti in caput adacto enectus eſt. Ejus mores, ingenium, in re bellica ſolertia, *et tota vita expeditionibus et negotiis magnis exercitata; libri et commentarii ab eo ſcripti fato filii amiſſi. Auxiliares Eſpernaeum miſſi a rege intercepti ac caeſi.* Tandem oppidum *a Villario* deditur, Carolo Birono prius in humero ſcloppeti ictu graviter vulnerato. *Ad* Provinium *admota caſtra, quod a Paſtoreo Rupella tandem* deditur. VII. Munitio *ex Nivernii conſilio* ad Gornaeum Matronae impoſita, *ad annonae ſubvectionem in urbem ex Meldis et Theodorici-caſtro impediendam;* eique ob virtutem ac integritatem praepoſitus Odetus Lanovius. VIII. Dum rex adhuc ad Rotomagum haereret, Nicolaus Fumeus Bellovacenſis epiſcopus *a coetu praeſulum, qui regis partes ſequebantur, et contra cenſuras pontificias decretum fecerant,* ad regem miſſus *fuerat, et* oratione habita ipſum ad religionem majorum capeſſendam hortatus fuerat, *et ut bona cum ſua gratia et ſenatus Pariſienſis, qui intercedebat, ſalva auctoritate ad pontificem legationem adornare ſibi liceret, petierunt. Alia et* pro diſciplina eccleſiaſtica tempore ſciſſurae poſtulata. *Revocati pragmatica ſpirituales oeconomi, et* novus ordo in diſpenſandis ſacerdotiis ad tempus ſancitur. Evocati Harlaeus ſenatus Pariſienſis primarius praeſes cum Gilloto, Thumerio, et Villamorello conſiliariis. *Gondius cardinalis in Italiam praemittitur, et Joannes Vivonus Piſanii marchio eum ſubſequi jubetur.* IX. Romae poſt Innocentii IX obitum nuſquam majores comitiorum aeſtus. *Pronus in Sanctorium Hiſpanorum favor a Sfortia diſturbatur. Dein in Salviatum paene vota inclinarunt, quo excluſo Palaeotus proponitur. Paſquilli per interregnum laſcive cum figuris ſparſi. Madrutii et aliqua ratio habita. M. Antonius Columna ambitioſe ſe ingerit.* Tandem *a Montalto propoſitus* Hippolytus Aldobrandinus, *et antequam magnus Etruriae dux poſſet intercedere,* pontifex III Kal. Febr. renunciatur, et Clemens VIII dicitur. X. Gondius cardinalis a novo pontifice injurioſe accedere prohibitus. Ad Alexandri Franceſchini ad ipſum Roma miſſi mandata vehemens et liberum reſponſum. XI. Pontificis de regis Catholici electione ad cardinalem Segam mandatum *Lutetiae publicatum* VI *Kal. Novembr.* XII. Contra mandatum *ejuſque publicationem* S. C. Catalauni XIV. *Kal. Decembr.* factum. *Lutetiae locationum in urbanis aedibus pretium ad tertiam partem decreto redactum, bonorum publicatione ob non ſolutas penſiones prohibita. Nihilominus* in urbe tumultuatum, *et de Hiſpanorum praeſidio expellendo dictae in conſeſſu publico liberae ſententiae.* XIII. Pons-Arcuenſis in parte amiſſus. Rupes-regia in limite recepta. Teniſſaeus a Ballieto Valligranio juxta Divionem caeſus. Carolus Bironus ſenatoris et poſtea praefecti maris ſacramentum Caeſaroduni dicit. Sallermii, qui Lochias *in Turonibus* tenebat, contra Guerchiam *Claudii* Villoclari arcem expeditio. *Georgius vicecomes Claudii filius cum auxilio ſuperveniret, Abennio et Preolio incumbentibus cum ſuis funditur, et in Vigennae tranſitu ſubmergitur. Sanlarius Claudium patrem ampliſſima ſupellectile ſpoliat, grandi praeterea pro libertate imperata pecunia.* XIV. Pugna ad Cratumnum commiſſa Contius et Monpenſerius cum regiis copiis a Mercuriano caeduntur. *Praecipua Anglorum in ea ſtrages. Guntheri-caſtrum ſecundum haec deditum. Mox et Meduana et Lavallum Mercuriano patuerunt.* Contius Sablatum, Monpenſerius Condate Redonum concedit. XV. Miſſus in Armoricam Aumontius equitum tribunus *cum Sanlucio,* ut, decedente e provincia Monpenſerio, ſummae rerum praeeſſet. *Ma-*

*laſtretum*

*laſtretum a Mercuriano captum.* Viquius ad Orſonis-pontem caeſus. Lotharingi a Monpenſerio in Dinami ſuburbiis caeſi *et ſpoliati. Aumontius Meduanam Lavardino inſtante obſidet et capit.* Rupifortii juxta Andegavum damnoſa et *ad finem* irrita obſidio. *Santoſangiorum fratrum, qui locum tuebantur, perfidia et immanitas.* Quintini-fanum a Mercuriano, *Liſcoeto dedente,* captum. *Angli ad Ambreriam haud longe a Meduana clade magna adfecti. Augerii Crapadi conjuratio detecta et ſevere a Monpenſerio vindicata.* XVI. Bullionius *Raucuria profectus* Africanum Anglurium Ambliſium *ad Bellomontium caedit:* ıↄ *interfecti, et amiſſa ſigna. Dunum crepitaculis admotis poſt dubium ut in nocte certamen tandem capitur.* Conjuratio Baionae detecta, *et ſupplicio conſciorum vindicata.* Villandrauda arx *a Clemente* v *olim exſtructa* a Matignono recepta, *amiſſo in obſidione Vivantio.* Blavia *in Garumnae aeſtuario tandem longa et* infelici expeditione *Burdigalenſium inſtigatu* circumſeſſa. XVII. In Cadurcis et per Septimaniam A. Scipio Jouſa non tam foederatorum quam propriis auſpiciis rem gerit. *Carcaſſona inferior ab eo in poteſtatem redacta. Trapa expugnata, caeſis ad Lautrecum regiis. In Cadurcis vaſtato agro Monbequinum, Monbetonum, et Monburterium ſui juris facit. Inde* ſucceſſu elatus *Villamurium ad Tarnim obſidione cingit, quae Eſpernonii in Provinciam tendentis adventu aliquandiu intermittitur. Copiae Eſpernonii eo abſente licentioſe a ſignis deerrantes a Jouſa caeſae. Eo diſcedente repetita* IV *Eid. Septembr. obſidio, et pulſati valide muri. Theminius ſe loco cum Renerio includit. Tandem Meſſiliaco ad Lecam, Campobaldum, et Montoſium ſe aggregante proelium decernitur, quod* XIII *Kal. Novembr. commiſſum eſt. Vallum hoſtium ab auxiliaribus perruptum, et, dum utrinque acriter pugnatur, erumpente Theminio tandem occupatum.* Jouſa dum ad tormentorum locum ſe recipit, ponte abrupto, quem in fluvio ſtraverat, ſubmergitur. CIↄ eodem caſu abſumpti. XXII *ſigna,* III *tormenta et* II *colubrinae captae.* Ingens Toloſae comploratio, *quae pro ſolatio amiſſi fratris Franciſco cardinali, qui in urbe erat, et Henrico,* qui in Capucinorum coenobio latebat, *fuit. Cum ſe ab armorum cura excuſaret cardinalis, procerum et nobilium apud eum auctoritas tenuit, ut* Henricus eam ex conſilio theologorum *ſine conſcientiae laeſura* ſuſciperet; quod et ille abjecto ſtatim cucullo fecit. XVIII. Valetae Provinciae praeſidis ad Rupembrunam *in Forojulienſi dioeceſi a ſe obſeſſam* ex ictu ſcloppeti mors. Ejus ingenium, mores, fides. XIX. Diguierius, *re cum Ornano communicata, a ſenatu, qui Aquis Sextiis Ciſtertionem tranſlatus erat, exoratus* in Provinciam deſcendit, *et Benas deditione capit, Polinio in obſidione deſiderato. Riantium, Geniſſeraium, Bauduena, Caſtellana, Apta Julia, Bariolium, Cotignacum, Perrolae, Joncium, Paulifanum, ad Druentiam in fidem accepta; eorumque exemplo Draguinianum, Montium et Caſtrum-Novum. Sabaudis in Liguriam compulſis ad Modium poſita caſtra* XIV *Kal. Quintil. Locus poſt pulſationem deditus, et mox Caderia et Caſtellum.* Ad Evenas irritus Eſcaravaci conatus. Vienna Scipionis Maugironi defectione amiſſa. *Inde Nemoroſius Marcellini-fanum deditione capit, et Scalas obſidet et captas crudeliter diripit.* Antipolis *item poſt Diguierii diſceſſum obſeſſa* a Sabaudo *et* capta. XX. Diguierius tantas clades ſarturus *Molardum adoritur, et dedito eo Marcellini-fanum admotis tormentis recipit et Caſtam arcem. Inde* ſumptum antea *et dilatum huc uſque* de bello trans Alpeis transferendo conſilium perſequitur, *et Brigantionem cum exercitu profectus copias dividit, et partem per Pragelatenſem vallem ire jubet, partem Suſionem mittit. Ad Pinarolium irritus conatus. Peroſa urbs capta. Luſernae turris et Mirabucana munitio ad primum conſpectum deditae. Ad Brigueraſcum acriter certatur: vallo perrupto* CIↄ CC *ex hoſtibus deſiderati. Bruniguetius tribunus interfectus, reliqui duces ac centuriones cum* X *ſignis capti. Locus diligenter muniri coeptus. Tum Convallenſes edicto citati et in regis verba adacti. Ad Turrem Pontanam Sabaudi caeſi.* Gríninicum et Antipolis ab Eſpernonio recepta. *Cavortium ducit Diguierius, locoque protinus obſeſſo Sabaudus Vigone proximo profectus Brigueraſcum tentat, et inde cum damno repellitur. Tum ſubvectis in altum praeter ſpem tormentis et auxiliaribus caeſis poſtremo locus Nonis Decembr. deditur.* XXI. In Neuſtria

Tom. V.

Carolus Goſtimelius Boſcoroſa Villarium deſerit, et Fiſcanam munitionem *a Villario ſtructam* aſtu intercipit.

## L I B. CIV.

CIϽIϽXCII.

Henricus IV.

In Belgio per abſentiam Parmenſis *ob ſtipendii defectum uſitata Hiſpanis rebellione* miles tumultuatur, et tandem placatur. *Idem Berkae, Noveſii et Bonnae factitatum.* Groeningenſes *a Gul. Lud. Naſſovio circumſeſſi et* in ſummas anguſtias redacti *apud regium concilium expoſtulant : cum non exaudirentur,* delegatos ad *Rodolphum* Caeſarem mittunt, *et quibus legibus ſe Carolo* V *ſummiſerint, oſtendunt, ac patrocinium Imperii implorant.* Decreta a Philippo in Friſiam auxilia. II. Mauritius irrito conatu Sluſas tentat, et mox Trajectum ad Moſam. *Bercicanum municipium in Campinia captum et mox a Mondragonio receptum. Diſcurſationibus crebris cum plebs ruſtica utrinque vexaretur, conventum hinc inde, ut loca, quae praedatoribus receptum dabant, deſtruerentur. Reſponſum Ordinum ad delegatos Caeſareos de pace, quo mala fide ſecum Hiſpanos ſemper antea uſos oſtendunt, ac proinde, quod cum iis convenire tuto non poſſint, a pacis ineundis rationibus ſe excuſant. Mauritius* Ultrajectum ad *Jacobitarum et Conſiſtorialium* factiones componendas proficiſcitur, *et inde inſtructo exercitu* Stenvicam, *quam Coquetus tuebatur, obſidione cingit, et tandem poſt* XXIX CIϽ *ictus diſploſos* deditione capit. *Inde poſita ad Otmarſomam caſtra, quam Alfonſus Mendoza tenebat, qui eruptione ſtatim facta cum ſuis locum deſeruit, praeſidiariis ſpe facta, ut cum auxiliaribus ad eos rediret. Famarſius in ea obſidione cadit, magno ſui relicto deſiderio. Loco dedito Covorda oppugnata in Tuentana regione*; *cui dum ſuccurrere Verdugus conatur, aſtu detecto male mulctatur. Tandem dedita Covorda, et Mauritius* diſtributis in hyberna copiis Arnhemium venit. III. Parmenſis Rigiaci Atrebatum *morbo fatali correptus* decedit. Ejus elogium, funus, tumulus. Sub id a Philippo *mortis praeſago* Petrus Henrices Acebedius comes Fontanus in Belgium venit. *Provinciae ordinatae, et diſtributae primariae dignitates. Campaniacus, quem loco moverat Parmenſis, reſtituitur et aerario praeficitur.* IV. Naves Hiſpanae *ingentis pretii mercibus onuſtae a Thoma Vitio* interceptae et in Angliam abductae. *Alia navis item* C *aureorum* CIϽ *a Cumberlandiae comite ad Caſſiterides capta.* V. Caeſarauguſtani motus origo, *et ex eo ſecuta Arragonenſium clades ab unius hominis calamitate profecta.* Ant. Perezius *Philippo a ſecretis epiſtolis* Eſcovedum interficiendum curat, *illius juſſu, an proprio odio et Annae Mendozae Roderici Gomezii Silvae viduae inſtigatu incertum.* Ob id poſtulatus urget Philippum, et tabulis obſignatis cum eo agit. Vaſco accuſatori reconciliatur, et actio per ſexennium quievit, *atque adeo uſque ad annum hujus ſaeculi* XXCV, *quo cenſurae dica ſeu viſitationis Perezio intentatur.* Capita accuſationis propoſita, et, *perverſo omni juris ordine, ut in talibus judiciis fieri amat,* ſententia in reum lata, *et lis* XXX CIϽ *aureorum aeſtimata, addito carceris biennalis taedio et relegatione, et tamen facta ſpe, ſi tabulas ſeu codicillos Philippo manu ſcriptos redderet, ut ſententia, quae minime publicata erat, irrita maneret.* Cum recuſaret, in carcerem truditur ; a quo ut ſe liberaret, chartas *et arculas* Philippo tradi mandat. Redintegrata contra eum Eſcovedi caedis cauſa ; *et cum* XX *aureorum* CIϽ *depenſis viduam placaſſet, ad amoliendam invidiam Philippi juſſu violenta quaeſtione torquetur*; *et, cum huc uſque de rege ſiluiſſet, inter tormenta rei ſecretum enarrat, et codicillis prolatis confeſſiones ſuas firmat. Inde* fuga arrepta in Arragoniam abit, XXX *leucas uno die quanquam debilitato cruciatibus corpore emenſus.* VI. Arragoniae jura, privilegia, libertates. Petrus ab Acinace. Magiſtratus ſupremus cui a Juſtitia nomen. Ad eum cum provocaret Perezius, *et crimina objecta paratum ſe purgare oſtenderet,* ad Inquiſitionis tribunal rapitur. Seditio popularis excitata, *in qua a furente plebe Inicus Mendoza Almenariae marchio opprimitur. Tandem Perezius in Manifeſtationis carcerem ab Inquiſitorio reducitur : unde cum rurſus ab Inquiſitoribus repoſceretur, jamque omnia*

*nia*

*nia militari ſpecie ad reum vindicandum parata eſſent, ſeditio recruduit a vili plebe coepta, cui ſe Aegidius Meſa ducem praebuit.* Perezius et Fr. Majorinus *Genuenſis* in libertatem aſſerti. Conſcripto exercitu per Alfonſum Vargam Philippus injuriam ulciſcitur, *occaſione captata privilegiorum et immunitatum provinciae imminuendorum. Vargas urbis potens ſupremum magiſtratum nulla praecedente ſententia capite truncat.* Perezius Pavium confugit, *a Catharina regis ſorore perhumane acceptus.* Percuſſores ad eum interficiendum poſtea ex Hiſpania immiſſi. VII. Willelmi Cliviae ducis patris obitus; *liberi, et filiae quibus matrimonio conjunctae.* Joannes Caſimirus *Baicarus Palatinus* VII *Kal. Februar.* decedit. *Eodem menſe* Eliſabetha *Maximiliani Caeſaris filia et* Caroli IX vidua Viennae fato fungitur; cui haud diu ſupervixit Augerius Giſlenius Busbequius, *qui res ejus apud nos procurabat; ab Henoticis, dum exitum e Gallia quaerit, indigniſſime habitus.* Jo. Vincentii Laurei cardinalis, Michaelis Montani, Friderici Furii Caeriolani mortes et elogia. VIII. Alii et principes ultimum diem clauſerunt: *Willelmus Philippi F. Heſſorum princeps, Joannes Sueciae rex Guſtavi F. cujus Sigiſmundus F. Poloniae rex Annam Caroli archiducis filiam in uxorem ducit.* IX. Joannis Manderſchitii Argentinenſis epiſcopi morte res in Germania turbant. Proteſtantes collegii ſodales in urbe, Tabernis majorum religioni addicti, *cum liberam non eſſe in urbe electionem dicerent, monito prius Caeſare, conveniunt.* In urbe, *Joanne Pappa verba faciente,* Jo. Georgius Brandeburgicus, Tabernis Carolus Lotharingus cardinalis in epiſcopum eligitur. Argentinenſes, qui electioni in urbe factae favebant, *cum rem bello non carituram providerent,* militem ſcribunt. Carolus *in poſſeſſionem a ſodalibus miſſus* ad ſenatum urbis literas minarum plenas mittit. X. *Per literas utrinque partes altercantur, dum* cuncta ad arma comparantur. Carolus conſcripto X CIↃ exercitu bello principium fecit, *occupato Binsfeldio.* Ad Scafoltzemium cum Brandeburgicis pugnatum, *pari utrinque damno, niſi quod Brandeburgici magnam impedimentorum partem amiſere.* Fruſtra *Ferdinandus archidux Caeſaris nomine* partes ſuas interponit. Lotharingicorum ſucceſſus. *Brandeburgici ad Moltzemium* XVII *Kal. Sept. caeſi.* Bonnam, *emiſſo praeſidio a Parmenſi impoſito,* recipit Erneſtus Colonienſis ſeptemvir, *eique Hermannum Lindenum praeficit.* Chriſtianus Anhaltinus *e Gallia rediens* curam exercitus Argentinae ſuſcipit, *et Lotharingicos primo conatu profligat,* CC *circiter occiſis, et mox* CCCC *equitibus et* CCC *peditibus in fugam verſis. Dacheſtenum obſeſſum ab Anhaltino et tandem deditum. Ad Moltzemium periculoſe certatur.* Caeſar denuo per fecialem arma utrinque deponi imperat. XI. In Saxonia contra Calvinianos a Friderico Willelmo adminiſtratore ſevere anquiritur, *P. Crellio et C. Gundermanno et aliis in carcerem conjectis. Paſtores ſuſpecti ubique exagitati.* XII. A Turcis Europae metus. Auxilia in Cretam *anno ſuperiore* a ſenatu Veneto miſſa appulerunt. *Corcyrae Mutius Portius comes et Sacromoſus periere.* Cretae peſti ex ſomnio proſpectum, *quae tanta fuit, ut ab Aprili ad Quintilem* CC *quotidie morerentur, et ad* XX CIↃ *in una urbe abſumpta.* XIII. Conſultatio inter purpuratos qua parte bellum gerendum. *Alii in Perſia perſequendum cenſebant. Alii in Africa movendum et utramque Mauritaniam imperio Othomanico adjungendam. Alii in Melitam, ut damnum et dedecus in ea acceptum ſarciretur, arma vertenda. Alii Philippum ipſum aperto bello petendum, qui bello Belgico intricatus vix huic ſuſtinendo pares habeat vireis, praeſertim ſi claſſes ex Indiis venientes contraria claſſe inſtructa oppugnentur, et Mauris qui in Hiſpania ſuperant libertatis ſpes fiat: nam ultimum in Baetica bellum documento fuiſſe, quanto cum periculo Hiſpani domi bellum habeant. Qui facilitate rem aeſtimabant, protinus cum Venetis bellum gerendum ſuadebant, et ut Corcyra ante omnia tentaretur, quae Sinanis ſententia erat. Sed Ferhates reluctabatur, et Catharum potius ducendum cenſebat. Media Cicadae ſententia, ut Cythaera peteretur, portus in Epiri tractu. Plures Cretam, ut nuper Cyprum, in poteſtatem redigendam, ac poſtremo quidam Italiam omni ex parte invadendam et Romam ipſam. Fuere et qui ad arma contra Polonos ſumenda Amurathem hortarentur, ob frequentes Coſaccorum injurias.* XIV. Poſtremo in bellum Pannonicum cuncti conſenſere.

Tom. V. conſenſere. *Ad Vihitium ad Unnam flumen primus impetus factus ab Aſſane Boſniae purpurato, et locus deditione captus. Inde* velitationibus vario eventu utrinque certatum. *Caſtrovitium itidem captum. Turopolia inſula, Savo, Culpa, et Gurco circumdata, flammis ferroque a Turcis vaſtata.* Miſſus a ſenatu Veneto *ſequenti anno, quo peſte graviſſima adflictata Creta fuerat,* Nicolaus Donatus, qui claſſis curator eſſet. Hermolaus Tiepolus in Dalmatiam itidem, qui Uſcocorum diſcurſationes prohiberet. *Marcus Sarra et Baptiſtella, exulum primarii duces, a Tiepolo navibus in Piceno accepti, ut eos contra Turcum militaturos in adverſum litus tranſportaret ; quod cum criminarentur Hiſpani, ſenatus belli Turcici neceſſitate apud pontificem excuſavit. Ii poſtea, cum pactis non ſtarent, varia peſte periere.* XV. Veneti in Fori Julii limite munitionem novam *inter Palmadam, Laurentii-fanum, et Roncluſum pagos citra Liſontiam amnem per otium* extruunt, *ex Marii Savorniani comitis conſilio, conſulto rege, ad quem delineationem loci et regionis miſerunt. Bonajutus Lorinius Florentinus architectus.*

CIƆ IƆ XCIII. Loco Palmae nomen datum. XVI. Inſidiae Turcorum ad Neuchuſelum contra Palfium irritae. *Turopolia vaſtata, et, Martenuſio caſtello ac Vincovina captis, dum Turci ſecurius evagantur, a Serinio comite caeſi, et praeda recepta.* Zagrabiae tumultuantur praeſidiarii. Major Conſtantinopoli tumultus *vix grandi exoluta inter praetorianos pecunia contra Siauſis ſententiam* ab Amurathe compoſitus. Franciſcus Savarius Brevius, *amoto Lancomo gentili ſuo,* res regis ſumma fide in Porta procurat. Aſſan ad Siſſegam caſtra ponit. Auxiliares *Eggenbergio inſtigante* advenientes cum Turcis acriter confligunt, *et cum vix* V *bellatorum* CIƆ *haberent, contra* XVI CIƆ *pugnam capeſſiverunt et in fugam verterunt,* XII CIƆ aut occiſis aut in flumine ſubjecto merſis, *in iiſque ipſo Haſſane purpurato, et* IX *praetoribus, et Amurathe ex ſorore magni Sultani nepote.* Capta tormenta. Praetor Graeciae rurſus, *dum Sinan cum exercitu veniret,* ad Siſſegam copias admovet. *Petrina munitio a Serinio fruſtra tentata.* Siſſega tandem *Eid. Sextilib.* dedita. Sinan cum XL CIƆ exercitu Veſprinium, *quod a Mario Sammariano tenebatur, ſumma virtute defenſum* vix expugnat *Nonis Octobribus.* Palota et deditione capta, *et praecipitata oppugnatione direpta.* Vezza *eodem ſucceſſu* capta. Sabatica contra a *Th.* Tiſenbachio in fidem accepta. Ad Vilekam *majus negotium fuit, praefecto ad auxilia arceſſenda profecto ; qui dum cum Temeſvarae purpurato iter accelerat, a Sigiſmundo Bathorio et Tiſenbachio caeditur,* VI CIƆ *ex ſuis* deſideratis, *et ipſi ambo capiuntur. Tandem* Vilekae oppidum *cum arce* in Chriſtianorum poteſtatem venit. Ad Albam-regalem *dum noſtri duces ſedent,* adventante Belgradi purpurato acies inſtruitur. Caeſa Turcorum VI CIƆ : *inde ſoluta obſidione diſceſſum.* XVII. Motus in Goritia ob religionem exortus, *et in Bohemia ob calicis uſum, et liberam Auguſtanae fidei confeſſionem.* Prodigia hoc anno multa. *Inter quae quod de dente aureo ſeptenni puero enato proditur maxime memorabile fuit.* XVIII. Obitus Latini Latinii, Joannis Leunclavii.

## LIB. CV.

CIƆ IƆ XCIII.

Henricus IV.

IN Saxonia Calvinianis multa improperata, et Lipſiae renovata per libellos famoſos odia. Idem Brunſvicae factitatum. II. Bellum Argentinenſe recrudeſcit. Seleſtadium fruſtra a Lotharingicis tentatum. Tandem in VI principes compromiſſum, et arma depoſita. Noveſiani *non invito Colonienſi ſeptemviro praeſidium ejiciunt, et* ſe in libertatem aſſerunt. III. Fridericus Palatinus ſeptemvir Conſtantinam Aloiſiam Julianam Arauſionenſis *ex Carlota Borbonia* filiam in uxorem ducit, *multis illum ab his nuptiis dehortantibus, quod vererentur ne ex illa adfinitate bellum tot annorum in Belgio ſecum in Germaniam pertraheret.* Ludovici Wirtembergici obitus, *cui Fridericus Montis-Pelicardi comes proximus agnatus ſucceſſit.* IV. Sigiſmundus Poloniae rex, *petito ab ordinibus regni commeatu,* in Sueciam contendit, majorum religionem ſi poſſet in ea inſtauraturus. *Elbingae et Thoronae templa Catholicis in Boruſſia reſtituit. Eandem gratiam Maria-*

*Mariaburgenſibus a ſenatu Gedanenſi impetrare non potuit. Gedani ex conſiliariis terrarum Boruſſiae tribunal conſtituit. Seditio ex occaſione bajuli a Polono caeſi ingens exorta ac vix tandem compoſita. Tandem Stocholmiam tempeſtate varia jactatus pridie Kal. Octobr. appulit.* V. Chriſtianus IV in proxima Dania XVIII annos natus Flensburgi jusjurandum celebri ritu praeſtat, et rex inauguratur. VI. In Belgio res inclinant morte Parmenſis. Carolus Mansfeldius auxiliis in Galliam ducendis praepoſitus Guiſam ineunte Februario venit. Noviodunum obſeſſum, et dum rex abeſſet deditione captum, ac mox Bohainium. De reditu crebris P. Erneſti patris literis ſolicitatus Carolus in itinere Valerici-fanum *in aeſtuario Somonae, quod a Jacobo Colvilla Scoto tenebatur,* capit. Stapulae item *Jacobi Fabri natali nobile oppidum poſt paucorum dierum obſidionem* in ejus poteſtatem venit. VII. Multa in Belgio a regiis ſevere decreta, *atque imprimis ne cui in bello capto vitae gratia fieret, ut Ordines belli diritate ac taedio ad pacis conditiones accipiendas cogerentur.* In eos edicto contrario propoſito Ordines immanitate Hiſpanorum exagitata invehuntur. Cum ad aliquot menſeis in ea ſaevitia utrinque perſeveratum eſſet, mox belli gerendi ratio humanior reſumpta. Philippus Naſſovius in Lucemburgenſem agrum excurrit, fruſtra tentato Viti-fano. VIII. Mauritius *ad* Gertrudis-fanum *praeſidiariorum ſeditione ante triennium amiſſum caſtra ponit, atque ita magno ambitu munit, ut poſtea* in hoſtium conſpectu *oppidum* expugnaverit. *Maſerius, qui locum cum* CIↃ *veteranis Sequanis tenebat, tormento diſcerptus, cui Geſanus ſucceſſit.* Seditio in Caroli Mansfeldii caſtris ad Hedinum ab Hiſpanis excitata, *quae annum duravit.* Idem a Gallo-belgis et Italis *ad Sambrae pontem* in Hannonia factitatum, et Berkae ad Rhenum a praeſidiariis. *P. Erneſtus cum* XIV CIↃ *peditum,* IV *equitum* CIↃ, *ad obſidionem ſolvendam venit irrito conatu. Oppidum poſt Geſani mortem tandem deditione captum, ignaro adhuc Mansfeldio, qui delectos in Hohenloi caſtra miſerat a Cloeto et Veero tribunis caeſos.* IX. Crepacordium munimentum in faucibus Diſae ad Moſam ſitum obſeſſum, in quod ſe Florus Brederodius Mauritii juſſu incluſit. Irrita obſidione dimiſſae utrinque copiae. Gul. Lud. Naſſovius Friſiae praeſes in provinciam miſſus, qui tota Boeretangana brevi potitur. *Georg. Eberardus Solmenſis in Flandriam miſſus Vaſianae provincialeis ad pecuniae collationem cogit.* Friderici Bergenſis comitis in Friſia ſucceſſus. Certatum in caſtris Naſſovianis, *cum Verdugus inopinato ſe adveniſſe putaret, qui cum damno poſt ſex horarum conflictum repulſus eſt.* Bredani praeſidiarii juxta Trajectum caeſi, et mox Hiſpani a Bergoſomenſibus *praeda ablata et ſignis amiſſis* diſſipati. Caletum fruſtra a Mansfeldio tentatum. Zelandiae inſulae itidem tentatae. *Brugae item a Mauritio fruſtra tentatae.* X. Apud nos rebus deſperatis ex aſtu et injuria hoſtium lux affulget. Adflictis belli utrinque damnoſi taedio populis, *quo vigorem priſtinum in animis ſuorum relangueſcentem excitarent* factionis duces, *ſtimulo novo ſibi opus eſſe cum animadverterent,* comitia Catholico regi creando indixerant ; *idque pontifex et Philippus urgebant, rati contumacia ejus, qui legitima alioqui ſucceſſione ad regnum vocabatur, fore ut novum jus armis ſuis denuo accederet, et factio paene diſſoluta arctiore vinculo firmaretur.* XI. In id Meduanius ſcriptum prolixum Declarationis titulo publicat, *quo totum tragoediae Francogallicae choragium ob id ſolum inſtructum eſſe multis rationibus probare nitebatur, ut majorum religio in tuto collocaretur, egregiaeque adeo ſuae voluntatis et ſancti adfectus Deum et angelos teſteis appellabat, ac poſtremo eos, qui regias partes ſequebantur, in communi cauſa ſibi adeſſe, et ad comitia ut tuto venire poſſent, rogabat.* XII. Addita erat et cardinalis Placentini epiſtola. XIII. Hinc Gaſpar Schombergius *Nantolii comes, ut erat tranquillitatis publicae ſtudioſus, inſita prudentia* occaſionem arripit, *re prius cum Lud. Revolio et Jac. Aug. Thuano communicata,* colloquii inter partes inſtituendi. Is cum rege agit, et *temporum conditione propoſita, quae neceſſitatem colloquii imponebat, alioqui Tertia factione jam invaleſcente et Henotica ex comitiis illis incrementa nova ſumente res in manifeſtum periculum adduci,* ab eo impetrat, ut cum bona ipſius gratia et ſalva majeſtate principes ac proceres ad Meduanii ſcriptum reſponderent. Nec ſucceſſu conſilium caruit. XIV. Edic-

tum et eodem tempore a rege propoſitum, quo rationes a Meduanio allatas refutabat, et indicta illa comitia, ut nulla et irrita, *ab eo qui poteſtate legitima deficiebatur indicta*, exagitabat, *et ne quis ad ea proficiſceretur, poena gravi addita, vetabat.* XV. Reſponſum regiorum per tubicinem Lutetiam miſſum, *quo colloquii copiam fieri petebant, ad idque delegatos loco et tempore condicto mittere ſe paratos oſtendebant.* Placentinus cardinalis illud ut impium et ſectariae pravitatis plenum publico ſcripto pronunciat. Idem Sorbonicum collegium poſt legatum facit. Res nihilominus in coetu frequenti VII *Kal. Mart.* agitata, et variae dictae ſententiae. XVI. Tandem IV *Non. Mart.* reſponſio ex trium Ordinum conſenſu confecta, *qua praecipue externorum conſiliorum a pontificibus et Philippo invidiam amoliebantur, et locum colloquio condicebant.* XVII. Rex ex Turonibus cum Catharina ſorore Medontam venit. XVIII. Delegati trium Ordinum Lutetiae conveniunt, et poſtridie B. Polycarpi feſto initium comitiis ſuis faciunt. Cardinalis Pellevaei oratio a plerifque ludibrio habita, poſtea et ſatyra Menippaea traducta. XIX. Laurentius Suares Figeroa admittitur, et orationem Philippi nomine ad Ordines habet, et literas ab eo porrigit, *quibus opes ſuas ac vireis prolixe deferebat et paratas oſtendebat; quod in malam partem a prudentioribus acceptum, inter quos jactabatur, Philippum idem facere quod olim cognominem Macedonem feciſſe hiſtoriae tradunt, qui cum vellet Oricios hoſteis in poteſtatem redigere, et in hoc exercitum miſiſſet, ſcripſit a ſe miſſos milites, quod comperiſſet eos ſeditionibus vexari, et bonorum amicorum eſſe in tali tempore ſubvenire.* XX. Pellevaeus quanquam obnoxius graviter ad jactabundam Feriani orationem pro tempore reſpondet. XXI. De concilio Tridentino ante omnia in comitiis conſultatur, *cujus promulgationem ſine ulla conditione cum urgeret cardinalis Sega, ejus inſpiciendi cura Joanni Magiſtro praeſidi et Gul. Vario ſenatori attributa, qui in ſeſſione* IV, VI, VII, XIII, XXI, *et ſequentibus uſque ad* XXVII, *multa juribus ac libertatibus, edictis regiis et ſenatus decretis praejudicantia et adverſantia annotarunt, et ſcripto comprehenſa Ordinibus obtulerunt.*

## LIB. CVI.

CIƆ IƆ XCIII.
HENRICUS IV.

TEMPORE colloquii appetente mittuntur qui locum inſpiciant. Utrinque delegati ad Surenam conveniunt. Prima de Nic. Angeneo Rambulieto mota eſt controverſia, *tanquam caedis Guiſii conſcio; iſque poſt unam et alteram ſeſſionem ſe conventui ſubduxit.* II. Reginaldi Belnenſis Bituricenſis archiepiſcopi habita mane oratio; qua cunctos ad mutuam erga patriam, *quae bellis civilibus diſcinditur,* charitatem hortatus, rationes, ob quas regii in obſequio remanſerunt, petitis e ſcriptura et antiquitate teſtimoniis ac exemplis demonſtrat, et ineundae pacis rationes proponit, *et ut bene animatum regem ad majorum religionem capeſſendam conjunctis votis incitent hortatur.* III. Petrus Eſpinacus archiepiſcopus Lugdunenſis poſt meridiem verba fecit, et longa ac vehementi oratione ſectarium malum deteſtatus ante omnia religionis ſecuritati proſpiciendum eſſe, *nec aliter concordiam ſarciri poſſe,* demonſtravit, *et de jungendis communibus votis ad regem eccleſiae reconciliandum ſe excuſavit.* IV. Tum rurſus Bituricenſis de priſcae eccleſiae patrum erga principes cultu praecipuo et ſubditorum obedientia dixit, *et exempla luculenta ac teſtimonia e libris ſacris et hiſtoria deprompta protulit.* V. Poſtridie Lugdunenſis, *qui podagra laborabat,* exempla et teſtimonia a Bituricenſi allata *eadem vehementia* refutavit. VI. Inter altercationes et mutuas exprobrationes dies exacta, et Schombergius cum Belinio ad urbem profectus eſt, ut Meduanium *ab exercitu venientem* ſalutaret, et *propoſitis difficultatibus ac periculis* eum a creatione regis, *quam ab Hiſpanis Guiſio parari rumor erat,* dehortaretur. Inde petitum a noſtris ſpatium, quo plenius de regis voluntate ac conſilio illos edocerent. Interea ſupplicationes magna pompa in urbe celebratae. Schombergius cum Revolio ad regem proficiſcitur. VII. Per literas cum Henrico Turrio Bullionii duce, *qui tunc maxime in regis gratia florebat,* agere juſſus Thuanus,

anus, ut quamvis Proteſtantium doctrinae addictus aequitatem in eo negotio ſervaret, et, quo minus rex ſibi regnoque utile conſilium caperet, auctoritate ſua non impediret. Sub id ſyngrapha ſecreta ab iis qui in comitatu regis erant, majorum religioni addictis, cautum Proteſtantibus de edictis in ipſorum gratiam ſervandis. VIII. Rex declarat apud animum ſuum conſtituiſſe, vocatis epiſcopis et theologis inſtructioni, quam ſemper expetiverit, *et citius, ſi per adverſariorum malevolentiam licuiſſet, fecerit,* omni re alia omiſſa vacare; interim placere, ut induciae ad aliquot menſeis pangantur. Ea re, *quanquam pontificius legatus Lutetiae quantum poterat contra obniteretur,* converſa ubique populorum ſtudia; *qui quam properanter et caeco furore in bellum ac turbas praecipitaverant, tam prona voluntate ad pacem et otium ſubito mutati inclinaverunt.* IX. Re ad concilium a Lugdunenſi relata, *et declaratione regis ſcriptis mandata, quam ipſe accipere noluerat, evulgata,* in aedibus legati conveniunt delegati, et a Feriae duce, qui aderat, an ampliora a Philippo mandata haberet, petunt. X. Quo rurſus petente ut colloquium, *ut bene procedenti religionis negotio exitioſum,* abrumperetur, et in creatione regis ratio ſereniſſimae infantis haberetur, Gul. Roſa Silvanectenſis epiſcopus ſurgens interfatur, *et Politicos, quos ipſe tantopere huc uſque agitaverit, non male ſubodoratos ait, qui Hiſpanos in hoc toto negotio potius privatae ambitioni quam religionis bono ſtuduiſſe ab initio praedixerunt,* et petitioni ut legi Salicae adverſanti praefracta oratione interceſſit. De conditionibus cum ad Ordines, ſicuti Feriae dux petierat, relatum eſſet, eodem reditum nono poſt die, et Inicus Mendoza *literatus, ſic a ſuis vocabatur,* auditus, qui jura infantis ſcholaſtica oratione executus eſt. In eam, *quia potius Anglorum antiquis contentionibus viam praemunire, quam infantis jus aſſerere videbatur,* multa in urbe jactata, alienatis ſubito animis, *et illud ex ſacra ſcriptura, Lilia non laborant neque nent.* A factioſis et eodem tempore exagitata declaratio. XI. Poſtremo ad reſponſum dandum Rochettae utrinque primo ab urbe lapide conventum. Cum Lugdunenſis de voluntate regis merito dubitari diceret, et quouſque de ea conſtaret, et pontifex auctoritatem ſuam interpoſuiſſet, ultra in pacis aut induciarum negotio pergi non poſſe oſtenderet, Bituricenſis excepit, et de *egregia ac* ſincera regis voluntate ipſos ſecuros eſſe juſſit; ceterum quoad regium jus, pontificis auctoritatem minime expectandam; *nam nullum ea in re jus illi per regni leges et eccleſiae Gallicanae libertates competere.* Interim urget, ut pacis negotium *cum Catholicis principibus ac proceribus, a quibus miſſi ſunt,* inchoetur, *quod rex, poſtquam religioni majorum nomen dederit, ratum ſit habiturus.* Cetera dies inter contentiones exacta. XII. Ad Villetam demum conventum, et induciae a rege oblatae. XIII. *Re ad concilium relata, et inter Cl. Caſtreum et Chriſtianum Savinium Ronaeum agitata, cum hic damnoſas, ille utileis ac neceſſarias eas diceret,* factioſi per cardinalem Segam et Pellevaeum cenſurarum minis additis illas impediunt, et regis Catholici electioni inſtant. Induciarum negotio dilato Erneſtus archidux infanti vir deſtinatus rex eligendus ab Hiſpanis proponitur. Ordines actis Philippo gratiis ab Erneſti electione ſe excuſant, *injecta interim mentione ſuorum principum, quorum ſi uni infans deſtinaretur uxor, ſpem ſubeſſe aiunt, ut in eum Ordines conveniant.* Dum deliberant Hiſpani, plebs ob rejectas inducias in urbe tumultuatur, ac vix tandem placatur. XIV Hiſpani aſſentiuntur, ut rex is, quem Philippus ex regni principibus nominaverit, eligatur, infantem in uxorem accepturus, *conditione addita, ut regnum in ſolidum utrique concedatur.* Intercedunt delegati regni per literas. Caſtreus inſtat, ut quem Philippus intelligat, ſine mora nominet. XV. Senatus-conſultum factum, quo Meduanius rogabatur, ne per foedus regnum in exterum principem *ſeu virum ſeu foeminam* transferri pateretur, et leges regni fundamentales ſerventur. XVI. Id per Joannem Magiſtrum praeſidem Meduanio, addita gravi oratione, ſignificatum; *qui et inſtitit, ut induciae etiam pangerentur.* XVII. Meduanius, *qui ſenatus-conſulto illo ſe inconſulto facto ſibi illuſum querebatur,* cum Magiſtro *coram Lugdunenſi* poſtridie expoſtulat; *qui eadem conſtantia et gravitate, qua in decreto faciendo uſus erat, factum, increpito etiam ipſo Lugdunenſi, tutatus eſt.* XVIII. *Et cum id omni ope revocari peteret Meduanius,* ſenatus

natus

Tom. V.

natus denuo interceſſit, *et potius ſibi in veſtigio mori, quam in decreto a ſe quidquam mutari certum eſſe declaravit.*

## LIB. CVII.

CIƆ IƆ XCIII.

Henricus IV.

Rex, dum colloquio tempus extraheretur a foederatis, *ne nihil interim ageret,* VI Eid. Junias caſtra ad Drocum in Carnutibus admovet. *Oppidum tandem a defenſoribus deſertum, et igne, qui vix a noſtris reſtinctus eſt, vaſtatum, praeſidiariis in arcem ſe recipientibus. Inter arcem et turrem vinearum dum commeatur,* Monpenſerius, *per vallum interpoſitum incedens,* graviter ſauciatur ; *ex eoque vulnere cum vix diu poſt convaluiſſet, ſemper poſtea laboravit, idque viro longiſſima vita digno fatum ante annos acceleraſſe creditur.* Tandem, cum auxilia non comparerent, arx *conditionibus antea perſcriptis* VIII *Eid. Quintil.* deditur. II. In urbe Feriae dux, qui, incerta regis creandi nominatione in Philippum collata, multos offendi *et Caſtreum imprimis* cerneret, concilio in arcano habito Guiſium nominat. Meduanius, qui aderat, cum adſentiri ſe ſimularet, Baſſompetra Caroli Lotharingiae ducis procurator intercedit, *et fore dicit, ſi eo ſpreto in electione pergatur, ut cum Navarro reconciliatus a partibus diſcedat. Cum duras conditiones Meduanius proponeret, Sorbonici factioni addicti auctores legato Placentino fuerunt, ut quaecunque ille peteret, fidenter promitteret : non propterea eum obligatum iri, quippe dolum in re futurum, qui ſalva conſcientia excuſari poſſit.* Caſtreus aperte contradicit, *et Guiſium, cui alioqui favebat, quod Hiſpanorum fidem haberet ſuſpectam, ne ſe ambitione tranſverſum agi ſineret, prudenter admonuit.* III. Concurſu ad Guiſium facto, Meduanius ad ſolitudinem redactus diſturbandae electionis occaſionem quaerit. Villarium Rotomagum mittit, qui Carolo cardinali Borbonio Tertiae factionis duci, qui Gallione erat, praeſto ſit. *Sed cum, illa jam detecta, rex in eo eſſet ut propediem majorum religioni nomen daret,* cardinalis conſilia antiqua reſumere detrectavit. IV. Per Michaelem Hugueriam, *qui poſt exercitum Germanorum ante ſeptennium proditum Lotharingiae duci operam ſuam addixerat,* commentarium artificioſe conficiendum curat Baſſompetra, quo periculum *ab aemulatione, livore, metu ceterorum orbis principum* ex regis creandi, ſi a Philippo fieret, nominatione impendere, *eamque irritam fore, ac proinde liberam omnibus relinquendam eſſe, et Philippum amplius de adeptione regni aut patrocinio cogitare minime debere,* longa et accurata narratione demonſtrabat. V. *His rationibus cum ſibi viam ad excuſationes munitam putaret* Meduanius, ultimum ad electionem regis impediendam telum potentiſſimum ſtrinxit, induciarum mentione repoſita; quas Cl. Caſtreus *eadem qua Hiſpanorum aſtuta conſilia inſectatus fuerat libertate* tanquam utileis ac neceſſarias ſuaſit, *et citra offenſionis pontificis metum pangi debere oſtendit.* Meduanius ex Caſtrei conſilio a creatione regis ut intempeſtiva ſe excuſat. VI. Serio de regis ad eccleſiam reconciliatione, *evocatis praeſulibus et aliquot Lutetiae ipſius curionibus,* agitur. Cardinalis Borbonius Gallione, *quo ob morbum ipſi poſtremo fatalem decumbebat,* fanum Dionyſii venit ; *et cum negotium factionis Tertiae ex voto minime procedere videret, re diſſimulata deliberationi de regis reconciliatione intercedere voluit,* regem non niſi conſulto ac conſentiente pontifice ad eccleſiam admitti poſſe dictitans : quod tamen ut locum haberet obtinere non potuit. In eam rem ſcriptum evulgatum, *teſtimoniis pontificum, et imprimis exemplo ex Hiſpanorum hiſtoriis petito firmatum, cum Ricaredus adjuvante Deo ex Ariano, nulla pontificis interveniente auctoritate, factus eſt Catholicus.* S. Genovefae abbati, qui rebus regis in occulto favebat, *literis interceptis* creatum periculum. VII. Ritus et ceremoniae in regis reconciliatione obſervatae. *Mane a delegatis epiſcopis, et imprimis a Bituricenſi archiepiſcopo, ſecretum cum rege habitum colloquium; cui cum cardinalis Borbonius intereſſe vellet, a rege ob ſuſpiciones excluſus eſt. Quo peracto, rex epiſcopis gratias egit, et de iis, quae hactenus ignoraſſet, melius inſtructus ſe cogitaturum Dei invocato nomine reſpondit.* VIII.

*Quo*

*Quo* eodem die Meduanius *ad tollendam omnem de rege creando ſpem* inducias controverſas, multum refragante legato *et ſe diſceſſurum interminante,* ſanxit. Is utcunque placatus novum contra regem diploma evulgat irrito ſucceſſu. Edictum et a Meduanio propoſitum, ne quis urbe exiret; *quod a plebe laſciviente et per inducias geſtiente pariter neglectum fuit, et* perruptis portis effuſa per vias multitudo Fanum-Dionyſii ad ſpectaculum confluit. IX. Dominica ſequenti peracta ceremonia, debacchantibus interea in urbe nequicquam concionatoribus, *et regem diris devotum, et praeſules qui a cenſuris eum ſolverint cenſurae laqueis irretiri, ex ambone detonantibus.* X. Bucheri in eam rem *de ſimulata Benearni principis ad eccleſiam reconciliatione* habitae conciones typis poſtea cuſae. Ut legatus pontificis, *qui inter haec animi diſcruciabatur,* aliqua ratione placaretur, *ipſo transfigurationis die poſt veſperas* concilium Tridentinum, *in quo multa a delegatis juribus regni et eccleſiae Gallicanae libertatibus contraria et praejudicantia annotata fuerant,* concurſu factioſorum facto pure et ſine conditione promulgatur, et Unionis jusjurandum denuo repetitur. S. Genovefae abbatis cauſa retractatur; *et cum ille a mandatis legati appellaſſet ab abuſu, libellum appellatorium a curia impetrat, clauſula adjecta, ut ſine ſtrepitu juxta concilium Tridentinum cauſa ageretur. Re comperendinata et perſecutio utrinque* ex Meduanii conſilio omiſſa eſt, et abbas cuſtodia ob morbum liberatus ad regem profugit. XI. Facta reconciliatione ad curias et regni praefectos datae literae. Nivernius legationis ad pontificem decretae onus ſuſcipit, *cui attributi Cl. Angeneus Cenomanenſis epiſcopus et Ludovicus Seguierius eccleſiae Pariſienſis decanus.* Eodem tempore ab adverſae partis ſociis Romam miſſi cardinalis a Jouſa et Claud. Belloſremontius Seneſcaeus. Hiſpani nihil non agunt, ut pontificem a regis partibus alienent. XII. *Et, cum aliud non poſſent,* ſcriptum *ſcholaſticae aſſertionis pro diſciplina eccleſiaſtica titulo* a Conſalvo Pontio Legionenſi *conſarcinandum et publicandum curant,* quo regi relapſo gratiam a pontifice poſſe fieri multis detortis *ex illa ſpinoſa ſcientia* argumentis *praefracte* pernegabat. Ad quod moderatiore ſcripto ab Arnoldo Oſſato *regio ac Francico nomini egregie ſemper addicto* reſponſum eſt; *quo et argumentis ex eadem ſcientia petitis rei acerbitatem leniebat, et, periculi ex eo ſecuturi metu, de ſeveritate aliquid relaxari conſultum videri demonſtrabat. Id non typis, ut alterum, cuſum, ſed per manus volitabat, et rei poſtea conficiendae materiam praebuit. De induciarum pactarum ſuborientibus in dies controverſiis agitur.* XIII. Dum rex Meloduni eſſet, percuſſor Petrus Barrerius nomine captus, et *ordinem rei exequendae, et cum quibus ea de re Lugduni et Lutetiae Pariſiorum nuper egiſſet, coram Thuano et Frenuoto delegatis extra tormenta confeſſus, culpa ingenue agnita* extremo ſupplicio adficitur. *Sabaudus ab induciis exceptus fuerat, ei tamen loco reſervato, ſi iis comprehendi vellet.* XIV. Nemoroſius, *defenſae urbis gloria tumens, cum circa Lugdunum ſociatis cum Sabaudo gentili conſiliis res ſuas ab aliis ſeparatas habere velle demonſtraret,* excitata ſeditione *per archiepiſcopum, qui Lugdunum ob id cum occultis Meduanii mandatis profectus erat,* comprehenditur, et in Petraeinciſae arce includitur. *Inde Annae Ateſtinae communis matris cum Meduanio filio expoſtulationes.* XV. In aliis provinciis eo anno geſta. In Cenomanis hoſtes juxta Lavallum *in Meduanae ripa* ab Anglis caeſi. *Guerchiae munitiones a Mercuriano captae, Sanlucio ſuperveniente loco capto deſtruuntur.* Aumontius Condatum Redonum venit, et fruſtra tentata urbe Mercurianus Moncoturium, *quod a Saroëto tenebatur,* obſidet: et induciarum occaſione ab eo tandem, *cum conatus non ſuccederet,* diſcedit. XVI. Monmartinus a rege ad Eliſabetham legatur, *qui ab Armorica communi periculo demonſtrato ei perſuadet, ut Anglos, qui in provincia erant, novo ſupplemento addito, eo uſque manere juberet, dum portus in eo tractu ab Hiſpanis inſeſſos rex recepiſſet.* XVII. Sablatum, *Landebrio in oppidanos vexationibus ſaeviente,* interceptum, *et ipſe interfectus.* Auguſtoritum Pictonum fruſtra *immani ſumptu exſtructis ad aditus munitionibus* cinctum. *Cellae in Biturigibus a Boſio, qui Caſtreo militabat, interceptae.* Ad Blaviam infelix Matignoni obſidio. In Cadurcis, Lemovicibus, et Petrocoriis geſta. *Ad Cornelium hoſtes* ab Albaterrano et Theminio *caeſi, et locus captus. Quintili prox-*

Tom. V. *imo ad Inſulam oppidum Albaterranus ſcloppeti ictu in capite ſauciatus concidit, ingenti ſui relicto deſiderio. A Marmandae praefecto auxiliares Blaviam, quam Matignonus obſidebat, miſſi. Miſſae et ex Hiſpania auxiliares naves, quae dubio eventu cum Anglicanis in Garumnae aeſtuario conflixerunt. Jo. Roberti Limalliae irritus contra Hiſpanos conatus. Tandem obſidio cum damno regiorum ſolvitur.* XVIII. In Allobrogibus Diguierius initio anni contrariis excurſionibus Sabaudi incurſiones refraenat. *In re monetaria per Septimanorum licentiam multum circa vicinas provincias laboratur. Diguierius* Briguerafcum venit III Kal. Maias. Vagi ab Amadaeo Tarnavaſio de egregia Sabaudi voluntate cum Diguierio habiti ſermones. XIX. Sabaudus cum valido exercitu Ocellos obſidet, et *poſt quatuor oppugnationes fortiter a Blacono repulſas et ter mille et amplius tormentorum diſploſorum ictus* locus deditur X *Kal. Jun.* XX. Rodericus Toletanus ad Salebertranum pagum juxta Oliſiam a Diguierio caeſus. IↃ *ex hoſtibus occiſi, et ipſe Rodericus deſideratus. Ad Moretellum fulgure quaſſatum locum verſa vis, ſed nullo exitu.* Tandem Sabaudus, *cum Cavortium tentare pro tempore periculoſum duceret,* induciis a Meduanio cum rege pactis comprehendi voluit. In Provincia contra Eſpernonium res turbant. XXI. In Aquitania ruſticorum motus ob militis licentiam, *Gualteranorum in agro Faleſiano ante quadriennium deletorum exemplo,* ubique graſſantium; qui, quod omnia devorarent, Crocani dicti. *Per biennium duravit ſeditio, cui revincendae Malicornius, Abennius, Burdellius egregiam operam navarunt. Similes agreſtium motus anno* CIↃ CCLI *Ludovico* IX, *et* CIↃ CCCC *Carolo* VI *regibus.*

## LIB. CVIII.

CIↃ IↃ XCIII. HENRICUS IV. NIVERNIUS, legationis ad pontificem miſſae princeps, *per Helvetios et Rhaetos facto itinere* ad Poſchiavum obvium habet Antonium Poſſevinum cum pontificis mandatis; *a quo, ſi Romam veniret, privati habitu venire jubebatur.* Ad urbem XI Kal. Decembr. ubi venit, ſtatim ad pedum deoſculationem admittitur, et X dierum praeſcriptam moram et interdictum cardinalium colloquium deprecatur. II. Biduo poſt ad colloquium admiſſus longa ac vehementi oratione potentiam regis et magnitudinem virium ejus, *contra quam a factioſis et Hiſpanis jactetur,* extollit, *ut qui amplius duos regni trienteis teneat. Dein electionem regis, quam Hiſpani et Placentinus legatus tantopere urgent, quanto cum periculo conjuncta ſit, neque vero fieri legitime poſſe oſtendit*; III. *Et, laudata eorum qui regis partes ſecuti ſunt conſtantia ac virtute,* foederatos contra ut ambitioſos et regni everſores ſumma libertate in invidiam, detectis eorum pernicioſis conſiliis, adducit. IV. Dein de Cenomanenſi et Seguierio injecta mentione, petitum ut ii ad pedum deoſculationem admitterentur, et reconciliationis regis, cui interfuerant, rationem *coram* redderent. Id negatum, *et ut ſe coram Sanſeverino*
CIↃ IↃ XCIV. *cardinali prius ſiſterent imperatum.* V. Nivernius demum poſt decem dies elapſos admiſſus ad pedes pontificis proſtratus benedictionem ſibi impertiri regis nomine petit: quod et negatum. *Cum reſponſum ſcripto ſibi tradi peteret Nivernius, per Toletum cardinalem pontifex nihil ſcripto reſponſurum ſe pronunciavit.* VI. Cum nulla reconciliationis ſpes eſſet, Nivernius acta legationis copioſo ſcripto complexus eſt, addita ſub finem vehementi expoſtulatione et proteſtatione ſuo privato non regis nomine. VII. *Cum Roma diſcederet, Cenomanenſem et Seguierium, quos inaudiverat ab apparitoribus comprehendi debere, ut coram Inquiſitionis tribunali cauſam dicturi ſiſterentur, ad latus ſuum hinc inde incedere juſſit, interminatus, ſi apparitores comparerent, fore, ut eos in media via interficeret.* Per Venetias itinere facto, Cenomanenſis, quem ad colloquium admittere noluerat pontifex, ſcriptum publicat, quo reconciliationis regis a praeſulibus celebratae rationes et neceſſitatem demonſtrabat, *et auctoritate doctoris Navarri et Didaci Covarruviae Hiſpanorum comprobabat.* VIII. Seneſcaeus et Guiſii nomine Orbaſius abbas, ad pontificem veniunt, et quid Lutetiae in comitiis actum ſit exponunt, *et imprudentiam*

*tiam Hiſpanorum et ludificationes regis creationem, quam tantopere urgebant, ac denique Guiſii nominationem ſuſpectam reddidiſſe. Interim ex neceſſitate conſilium captum, ut induciae pangerentur, cum promiſſa ab illis auxilia minime comparerent. Ad Philippum cum ſcripturum ſe recepiſſet pontifex, paulo poſt* comperit, ab eo exiguam auxiliorum ſpem, *praeciſa de regis creatione, qua res noſtras omnino conturbare ſtatuerat, ſpe,* ſupereſſe. *Pontifex vero ſumptus in bellum Pannonicum cauſatus a ſuppetiis itidem ſe excuſavit. Id a Bellofremontio ſignificatum* Meduanio, monito ut ſibi conſuleret. IX. Monpeſatus in Hiſpaniam a Meduanio miſſus cum Philippo agit, *de Guiſii cum infante matrimonio, de quo merito a prudentioribus dubitabatur, et auxiliis in eam rem ſuppeditandis; ac poſtremo ut, eo ſecuto, Meduanio, depoſita, quam obtinet, poteſtate, idonee caveatur.* Ad ea per procraſtinationes reſponſum. X. Edictum a rege jam reconciliato propoſitum, exeuntibus induciis, quo omnes in gratiam admittuntur, *exceptis ab ea tantum qui deceſſoris ſui parricidio participarunt.* XI. Primus Ludovicus Hoſpitalius Vitrius Meldorum praefectus a foederatorum partibus diſcedens exemplo ſuo ceteris praeivit, edito ſcripto, quo facti rationem exponebat. XII. Plebs Lutetiae tumultuatur. Belinium ab urbis praefectura remotum ſenatus indigne fert. Liberae dicuntur ſententiae, *quibus Meduanii auctoritas in arctum cogitur.* Quidam boni cives urbe exacti. XIII. Praefectura urbis Briſſaco attribuitur. Irrita regis ad Firmitatem-Milonis obſidio. XIV. Lugduni boni cives, *interceptis Terranovani ducis, qui Mediolano praeerat, ad factioſos in urbe literis, quibus ſpem auxiliorum faciebat, ad refraenandas Henrici Sabaudi Sanſorlini marchionis ob captivitatem fratris infeſtas incurſiones, id interpretati fieri ut Hiſpani urbem in poteſtate haberent,* cum Alfonſo Ornano, qui in proximo erat, agunt, ut ille ad Guilloteriam cum delectis accederet. Condicta dies VII Kal. Febr. *Jaquetus conſilii auctor cum Liergeo et Seva ſtationem, quae imum pontem ſervabat, diſturbant,* protinuſque ad libertatem Francicam tota urbe conclamatur, *ſuppreſſo primum regis nomine, et tandem nequicquam obnitente archiepiſcopo Lugdunenſi faſciae albae ſumuntur, tanto concurſu et alacritate, ut ſub veſperam nihil ſerici albi in cunctis officinis reliqui fuerit. Dein inſignia Hiſpaniae, Sabaudiae, et Nemoroſii captivi per ludibrium exuſta, et factionis Henoticae quaſi ſtrigis effigies publice flammis cremata, regiis inſigniis paſſim erectis.* Alfonſus in urbe magna laetitia admiſſus, et creati novi urbani magiſtratus. XV. Ante motum Lugdunenſem Aquis Sextiis Carſius comes, cum ab Eſpernonio arctius in dies obſideretur, ſenatui ac civitatis ordinibus auctor fuerat, quo ſe belli anguſtiis eximerent, regi jurata obedientia, Eſpernonium hoſtem ſuum, regis, quicum haud ita bene conveniebat, hoſtem facerent. Inconſulto ſe factum indigniſſime tulit Meduanius. XVI. Villaregius per Allincurium filium cum rege clam de Eſiae ponte tranſigit. De Perona item, Deſiderii-monte et Roia, cum Michaele Eſtrumelio Sanlucii ſororii interventu conventum. Durocortori Remorum propugnaculum majus urbis arcis vice a Sanpaulo munitum oppidani clam intercipere et ſe in libertatem vindicare conantur; quod apud Guiſium excuſant. XVII. Cum Claudio Caſtreo itidem tranſigitur, *qui Aureliani coactis urbis ordinibus, quid ſui conſilii ſit, iis aperit, exagitatis Hiſpanorum pernicioſis conſiliis, et neceſſitate ad regis partes tranſeundi propoſita; quam in ſententiam cunctos aſtanteis pertraxit, inclamato ſtatim ubique regis nonine, et diſploſis in laetitiae ſignum tormentis.* XVIII. Autrici Carnutum celebrata regis inauguratio, Nicolao Thuano urbis epiſcopo ſacra faciente. De loco cum controverſia eſſet, non certo loco neceſſitatem impoſitam multis et gravibus rationibus et ex hiſtoria noſtra petitis exemplis oſtenditur. *Item de S. Remigii oleo altercatum, et ejus loco S. Martini in antiquitate certis teſtimoniis commendatum oleum ſuffectum. Eam in rem Ivonis Carnotenſis epiſtola, et Sulpitii Severi, Venantii Fortunati Pictavii, et Pontii Paulini Nolae, epiſcoporum, et poſtremo Alcuini teſtimonia cum libello ceremoniarum a Thuano ipſo promulgantur.* TOM. V.

## LIB. CIX.

CIϽ IϽ XCIV.

Henricus IV.

Brissacus *per Antonium Sillium Rupipotium arcta cognatione conjunctum* clam cum rege agit de urbe tradenda. *Id Anna Ateſtina cum ſubodorata eſſet, per miniſtros, quos in aula habebat, monita, viciſſim Meduanium monet, ut cum rege conveniat rebus adhuc integris antequam urbe diſcedat, alioqui fore, ut per ejus abſentiam per eos ipſos, quibus tantum fidat, res mutent. Id neglexit Meduanius, et quae ſibi a matre praedicta eſſent, in Briſſaci ſinum effundit.* II. Conventiculum Sexdecimanorum *ad Carmelitarum* ultimum: ad factionem denuo inſtaurandam ſupplicationes religioſae *non citra ſuſpicionem* celebratae. III. Repreſſa Joannis Guarini Franciſcani petulantia. Senatus-conſultum contra coitiones et conventicula factum. Briſſacus a P. Amorio gravitate ſenatoria increpatur. IV. Secretae Sexdecimanorum per urbem diſcurſationes, et in confeſſionibus per ſacerdotes appoſitos affectatae interrogationes. *M. Anglus aedilis injecta ſuſpicione Sanquintinum Gallobelgarum tribunum ad ſuas partes perducit, quem ob id Feriae dux ſtatim vinciendum mandat.* V. XI Kal. Apr. urbs a Briſſaco, Joanne Lullerio mercatorum praefecto, M. Anglo aedili, patefactis Nova et Sandionyſiana portis, tradita, et admiſſi regii. XXX *tantum Germani regis nomen inclamare recuſantes a L. Momorantio Botavilla interfecti. De cetero* res tanto ordine peracta, *diſpoſitis ubique moderatis ducibus,* ut a caedibus et direptione ſit temperatum. *Briſſacus ad Feriae ducem miſſus ante Sanquintinum vinctum ſibi dedi petiit, et modo ſe continerent gratiae regis ſpem fecit.* Emiſſi ſine injuria praeſidiarii, *ſic enim convenerat*; *et Monpenſeria et Nemoroſia, necnon et* Placentinus bono animo eſſe juſſus, *qui* in conſpectum regis venire detrectavit, *et ſecum Varadam et Auberium parricidii a Barrerio tentati inſimulatos abduxit. Continuo poſt BB. Ambroſii et Auguſtini decantatus hymnus in majore urbis templo coram rege: apertae tota urbe officinae, mira ac vix credibili poſt tam repentinam mutationem omnium quiete; ut appareret pulſis regni hoſtibus, et abolitis momento factionibus, regem legitimum ſolio reſtitutum, magiſtratum urbi redditum, libertatem et leges in eo inſtauratas eſſe.* Cardinalis Pellevaeus aeger vix rei credens prae indignatione moritur. Baſtilia quinto poſt die a Burgo dedita. VI. Libelli injurioſi in regem undiquaque conquiſiti *a praetore Pariſienſi* et aboliti. Datum et negotium P. Pithoeo *ab Huralto Cevernio cancellario,* ut archiva curiae excuteret, et quidquid in iis in regem injurioſum *et ad memoriam pernicioſum per haec bella decretum ſcriptumve* repeririretur, itidem aboleretur. De reſtituendo dein ſenatu actum, et praeteritorum oblivione ſanciendа; *quod in adventum eorum, qui Caeſaroduni jus dicebant, differri prudentioribus placebat. Sed* praecipitatum negotium *Franciſco Doo urbis praefecto ſuadente,* et edictum ea de re a cancellario promulgatum frequenti corona. *Dein et ſenatus conſultum perorante P. Pithoeo, qui cognitoris regii per abſentiam Jacobi Gueſlaei officio fungebatur, factum, quo abolita praeteritorum memoria futuris negotiis forma praeſcribebatur.* Celebratae a rege Paſchatis feriae magno populi confluentis applauſu. VII. Senatores, qui Caeſaroduni erant, cum Achille Harlaeo magna gratulatione in urbe accepti: venit etiam ad aulam Sueſſio. Decretum Pariſienſis academiae X *Kal. Maias conventu in Schola Campana ſive Navarraea habito factum, in quo* LIV *theologi erant, prius a Bituricenſi moniti,* de obedientia regi *tanquam legitimo Franciae et Navarrae regnorum heredi* praeſtanda, et precibus pro eo *publice et privatim* concipiendis. Urbe exacti pauci factioſi theologi et alii. *R. Chopinus numero exemptus vix tandem amicorum patrocinio.* VIII. Andreas Brancatius Villarius, qui Rotomagum *et pleraque loca in Neuſtria* tenebat, *Maximiliani Betunii Ronii interventu* regi reconciliatur. Cadomo evocati qui regis nomine jus dicebant, et in loco majorum deinceps ſenatus ſedere juſſus. Abbatis-villa *in regis verba adacta privilegiorum antiquorum, prout iis rite recteque uſi ſunt, confirmationem obtinet.* Monſtrolium in Morinis *a Migneo et regi reconciliatum. Jonvillae principe exacto* Auguſtobona Tricaſſium *ſe in libertatem vindicat, et evocato Joachimo Dintevilla cum rege paciſcitur, abolita*

*caedis*

*caedis S. Lamberti die feſto, in qua Soluturnius oppreſſus fuit, patratae memoria. Cum Agendico ſive Senonum civitate et tranſactum, Gaſp. Lantagio Bellano partes ſuas interponente.* Rigomagus in Arvernis, Aginnum, Villa-nova, Marmanda in Nitiobrigibus, ſe gratiae regis ſummittunt. Pictavium et regi reconciliatur, Scaevola, *qui regis partes ſemper ſecutus fuerat,* et Ludovico Sammarthanis fratribus annitentibus. Conditum de eo edictum, *quo et majorum religio Niortii, Fontenaii, Rupellae reſtituitur.* Cardinalis Borbonius *aeger Gallione* Lutetiam devehitur. IX. In Belgium Erneſtus Caeſaris frater *infanti vir deſtinatus* venit, et triumphali pompa Bruxellis exceptus eſt, *P. Erneſto Mansfeldio ſumma ſe praefectura abdicante, quam precaria poteſtate per abſentiam ejus habuerat.* Actum ante omnia de populorum levamento. C. Mansfeldius *ad virium oſtentationem exercitum ad limitem noſtrum ducit, et* Capellam *obſeſſam poſt primam oppugnationem* deditione a Maliſio facta capit. Erneſtus ad Ordines *ex occaſione Mariae Brimeae Cimacenſi viro reconciliandae miſſis Othone Hartio et Hier. Comano* ſcribit, et eos ad pacis rationes ineundas hortatur. Auditi et legati, quorum oratio tota fuit in praeteritorum memoria ac diffidentia ex animis ipſorum delenda. Ad quam ab Ordinibus repoſita, quae a XXX annis inter Hiſpanos et Belgas bello et pace facta ſunt; *perfidia hoſtium amare exagitata, qua fiat, ut nulla cum iis reconciliationis ſpes ſit reliqua. Additae ad invidiam conjurationes nuper detectae, de Eliſabetha Angla veneno tollenda. Lopeſii medici a Fontano corrupti ea de re confeſſiones. Item Andradae, qui faſciculo florum porrecto regem necandum ſuſceperat. Poſtremo Michaelis Reinchonii, qui de Mauritio et Henrico Friderico fratribus interficiendis fidem Floro Barlemontio obligaverat. Illi Londini, hic Lugduni Batavorum ſupplicio adfecti.* X. Res in Friſia geſtae. *Groeningenſes ad Delfezielam male mulctati. Gul. Naſſovius ſubſidia Covordam a Verdugo obſeſſam intromittit, et obſidionem ſolvit. Inde* ad Groeningam Mauritius caſtra ponit. Groeningenſium Maximiliano I Caeſare ſtatus, et poſtea ſub Carolo V, cui ſe poſtremo ſummiſerunt. *Veſſelus Gransfortus et Georg. Agricola, duo magna lumina, ea urbe orti. Anvardiziola munitio a Gul. Naſſovio trucidatis praeſidiariis capta.* Poſt violentam pulſationem *diſſidentibus oppidanis* colloquium cum Mauritio inſtitutum, *et ſtatim ab altera parte abruptum : cuneo acto ignem concipiente cum ingens ruina edita eſſet, et magna clade defenſores affecti, rurſus ad Mauritium mittunt,* et perſcriptis conditionibus unioni provinciarum foederatarum bona fide ſe contra Hiſpanos pro libertate publica acceſſuros promittunt. Petrus Furius Nigellanus, de Mauritio interficiendo ſe ſolicitatum ab iis qui circa Erneſtum erant confeſſus, Bergis ad Somam ſupplicio adficitur. XI. Regii milites Itali ob non repraeſentatum ſtipendium more ſolemni Araſchoti tumultuantur, *principio a legione Gaſtonis Spinulae facto,* et Sichenam tendunt. *A Velaſco, cum de conditionibus ab Erneſto oblatis convenire non poſſet, obſeſſi ad Mauritium mittunt , et, Rozza verba faciente, fides utrinque data et accepta, citra perfidiam erga Philippum, cui militabant. Vis a Velaſco facta et repulſa multis ex ſuis amiſſis. Cum ultimus contra eos conatus pararetur, illi Mauritii fide freti per glaciem incedentes inter Silvamducis et Bredam loco ſtructo ſe muniunt.* Iſſelſtenius dum militem in Weſtphalia legit, ex mora longiore provincialibus ſuſpicione injecta, quaſi in ea hybernare vellet, *delectus caeduntur, et ipſe* interficitur. XII. Ordines novam per Tatariam in Indias Orientaleis viam moliuntur, audaciore quam feliciore ſucceſſu. *Ad Novam Zemblam ſub altitudine* LXXVII *perventum, et inde in patriam reditum.* XIII. Sigiſmundus Poloniae rex in Sueciam profectus Upſalae inſignia regni capit, *Adamo Andracano ceremonias peragente, cum Franciſcus Malaſpina Urbini epiſcopus pontificius orator, qui regem comitatus, eo vellet officio defungi.* De confeſſione Auguſtana ſervanda a rege fides interpoſita. Stocholmiae regni comitia indicta. XIV. Jacobo Scotiae regi filius naſcitur, qui in luſtrico myſterio Henricus-Fridericus dictus. XV. Comitia Imperii Maio menſe Ratiſponae celebrata, *in quibus Erneſtus Baioarus Colonienſis ſeptemvir ſacramentum dixit a Caeſare in fidem adactus.* Erneſtus Badenſis oppida Edvardi Fortunati gentilis occupat, *aes alienum ejus grande, ad cujus ſolutionem a creditoribus cogebatur, cau-*

Tom. V.

Tom. V. *ſatus.* XVI. In Italia Turcicae claſſis metus. *De Syracuſis aſtu intercipiendis ſpes injecta creditur Cicadae imperatori, qua deluſus* in fretum Mamertinum deflexit, et *in adverſo litore* Rhegium in Brutiis *toties ab Hariadeno et Dragute direptum* aggreditur, et deſertum ab oppidanis diripit et incendit, crudeliter vaſtato circum agro, *et ſucciſis arboribus, ac templis barbaro ſacrilegio ſpoliatis.* De ſubſidiis in bellum Pannonicum a principibus Italiae ferendis agitur. XVII. Hinc capta occaſione Alfonſus Ferrarienſis, ut Mutinae, Rhegii Lepidi et Carporum ditiones in Caeſarem gentilem conferrentur, magna vi auri depenſa, a Caeſare impetravit. *Veneti ex bonis ſacris ſuae ditionis ut pontificis permiſſu pecunia colligeretur aſſenſerunt.* XVIII. Mortes Franciſci a Fuxo Candalae, Plauti ſeu Franciſci Bencii, Claudii Puteani, Gerardi Mercatoris, Orlandi Laſſi, Cornelii Bonaventurae Bertrami. XIX. Fons Bollenſis medicatus juxta Goepingam in Suevia, *olim Ziterenae nomine cognitus, denuo* frequentari coepit, *cura aquae probandae Joh. Bauhino a Friderico duce Wirtembergico demandata.*

## LIB. CX.

CIↃ IↃ XCIV. Henricus IV.

Belli Pannonici initia, cui Matthias Caeſaris frater praeficitur. *Conſultatione habita Strigonium peti primum placuit ; ſed cum nondum omnino hyems iis locis deſaeviiſſet,* Novigradum, *quod in proximo erat, ante* obſeſſum. *Loci ſitus, et opportunitas ; munitiones, et praeſidium.* Poſt primam oppugnationem repulſam Palfii interventu *tranſigitur et locus* deditur. Varkucius ad Moſcum miſſus, *qui admiſſus cum Perſico legato, qui in eadem aula erat, egit, et de bello contra Turcos communeis hoſteis gerendo mutuam fidem accepit.* Loca pleraque a Serinio comite capta. Tiffenbachius, *ad Halavanam poſitis caſtris, ſoluta obſidione* obviam Turcis venientibus proficiſcitur, et ad Jaſprini pontem *Kal. Maiis* bis mille ad internecionem delet : *captae* xiii *campeſtres et* iv *murales machinae cum* xxiii *ſignis.* Jaſprinum deditum. II. Coacto exercitu Strigonium Matthias ducit. Urbis triplicis ſitus. Urbs poſt irritam primam oppugnationem capta. *Munitiones item ad Thomae-fanum exſtructae.* In Aquenſi civitate haeſit victoria, et tentata oppugnatione noſtri cum *gravi* damno repulſi : Raſcianorum origo. Bulcorum ſucceſſio, et tandem a Turcis deleta gens, qua extincta Raſcii ſub jugum Turcicum reciderunt. *Ab iis navigia Turcica a Sinane parata aſtu intercepta.* Multa adverſa in illa obſidione Auſtriacis accidunt. *Multi in oppugnationibus deſiderati. Cum Matthias* adventante Sinane *de diſceſſu cogitaret, reque in concilio agitata ita belli ducibus conſultum videretur, Vigandus Maltzanus interceſſit Germanorum nomine. Davide Vignadio Matthiae nomine rem neceſſitate et praeſenti periculo tam vicinis hoſtibus excuſante, proteſtationes a Germanis additae.* Diſceſſum, urbe, quae capta fuerat, et S. Thomae munitionibus valido praeſidio firmatis. Maximiliani Matthiae fratris in Croatia res geſtae. Petrina vi capta, *et in ea* xxx *machinae, cetera praeda incendio conſumpta.* Craſtoviza et Siſacum a Leucovitzio in poteſtatem redacta. III. Sinan cum c bellatorum CIↃ et lx CIↃ Tatarorum incedit, *qui Tatari in Podoliae et Moldaviae finibus ope Coſacorum variis cladibus a Sario Samoſcio adfecti ſunt.* Strigonio praeſidio firmato ad Tatanum poſita caſtra. Locus ut et Martini fanum in poteſtatem hoſtium venere. Javarinum a Sinane obſidetur. Urbis ſitus et munitiones. Comara inſula omnium in Danubio ampliſſima. IV. Joannes Medices cum delectis in caſtra venit, *et rei tormentariae praeficitur.* Feliciter primo a noſtris pugnatum, *Italis egregiam operam navantibus.* In Zigethi inſulae oppugnatione cum praeſidiarii deficerent, reſtitutum a Joanne Medice certamen, et Turci cum gravi damno repulſi. Tatari in fluminis tranſitu a Montano et Palfio profligati. Sigiſmundus Bathorius Daciae deſpota circa Temeſvaram cum Raſciis ſuis contra Turcos rem gerit. iv *Kal. Septembr. varia fortuna et diu nutante et ambigua victoria certatum, eruptione a noſtris facta, in qua ex Chriſtianis* cccc *occubuere, ex Turcis bis mille. Joannis Medicis in receptu magna laus. Tandem fatiſcentibus*

*bus noſtris et tumultuante milite Zigethana inſula deſerta.* *Ac* tandem *cum obſeſſi omnia ſumma feciſſent, et Germani deditionem urgerent, Roſſius contra tenderet, poſt cruentum ad Rabae propius propugnaculum certamen, in quo Veſpaſianus Arcuenſis comes, Barth. Ricaſolius, Otho Montanus deſiderati ſunt, a Ferdinando Hardeco, qui loco praeerat, emiſſo Pertino tribuno* cum hoſte VI Kal. Octobr. tranſigitur. *Ter mille* ɪↃ *Germani ſive Pannonii, bis mille Itali, illa obſidione occiſi perierunt.* Amiſſo Javarino Pappa deſeritur. Hardecus, *cum eum neque Matthias neque belli duces alloquio dignati eſſent, Viennam proficiſcitur, ut ſe coram Caeſare ſiſteret*; *qui* proditionis inſimulatus ſtatim in cuſtodiam datur. *Proditionis argumenta.* V. Comaram oppugnandam aggreditur Sinan. Oppugnationis ordo. *Auxilia a Joanne Medice et Fr. Montano introducta. Tiffenbachio dein ſuperveniente* Sinan conatum omittit. VI. Sigiſmundus Bathorius Tranſilvanus contra Stephani patrui conſilium tributum a deceſſoribus ſuis cum Turco pactum negat, et male conſultus ſe pernicioſo cum potenti hoſte bello implicat. *Abſolutionem fidei Turco datae a pontifice impetrat. Inde a prudentioribus e nobilitate et gentilibus ſuis ad eum principatu exuendum inita ſecreta conſilia, quorum famam proximis comitiis Claudiopolitanis, quo ſecuros facilius opprimeret, ſupprimi curavit. Tamen* de Dacia in libertatem, excuſſo Turcorum jugo, vindicanda actum. Alfonſus Carillus e ſodalitio Jeſuitico, *ſpe nuptiarum unius ex archiducum filiabus facta,* nutantem Bathorium ad bellum inclinat. *Dein proceres convivio excepti et in iis Baltazar patruelis, qui inter menſae ſacra comprehenſus paulo poſt in carcere ſtrangulatur, quod is eſſet, qui depoſito Sigiſmundo ſucceſſor ei deſignatus a conjuratis dicebatur. Stephanus et Andreas cardinalis fratres, qui comitiis non interfuerant, fraudem ſubodorati fuga ſibi conſulunt. Initio belli contra Turcos arridentis Michael* Walachiae et *Aaron* Moldaviae deſpotae ad Sigiſmundum deficiunt. Ad Temeſvaram caſtra poſita. *Leikevitzius Caroloſtadii in Carinthia praefectus Vihitzium praeſidium Turcicum capit, et magnum numerum Chriſtianorum captivorum libertati reſtituit.* Tatari domum redeuntes a Palfio caeſi. Coſacorum licentia immanis ſub *inexperto belli duce* Sigiſmundo triſte de belli contra foedus ſuſcepti augurio praeludium fuit. Carillus ad Caeſarem miſſus Mariae Chriſtiernae Caroli patrui filiae nuptias cum ipſo Sigiſmundo firmat, et auxilia adverſus Turcos petit. VII. Apud nos, *controverſia ob propugnaculum, de quo in ſuperioribus demonſtratum eſt, inter Guiſium et Sanpaulum* Durocortori Remorum *exorta,* Sanpaulus Guiſii manu *coram Meduanio patruo* VII. Kal. Maias interficitur. Jactati ea de caede varii ſermones; et maturata inde Guiſii cum rege reconciliatio. VIII. Lutetiae cum *ad Mathurinorum* XIV *Kal. Maias* academiae ordines conveniſſent, *Laurentius Burceretus rogationem tulit,* ut litis tot annos comperendinatae judicium urgeretur, et vocatis in jus Jeſuitis de iis e ſuo gremio omnino expellendis ageretur: quod magno conſenſu tenuit. Secundum haec libellus ſupplex ſenatui porrigitur. *Dicta die cum Jeſuitae minime comparerent, theologi interpellati interim ab iis mutant, et Jeſuitas tantum in ordinem et academiae diſciplinam redigendos cenſuiſſe, non autem regno expellendos declarant.* Cardinalis Borbonius *morbo fatali decumbens,* et Nivernius, qui ſcholam Jeſuitarum Nivernii habebat, per libellos ſupplices intercedunt. Eorum petitione tanquam incivili rejecta, *quod cognitoris regii eae non privatorum partes eſſent,* cauſa occluſis foribus in ſenatu agitata. IX. Et cum Cl. Duretus quaedam pro iis praefatus eſſet, Antonius Arnoldus academiae nomine contra eos acri oratione peroravit, *qua doctrinae, ad ciendas populorum defectiones, reges de ſolio deturbandos, et ad aſſaſſinorum rabiem exponendos, renovatae, eos auctores et emiſſarios facit.* X. L. Dolaeus pro curionibus urbis verba fecit, nec minore gravitate ab ſenatu petiit *ob eaſdem cauſas,* ut *novitios magiſtros, qui diſcipulos docent regem impune occidi poſſe, tanquam portentum pro prudentia ſua procuret, et* ſi *quidem, quod academia poſtulat,* Francia non pellantur, ſaltem ſacramentorum adminiſtratione omnique alia, quae ad curiones ſpectat, functione in poſterum interdicantur. XI. Cum pauca *ad haec offenſionem regis veritus* Duretus dixiſſet, Petrus Barnius Claromontanus collegii ſyndicus commentarium prolixum

lixum publicat, quo ad ſingula objecta inficiatione aut elevatione reſpondebat. XII. Tandem cauſa iterum perendinata, *Auguſtino Thuano praeſide indignante, qui cauſa perendinata regis vitam comperendinari dixit, quam potius inſigni exemplo, quod ab hoc judicio expectabatur, in tuto collocari oportuerat.* XIII. Jo. Paſſeratius, profeſſor regius, *cum in Ciceronis locum de ridiculis praefaretur,* orationem declamatoria libertate et amarulenta dicacitate contra eos habuit. XIV. Cardinalis Borbonii ex moerore ſub id mors.

## LIB. CXI.

CIↃIↃXCIV.

Henricus IV.

Rex, *nuncio de Capellae deditione accepto,* Laodunum Clavatum ducit, et urbem cum exercitu obſidione VIII Kal. Jun. cingit. Meduanius ad *Erneſtum archiducem ſalutandum et* auxilia flagitanda Bruxellas excurrit. *Feriae dux et Ibarra ejus retinendi Erneſto ſuaſores. Re in deliberationem deducta, infeſto conſilio retinendi tantae dignitatis hoſpitis omiſſo, placuit ut auxilia mitterentur,* duce Carolo Mansfeldio. Pridie Eid. Jun. auxiliares ad Montem-Vallianum comparent et caſtra muniunt. *Ad lucum inter eos ac regios acriter pugnatum* XVII *Kal. Quintil. et loco pulſi hoſtes.* II. Caſtreus contra Guiſium miſſus. *Cluſellus a Longovillano caeſus et captus, et annona, quam ducebat, amiſſa.* III. Ad Crepiacum *dein* auxiliares *poſtremo* magna ſtrage caeſi. *Direptus commeatus.* CCCC *carri incenſi.* CIↃ IↃ *equi capti.* Mansfeldius, et Meduanius, *qui cum eo erat pari poteſtate,* cognito ſuorum caſu recedunt. IV. Ad obſidionem reditum, in qua Givrius *in vallo ſuo* occiſus, magno ſui relicto deſiderio. *Pulſantur muri* VII *Eid. Jul. et oppugnatio fruſtra tentatur. Cum oppugnatio denuo pararetur, Ligneracus ad colloquium exit, et, niſi intra praeſcriptum tempus ſubveniretur,* de deditione tranſigitur; quae, *auxiliaribus non comparentibus,* facta ineunte Quintili. Cum Mercurio Sanchamantio Piſcario, qui Theodorici-caſtrum tenebat, tranſigitur. V. *Cum allatum eſſet* Samarobrigae Ambianorum *civeis tumultuari, et in eo eſſe ut Aumalium urbe ejicerent, Humerius et Boſſerius eo profecti. Meduanio ſuperveniente,* conatus *diſturbatus; qui mox, ipſo recedente,* exitum ſortitus eſt, Aumalio ejecto et rege ſine conditione in urbem accepto. VI. Inde rex Cameracum, inſtante Balagnio, qui anno ſuperiore, *cum rex Dieppae eſſet, cum rege* reconciliatus fuerat, excurrit. Conditiones Balagnio promiſſae, in iiſque principatus ac jus in tota ditione ab ordinibus urbis in illum conceſſum confirmatur, idque ſe tueri paratum rex oſtendit. *Pacta ante Laodunum obſeſſum a Radeſiano a rege miſſo firmata, et Balagnius in regis verba adactus. Rex eadem coram rata habet, frementibus pleriſque, qui principatum novum brevi deſiturum non ſolum cum Balagnii pernicie, ſed cum regis regnique detrimento, praeſagiebant.* Rex *Cameraco diſcedens* cum Bellovacenſibus tranſigit: *mox* et *cum* Maclovianis in Armorica, *mortis Fontani praefecti facta gratia. De iis omnibus condita edicta, appoſita clauſula, qua ii a beneficio excluduntur, qui regis deceſſoris parricidio participaverint, aut regis qui nunc feliciter imperat vitae inſidiati fuerint.* Henricus Turrius Bullionii dux tribuni equitum, et poſt eum Villarius maris praefecti in ſenatu ſacramentum dicit. VII. Novae conditiones a Meduanio cum Erneſto archiduce Bruxellis initae. VIII. Cum Guiſio interim tranſigitur opimis maxime conditionibus. *Cumque ei praefectura regni primaria promiſſa eſſet, a Campana, quam Nivernius tenebat, excluſus, Provinciam, in qua tunc Eſpernonius res miſcebat, regis benignitate adeptus eſt. Cevernius cancellarius initio interceſſit. Cum rex urgeret, diplomata a* IV *viris a ſecretis epiſtolis ſibi caveri petiit.* IX. Franciſcus Dous *aerarii et Lutetiae ac peninſulae Francicae praeſes* decedit, helluato omni patrimonio. Illo auctore conditum edictum in gratiam debitorum, *in quo decernitur, ut ex annuis redituum emptorum penſitationibus, quae beſſaleis uſuras triente excederent, ſive graviores ut nauticae, ſive leviores ſint, ab anno* CIↃ IↃ XIC *ineunte ad annum* CIↃ IↃ XCIII *exeuntem tantum duo trientes exigantur.* Incerta aerarii Doo extincto adminiſtratio, donec in Maximilianum Bethunium Ronium a

rege

rege collata fuit. X. In Cenomanis Lavallum ab Aumontio *citra caedem et rapinas* receptum. Mercurianus, *regis reconciliationem ut fictam et religioni periculoſam cauſatus*, in foedere conſtans remanet. *A Laeſoneto qui Concarnellum, et Talueto qui Redonum ad Vidanam tenebat, interpellatus, nihil citra pontificis auctoritatem in eo negotio decerni poſſe reſpondet.* Laeſonetus cum rege, *dum ad Laodunum haereret*, Monmartini interventu tranſigit. Aumontius Cruceii legionis tribuni licentiam generoſe reprimit, *et ad veniam petendam adigit. Planta et aliquot ex ejus ſpelunca latrones a Kergomarto interfecti.* Morlaſini oppidani Aumontio portas aperiunt, praeſidiariis in arcem confugientibus ; ad quam ſtatim caſtra admota. *Cum Hiſpani et Mercurianus diverſe in Britannia citeriore ſibi jus arrogarent, inde ortae inter eos aemulationes, et tardior in ſuppetiis ferendis Joannes Aquila. Baſtenaei temeritate plerique e nobilitate a Mercuriano capti; quos ut Aumontius redimeret, a conſilio ſeveritatis, quod contra captivos ceperat, deſtitit,* et arce dedita *nobileis captos ad libertatem ſuorum procurandam inſigni ac generoſa prorſus liberalitate adegit.* Quinpercorentinum deditum. *Pactis ad breve tempus induciis* Taluetus cum Aumontio tranſigit. XI. Ad Cordunam triangulari facie in ſaxo excavata munitio ab Hiſpanis inter Breſtum et Conqueſtum. *Tractus Armoricani ab aeſtuario Ligeris, et Cordunae ipſius ſitus, deſcriptio.* Locum tuebatur Thomas Praxedes cum ccc delectis. Parvo labore exteriora munimenta occupantur. Major in vallo ducendo, *cum terra deeſſet*, labor. Poſt pulſationem prima oppugnatio irrita. *Eruptione ab obſeſſis facta* Liſcoëtus deſideratus. Aumontio ex gravi morbo *paulum* recreato extrema vis xv Kal. Dec. tentatur, *in incerto relicto qui primi in ruinam Galli Anglive evaſerint.* Romeguſius *Bordeti frater cum ſignifero in ſumma ruina* concidit, *corpore intus lapſo.* Martinus Frobiſherus, *navigatione ſeptentrionem verſus inſtituta clarus*, in illa oppugnatione *cum multis ex ſuis itidem* periit. Pulchrum Angli centurionis pro gloria ac fide facinus, *cum, propoſito edicto ne cui vitae gratia fieret, Anglus Hiſpanum, cui vitam, quam ab eo olim in Belgio acceperat, ſalvam promiſerat, captivum nollet ſiſtere, et, ſi de edicti ſeveritate nihil remitteretur, ſe pro eo mori paratum oſtenderet : cui gratia ab Aumontio, re intellecta, facta.* Surdeacus Breſti praefectus munitionem ope ruſticorum demolitur. XII. Quinpercorentini arx inchoata. Corilaeum, *quod Fontanella tenebat, obſidione cinctum*, Aumontio veniente deditum. XIII. In Provincia nobilitatis de Eſpernonio querelae. Res ad Monmorantium Septimaniae praeſidem remiſſa. In arcano mandata data Ornano et Diguierio, ut Carſio ac Provincialibus ab Eſpernonio laborantibus ſuccurrerent. Diguierius in Provinciam deſcendit, et *tranſmiſſo Druentia* juxta Urgonium cum Eſpernonio confligit, *quo in certamine Bezaudus captus crudeliter necatur.* Tandem Eſpernonius, *qui huc uſque Monmorantium ludificatus fuerat*, conditiones accipit, et praeſidium munitione ad Aquas Sextias ſtructa deducit. Diguierius *ad Carſium, qui in urbe erat, contendit*, magna Aquenſium gratulatione *et militari pompa* exceptus. Multa loca in tractu maris a Diguierio recepta. Munimentum Aquenſe *item, ſpecie ſupplementi vicino Eſpernonio immittendi, Joanne ductore, qui locum Laſinii nomine tenebat, recuſante, vi receptum, et mox diſſimulante Diguierio ab Aquenſibus* deſtructum. XIV. Nemoroſius aſtu Petrae-inciſae, *in qua cuſtodiebatur*, arce aufugit. XV. Sabaudus ad Briqueraſcum caſtra ponit. *Oppidum inferius captum, et vetus ſtatim a regiis deſertum.* Tandem arx dedita x *Kal. Novembr. honorificis admodum conditionibus.* XVI. Diguierius S. Benedicti munitionem, *ut ſibi aditum Briqueraſco amiſſo ad Cavortium ſervaret, poſt acrem verberationem* capit, quae diſceſſu Diguierii mox recepta eſt. XVII. *Quieſcentibus populorum inter nos poſt regis reconciliationem animis*, bellum inter regem et Philippum inflammatur. Rex ad Atrebatum et Hannoniae ordines ſcribit, *et de Philippi injuriis cum iis expoſtulat.* Exercitus Bullionio belli ſuaſori, *qui ſub id mortua priore uxore Eliſabetham Naſſoviam Mauritii ſororem in uxorem duxerat*, attributus, *qui Ivodium, Firmitatem, Calvancium, loca ad Carum in Lucemburgico agro poſita occupat.* XVIII. Cum rex Lutetiam magno comitatu veniſſet, a Joanne Caſtello in turba cultro in ſuperiore labro, cum gulam peteret, graviter perculſus. TOM. V.

culſus. Joannis ingenium, mores, in ſchola Jeſuitica *ſtudiorum curſus et educatio.* *Confeſſiones ejus horrendae.* Ad mortem damnatus, *et in ſupplicio cum forcipibus candentibus concerperetur, et poſtea a quatuor equis diſcerperetur, nullum poenitentiae aut doloris dat ſignum.* Eodem judicio, quod ex eadem ſchola percuſſor prodiiſſet, *cauſa Jeſuitarum comperendinata accepit finem, et* illi toto regno exterminati. *Dum ſcrutantur a curia delegati ſodalium arculas et chartas, repertae*

CIↃ IↃ XCV. Joannis Guignardi *ſchedae quaedam, quibus* multa in *deceſſorem* regem contumelioſa *continebantur, argumentis adjunctis quibus eum ut alterum Neronem jure interfectum probare nitebatur, laudato Clemente ut praedicandi facinoris patratore: bene cum Benearnenſi, quamvis Catholicam fidem profeſſo, ſi capite raſo in monaſterium trudatur, agi; ſi ſine bello deponi non poſſit, bellum cum eo gerendum; ſi bellum geri non poſſit, eum quavis ratione de medio tollendum: regnum in aliam quam Borboniorum familiam transferri potuiſſe et debuiſſe. Quae omnia manu propria* ſcripſiſſe convictus, *et prius voce lamentabili ignominioſe recantare juſſus,* in Portuenſi platea laqueo ſtrangulatur VII *Eid. Januar.* Joannes Gueretus ex eodem ſodalitio *Caſtelli praeceptor* et Alexander Haius exilio perpetuo mulctati. Alia inſuper in eam rem graviter a ſenatu decreta. XIX. *Cum Capucini preces pro rege in ſacro celebrando concipere recuſarent, quod regis reconciliationi auctoritas pontificia non interveniſſet,* conventu XII *Kal. Febr. in epiſcopi aedibus* habito theologi a P. Gondio cardinali et curiones urbis *magno numero poſt Spiritus S. invocationem* unanimi conſenſu reſponderunt, univerſos regis ditioni ſubditos nullo conſcientiae ſcrupulo prohiberi, quo minus Henrico IV legitimo principi ſuo plenam obedientiam praeſtent, et preces *tam publice quam privatim* pro ejus ſalute *et incolumitate* concipiant. Rex eadem actione exoratur, ut ad vitandam ſciſſuram legatos *quamprimum* Romam mittat. Adjuncta et parricidii *tam in Henrico* III *patrati, quam in ſucceſſore* nuper tentati, *publica ac* ſolemnis deteſtatio. XX. Legatio perhonorifica ſenatus Veneti ad regem ſalutandum decreta. *Legati ſerius advenere ob infeſta itinera et aſperitatem hyemis; eo honorificentius excepti, quod poſt Henrici* III *lamentabilem caſum primi in Italia, cum res noſtrae adhuc in ſalo factionum fluctuarent, eum tanquam Chriſtianiſſimum legitimum Franciae et Navarrae regem, nequicquam pontificio et Philippico legatis reclamantibus, ſummo conſenſu agnoviſſent, ad eumque jam tum literas his titulis dediſſent.* XXI. Erneſtus archidux enixas ſuarum provinciarum pro pace preces *ſumma prudentia* eludit, et ne ad literas regis, *quae ad ipſum, antequam reſignarentur, perlatae fuerant,* reſpondeatur impetrat. Rex in limite, cum ad eas non reſponderetur, bellum denunciandum curat, *programmate propoſito, quo ambitioſa et pernicioſa Hiſpanorum contra Franciam conſilia acerbe exagitabantur. Ad illud poſt duos menſes ex concilii ſententia reſpondetur, et bellum in Francia geſtum religionis contra ſectarios tuendae neceſſitate excuſatur.* Philippus Naſſovius, cum ſe exundantibus ubique aquis cum Bullionio conjungere non potuiſſet, a Mansfeldiano peditatu male mulctatus. Irrito conatu ab utriſque tentata Theodonis-villa. XXII. Pactis inter regem et Lotharingiae ducem induciis, tribuni, qui Lotharingico militabant, fidem regi addicunt, et infeſta ſigna in Sequanos Comitatenſeis inferunt. Sequani cum ab Helvetiis ex foedere antiquo opem implorarent, non *ſatis commodum reſponſum primo* acceperunt; *mirari ſe quippe dictitantibus qua fronte a ſe auxilium peterent, quos ante ſeptennium e Gallia exercitu diſſipato redeunteis ab inſequenti hoſte in terris ſuis ad internecionem caedi paſſi eſſent.*

## LIB. CXII.

CIↃ IↃ XCV.

Henricus IV.

EDICTUM in Proteſtantium gratiam factum in curiam allatum: *caput* XIX *edicti anno* CIↃ IↃ LXXVII *facti de honoribus promiſcue nullo religionis diſcrimine diſtribuendis agitatum, cum id ſine conditione promulgari pleriſque re regis arbitrio permiſſa placeret, alii contrahi illud interpretatione conducibilius regi et tempori exiſtimarent.* Tandem tenuit, ut ſine conditione promulgaretur; *ſed cognitor*

*nitor cum ſe audito tantum, non etiam poſtulante, promulgationem fieri peteret, ex eo ſuſpicio injecta Proteſtantibus occaſionem quaeri ab edicto olim diſcedendi. Quod novi edicti rurſus materiam praebuit.* II. Ad Crepiacum a noſtris duce Edovilla contra Sueſſionenſe praeſidium, *quod a Conaco ducebatur,* feliciter pugnatur, *et ipſe Conacus capitur.* In Lucemburgico agro res noſtrae Bullionii ductu in ſumma anguſtia, ſtipendii defectu. *Calvancium ab hoſte poſt pulſationem receptum, qui ſtatim ad Firmitatem caſtra ponit. Obſeſſis ſubſidia a Bullionio miſſa, qui et ipſe, ut obſidionem ſolveret, cum copiis ſuis venit, medio amniculo; cujus cum vadum notaviſſet, nec opinato vallum hoſtium aggreditur, tanto pavore, ut, licet irrito ſucceſſu, conclamatis vaſis Verdugus cum Burlota propere cum ſuis Monmedium ſe receperint.* III. In Heduis res felicius geſta. Belnenſes Henoticae factionis pertaeſi *et a Monmoienno praefecto male mulctati* clam cum Birono agunt, *et praecipitato conſilio arma capiunt, et oppido dejectis ſtationibus et in arcem confugientibus potiuntur. Tum* admiſſo citra direptionem Birono ad arcem caſtra admoventur; quae XXVIII poſtquam obſeſſa fuerat die deditur. Claudius Bellofremontius Seneſcaeus, qui Axonam tenebat, cum rege tranſegit. Auguſtodunum *clanculario cum Ragnio foedere ab oppidanis admiſſi regii, et Laureo Vaſcone caeſo poſt unius horae certamen urbs* in Bironi poteſtatem venit. IV. Per Sequanos Tremblacurius et Sangeorgius, qui regi militabant, excurrunt. Caſtellae conneſtabilis cum copiis ad eos venit, cui ſe Meduanius conjungit, *et Veſuntium dedente Tremblacurio capit.* Res ad Divionem geſta, *Joanne Tavanio ad Talandiam arcem ſe recipiente.* Rex, impoſito Lutetiae Fr. Borbonio Contio, Divionem cum delectis copiis *prid. Non. Jun.* venit; et, ordinatis in urbe contra arcem, quam Franceſius tenebat, ſtationibus, *cognito Caſtellenſem cum exercitu adventare, occupandum ratus,* ad Fontem-Franceium *copiis locum condicit, et* cum hoſte inopinato non citra periculum confligit, *eo eventu ut utraque pars ſibi victoriam impune arrogaverit. Rex ad ſenatum ſcribit: actae Deo gratiae et ſupplicationes tanquam in victoria celebratae.* Caſtellenſis Divione obſeſſis ſuccurrere detrectat. V. Meduanius Hiſpanis ſuſpectus, et regis offenſionem veritus, animi angitur; *et in Hiſpaniam cogitans, quo ſe coram Philippo a criminibus et calumniis purgaret, et foederatorum quo in ſtatu res eſſent eum edoceret, ſummam regis humanitatem experitur,* per Ligneracum monitus, ut de gratia ſua bene ſperaret, et Cabillonium *potius* concederet. Franceſius a Meduanio monitus arcem Divionenſem regi tradit. Senatus, *qui primo Flaviniacum dein Semurium tranſlatus fuerat,* Divione reſtitutus, *ſancita praeteritorum oblivione.* Exacti Jeſuitae patres *et decreto Pariſienſi parere juſſi.* VI. Heic libellus ſupplex regi in conſiſtorio ſedenti a primariis aulae proceribus porrigitur; quo, *repetita Condaei mortis memoria, quae in varios veneni rumores incurrerat, et cujus plerique, et ipſa Carlota Catharina Tremollia Condaei vidua, quae adhuc ad fanum Joannis Engeriaci in Santonibus ab eo tempore cuſtodiebatur, inſimulata fuerat, ſententia etiam a judicibus poteſtatem non habentibus in ipſam lata,* petebant, ut cauſa ad Senatum Pariſienſem, *cui jus eſt de talibus cauſis cognoſcere,* cum probationibus *jam confectis* et aliis actis integra remitteretur: quod et a rege decretum. Joannes Vivonus Piſanii marchio in Santones miſſus, qui Henricum Borbonium Condaeum filium *cum Helionora ſorore* in aulam deduceret, *jam pueritiae illius moderator deſignatus.* VII. Henricus Momorantius, Annae magiſtri equitum filius, paterna dignitate a rege auctus Divione ſacramentum dicit. Diploma in ſenatu recitatum fuit XI Kal. Dec. Ant. Arnaldus decora familiae toto regno nobiliſſimae a primis initiis repetiit, *et patrem filiumque luculenta oratione laudavit.* VIII. Rex *inde* in Sequanos proximos excurrit, *et ad Graium, ubi Caſtellenſis cum exercitu haerebat, paulum abfuit, de ſumma rerum certavit. Alfonſus Idiacus a Chanlivotio captus, et Jo. Bapt. Savarolii Faventini interventu libertati pacto pretio ſtatim reſtitutus. Rex* inde Lugdunum profectus triumphali pompa excipitur; et Helveticum foedus, Heduis et Sequanis urgentibus, *Salinatorio oppido, quod adhuc noſtri in Sequanis tenebant, dedito,* componitur. IX. Belgica ſequuntur, et clades *excurſionibus in Sequanos et mora Lugdunenſi* a noſtris in limite acceptae. Hoium *in Condruſis ad Moſam,*

Leodicenſis

Leodicenſis ditionis oppidum, *cum arce* a Carolo Heraugerio aſtu captum. *Epiſcopi apud Ordines expoſtulatio, et Ordinum reſponſum. Praeſidiarii Hoii dum ad praedas ſoluti excurrunt juxta Thenas a Grobbendonko caeſi.* X. Erneſtus archidux, *febre ſubita cum horrore et convulſionibus correptus, paulo poſt* Bruxellis decedit; et ante eum Ferdinandus patruus Oeniponte, *qui ex Philippina Velſera Carolum Burgovii marchionem reliquit, ex Anna Catharina Helionorae ſororis, quae Gulielmo Mantuae duci nupſerat, filia duas filias ſuſcepit, ſucceſſione ampliſſima Maximiliani Caeſaris fratris filiis relicta.* Italorum tumultuantium motus *Bellijoci comitis interventu* compoſiti. XI. Mortuo Erneſto ſumma rerum Petro Guſmano Fontano delata. *Carolus Mansfeldius Hiſpanis inviſus ante Erneſti mortem ad bellum Pannonicum cum ſummo imperio dux deſtinatus proficiſcitur.* Fontanus *ab Erneſto Colonienſi ſeptemviro ſolicitatus* ab Hoii obſidione principium praefecturae ſuae facit; quod et, *fruſtra ſummiſſis a Naſſovio auxiliaribus,* in *Hiſpanorum* poteſtatem venit. Inundationes prodigioſae in tractu Rhenano, *quae a* VII *Kal. Mart. ad* VIII *Eid. duraverunt, Moſella, Moſa, Moeno, Rheno, ac poſtremo Danubio ipſo omnem menſuram ſupergreſſo.* Germani Bruxellis tumultuantur. In limite noſtro excurſiones infeſtae, *inde Varambonii marchione, hinc Longovillano Picardiae praeſide rem gerentibus. Avenae Comitatenſes a noſtris* XIII *Kal. April. crudeliter direptae.* Longovillanus miſerabili caſu Durlanii extinctus, relicto Henrico filiolo. *Praefectura, dum is adoleſceret, Sanpaulo comiti patruo attributa.* XII. Initium colloquii de pace inter Philippicos et Ordines Mildeburgi, ubi Mauritius erat, factum. *Cum Mauritius diceret Ordinibus ſtare, cum provinciarum Ordinibus tantum de pace agere, Philippo excluſo; ne colloquii ſpes omnino abrumperetur, conventum ut tunc tantum de loco et tempore conventus ageretur. Cum ita diſceſſum eſſet,* res Bruxellis *in concilio* diſceptata, *et graviſſimae rationes additae, quibus Ordines provinciarum ut cum foederatis agere poſſent ad pacem habendam Philippo et provinciis expedire oſtendebatur. Qui plus regis dignitati quam paci tribuebant, vicerunt. Lachrimis tamen et obteſtationibus provincialium datum, ut potius dilatum quam abruptum colloquium videretur. Miſſi ad nos Laevinus Calvartius, in Angliam Natalis Charronius, qui quid actum eſſet exponerent.* Maria Arauſionenſis *ex Anna Ecmondana Burana ſuſcepta* Philippo Hohenloi comiti elocatur. *Celebratae et nuptiae Eberardi Solmenſis comitis.* XIII. Chriſtianus Savinius Ronaeus, *qui ſummi caſtrorum praefecti munere in Philippi exercitu fungebatur,* Fontano auctor tentandi Cameraci, *quod male animatos erga Balagnium oppidanos ſciret, et jam cum quibuſdam de urbe tradenda, ſi obſidione premerentur, in arcano egiſſet.* Vaſtatus circum ager, et Caſtellum obſidione cingitur. Sub id Bullionius *ex Campaniae limite* in Belgium deſcendit, *cum Sanpaulo et Carolo Humerio de belli gerendi ratione acturus.* XIV. Ronaeus *Faram ad Eſiam profectus, ut locum praeſidio novo firmaret, dum redit,* Ludovico Moio Gomeroni Hanae praefecto perſuadet, *ſi ſecum* Bruxellas cum fratribus proficiſcatur, *fore, ut Fontanus ipſi de ſtipendiis debitis plene ſatisfaciendum curet.* Eo a Fontano retento, *ad Gomeronis matrem et Orvillerium, qui Hanae arcem tenebat, Hiſpanae immanitatis mandata per Friam miſſa, quibus niſi* X *Hiſpanorum ſigna intra arcem protinus acciperet, fore ſignificabat, ut trium filiorum capita in lance ad ipſum perferenda curaret.* Orvillerius *hac atrocitate perculſus Hiſpanorum in oppido duces captivos vitae filiorum obſides matri futuros oſtendit, et interim per Damium Roiae praefectum clam* cum Humerio agit de Hanae arce regi tradenda. Sanpaulus cum Bullionio et Humerio *ac proceribus provinciae* Hanam ducit; *et intra arcem, ut convenerat, admiſſi ſub veſperam, mane per viam fornicatam tripartito ordine vim faciunt; et cum hoſtes ſegnaviter defenderent, ignis fortuitus accenſus eſt, qui vento adverſo in noſtrorum oculos glomeratus eos primum retro impulit.* XV. *In eaque trepidatione* Humerius ſcloppeti ictu in capite accepto ſternitur. *Bullionio ſuperveniente et igne a Cruceio ejus juſſu in domos proximas immiſſo, qui vice verſa oculos hoſtium afflabat, ii repulſi et porta Caunienſis refracta, qua Sanpaulus, qui extra oppidum eventum rei opperiebatur, cum toto exercitu admiſſus. Tum recedentes*

Tom. V.

*cedentes hoſtes cum ſublatis ſariſſis deditionem ſe facere paratos oſtenderent*, noſtri morte Humerii exacerbati in confertos ruunt, et nulli facta gratia ad IↃC occidunt. *Capti primarii duces. Sangrius, Baltazar Caracciolus, Alex. Brancatius, Sept. Fabius, Ferdinandus Nympha Orvillerio traditi, qui vitae Gomeronis ac fratrum vades eſſent. In caſtris comploratio ob Humerii mortem*; *et* rex nuncio accepto non tam Hana recepta laetatus eſt, quam morte Humerii indoluit. Elogium viri *ſummo omnium deſiderio extincti.* XVI. *Indignatio luctui publico ſucceſſit*; *et* ſenatus ultionem quaerens ex ea occaſione Aumalium, *qui ſe Picardiae praeſidem appellabat, et Hiſpanos ad bellum in provincia gerendum ſolicitare dicebatur*, tanquam perduellem proſcribit, et capitis poenam irrogat. *Crati impoſita* ejus effigies per vicos ignominioſe tracta, *et in platea Portuenſi per quatuor equos diſcerpta. Membra ad* IV *urbis portas affixa.* XVII. Caſu ſuorum irritatus Fontanus ad Caſtelli obſidionem redit; quod et deditione *poſt primam oppugnationem fortiter repulſam* cepit. *Hanae in arce captivi, Friderico Rotundo, qui Gomeroni ab equitio erat, annitente, quo heri ſui periculoſam captivitatem redimeret, contra Orvillerium arma capiunt, et arce liberi emittuntur, et Faram in tutum deducuntur. Gomeronis mater, quae vadeis vitae filiorum amplius non haberet, Orvillerium de tradenda Fontano arce fruſtra urget, et ad Fontanum, ut cum exercitu veniat, imprudentiſſime ſcribit. Is ubi in conſpectum venit, Orvillerius, fruſtra obteſtante matre ut ſui liberorumque miſericordia tangeretur, confuſus, Seſſevallio arce tradita ſe ſubducit*; *qui infeſta diſploſione cum in hoſtem fulminaret*, Gomero *ſtatim productus et* ſecuri juſſu Fontani percutitur. *Fratres ſub cuſtodia in arcem Antuerpianam amandantur, unde poſt Alberti cardinalis mandatu emiſſi ſunt. Cleria exigua arx ad Somonam ab hoſte capta.* Paſtranae ducis deceſſus. XVIII. Ad Durlanium poſita caſtra. In ea obſidione Valentinus Pardeus Mota occiſus. Ejus elogium. XIX. Sanpaulo auxilio adveniente, ex Ronaei conſilio Fontanus cum robore exercitus obviam procedit. Bullionius cum Hiſpanis acriter pugnat, et *capto vexillo, ſed amiſſo Seſſevallio,* in tempore ſe recipit. Villarius, *monita Sanpauli juſſa Bullionii interpretatus,* dum ulterius invehitur, ab hoſtili equitatu opprimitur, et captus juſſu Contrerae *exercitus curatoris* interficitur. Rei male geſtae culpa in alios et alios rejecta. Nivernio in caſtra veniente, Bullionius imperio ſe abdicit, *quod ille rebus confuſis aegre ſuſcipit.* Inde inter eos ſimultates. Durlanium arctius cingitur; *et poſt pulſationem, Halvinio Dinami comite in ruina occiſo, expugnata arx,* et per arcem captum oppidum, obviis quibuſque ob recentem Hanenſis ſtragis memoriam trucidatis. CIↃ CC *majorem partem ex nobilitate deſiderati.* XX. In Sicambris interim Mauritius ad Grollam caſtra ponit, et ſuperveniente Mondragonio ab obſidione diſcedit. XXI. Prope Weſaliam *ex occaſione* utrinque acriter IV *Non. Septembr.* certatur, et Naſſoviani initio victores ad extremum vincuntur. *Philippus, qui ex vulnere ſtatim deceſſit, et Erneſtus Caſimirus fratres capti. Erneſtus Solmenſis comes et captus ex vulneribus deceſſit.* Mondragonius *tot palmarum dux octogenario major proelio interfuit, et quinto poſt menſe* in Antuerpiana arce obiit.

## LIB. CXIII.

CIↃ IↃ XCV.

Henricus IV.

CAMERACUM a Fontano *tandem, rebus ad id paratis,* obſeſſum. Urbis origines et variae per tempora mutationes. *Joannes Monlucius ab Andino cum praeſidio impoſitus ſe pro principe gerit.* Situs et poſitus caſtrorum. *Eid. Sextil. factum obſidioni initium.* II. Sanpaulus cum Bullionio in Bononienſem tractum deſcendit. Nivernius limitem Somonae circumpoſitum ſuſcipit tuendum. Carolum Retelenſem ducem filium obſeſſis auxilio cum delectis mittit, qui ſine damno, *et tantum amiſſa impedimentorum parte, perruptis hoſtium ſtationibus* intra urbem acceptus eſt, et poſt eum Dominicus Vicus *admiſſus.* III. Inde crebrae eruptiones. *Difficultates in obſidione ſuperatae ex conſilio Ronaei et Burlotae.* IV. Cameracenſes ad regem delegatos mittunt. *Odio Balagnii gravari qui regis partes*

Tom. V.

*tuentur oſtendunt, cujus ſi amovendi ſpes fiat, nihil non ſe facere et pati paratos: hoc negato, ſibi conditionibus ab hoſte oblatis conſulturos.* Gabrielis Eſtraea, quae in regis animo multum poterat, et Balagnio ultra modum favebat, *ne* rex *melioris in poſterum conditionis ſpem faceret, impedit, qui* delegatos, facta auxiliorum ſpe, de cetero non bene animatos, dimittit. V. Induciae toto regno ad meſſem colligendam promulgatae. Rex cum Urbano Lavallo Boſcodelfinio tranſigit. Delegati Proteſtantium nova poſtulata ad regem deferunt. Rex Lutetiam venit, et in iis anguſtiis edicta fiſcalia condit. VI. Oppugnatio Cameraci a Fontano imperatur, et ejus ordo. Archiepiſcopo addicti ex regis reſponſo et inſtanti periculo occaſionem captant deditionis faciendae. CC *equites praeſidiarii deficiunt, et Helvetios minus bene erga Balagnium animatos ſigna ſummittere ſubigunt. Tum* conjurati *ad portam S. Sepulchri accurrunt, et* petito colloquio cum Avellino *prius a Ronaeo monito* agunt. Vicus et Balagnii uxor nequicquam contra tendunt. VII. Conditionibus perſcriptis noſtri in arcem, *in qua Retelenſis erat,* ſe recipiunt; et ſex poſt diebus, commeatu deficiente, deditionem faciunt. Balagnii uxor, virilis animi foemina, *ad privatam fortunam redigi non ferens,* antequam arce exiret e vita demigravit. *Corpus Incii, qui urbem Franciſco Henrici* III *fratri tradiderat, in majore templo honorifice tumulatum, quaſi proditoris ab archiepiſcopo ignominioſe refoſſum et extra urbem loco profano exponitur.* CCCC *Hiſpani et* CIↃ *Germani arci impoſiti, juriſdictione urbis archiepiſcopo ſalva.* VIII. Lira ab Heraugerio, *qui Bredam tenebat,* infeliciter tentata, *qui in conatu ipſe cum ſuis periit.* Irrito conatu et tentata Ruremunda. IX. Rex apud nos ad Faram Eſiae caſtra ponit. X. Nivernius *valetudine infirma diu conflictatus* Nigellae ex dyſenteria decedit. Antonius electus rex Luſitaniae eodem tempore Lutetiae deceſſit. Ante eum Hugo Lupus Verdala Hieroſolymitani ordinis princeps cardinalis, et ante Hugonem Paſchalis Ciconia Venetae reipublicae princeps, deceſſerunt. *Illi Martinus Garces Terraconenſis, huic Marinus Grimanus ſuffecti.* Viri literis clari, Laevinus Torrentius *epiſcopus Antuerpiae,* Torquatus Taſſus, Reinerus Reineccius, Michael Neander, Valens Acidalius, Gul. Whitakerus, obierunt: Philippus item Nerius. XI. In Armorica noſtra *dum arx Quinpercorenti inchoata juſſu Aumontii feſtinatur,* Edvardus Norriſius cum Anglis ſuis juſſu reginae in inſulam reverſus eſt. *Condato Redonum circumpoſita caſtra a Sanlucio capta.* Ad Comperam Lavallorum arcem *in Annae Alegriae Vidi Lavalli viduae gratiam* poſita caſtra. XII. In ducendo vallo Aumontius lethaliter vulneratus. Adveniente Mercuriano obſidio ſoluta. Aumontius Condati, quo delatus erat, *poſt* XVI *a vulnere diem* optime meritam de rege et nomine Francico animam reddidit. *Extrema mandata per Carolum Turcantium ad regem et liberos data.* XIII. Mercuriani cum Hiſpanis diſſidium. Curbus cum ſuis a Surdeaco caeſus. *Obſtinato certamine Guimerii haud longe a Quinperlaeo a Molaco pugnatum.* Prevoſteria, *Monboeſetia,* et *Sanmartia* arces a Sanlucio captae. Compera a Menoviis Dandiniis fratribus aſtu intercepta. Comitia provinciae a Sanlucio celebrata, *in quibus graviſſimum* VI *aureorum in ſingulas vini amphoras tributum ad militis ſtipendium ſancitum eſt.* Fontanella aſtu captus, et, *cum ob vitam criminibus infamem ſibi metueret,* grandi exſoluto pretio a Sanlucio libertatem redimit. Sanſaeus Magnani comes a Kergomarto ad Quintinum oppreſſus. XIV. Sciſſo poſt regis reconciliationem Toloſae ſenatu, regiis partibus addicti, relicta urbe, caſtrum Saracenorum migrant, *quo ad eos ſe aggregaverunt, qui Biterris antea jus dicebant.* Narbonae et Carcaſſonae tumultuatur, *et monitus Henricus Jouſa ut ſibi mature conſuleret, et conditiones a rege oblatas acciperet.* XV. Diguierius Ocellorum arcem *ſuperiore anno tentatam* ſerio obſidet. *Sabaudus auxilio ſuis ſuperveniens* XV *Kal. Febr. cum regiis vallo exeuntibus confligit. Iterum ad Crevaſſium montem iniquiore Sabaudi conditione pugnatum; ac mox cum Diguierius oppugnationem imperaſſet,* obſeſſi de conditionibus cum eo tranſegerunt. *Inde* Cavortium *tendit, et* annona convecta *locum* firmat. Carſius Salonis oppidum capit, et in arcis obſidione haeret. *Eſpernonio ſuperveniente, Diguierius a Carſio invitatus cum delectis venit, et illato in oppidum commeatu trans Alpeis abit, ut Cavortii a Sabaudo obſeſſis ſuccurreret.* XVI. Vienna ab H. Momorantio equitum magiſtro,

magiſtro,

magiſtro, *Diſemio Pipeti arcem tradente*, in fidem accepta. Cavortium ad extremam penuriam redactum tandem Sabaudo a Baraterio deditur, *quo caſu Convallenſes, qui Diguierio militabant, territi a ſignis dilabuntur*. Senatum urbs, quae nutabat, in reditu a Diguierio firmata, *Sanlaurentii praefecti, qui in conflictu contra Sabaudum nuper occubuerat, loco Jeurſio impoſito*. Mirabucum item per Auriacum firmatur. Mirabellum exoratus a Gratianopolitanis capit. Geneſii-fanum in Sabaudia ab Ornano expugnatum. Scalae, *dum de induciis ultro citroque agitur, ex compacto* ab Ornano et Diguierio obſidentur, et tandem capiuntur. Moretelium a noſtris obſidione cingitur, quod *pactis cum Sabaudo induciis* ab eo deditum eſt. XVII. Nemoroſius Anicii in Foſſiniaco decedit, *veneno, ut creditum eſt, extinctus*. Ejus ingenium, mores, virtutes, omnem modum ſupergreſſa ambitio. XVIII. Diguierius, Guiſii vicarius in Provincia creatus, Balmam expugnat. In Ciſtertionis obſidione renovata Catholicorum et Hugonotorum *odioſa* nomina, et urbs ab Alexandro ab Hiſpania Rameſortio dedita. Arx, *quam ſibi tradi, rege ita volente, Diguierius petebat*, induciis a Guiſio, *ut petitionem eluderet*, properatis, in ipſius Rameſortii poteſtate relicta. XIX. Brignolii Eſpernonius a Vallenſi quodam municipe, ſaccis pulvere nitrato incenſis, paulum abfuit, oppreſſus. XX. Diguierius a Guiſio male habitus e Provincia diſcedit. XXI. Poſt Lutetiam receptam et regem paſſim victorem, pontifex, qui Nivernium injurioſe a ſe repulerat, poenitentia ſubeunte, ſpem reconciliationis per Gondium cardinalem facit, ſi legati ad ſe mitterentur. Legationi obeundae delectus Jacobus David Perronus Ebroicum epiſcopus deſignatus; cui communia mandata cum Arnoldo Oſſato, qui Romae erat, data. Libellus ſupplex pontifici porrectus IV Eidus Quintileis. Sequenti menſe *in hortis Quirinalibus ſenatu coacto* pontifex rem proponit, et quinto poſt die *ſeorſim* ſingularium cardinalium ſententias exquirit. Supplicationes in urbe celebratae, *in quibus et pontifex ipſe nudis pedibus incedere voluit*. Dein propoſitae legatis durae admodum conditiones a factioni Hiſpanae addictis, qui rem confectam nolebant. *Tentati et in arcano procuratores regii, an coronam ad pedes pontificis vellent deponere, in ſummiſſionis et confeſſae uſurpationis ſignum, quam mox pontifex in capite procuratorum reponeret. Quae conditio valde ab illis rejecta eſt, cum dicerent regem Franciae, quantum ad juriſdictionem ſpectat, neminem ſuperiorem agnoſcere.* Tandem de formula conventum, quae XVI capitibus abſoluta eſt. *Priorem abſolutionem cum velut irritam revocare decreviſſet, procuratores interceſſerunt, et rehabilitationis verbum bullae nequaquam inſeri paſſi ſunt.* Decreto benedictionis impertiendae coram cardinalium coetu a pontifice pronunciato, intercedit *cardinalis* Columna; qui, ſilentio imperato, obmutuit. XXII. Res ſolemni ceremonia peracta. Injurioſum ea de re ſcriptum Coloniae ex Joannis Boteri relationibus publicatum. Franciſcus Toletus e ſodalitio Jeſuitico cardinalis *nuper creatus* egregiam operam in eo negotio navavit, et legatus initio in Galliam deſtinatus erat. Mutata ſententia, Alexander Medices ad id delectus; *qui pace inter reges procuranda poſtea feliciter laboravit*.

## LIB. CXIV.

CIƆIƆXCV.

Henricus IV.

Eodem quo haec Romae agebantur tempore, ſenatoria gravitate dignum ſenatus-conſultum contra Florentem Jacob theologum Pariſienſem, *quod enunciatis ſuis ad diſputandum propoſuerat, pontifici ſupremam in omneis poteſtatem tam ſpiritualem quam temporalem tribuere*, factum, *et pari, qua ante* XXXIII *annos in Joannem Tanquerellum, ſeveritate in eum animadverſum*. Jo. Forgetus praeſes in ſcholam Sorbonicam venit; *et, poſt orationem prolixam a Jacobo Gueſlaeo cognitore regio de obedientia regi debita habitam, et, recitato ſenatus-conſulto, recantatum praeeunte apparitore a Florente Jacob errorem, monuit duas eſſe poteſtates ad ſalutem aeternam a Deo conſtitutas; quae licet in idem conſpirent, tamen ſeparatas functiones habeant, adeoque differentes, ut qui eas confundant, iidem et jura divina et humana magno tranquillitatis publicae periculo miſceant. Id luculente*

Tom. V. *culente ab eo praeſtitum et teſtimoniis et exemplis probatum, et a prava harum poteſtatum confuſione ortas in regno rebelliones et parricidia patrata eſſe demonſtratum.* II. Paulo poſt Fr. Surgerius *in S. Crucis coenobio* monaſticam profeſſus, *quod Eliſabetham Angliae reginam in publica concione Jeſabelem nominaſſet, et ſectarios eſſe, qui cum ea foederationem colerent, dixiſſet, delatus et convictus, verba temere et inconſiderate prolata recantare, et veniam a Deo, rege, et curia petere juſſus eſt, interdicto concionandi ad tempus munere.* III. Celebratae hoc anno magna pompa Alexandrinae *in Aegypto* eccleſiae et Ruthenae *in Polonia* cum ſancta Romana eccleſia reconciliationes; ſed laetitia paulo poſt turbavit, cum *renunciatum eſſet Ruthenos Polonos ſtatim defeciſſe, et* Alexandrina legatio in dubium revocaretur. *Meletius Pergas Alexandriae patriarcha.* IV. Agitata gravis quaeſtio inter parochos et paſtores Vallis Telinae, de Chriſto mediatore; *an ſcilicet eo officio inter Deum patrem et homines juxta humanam naturam, poſteaquam humanam tantummodo naturam aſſumpſit, ſit defunctus, ſicuti ex Petri Lombardi ſententia aſſeruit Bellarminus; an Verbum Dei ſeu Filius ab aeterno genitus jam ab initio mundi inter Patrem et creaturas mediator extiterit, non ſolum homines ſed etiam angelos, ratione creationis, conſervationis, defenſionis, atque adeo ſalutis, et poſt aſſumptam in Beatiſſimae Virginis utero carnem juxta humanam naturam divinae cooperantem ſacrificando, ſatisfaciendo, intercedendo, eccleſiam regendo idem munus obiverit, atque in fineis uſque ſaeculorum ſit completurus: quam ſententiam adverſus Stancarum tuetur Calvinus.* Ea de re utrinque publicata ſcripta. V. In Germania atque adeo Friſia Orientali Emdenae tumultuatur. Ejus origines et incrementa, et oppidanorum cum comitibus diſſidia. *Cum ad arma ventum eſſet, arce ab oppidanis occupata, per Ezardi abſentiam, et ille Knocium ex adverſo portus munire inciperet,* Ordines Belgici, *ad quos periculum rei ſpectabat,* auctoritatem ſuam interponunt. VI. Gulielmo Clivenſi, *qui Jacobam Badenſem in uxorem duxerat, aegritudine corporis et animi laborante, cum* heredes legitimi de ſucceſſione dubitarent, *Duſſeldorpium veniunt, et Jacobam, gynaeceo et aulico comitatu amoto, in cuſtodiam conjiciunt.* VII. Inter Suecos et Moſcos XXXVII *annorum* bellum interventu Poloni componitur. Thorunae in Boruſſia conventus Proteſtantium cogitur; *ubi doctrina Sendomiriae olim probata retractatur, et de querimoniis ad Poloniae regem per libellum ſupplicem perferendis agitur,* nequicquam rege *per legatos et Cujavienſi epiſcopo, in cujus dioeceſi Thoruna eſt,* annitente ut coetus ſolveretur. VIII. In Oriente Amurathes III XV Kal. Febr. *ex calculi doloribus* Byzantii decedit *aetatis anno* XLVIII. Ejus mores et vita domeſtica, *cum priore uxore, cum qua conjunctiſſime vixit, et poſtea cum innumeris concubinis.* Mahometis filii mores et educatio; *qui ſtatim, ubi imperium inivit, matrem magna et inuſitata liberalitate muneravit, et praefectum triremis, qua vectus erat, Cypri regem creavit. Dein ex majore numero fratres ſuperſtites prius circumciſos faſciis injectis per mutos praefocari, duos poſthumos in mare mergi mandavit. Matres in vetus palatium ad lugendum migrare juſſit: nam in palatio Sultanorum mortes ab iis decretas deflere non ſolum nefas ſed capitale, ne quod divinae quaſi vocis oraculo ad Othomani imperii, quo religio continetur, conſervationem factum credi volunt, humana pietate, quae privatas charitates tantum reſpicit, improbari videatur.* IX. Sigiſmundus Bathorius, *qui temere et cum ſuorum pernicie ſe bello Turcico obligaverat, et Moldavos ac Walachos in ſocietatem attraxerat,* miſſis Pragam legatis cum Caeſare de conditionibus belli gerendi tranſigit. *Additum, ut ſi contingat Bathorium ſine liberis maſculis decedere, Tranſilvania eique annexae provinciae Caeſari cedant.* Una ex Caroli archiducis filiabus ei deſponſata, et fiduciariae nuptiae coram Maximiliano archiduce *cum Maria Chriſtierna a Stephano Poſchaio procuratorio nomine* contractae, et ſponſa *poſtremo* Caſſoviam *exeunte Julio* deducta. X. Ferdinandus Hardecus Javarini amiſſi praefectus et proditi inſimulatus militari judicio damnatur, et ſecuri Viennae percutitur. Walachus rem ſtrenue cum Turcis gerit et Tataros caedit. Geſtii Ferentzii contra Sinanis reliquias et Tataros ſucceſſus. Janicula Bogdanus, *Stephani Leopoli juſſu Stephani Poloniae regis ſecuri percuſſi filius,* Moldaviae deſpota a Mahomete creatur.

atur. Coſaci bellum latronum more gerunt, magno Chriſtianorum poſtmodo detrimento. XII. Poſonii et Pragae comitia a Caeſare celebrata ad explicandas belli cum Turcis gerendi rationes. In comitiis Cracoviae bellum Turcicum urget orator pontificius, Jo. Sario Samoſcio contradicente. Sinan, ad retardandos noſtrorum conatus, *Caeſarei legati, qui Byzantii deceſſerat, familiareis ad Caeſarem legat, et* pacis ineundae ſpem facit. *Aſſanes Budae purpuratus Sinanis patris juſſu legatos ſpe pacis implet, et adfectata comitate excipit, et ad extremum extremae immanitatis praeceptum addit, niſi is qui ad Caeſarem mittebatur intra diem praeſcriptum reverteretur, fore ut captivi ſocii capite mulctarentur. Cum Caeſar a pacatis conſiliis minime ſe alienum oſtenderet, et tamen in conditiones iniquas conſentire nollet,* re irrita diſceſſum eſt. Sinan ad Portam revocatur, et Ferhates ejus loco mittitur. Heiduci cum Raſcianis Sophiam in Bulgaria negotiatione frequens oppidum *excurſione ſubita* capiunt, et, *cum ſervare non poſſent,* crudeliter diripiunt. Tatari ſummis difficultatibus in caſtris conflictantur. Michael cum Walachis ſuis, inde capta occaſione, *Siliſtriam, Brailam, Smillam,* loca Danubio circumpoſita, expugnat ac diripit. Georgianum receptum, et Novogradum tentatur. XIII. Carolus Mansfeldius bello ſtrenuus dux deſtinatus in Pannoniam venit. Princeps Imperii a Caeſare creatur. Ad Brucum caſtra metatur. Conſtituta ſeveritatis exemplis diſciplina. XIV. *Glirarium ante omnia captum. Gokera a Nic. Palſio expugnata.* Caſtra ad Strigonium poſita. Loci poſitus et caſtrorum et obſidionis ordo. Cum auxiliaribus, *quos Oſman ducebat, certatur, et* Oſman *ipſe* occiditur, *amiſſis* XXXV *campeſtribus tormentis.* Graeciae praetor, dum vallum perrumpere conatur, repulſus. Aſiae praetor non ſine jactura cum CC intra urbem acceptus. *Caeſa hoſtium* V CIↃ. *Capta hoſtium caſtra et impedimenta, in iiſque Budenſis purpurati papilio admirandi operis.* XV. Aegrotare incipit Mansfeldius, et Comaram tranſlatus XIX *Kal. Septembr.* ad meliorem vitam demigravit. Ejus ingenium *eruditum,* mores, *in juventa ferocia, liberalitas auctori ipſi qui eum norat perſpecta, vita domeſtica, clades privatae.* XVI. Obſidionem Burgovius marchio perſequitur, et Joannes Medices, *qui rei tormentariae praeerat.* Oppugnatio *totis viribus* facta, et urbs *poſt obſtinatum certamen* capta, *eodem menſe, quo ante* LII *annos a Solimano capta fuerat. Pulvere nitrato a Turcis ſubjecto et poſt noſtrorum irruptionem accenſo, civitas diruta.* Ad arcem promotum vallum. XVII. Copiae a pontifice ſcriptae in caſtra veniunt, duce Fr. Aldobrandino. *Alfonſus Ferrariae dux, qui ſuam operam detulerat, a pontifice, ne tantum beneficium ei deberet, excluſus. Silvius Picolomineus, Antonio Medici a magno Etruriae duce attributus, in Dacia cum Sig. Bathorio, ut ingenium ejus moderaretur, manere juſſus.* Vincentius Mantuae dux ultro *cum procerum delecta manu* huic militiae nomen dedit. Moſcicus legatus in aulam Caeſaream venit, *poſt Emiris Emſae Perſarum regis mortem miſſus,* ut de belli contra communem hoſtem gerendi ratione *cum eo* ageret. XVIII. Oppugnatio a Germanis ad arcem damnoſo conatu tentata. *Mario Farneſio duce altera tentata oppugnatio, et cum damno repulſa. Tandem promoti ad turrem plutei. Cum obſeſſi Saguntinorum exemplo ruina involvere ſe, pulvere nitrato accenſo, cum liberis et uxoribus decreviſſent, mulierum et imbellis ſexus comploratione exorta purpuratus Aſiae admodum ſenex, qui loco praeerat, ad miſericordiam inclinavit et colloquium popoſcit.* Cum auxiliares Buda venientes, *a Burgovio, Palſio, et Naſdaſtio* caeſi eſſent, deditio facta IV Non. Septemb. XIX. In Croatia ductu Sig. Eberſtenii comitis feliciter pugnatum. *Heiduci Turcos infra Neapolim compulſos caedunt. Baboſca et Martini-fanum a Turcis deſertum.* Ad Fogaram inter Cibinium et Stephanopolim a Sig. Bathorio Turci caeſi, *et poſtridie Temeſvarae purpuratus cum auxiliaribus ſuis in fugam conjicitur.* Vicegradum a noſtris obſeſſum et *poſt pulſationem* deditum. XX. Ferhates Sinanis et Cicadae aemulorum ad Portam *et* inſidias *in ſuam perniciem ſubornatorum* praeſentia animi devitat, et in gratiam Sultani *Marci Venieri oratoris Veneti interventu* recipitur, *pecunia ingenti inter Sultanas ſparſa redempto periculo*; ſed paulo poſt ad famam divitiarum ſtrangulatur. XXI. Res in Dacia hinc inde vario eventu geſtae. *Pleraque Turcorum praeſidia a Georgio Barbelo*

TOM. V. *dejecta.* Lippa capta, et arx dedita. Sinan cum exercitu LX CIƆ bellatorum rurſus veniens pontem in Danubio *immani opere et ſumptu infra Nicopolim* ſternit. Certatum VIII Eid. Septembr. *obfirmatis animis, et* Tranſilvani vincunt, *occiſis plus* X *Turcorum* CIƆ. XXII. Aaron Moldavus, *quod clam cum Sigiſmundi Daci patruelibus a bello temere contra Turcos ſuſcepto alienis conſilia agitaret,* a Caeſarianis captus ad Rodolphum mittitur, Stephano in ejus locum ſuffecto. Samoſcius, *qui Moldaviam non ad Hungariam ſed ad Poloniam pertinere contenderet,* Stephanum ſe pro deſpota gerentem aliquoties caeſum ad extremum capit et morte afficit, eique Hieremiam Mogilam *perpetuum coronae Poloniae fiduciarium* ſuccenturiari curat, *commendatitiis ad Sinanem datis literis. Pactis cum Tataro Precopienſi initis et ratis a Sigiſmundo rege habitis, Hieremias confirmatur, nequicquam Sig. Tranſilvano et pontifice contradicentibus.* XXIII. Sig. Bathorius cum Ciculis tranſigit, et bello contra Turcos gerendo obligat. Inde Tergoviſtium Walachi ſedem *petit et* expugnat XV *Kal. Novembr. capto Hali Ciliciae praetore aliiſque praefectis, ac praeſidio ad internecionem deleto, ingenti praeterea parta praeda. Prodigia ſucceſſus illos adjuvantia. Ex Hali de Sinanis rebus Bathorius cognoſcit*; *qui,* C *aureorum millibus depenſis, fruſtra libertatem redimere conatur, Stephanopolim ſub cuſtodia amandatus.* Ad pontem Georgianum caeſi Turci *et recepti captivi Chriſtiani, et munitione expugnata pons a Sinane fabricatus abrumpitur.* Villageſvarum et Genae oppidum cum arce, *in itinere quod Temeſvaram et Gulam ducit,* capta. In Pannonia fanum Nicolai *in Tibiſci inſula ſupra Zolnocum bidui* oppugnatione captum; Zarcada item, Becca et Edela. Witzia, *quae bello principium dederat, ad Unam* a Caroloſtadii praefecto capta *et incenſa,* arce penes Turcos manente. XXIV. Petrus Toletanus, ad Amurathem Raiſium *Mediterranei maris inſignem piratam* perſequendum miſſus, Patras in Achaiae litore, *ubi tunc forte frequentes nundinae habebantur,* capit ac crudeliter diripit, *Cicada, qui cum claſſe ad Taenarium promontorium in Laconia haerebat, non ſe movente*; *et,* praeda parta CCCC *aureorum* CIƆ *aeſtimata,* victor in Italiam revertitur. XXV. Ruſticorum ob injurias militum ac nobilium in Auſtria motus, et mox militum ſtipendia repoſcentium; qui utcunque, partim ſeveritate, partim numerata pecunia, ab Hannibale Rotenavio compreſſus eſt.

## LIB. CXV.

CIƆ IƆ XCV.

HENRICUS IV.

In Mauritania Mule-Nazarus Mule-Mahemetis, *qui proelio memorabili illo, quo Sebaſtianus Luſitanus, ante* XVII *annos occubuit,* filius, *ſpes paternas reſumens,* in montana cum Nomadibus, *ex rebus turbatis occaſionem captantibus,* haud longe a Feſſa conſidet, et *tandem collectis viribus in praedam effuſus* ſub portas uſque urbis excurrit. Hametes, qui rerum potiebatur, Xequem filium ad delectus agendos mittit. *Interim, plus a defectionibus ob innatum ſuorum odium quam ab hoſtis viribus metuens, aſtu utitur ad praecipitandum cum Nazaro, antequam majores tempore vireis collegiſſet, conflictum*; *et ſpem per fidos facit, ubi primum in conſpectum cum armatis venerit, fore, ut cuncti deſerto Hamete ad ipſum tranſeant.* Nazarus *ſpe credulus, non expectatis auxiliaribus in dies confluentibus,* conſerto *tridui* proelio (*nam noctu tantum manente in veſtigio milite quies erat,*) *ad extremum* vincitur, *paucis ad ipſum transfugientibus, qui, petita a Xeque victore venia et impetrata, a tribunis ad internecionem trucidati ſunt. Xequis generoſi animi ſpecimen, captis Nazari ſcriniis et chartis, et non lectis in ignem immiſſis, ne qui depulſo periculo in crimen ex iis devocarentur.* Parens nuncio laetus haſtiludium Feſſae celebrat. II. Navigationes in mare Tataricum a Batavis ſuſceptae. *Eandem viam ante natum Chriſtum, et Friderici Ahenobarbi Caeſaris temporibus, tentatam fide hiſtoricorum conſtare.* Gul. Barentzonus, *ex priore navigatione a P. Plancio mathematico monitus,* primarius gubernator delectus. Texela naves ſolvunt IV Non. Junias, *et ad* XVII *Kal. Septembr. in conſpectum Norvegiae veniunt, et triduo poſt Wegatiam appulerunt*; *ubi de Obi magno Tatariae fluvio ex*

*Ruſſis*

*Ruſſis cognoſcunt. Mores gentis, habitus, veſtitus, religio. His cognitis* cum in patriam reverſi ad Ordines retuliſſent, tertia navigatio ſuſcipitur. Altera navigatio, via a Luſitanis trita, in Indias Orientales ſuſcepta; *et, quia vi plerumque via aperienda erat, naves egregie armis inſtructae.* III. Fr. Draki infauſta hoc anno navigatio. Ad Virgines inſulas Jo. Hawkinſus Draki comes extinctus. In Inſula S. Dominici geſta. *Nomen Dei oppidum ab Anglis occupatum, arce penes Hiſpanos remanente. Ad Panamam perrectum, in illo iſthmo ex adverſo poſitum oppidum: ſed ab indicibus viarum deluſi re infecta retro abierunt.* Incenſo Nominis Dei oppido ad Bellum Portum claſſis concedit, ubi Drakus ſtans intrepido animo vivere deſiit, *Thoma fratre qui aderat haerede inſtituto. Juſta imperatori ſuo ritu ſolemni perſoluta.* Tho. Baskervillus in ſumma praefectura ſucceſſit; qui vix, *poſtquam* ſummis difficultatibus conflictatus *eſt, et ad Cubam cum Hiſpanis conflixit,* quaſſatis navibus in Britanniam reverſus eſt. IV. Gualterus Raleighus, *qui ante* x *annos Virginiam luſtraverat,* ad Guianam explorandam proficiſcitur. *Ad Picam portum flumen aquae ſalſae, in cujus ripa in ramis arborum oſtrea enaſcuntur; item reſinacei lapides innumeri in eo tractu.* Ad Cinquerobium promontorium Antonium Berreum praefectum aſtu intercipit, *et Indianos ab eo vinctos liberat, ex iiſque de Hiſpanorum crudelitate, quam in miſeros populos exercent, cognoſcit. S. Joſephi civitas incendio ab Anglis deleta. Eliſabethae cum Hiſpanis bellum gerentis effigies Indianis a Raleigho propoſita, qui odio Hiſpanorum vix ab illa adoranda temperant.* Ex Berreo de Guiana a Raleigho cognitum: *eam ſub aequinoctiali linea eſſe auro abundantem, et Manoam in ea metropolim, et* CC *leucarum longitudine lacum porrectum habere aquae ſalſae haud minorem Caſpio mari. Qui ad eum expeditiones ſuſceperunt. Ad Orenoquam ſive Baraquanam fluvium Raleighus dehortante Berreo proficiſcitur, qui per* VII *oſtia acceptis compluribus fluviis in Oceanum exoneratur. Inundationes a Maio ad Septembrem. Amazones et Anthropophagi Canibales. Homines macrobii. Aethiopes ſagittandi periti veneno praeſentiſſimo tela inficientes, cui Taparae radicis liquor medetur. Armadilli inibi crebri. Homines in pectore oculos et caput habentes.* Raleighus ad reginam incolumis revertitur, *et eorum, quae vidiſſet, jucunda relatione effecit, ut in ſequentem annum altera ad Guianam navigatio decerneretur.* V. Ruſticorum motus in Auſtria, vix anno ſuperiore compoſitus, recrudeſcit; *qui cum numero animos ſumunt et ſcriptum publicant, quo libertatem ſibi vita potiorem dicunt, et tempus illud veniſſe, quo principes ac proceres diſcant, ſubditis non tanquam mancipiis ſed tanquam hominibus per fidem Chriſtianam in libertatem aſſertis uti.* VI. Belli Pannonici initium hoc anno a Palfio et Terkenſi comite factum, CCCC *Turcis juxta Witziam caeſis.* Tatarorum per agrum Wihitzenſem excurſiones. Temeſvarae praefectus, *cum Byzantium tenderet,* ab Heiducis caeſus, *omnibus impedimentis amiſſis; et caput ejus conto affixum Albam Juliam perlatum.* In Tranſilvania Ciculi, *cum quibus Sig. Bathorius ſuperiore anno tranſegerat,* jam belli pertaeſi militiam detrectant. Sig. Bathorius, *oratoris pontificii et Alfonſi Carilli e ſodalitio Jeſuitico ſuaſu,* ad maturanda ſubſidia ad Caeſarem proficiſcitur, et Pragam pridie Non. Febr. venit: publice laudatus et modicis auxiliis adjutus, facta majorum ſpe, dimittitur. Vacia ſupra Peſtum a Palfio *ſcalis admotis* capta et direpta, *arce illaeſa.* Ad Sambocam et Martini-fanum feliciter a noſtris pugnatum. Lippae praeſidiarii, *dum ad praedas excurrunt,* male a Turcis mulctati. Fama de adventu ipſius Sultani in Pannoniam cum tribus potentiſſimis exercitibus ſparſa. VII. Lippam contra hoſteis *auxiliaribus a Palfio ſummiſſis firmatam* fortiter tuetur Georgius Barbelus. Eruptione demum Turci in fugam vertuntur. Sinanis mors, mores, ingenium, fortuna. *Heiduci uſque ſub Hadrianopolis moenia excurrunt, et praedas abigunt.* Ad Temeſvaram, quam *Sig.* Bathorius obſidebat, Tataris et Turcis ſupervenientibus obſtinate diu pugnatum, et CIↃ IↃ Chriſtiani deſiderati, et ſoluta obſidio. Palfius Sambocam *latronum ſpeluncam expugnatione* capit. Fallaca a Bathorio *itidem deditione* capta. VIII. Cliſſae oppidum *in Dalmatiae et Liburniae finibus ad mare Hadriaticum,* ab Uſcocis fruſtra tentatum, poſtea *aſtu* a Segnenſibus interceptum. Uſcoci caeſi. Ad Craſtovitzium admotae copiae. Literae jactationis

Tom. V.

CIↃ IↃ XCVI.

Tom. V. jactationis et minarum plenae a Turcis de Sultani adventu ſparſae. IX. Apparatus bellicus, exeunte e Roma ſua Sultano, *et tentorium imperatorium,* et comitatus aulicus. Wihitza inſula *ex adverſo Vaciae* a Palfio direpta, CCC *Chriſtianis libertati reſtitutis. Giaffre purpurato adveniente Temeſvarae obſidio ſolvitur.* X. Cajetanus cardinalis pontificius legatus Polonos in comitiis ad bellum Turcicum fruſtra hortatur. XI. Maximilianus ſummus imperator deſignatus Viennae XV Kal. Sextil. armiluſtrium celebrat. *Wihitzani locum deſerunt, et defoſſis tormentis Peſtam concedunt.* Sig. Eberſtenius a Craſtovitzii obſidione diſcedens Petrinam ſe recipit. Hatuana a noſtris obſidione cincta, et locus *tandem* oppugnatione captus; et omni crudelitatis genere in ea ſaevitum. LII CIↃ *Turcorum oppreſſa.* Petrina a Turcis obſeſſa. *Boſnenſis purpuratus, dum noſtros fugam meditari credens ardentius inſequitur, conſerta pugna ſemel atque iterum caeditur. Soluta obſidio, amiſſis in duabus oppugnationibus bis mille Turcis. Baba ab Heiducis in Bulgaria crudeliter direpta.* XII. Sultanus Budam *poſtridie Kal. Septembr.* venit. Ejus adventu Hatuana a Maximiliano deſerta. Agria in ſuperiore Pannonia *multoties olim tentata* obſidetur, quam Wenceſlaus Terskius comes cum delectis copiis tuendam ſuſcipit. Sex dies urbs defenſa, ac poſtremo incenſa. Obſeſſi in arcem ſe recipiunt. *Duodecies tentatum propugnaculum irrito conatu ante arcem. Propugnaculum tandem captum et mox receptum. Patibulo a Terskio erecto prohibitum ne quis deditionis mentionem faceret. Maximilianus cum auxiliari exercitu venit* X *Kal. Octobr. Poſt quintam oppugnationem caſtrum vetus occupatum, et* IↃ CCC *Chriſtiani trucidati.* CCCC *capita ante Sultani tentorium ad ſpectaculum poſita.* Tandem, cuneis actis, et omni auxiliorum ſpe irrita, tumultuatur miles, et, nequicquam contra tendentibus Terskio et Niario, *primi Itali raptis ſignis ad hoſtem transfugiunt. Bis mille qui remanſerant injuſſu ducum* tranſigunt; *qui a praetorianis et Tataris Hatuanae immanitatem exprobrantibus contra fidem datam conciſi ſunt. Duces captivi ad Sultanum deducti, cum de injuria ſuis facta expoſtularent, ut fidem promiſſis conſtare maxime praeſente Sultano conſtaret, praetorianorum praefectus militari judicio in fruſta conciſus eſt.* Boboſca per Serinii abſentiam irrito conatu tentata. XIII. Sero Caſſoviam venit Maximilianus. Exercitu recenſito *numerata* XXXII *equitum,* XXVIII *peditum* CIↃ, CXX *tormenta.* Ad vadum juxta Agriam munita caſtra, et in veſtigio ſemel atque iterum feliciter primo pugnatum. *Cum mora vinci hoſtis deberet,* juvenili ardore Sig. Bathorius abreptus pervicit *apud imperatorem,* ut acies ad pugnam inſtrueretur. VII *Kal. Novembr. Tatari, qui amnem tranſmiſerant, quater mille caeduntur, et ad tentoria uſque noſtri victores fugientem hoſtem inſequuntur,* XL *tormentis captis. Quo cognito, citeriorem ripam ſervare juſſi, injuſſu ducum et ipſi tranſmittunt, et quaſi ad praedam ſoluti properant; qui, Cicada cum* XL CIↃ *integris ſuperveniente, in fugam verſi ſunt, et peditatus a noſtro equitatu recedente protritus. Qui ſuperfuere non in caſtra, ſed pudore confuſi alii alio diffugere. Maximilianus ipſe eundem errorem deerravit; et deſertis caſtris Caſſoviam, nemine perſequente, ſe recepit. Bathorius praecipitis conſilii auctor ad ſua contendit. Cautiores Turci in ripa ſubſtiterunt. Periere ex noſtris* X CIↃ, *et in iis praecipui belli duces. Burgovius, Palfius, et Perneſtanus, qui in caſtris erant, ea deſerenda cenſent. Hic exitus pugnae ad Kereſtum commiſſae,* CC *poſt Nicopolitanam annis.* XIV. Sultanus, X CIↃ *impoſito Agriae praeſidio,* Byzantium revertitur, *a Michaele Walacho in itinere aliquantum infeſtatus.* Strigonium novo praeſidio a Palfio firmatur. Wihitza a Budenſi purpurato fruſtra oppugnata. XV. In Boruſſia ob religionem res turbant, *cum templa majorum religioni addicti ſibi reſtitui peterent, et epiſcopi vi jus ſuum tuerentur, contra Gedanenſis ſenatus intercederet.* XVI. Sigiſmundus Poloniae rex, dum majorum religionem in avito regno Suecico inſtaurare cupit, *Nic. Flemingo Finlandiae praefecto inſtigante,* per legatos Polonos Carolo patruo proregi male adminiſtratae provinciae quaſi dicam dicit, *et Sudercopiano in conventu, quo pax religionis ſancita eſt, acta reſcindi petit. Ad haec apologia, quae edita eſt, a Carolo reſponſum. Et* haec belli mox ſecuti praeludia fuerunt. XVII. Anna Sigiſmundi matertera, *Sig. Auguſti ſoror et Stephani regis vidua,* ultima ex Jagellonum

lonum familia, Warſaviae decedit, *relictis ingentibus theſauris.* Philippus Brunſvicus ſine liberis decedit: *ob id hereditatem proximus agnatus Henricus Julius familiae princeps crevit, et poſſeſſionem adeptus eſt.* Unde inter *reliquos* agnatos *Brunſvicos et Luneburgicos principes, qui ſpoliati ante omnia reſtitui petebant,* controverſiae *vix tandem compoſitae.* XVIII. Apud nos in Veromanduis ad Faram ad Eſiam rex haerebat. XIX. Albertus cardinalis, poſt Erneſti fratris obitum, praefectus Belgii et gener a Philippo deſignatus, ex Hiſpania in Italiam venit; et inde *ablegato ad pontificem Gul. Philippo Arauſionenſi principe, nuper carcere diuturno liberato et velleris aurei torque donato,* per Allobroges et Sequanos deſcendit, et III Eid. Febr. Bruxellas *triumphali pompa* ingreditur. XX. Cum Meduanio tandem tranſigitur. Difficultates in eo negotio ſubortae ob regis parricidium in aliis edictis exceptum, *cum ille pure et ſimpliciter edictum pro ſe factum promulgari peteret, et ſi quis ſcrupulus haereret, ante promulgationem dilui et evelli debere contenderet.* Poſt trinas juſſiones, *cum ſenatus pro neceſſitate officii ſemper adderet, et Aloiſiae reginae nomine Diana a Francia Enculiſmenſis Momorantii vidua interceſſiſſet,* tandem promulgatio ſine conditione celebrata eſt, *frementibus pleriſque ob ſepultum regis penitus parricidium.* Cum Nemoroſio et tranſactum Annae Ateſtinae parentis interventu; *edictumque conditum, quo et praeteritorum memoria ſanciebatur, et inter alia coronae regiae, quae Caroli Calvi fuerat, conflatae gratia fiebat.* XXI. Tertium et edictum factum in gratiam Henrici Jouſae ducis, *quo Jo. Stephani Durantii ſenatus Toloſani primarii praeſidis et Jo. Daffiſii indignae caedes condonabantur, interdicta ejus in jure perſecutione.* Toloſanus ſenatus reſtitutus, *et in loco majorum jus dicere jubetur.*

## LIB. CXVI.

CIϽIϽXCVI.

Henricus IV.

DIGUIERII in Provincia uſque ad Februarium menſem geſta. II. Carolus Caſalius Maſſiliae rerum potens, qui, *caedibus complurium civium efferatus et ultionem metuens,* ex Henotica factione ad Hiſpanorum partes facili tranſitione migraverat, a Jo. Andrea Auria *Melfiae principe* ſolicitatur. X triremes, Carolo Auria *Jo. Andreae filio* duce, in Maſſilienſi portu. Ab exulibus Caſalio infeſtis Guiſius, *nuper Provinciae ſumma praefectura donatus,* ad urbem recuperandam incitatur. Martigia *a Carſio ſuperveniente* in poteſtatem redacta, et mox Hircina turris. *Arearum oppidum, Draguinianum, Eutropii-fanum longe a Maſſilia capta. Tum reflexo repente itinere cum ad Gardae munitionis Tolonio imminentis obſidionem haerere putaretur* Guiſius, copiis diem condicit, et, monitis in urbe conſciis, ad Juliani-fanum II a Maſſilia leucis venit. Bauſſeti a Caſalio urbe pulſi ad Petrum Corſum, cui Libertati nomen, oratio, et fides utrinque interpoſita. Ad XIII Kal. Mart. Guiſius cum ſuis ante auroram ad portam regiam comparet. Petrus conſcios pridie ſub veſperam alloquitur. Mane cum ad portam veniſſet Caſalius *cum Lud. Aquenſi vicario, emiſſo Aquenſi, ut ſi qui hoſtes comparerent exploraret,* demiſſo raſtro a Petro opprimitur. Admiſſus dein Guiſius et nomen regis ubique inclamatum. *Carolus cum triremibus Hiſpanis periculo ſe ſubducit. Remigum ſolutorum intemperies. Aquenſis et Caſaliorum aedes direptae. Petrus a Guiſio laudatus, et tam ipſe quam Bartholomaeus frater poſterique nobilitatis inſignibus pro inſigni facinore a Guiſio regia auctoritate ornati.* III. Regi ad Farae obſidionem haerenti Meduanius nuper reconciliatus praeſto eſt. IV. *Alberto archiduce adferenda auxilia intento,* Ordines ad Gul. Philippum Arauſionenſem dant literas, quibus de libertate recepta *poſt diuturnam adeo captivitatem* gratulabantur, *et merita patris erga Belgium ultra modum extollebant.* Alberti hinc capta occaſione ad Ordines literae. Edicto ab Ordinibus facto interdictum inter populos Philippo ſubjectos et urbes foederatas, *gravibus poenis additis, et invidioſe perſtrictis patribus Jeſuitis,* commercium. V. A Nicolao Baſta ſuppetiae feliciter Farae immiſſae. VI. *Tum* Albertus, *qui Faram poſt bimeſtre eadem penuria laboraturum provideret, neque tunc ſuppetias tam facile inferri poſſe,* ut noſtros ab obſidione averteret, *in Francico*

*rico ſolo aliquid interea moliri ſtatuit,* et Caletum obſidendum decernit. *Obſtructo Eſiae per molis immani ſumptu ſtructae oppoſitum aggerem curſu, plus a regiis quam in oppido damnum acceptum. Albertus cum exercitu pergit,* Ronaeo praemiſſo, qui Novambrigae pontem occuparet. Poſt *pulſationem et* acrem oppugnationem Risbana turris capta. Rex fruſtra ſuis auxilia laturus Valerici-fanum proficiſcitur. *Duobus locis pulſatio facta.* Oppidum deditum, Bidoſſano intra arcem ſe recipiente. Campaniolus, *a Bullionio in conſpectum arcis deductus,* intra arcem cum CCL delectis accipitur. Tandem, Anglicis auxiliaribus *Eſſexio duce* ſerius advenientibus *et de conditionibus cum rege altercantibus, cum ſemel atque iterum oppugnatio hoſtilis a noſtris repulſa eſſet, Bidoſſano dum fortiter pro vallo pugnat deſiderato, tertia oppugnatione* Campaniolus ab omnibus deſeritur, et arce capta capitur. *Hama et Guina ad primam tibicinis denunciationem dedita.* VII. Rex, *recipiendi Caleti conſilio omiſſo, ob ſubortas de Anglis auxiliaribus ſuſpiciones,* ad Farae obſidionem redit. Batavorum per Alberti abſentiam *per ditiones Philippicas* liberae excurſiones. VIII. Ronaeo auctore Albertus contra Ardeam ducit. Vallo ducto ſuburbium ab hoſte captum, et ſtatim *Montacuti virtute* receptum ; ac mox, Belinio jam nutante, *cum jactura praeſidiariorum omnino* amiſſum. *Sub id et Monlucius ſtrenuus juvenis, qui ſe loco incluſerat, ictu ſcloppeti ſauciatus, ex quo paulo poſt deceſſit, obſeſſis animos infregit.* Belinius *cum Anneburgo praefecto expertae virtutis veterano duce altercatur* ; et, *cum ſeram a rege auxiliorum ſpem eſſe diceret, quippe cum ſciret Faram ad complures dies reſtituram, nec eo uſque regem ab obſidione diſceſſurum,* clam belli ducibus colloquium cum hoſte poſcit. *Manſirmus primarius centurio cum ſe propugnaculum commiſſum tueri paratum oſtenderet, et Ramburius idem faceret, obſtinatis contra auribus Belinius denuo colloquium poſcit,* et conditionibus perſcriptis tranſigit. *Manſirmus, poſtquam Belinius oppido exivit, ſtationem ſuam diu tutatus, non niſi admotis tormentis ab ea divelli potuit.* Belinius, conſpectu regis prohibitus, ad Cl. Caſtreum equitum tribunum, ut ſe purgaret, remittitur. IX. De Fara ab Alvaro Oſorio ante Ardeam deditam cum rege tranſactum. *Conditiones perhonorificae a Colaſio Montelii Adaemari olim ſeneſcallo togato tanquam Farae comite ſubſcriptae.* Cum Flandriae Ordines apud Albertum inſtarent, ut copias jam tum Oſtendae admoveret, expeditio difficilior viſa eſt, quam ut tunc temporis ſuſcipi poſſet. X. Foedus Anglicum arctius a rege miſſis ad reginam legatis urgetur. XI. Sancius cum Gul. Cecilio agit ; et, ſuperveniente Bullionio, cui plena a rege tranſigendi poteſtas data, crebrae et plerumque acerbae cum Cecilio altercationes ; *cum noſtri foedus, cujus ab Untono reginae apud regem oratore ſpes facta fuerat, urgerent, alioqui fore ut rex cum Hiſpanis pacis rationes ineat* ; *et ille ſumptus gravatus reginae nomine ſe excuſaret, cui eodem tempore in Hibernia et Batavis bellum habendum eſſet, et ad expeditionem duce Eſſexio in Hiſpaniam ſuſceptam ingens pecunia dependenda : tandem aliae atque aliae conditiones propoſitae.* XII. Tandem conventum VII Kal. Julias, *ut, manentibus in priſtino vigore prioribus foederibus, novum inter regem reginamque ad tuendos utriuſque regni fineis et inferendum Hiſpaniarum regi bellum iniretur, ad quod et amici principes, quorum intererat, invitarentur. Leges foederis ſcripto comprehenſae. Regi ex foedere alioqui infructuoſo quid redierit, tot anguſtiis tunc conflictanti.* Id rex Meloduni poſtea IV *Kal. Septembr.* ratum habuit. XIII. Ancellus, qui cum Bullionio *et Sancio* erat, *inde foederis conditionibus acceptis cum Laevino Colvartio* in Hollandiam et poſtea in Germaniam ad foederatos Imperii principes profectus eſt. XIV. Bullionius poſt ictum cum Angla foedus Hagam ad Ordines venit, et longa ac vehementi oratione ad foedus invitat et ſuppetias regi tam neceſſario tempore ferendas. Perſcriptae conditiones. XV. Eſſexius et Carolus Howardus maris praefectus infeſta claſſe Hiſpaniam petentes ſcriptum *Gallica, Italica, Germanica, Belgica, et Hiſpanica lingua* evulgant, *expeditionis juſtae cauſis prolixe repetitis. Inde* Gadeis exeunte Junio appellunt. Cruentum inter claſſeis infeſtas certamen. *Tandem Angli vincunt, et urbem expugnatam diripiunt. Cladem extenuant Hiſpani, quam Angli in majus extollunt.* XVI. Poſt Faram receptam rex Lutetiam venit, ut Alexandrum Medicem pontificium legatum

tum *ad ſe miſſum* exciperet. Is ubique perhonorifice *et amanter* toto regno *ac praecipue a Diguierio* exceptus. Ad urbem venienti, cum prius rex ad eum ſalutandum obſoleto habitu per diſpoſitos equos excurriſſet, miſſus obviam Henricus Borbonius Condaeus primarius ſanguinis princeps, adhuc puer. Poſt ab ordinibus urbis ſalutatus ſolemni pompa Lutetiam ingreſſus eſt. XVII. Diplomati in ſenatum allato conditiones adjectae *juxta promulgationes ſimilium diplomatum anno* CIↃIↃI, CIↃIↃXLVII, CIↃIↃLI, CIↃIↃLVI, *factas, ſalva ubique regis auctoritate et praerogativis, edictis, conſtitutionibus, ac juribus regni, juriſdictionibus ordinariis, curiae decretis, libertatibus et immunitatibus eccleſiae Gallicanae, et academiarum privilegiis. Promulgationi inſertum fuerat, ut una publicaretur : ſed dignitati datum, ut ſeorſim in archiva curiae referretur, addito inſuper, ut ſine concilii Tridentini, cujus frequens in diplomate mentio, adprobatione factum intelligeretur.* Summa legati totum biennium, quo apud nos fuit, moderatio, *clauſis ad Henoticorum in horas inſuſurrantium querimonias auribus.* XVIII. In adipiſcendis ſacerdotiis remedium tempore prohibitionis Romam mittendi a majoribus uſurpatum, cum poſt regis cum pontifice reconciliationem ceſſaret, ſenatus-conſultum conditur, quo Romam mittere, ut prius, jubebantur omnes. Cum promulgatio fieret, cognitor regius petiit, ut acta huc uſque ex curiae praeſcripto facta rata haberentur ; exempliſque in re ſimili uſurpatis, ac Jo. Gerſoni, *qui doctoris Chriſtianiſſimi nomen apud nos meruit,* teſtimonio, id amplius confirmavit : *et recenti adhuc memoria, cum ob bellum Parmenſe, a Julio* III *ſuſceptum, a ſenatu idem exemplum repetitum eſſet, Claudium cardinalem Givrium Lingonum epiſcopum hortatu regis pontificis vices ſuppleviſſe, et monaſterium Septemfontium Praemonſtratenſis ordinis Petro Thomaſſino theologo regendum ſuo diplomate commiſiſſe ; idemque cardinalem Turnonium archiepiſcopum et patriarcham Bituricenſem in coenobiis aliquot feciſſe.*

## LIB. CXVII.

CIↃIↃXCVI.
Henricus IV.

Post regis cum pontifice reconciliationem in Armorica ſolus Mercurianus in armis remanet. Miſſis Anceniſium uſque a rege delegatis ſemel atque iterum cum ejus delegatis actum ; *et Aloiſia Henrici* III *vidua ac ejus ſoror eo Cenoncellis profecta eſt, ea ſpe ut ipſe veniret. Dein et per Joannem Valetium feria cum Schombergio inita Lutetiae tractatio ; cujus occaſione Schombergius cum Jac. Aug. Thuano in Turones miſſus, ut Cenoncellis coram Aloiſia regina ſorore negotium diſceptaretur.* II. Campiniacus, qui Tiffaugium in Pictonibus regis nomine tenebat, corruptus *ſumma perfidia* deficit. *Volueto ſub id mortuo, qui Fulgeriam tenebat, Mercurianus praefecturam* Carolo Gondio Bellae-inſulae marchioni *attribuit, qui, inde occaſione captata* S. Michaëlis in periculo maris munitionis *ſui juris faciendae, ruſticis in itinere ſumma immanitate trucidatis, eo profectus,* cum ſuis oppreſſus eſt et ipſe interfectus. III. Libellus ſupplex a Proteſtantibus *eodem tempore, dum rex adhuc ad Faram Veromanduorum haereret, Julioduni conventu habito* oblatus, quo amplius ſibi caveri petebant. *Jac. Aug. Thuanus, cui negotium datum fuerat, ut cum iis ageret, initio ſe excuſaverat, et cum Schombergio profectus fuerat. Ejus loco* a rege nominati Emericus Vicus et Sofredus Calignonus. IV. *Ubi* Schombergius cum Thuano Cenoncellas venit, coram Aloiſia regina *primum cum Ragoterio a fratre miſſo actum ; dein, illa ex morbo decumbente,* colloquium *perſequitur Schombergius, cui Gul. Albaſpineus Caſtronovius Aloiſiae cancellarius interfuit. Perſcriptae conditiones, ad quas Mercurianus* XIV *Kal. Dec. reſponderet. Dein tempus ad exeuntem Novembrem extractum. Interea conventus ad Briandi-caſtrum celebratus ; et anxie primum, dein minus ſincere, in eo negotio viſus agere Mercurianus. Itaque* ad arma parata omnia, *et praefecti regii Andegavi convenire juſſi.* Induciae *interim* ex occaſione Caſtri-Briandi juſſu Momorantii equitum magiſtri *minime conſciis regis delegatis* intercepti abruptae. V. Rex *ordinandis in regno rebus, quantum per tempora licebat,* conventum Rotomagi indicit, et multa *praeclare poſtulata ad ſacrum ordinem, nobilitatem,*

Tom. V. *bilitatem, magiſtratuum inſtaurationem, juriſdictionem curiarum et privati concilii, aerarii diſpenſationem, populi levamentum, a Monpenſerio* propoſita, exiguo profectu. VI. Filiola, quam ex Gabrielide Eſtraea rex ſuſceperat, magna et invidioſa pompa coram legato pontificio ſacro lavacro abluitur. VII. Carlota Catharina Tremollia Condaei vidua coram cardinali Florentino legato majorum religionem ſolemni ceremonia profitetur, *et ab ipſo lautiſſimo excipitur convivio. Cauſa ejus poſt Condaei viri mortem ad fanum Joannis Engeriaci tunc ab incompetentibus judicibus agitata; et ſententia contra eam lata poſt partum ſuſpenſa cum actis probatoriis ad ſenatum amplius remiſſa. Poſtea citati Contius et Sueſſio Condaei defuncti fratres, ut cauſae intervenirent; cum non comparerent, acta ad Joannis fanum a non competentibus et jam tum a ſenatu interdictis judicibus facta pronunciantur irrita, et, porrecto a Tremollia libello, rurſuſque vocatis fratribus nec comparentibus, omnino ſuppreſſa et flammis tradita;* ipſaque innocens a criminibus objectis declarata *fuit, et decretum ea de re factum per omneis regni curias publicatum et in acta juſſu regis relatum.* VIII. Senatoria dignitate dignum decretum, *Aegidio Riantio et Joanne Magiſtro praeſidibus,* contra Joannem Flavianum *ſacri collegii Senonenſis ſodalem* ad aſſerendam regiam juriſdictionem latum. *Flavianus, quia Joannes Mieta ejuſdem collegii archidiaconus moleſta lite ab eo vexatus regii judicis opem imploraſſet, eum tanquam a communione eccleſiae ſeparatum ad concilium Tridentinum refert, quo caveri dicebat, ne quis ſacro ordini addictus pari dignitate praeditum in jus quacunque de cauſa apud alium quam eccleſiaſticum judicem convenire poſſit: alioqui in eccleſiae cenſuras incurrere. Ob id in ſacrario collegii nudo capite, Mieta ſedente, et coram judice regio, declarare juſſus, ſe temere et erronee et contra juſtitiae dignitatem haec verba protuliſſe ac ſcripſiſſe; eamque aſſertionem quaſi falſam et erroneam, contra conſtitutiones ſacras et regia edicta factam, ſe damnare profeſſus eſt; quo facto ſcriptum ipſum coram reo laceratum fuit.* Latum et ſeverum judicium contra Franciſcum Rameum, qui ſe Caroli IX *et Eliſabethae Auſtriae* filium dicebat, *a Catharina regis parente expoſitum.* Pons molatrinarum Lutetiae, *dum tripudia nuptialia in eo forte frequentarentur,* lamentabili ruina concidit, *eoque caſu* CXL *capita omnis ſexus oppreſſa.* IX. Mortes literis illuſtrium virorum, Franc. Toleti cardinalis, *de quo in ſuperioribus amplius facta mentio,* Petri Angelii Bargaei, Frid. Sylburgii, Jani Douzae, Nic. Vignerii, Lamberti Danaei, Joannis Bodini, Anutii Foeſii, Q. Sept. Florentis Chriſtiani, Petri Pithoei. X. In Belgio miſſus ab Alberto Georgius Baſta, qui Hulſtum, *quod Oſtenda omiſſa peti placebat,* propius exploraret; qui, quantum in ipſo fuit, expeditionem diſſuaſit. Nihilominus ex Ronaei, *qui ſecum Burlotam et Mendozam tribunos duxerat,* relatione decreta obſidio. Loci ſitus, et Vaſatenſis ſive Aquenſis regionis deſcriptio. *Fruſtra ruptis aggeribus maris aqua in campos ab obſeſſis immiſſa, quae ſartis aggeribus ſtatim exaruit. Mariſianum et Naſſovianum munimenta a Mauritio ſtructa ante omnia capta. Tiſclingus Germanorum tribunus primum, dein* Ronaeus in ea obſidione deſideratus. Solertia Ronaei in bello, et ingenium ac mores; *et magnus honos ei ab Hiſpanis habitus. Summa oppugnatio ad* XVII *Kal. Septembr. ab Alberto pronunciatur; qua dilata colloquium tandem* a Solmenſi comite, qui loco a Mauritio impoſitus fuerat, *poſcitur; et* XV Kal. Septembr. *de deditione cum eo* conventum. *Bis mille ex Albertinis illa obſidione amiſſi.* XI. Bironus equitum tribunus in limite noſtro bellum gerit. *Certatum in Atrebatibus, et* Varamboni marchio et Montis-cuculi comes *cum ſuis caeſi et ipſi* capti. *Capto Varambono repertae literae, quibus de conjuratione contra regem fides fiebat; quod ille cum excuſaſſet, grandi exoluto pretio libertatem redemit.* Pauliſanum a noſtris captum ac direptum. Praedae ingentes in limite a noſtris abactae. Itali praeſidiarii, qui Caleti erant, tumultuantes electum creant. Penſiones a Philippo revocatae, et inde plerique *in Italia, Hiſpania, Germania, Batavia* inſtitores verſuram facere *et creditoribus ſuis decoquere* coacti. XII. Navigatio IV navium Batavicarum ſub titulo ſocietatis longinquae; quae cum Texela IV Non. April. anno ſuperiore ſolviſſent, pridie Non. Jun. *flante caecia* lineam aequinoctialem tranſierunt, *et* VI *Kal. Sextil. ſub altitudine* XXXVIII *graduum alterius poli,* morbo novo

vo

vo *credito*, cui ſcorbuto nomen factum, adflictatis vectoribus: *quarto poſt die tubi-* Tom. V.
*formes arundines eminus fluctuare conſpiciuntur, certo indicio promontorium Bonae Spei haud hinc longe abeſſe.* Ad proximum litus appulſus; hominum barbarorum conditio, victus, ingenium; animalia in eo tractu. *Gibboſi apud eos boves; oves optimi ſucci, quarum cauda quartae apud nos ovis parti praeponderat.* Ad S. Laurentii inſulam III *Non. Septembr.* appulſus. Magna heic vectorum morbis abſumptorum ſtrages, *ita ut coemeterium Batavorum hic locus ſit dictus.* Ingenium gentis, victus, habitus, religio, animalia. *Nonis Januarii hujus anni ad S. Mariae inſulam appellunt ſub altitudine* XVII *graduum, et in oppoſitum continentis ſinum penetrant. Siti praeter alia incommoda ſummopere infeſtati* VII Eid. Jun. Taprobanae propinquant. Ejus magnitudo *ex utriuſque Javae et circumpoſitarum inſularum conjunctione a veteribus aeſtimata, qui eam Britannia majorem fecerunt.* XIII. Ad Bentamam civitatem in Java majore accedunt XII Kal. Quintil. Ejus deſcriptio et amplitudo *haud Amſterodamo minor. Religionem Mahumetanam colunt, quam a* XXXV *annis amplexi ſunt, et circumciduntur, ſicut in S. Laurentii inſula. Pleriquе inter eos adhuc gentiles. Betelis apud eos eſus.* Mores, habitus, cópia aromaticarum arborum, civitatum et oppidorum in inſula frequentia. *Emis avis Amſterodamum advecta.* XIV. Rurſus tentata tertia a II navibus per Septentrionem in Indias navigatio. *Amſterodamo cum ſolviſſent* VI *Eid. Maias, Kal. Junii ad altitudinem* LXIX *graduum et* XXIX *ſcrupulorum nullam noctem habuerunt, et ad altitudinem uſque* LXXX *atque adeo Groenlandiam ire perrexerunt. Anſerum copia; an ex foliis, ſicuti apud Caledonios Scotos jactatur, naſcantur anquiſitum. Inde cum glacie certatum. Non. Septembrib. in terram facta exſcenſio, et caſtrum ſtructum ſub altitudine* LXXVI *graduum, in quo hybernarent, quod* IV *Eid. Octobr. ingreſſi ſunt Batavi. Sol deficit omnino pridie Non. Novembr. Cum ſole urſi albi adeo infeſti evanuerunt. Iis ſucceſſerunt vulpes albae boni ſucci, et in eſum ſepoſitae. Intenſum adeo frigus, ut vinum Hiſpanum generoſiſſimum in amphoris congelaretur.* IX *Kal. Feb. ſol apparere viſus eſt, cum nondum* XVI *gradus* CIϽ IϽ XCVII.
*et* XXVI *ſcrupulos emenſus eſſet, quod tamen neceſſe erat, ut ſub altitudine* LXXVI *graduum appareret. Cum magna inde inter rei nauticae peritos eſſet contentio, ex rei opticae ratione ea ſolvitur. A Kal. Maii nulla nox illis locis. De reditu in patriam cogitatur.* XII *Kal. Quintil. Barentzonus, peritiſſimus navarchus et primae navigationis ductor, necnon et Andreanus ex morbis obierunt. Ad Nicolaiſanum et tractum vicinum herbae Britannicae frequens copia. Ad Kilduinam inſulam, quae a Lappis incolitur,* VII *Kal. Septembr. veniunt; et inde Jo. Cornelii Riipi, qui anno ſuperiore cum Heemskerkio claſſis primario navarcho iter diviſerát, navem ingreſſi* in patriam re infecta redeunt; *ex eorumque relatione tandem conſtitit, deſperatae temeritatis eſſe, per Septentrionem in Orientem navigationem inſtituere.* XV. Indicae claſſis, quae ad Javam haerebat, interim ſucceſſus. Ballamboae urbis obſidio a Paſſarvanae regulo vicino, *qui Ballamboae reguli filiam in uxorem ductam poſt concubitum necaſſe non contentus, miſerum patrem* CLX *tunc annos natum oppugnabat.* Ad Balliam inſulam claſſis deflectit. Cum regulo colloquium. Ingenium, mores, arma, religio gentis. *Tabularum in inſularum illarum deſcriptione notatus error.* Rurſus promontorium Bonae-Spei renavigant, et inde ad S. Helenae inſulam veniunt. Sargaſſi ſive Lenticulae ac Malabatri herbae magna illis locis copia. Halecum volantium nubes et miſera conditio. *Caſſiteridas praetervecti Batavi ſcorbuto graſſante admodum infeſtantur,* ac tandem III Eid. Sextil. Texelam appellunt. XVI. Scorbuti origo, cauſae, et remedia.

## L I B. CXVIII.

*ANCELLUS poſt foederationem cum Eliſabetha et Batavis initam Ham-* CIϽ IϽ XCVII.
*burgum venit, et Norimbergae Jac. Bongarſium, qui regis res jampridem in Germania procurabat, convenit; amboque ex compacto Onosbachium, ubi Fride-* Henricus IV.
*ricus Palatinus ſeptemvir cum Georgio Friderico Brandeburgico ſe venationibus*

 *oblectabat,*

TOM. V. *oblectabat, veniunt, et ambos principes de ſocietate belli certiores faciunt, ad eamque illos invitant.* Ancelli ad principes in exagitanda Hiſpanorum ambitione *et immanitate* vehemens oratio, *et traditum foederis cum Angla icti exemplum.* II. *Eodem officio ille defunctus eſt apud Fridericum Wirtembergicum, Badenſem Durlacum marchionem, Mauritium Heſſum, Julium Brunſvicum, Brandeburgicum Magdeburgici epiſcopatus adminiſtratorem, Anhaltinos principes, Joannem Georgium Brandeburgicum ſeptemvirum, Fridericum Gulielmum Saxonem*; *qui* omnes de foedere ſe excuſarunt, et opes ſuas nihilominus regi amiciſſime detulerunt. Eodem tempore Philippus per oratores ſuos Germaniae principes ſolicitat. III. Poloniae rex, *qui de patruo Carolo a regni paterni adminiſtratione removendo cogitaret,* cum *a Cajetano cardinali pontificio legato* ad belli Turcici ſocietatem invitaretur, ſe excuſavit, *et nuptias ſororis cum Joachimo Friderico Brandeburgico Magdeburgico adminiſtratore urget, ut eum proregis titulo in Sueciam mitteret.* IV. Franciſcus Mendoza *in Arragoniae regno maris praefectus* Iberica pompa Germaniam perambulat, et in Poloniam uſque penetrat, *nec plura Cajetanus ab eo impetrat.* Secreta Mendozae ad Caeſarem mandata *de Veſontionis vicecomitatu Philippo concedendo, et bello principibus Germaniae, qui Belgicos Ordines juvarent, inferendo*; *gubernatore item in Clivenſi ditione, dum ſontico morbo princeps attineretur, Caeſarea auctoritate conſtituendo*; *ſententia contra Aquiſgranenſeis lata executioni demandanda, aliiſque*; *de quibus partim ad Imperii principes ſe relaturum, partim deſiderio ejus ſatisfacturum Caeſar recepit.* Mendoza triumphabundus in Belgium venit, et ſumma equitatus praefectura, *quam Camillus Caraciolus Avellini princeps ambiebat, eo excluſo* ab Alberto donatur. V. Albertini Varaſſio comite duce ad Tornahutum *ad bis mille* a Mauritio caeſi, *et ipſe Varaſſius, cujus culpa id acciderat, in conflictu deſideratus,* XXXVIII *ſignis peditum amiſſis et* II *equitum, cum pecunia ſtipendio deſtinata et impedimentis.* Tornahutum direptum, et arx, *territis praeſidiariis,* recepta. De cauſa Aemiliae Meurſiae dominae per Colonienſis ſeptemviri delegatos cum Mauritio actum. VI. Samarobriga in Ambianis a Ferd. Tello Portocarrero in media luce, III *bellatorum delectorum* CIↃ *ope,* VI Eid. Mart. intercepta. VII. Rex, *qui Rotomago Lutetiam venerat,* nuncio *nec opinato* accepto ad limitem excurrit, et Corbiam ad Somonam ſupra urbem captam venit. Joannes Guſmanus cum auxiliaribus IↃ *ineunte Aprili* intra urbem acceptus. Carolus Bironus equitum tribunus ab ea parte, qua Durlanium itur, foſſam ducit. IV CIↃ Anglorum tempeſtive in caſtra veniunt. VIII. Stenvica in Friſia irrito conatu ab Albertinis tentata. Venloa et fruſtra a Mauritio tentata. *Hulini-mons inter Ardeam et Bononiam nequicquam a Bellovaſio Atrebatum praefecto obſeſſus.* Neomagi in Sicambris praeſidiarii *ad praedas per Colonienſem ditionem excurrentes* a Ludovico Melzio *equite* male mulctati. *In Campena viciſſim Friderici Bergenſis comitis ala caeſa.* IX. Eruptione a Portocarrero et Montenegrio marchione ad Samarobrigam pugnatum. *Ratio et ſitus caſtrorum, et in medio ad S. Magdalenae ſuburbium hoſpitium rex ſumit. Exeunte Junio crebris eruptionibus certatum. Majore mole ad ſacellum, quod Bironus muniebat, certatum,* CC *ex noſtris deſideratis. Nec minor damni ſenſus in obſeſſis fuit, Joanne Guſmane amiſſo. Maxima clades a noſtris accepta* XVI *Kal. Sextil. eruptione a Fr. Arco et Didaco Durando facta, in qua tres ex noſtris tribuni occubuerunt, non citra obſeſſorum jacturam, ex quibus illo conflictu* LXX *deſiderati.* X. III *Non. Septembr.* Portocarrerus ictu ſcloppeti ſternitur. Hieronymus Carafa Montis-nigri marchio in ejus locum ſuffectus. XI. Biduo poſt Franc. Spinaeus Sanlucius rei tormentariae praefectus in foſſa glandis ictu occiditur. Ejus ingenium, liberi, digna patre ſoboles. XII. Albertus ad ſuppetias ferendas ſe comparat, *praemiſſis Duacum copiis, quae recenſitae* XVIII *peditum* CIↃ, *tria millia equitum, partim levis armaturae, partim cataphractorum, efficiebant.* Hoſtes praemiſſi uſque Bapalmam in fugam compulſi, III *vexillis amiſſis, et* CC *equis in via relictis. Fugae initium a Contrera factum, qui tam vicino hoſte cum nihil temere tentandum exiſtimaret, apud Albertum tanquam prudenter feciſſet veniam meruit.* Albertus, *aſſumpto ſecum P. Erneſto Mansfeldio,* Rigiacum Atrebatum et inde Durlanium venit. Ordo incedendi. *Rex, de obſeſſis intra pomoeria coercendis, ne auxiliareis admitterent, ſolicitus,*

*ſolicitus, Longum-pratum diligentius ſervare inſuper habet; quod improviſae cladis in periculum paene res regias adduxit.* XIII. *Sed* cum Albertus de noſtris rebus certo quidquam cognoſcere non potuiſſet, *ponte infra Longum-pratum in Somona a Maximiliano Longavallo Buquoii comite ſtrato, ut copias a tergo commeans in urbem immitteret,* fruſtra fuit; et, aciem inſtructam oſtentare contentus, ſub noctem re infecta *ad Berticuriam monaſterium* ſe recepit. XIV. Spe auxiliorum per Alberti receſſum praeciſa, *et poteſtate tranſigendi ab Alberto ipſo facta,* Montenegrius cum rege *honorificis conditionibus* tranſigit. Rex tradita urbe *cum in caſtra ſub veſperam rediiſſet, fortuito incendio omnia impedimenta et partem pecuniae ſtipendio deſtinatae amiſit; quod ante deditionem exitioſum, poſt receptam urbem in omen acceptum, quaſi in tantae laetitiae ſignum accenſis ignibus. Inde* ſub Rigiaci portas *rex* excurrit, *etiam contra ſuburbium tormentis diſploſis;* et poſtridie Paſſi in hoſtico Urbanum Lavallum Boſcodelphinum equitum tribunum creavit. Durlanium obſidione, ſed irrita, cinctum. XV. Interim Richardotus praeſes Alberti nomine cum Villaregio agit, *Bonaventura a Calatagirona Franciſcani ordinis primicerio ultro citroque pontificis nomine commeante,* ut res ad pacem adduceret. XVI. Proteſtantes apud nos primum Julioduni, dein et Vindocini cum Merico Vico et Sofredo Calignono agunt; et poſtremo mandatum a rege venit, quo Schombergius et Thuanus, *qui ſe initio excuſaverat,* cum iis agere jubentur. XVII. Pactae ineunte anno *fuerant* induciae *Andegavi* cum Mercuriano, *quibus Thuanus per Schombergii abſentiam cum Ragoterio ſubſcripſit.* Grangia *Barbaſta* in Pictonibus crepitaculo admoto capta et *feſtinatis operibus* munita; ex qua infeſtae magno populorum detrimento excurſiones. *Cum noſtri inducias uſque ad vindemiam collectam proponerent, quae terra marique locum haberent, Ragoterius eas tantum ad Julium medium porrigi paſſus eſt, quae terra tantum locum haberent, quo Fontanellae liberam piraticae contra foederatos Anglos exercendae libertatem relinqueret, Inde* altercatio de Briandi-caſtro a noſtris intercepto et querimonia renovata, *cum noſtri contra Primellum et Pen-markam in Armorica, Tiffaugium et Grangiam nuper in Pictonibus intercepta regererent. Mirabellum, quod a Villaboſio tenebatur, cum repoſceret Monpenſerius tanquam patrimoniale, inde capta occaſione* Mercurianus Villaboſium *promiſſis oneratum* ad ſuas partes perducit. Deinde *ad* Chinonem *Bernaeos fratres, qui locum ſub Chavignio tenebant, Gardeolios item fratres ad* Eraldi-caſtrum intercipiendum ſolicitavit; *qui,* conjurationis *contra Hectorem Preolium* initae convicti, *praeſidiali judicio* capite luerunt. XVIII. *Sub id* occupata ab Hiſpanis Samarobriga, *cum* Cruceius quidam Bellovacenſis nuncium rei ad Mercurianum ferens Salmuriae cum literis captus *eſſet, Nic. Rapino illac tranſeunti Lutetiam ducendus traditur. Interceptae et Mercuriani ad Albertum literae, et Lutetiam ad Carpentarium Jacobi, qui exitiabileis olim cum P. Ramo contentiones in Academia Pariſienſi excitaverat, filium miſſae, quo internuncio ultro citroque literae inter eos commeabant.* Is *igitur* ex ſuſpicione et indiciis comprehenſus, et a *ſagaciſſimo* Rapino convictus, cum Cruceio *tanquam perduellis* ad mortem damnatus, *confractis membris rotae imponitur.* Euſebius Pediſolius Severius, qui Ganachiam tenebat, *a Lavardino monitus praeſidio ejecto* ad regis partes tranſit. XIX. In Armorica poſt captam ab hoſtibus Samarobrigam, quaſi deploratis rebus noſtris, extrema conſilia inter regios et Proteſtanteis in Pictonibus inita, *et decreta in Angliam legatio.* Fontanellae *diis hominibuſque inviſi terra marique* infeſtae *ex Painmarka et Overnenſi inſula* excurſiones. Painmarka *latronum terreſtrium ſpelunca* a Surdeaco expugnata, *et capti in ea in furcam acti. Overnenſis inſula expugnatu difficilior ſtructis munitionibus ad refraenandas excurſiones obſtructa. Greſillius Tremblaius ad Guinanum pagum Sanlaurentium ad ſe Dinamo venientem in fugam vertit. Eo ſucceſſu regii firmati.* Pleſſium Bertrandi, *a quo Maclovienſes nuper regi reconciliati gravia damna accipiebant, a Tremblaio* obſeſſum; *in qua cum ipſe occubuiſſet, ſolvitur tumultuario obſidio. Brumenſanius Caſtellionis praefectus, qui peditatum Tremblaio ſublato relictum ſuſceperat ducendum, Sanlaurentium ad ſe tanquam de victoria ſecurum ſolutis ordinibus venientem denuo caedit, et in fugam vertit.* Caſtrum-Briandi *aſtu contrario* a Mercuriano receptum. XX. Ledeſma a Philippo in

in Armoricam miſſus ad componenda Mercuriani cum Joanne Aquila diſſidia. Is, *Condivicini Namnetum* cum Petro Audoëno Carthuſiano, *qui diſciplinae metuens olim in Hiſpaniam transfugerat, familiaritate contracta, cum eo* agit de ſicario in regis perniciem ſubornando, *et ille conditionem accipit, et cum nobili quodam cognatione ſecum conjuncto, qui in regis caſtris militabat, conſilium communicaverat; quo mortuo antequam res detecta eſt, conſilium quoque una evanuit. Index cum ea de re cum Franciſcano quodam egiſſe Audoënum diceret, nec Audoënus diffiteretur, ſed Franciſcanum alienum ſe ab hoc conſilio oſtendiſſe adderet, Franciſcanus in jus vocatus; qui quod erat ingenue agnovit, et rem ut ſumme deteſtandam diſſuaſiſſe ipſum probationibus confectis poſtea conſtitit.* Audoëno gratia communis a rege, ubi Condivicinum Namnetum venit, facta, et reverentiae ſacri ordinis hoc condonavit, *ceterum probationibus ſervatis, ut de re aliquando cum Hiſpanis expoſtularet.* Gulenius ad Georgii-fanum contra ruſticos ferro, libidine, et igne graſſatur. XXI. Negotium Proteſtantium ex Samarobrigae ſucceſſu adhuc incerto pendens variis protelationibus extractum. *Schombergius, qui cum Thuano et Calignono Lutetiam venerat, in Armoricam remiſſus; et Thuanus, Vicus, et Calignonus Salmuriam, et inde Eraldi-caſtrum, ubi Bullionius et Tremollius erant, ut cum iis agerent; quo et mox Schombergius, rebus in Armorica ordinatis, venit.* Ex ejus conſilio conſcriptae III legiones; *et rogati Bullionius et Tremollius, ut, ad elevandam invidiam ex eorum abſentia proculdubio naſcituram, ad regem in caſtra quam primum proficiſcerentur. Haec ante captam Samarobrigam acta.* Qua dedita res mutavere; et Thuanus et Vicus ad regem miſſi, ut edicti conditiones controverſas coram eo diſceptarent, *quem in Durlanii obſidione nacti ſunt.* Induciae *huc uſque illuſionibus dilatae* poſt captam Samarobrigam *cum Mercuriano a Schombergio et Rupipotio* Andegavi XVI *Kal. Novembr.* renovatae, *quae in Januarium proximum exirent.* Monmartinus ad accelerandum regis in Armoricam adventum mittitur. Schombergius C aureorum CIↃ et XX tormenta inſtructa cum annona copioſa, *quantum per penuriam illius anni licuit,* a provinciae ordinibus impetrat.

## LIB. CXIX.

CIↃIↃXCVII.
HENRICUS IV.

IN Allobrogibus Diguierius bellum *majore mole* contra Sabaudum renovat. *Summa ut in Armorica ſic ubique et in illis provinciis annonae anguſtia. Joannis in Maurienna fanum occupatum, et poſtea munitum. Michaelis-fani arx a Carrecto dedita. Ad Onufrii-fanum leges militares publicatae. Aquae-bellae arx, et ejus ſitus, et origines. Munimentum juxta Chaumuſſetum ad Iſaram a Sabaudo ſtructum Crequius diſturbatis praeſidiariis capit. Chaumuſſetum deditur. Arx Aquae-bellae honorificis conditionibus item dedita, et Darſius loco impoſitus. Aquilia arx munitiſſima credita tandem tumultuante milite a Baio pariter dedita.* Tota Sabaudia cis Iſaram XLI dierum ſpatio *Diguierii ductu* ſub regis poteſtatem redacta. *Moletarum et Helenae-fani et circumpoſitorum collium deſcriptio. Heic acriter pugnatum. Provocationes mutuae ad duellum, quod ſecuto Crequii occaſionem et neceſſitatem praebuit. Sabaudus Diguierii caſtra temerario auſu oppugnat et cum damno repellitur. Diſcedente hoſte fanum Helenae cum municipio a noſtris incenſum.* II. *Ad* Barralium in terra Francia munimentum ſtruendum ſuſcipit Sabaudus, *S. Bartholomaei nomine.* Peſtis *tanta* Gratianopoli graſſatur, *ut ſenatus Romanium migrare ſit coactus.* Sabaudi a Convallenſibus ſemel atque iterum caeſi. *Salinas a Sanjurſio et Balmio caeſus,* CC *ex ſuis amiſſis. Hinc inde aequo marte pugnatum.* III. Ad Villam-francam in Campania a noſtris feliciter contra Gaucherium certatur. IV. Aquitaniae ſumma praefectura Condaeo donata, *deque ea re diploma in ſenatu promulgatum* XVI *Kal. Aprileis.* Matignono ſub id Burdigalae decedente, in ejus locum Alfonſus Ornanus *nuper equitum tribunus a rege creatus* ſufficitur, *qui ſub Condaeo vicarias partes in ampliſſima provincia exerceret.* V. Franciſcus Lucemburgicus Pinaei dux Romam miſſus, qui maxima pompa obedientiae praeſtandae officio defunctus eſt. *Mauritius Breſſius oratio-*

*nem*

*nem habuit.* VI. *Senatus-conſulto in Caſtellum parricidam lato cum Jeſuitae regno pulſi eſſent, id tantum in ſenatus Pariſienſis territorio, Neuſtria et Burgundia, executioni demandatum fuerat, in Toloſana et Burdigalenſi curiis locum non habuerat. Itaque a triumviris petitum, ne decreto omnino illuderetur, ut gravi poena addita civitatibus, univerſitatibus, collegiis mandaretur, ne quem ex illo ſodalitio, quamvis voti ejerationem praetexat, ad conciones ullumve ſacerdotale miniſterium et puerorum in literis inſtitutionem privatim vel publice admitterent. Id a ſenatu* decretum XII Kal. Septembr. *Poſtea cum allatum eſſet, Lugdunenſem civitatem ſcholae ſuae praefeciſſe* quendam nomine Porſanam, qui olim in eo ſodalitio literas profeſſus fuerat, Simo Marionus fiſci patronus *gravem admodum* orationem *in ſenatu* habuit, *et acerbiſſime* contra eum ordinem *peroravit. Secundum haec* ſenatus-conſultum XVII Kal. Novembr. factum, *quo decernitur, ut ſenatus-conſultum Sextii proximo factum etiam in Lugdunenſi ſchola locum habeat, et Porſana tanquam contumax in palatii carceribus ſiſtatur : eodemque ſenatus-conſulto cautum, ut interim idoneus moderator et praeceptores minime ſuſpecti illi ſcholae praeficerentur.* VII. In Belgio, *dum Albertus in limite noſtro occupatur,* Mauritius *praemiſſis copiis* ad Alpenam *Meurſiae ditionis arcem* caſtra ponit. Deditio *a Bentingo* facta VI *Eid. Sextil.* Berka ad Rhenum *terreſtri obſidione eodem die cincta ; quae demum a Snatero, cum nulla auxilii ſpes eſſet,* XIII *Kal Septembr.* dedita eſt. Fruſtra Berka ab Erneſto Colonienſi ſeptemviro ab Ordinibus repetitur. Camillum propugnaculum *a Miranda Hiſpano in proximo deſertum, et mox* Mauritii juſſu deſtructum. Meurſium eodem ſucceſſu receptum. *Inde* ad Grollam *Eid. Septembrib.* caſtra poſita. *Ignes artificiales immiſſi, quibus magna pars domuum correpta conflagravit. Tandem* locus, praeciſa omni auxilii ſpe, XIV *Kal. Octobr.* deditur. Brefortium *in Tranſiſelana* vi captum et crudeliter direptum. Eſcheda *mature ſibi vicinorum exemplo territa per deditionem conſulit.* Oldenzeela *itidem obſeſſa ; quae, fruſtra renitentibus praeſidiariis, Eſchedae exemplum ſecuta eſt.* Goora et alia caſtella, *quae Stenvicae, Daventriae, Heſſeltio, et Zwolae incommodabant,* in fidem accepta *et ſolo aequata.* Lingena, *quae marchionatus titulo cum ſuo territorio ab Ordinibus Mauritio attributa eſt,* obſeſſa, et tandem a Friderico Bergenſi comite, *qui locum tuebatur,* pridie Eid. Novembr. Mauritio tradita. Aemilia Mauritii ſoror Emmanueli Antonii electi Luſitaniae regis *naturali* filio, fratre inſcio, nubit. VIII. Ad pacem cum Philippo faciendam Daniae rex partes ſuas apud Ordines interponit, *et pro Steinio Maltenſi, qui Ordinibus aliquando militaverat, deprecatur.* Ordinum reſponſum, quo, *repetita actionum de pace et colloquiorum ab initio fruſtra cum Hiſpanis inſtitutorum memoria, nullam in eorum promiſſis fidem aut ſecuritatem ſibi repoſitam oſtendunt, et de Maltenſi inpraeſentiarum* ſe excuſant. IX. Paulus Dzialinius inſtigatu Hiſpanorum a Sigiſmundo Poloniae rege ad Ordines miſſus ; *qui,* exaggerata in majus Philippi potentia, *cum minari potius quam conſilium pacis dare videretur,* haud commodius reſponſum ab Ordinibus tulit. Cum ad Eliſabetham in Angliam tranſiiſſet, et liberius *et minus cum dignitate* cum ea ageret, generoſa foemina graviter oratione Latina legatum increpuit, *et querimonias de commercio interdicto non juſte factas oſtendit.* X. Carolus Nucelius eodem tempore ad Ordines a Caeſare miſſus, *cui ſenatus Hagae* VI *Eid. Quintil. datus eſt. Colloquii is exitus fuit, ut Ordines ab omni de pace actione ob repetitas toties rationes ſe excuſaverint.* XI. Oſtenda fruſtra tentata. Alberti cum ſereniſſima Infante matrimonium Bruxellis IV Non. Dec. publicatum. XII. In Suecia Carolus Sigiſmundi Poloni patruus, et regni prorex, praefectura ſuprema, quam a Sigiſmundo conceſſam huc uſque tenuerat, ſe abdicat, eamque ab Ordinibus delatam reſumit. *Concordiae* conventus ab eo Arbogiae *ad* XII *Kal. Mart.* indictus ; *in quo nulli fere e ſenatorio ordine offenſionis regiae metu comparuerunt. In eo confeſſio Auguſtana ante quadriennium Upſalenſi conventu ſancita confirmatur, tantumque regi, cum in regnum venerit, in proprio ſacello ritu ſolemni ſacrum audiendi poteſtas datur. Sudercopienſes conſtitutiones denuo comprobantur.* Inde in regno ſciſſura, et, *Calmaria arce recepta,* omnes regni provinciae in Caroli verba adactae, *excepta Finlandiae arce et*

TOM. V. *Abovio, quae a Nicolai Flemingi nuper defuncti praeſidiariis tenebantur; contra quos ducit Carolus, et ad Revalienſeis eodem tempore ſcribit, inſtructa* VIII *navium claſſe, quae Dantiſcum praemiſſa ad regem in Sueciam tranſportandum.* In ſequentem annum dilata regis profectio, *ob caritatem annonae et luem contagioſam, quae per Balticum tractum graſſabatur.* XIII. Crebrae de Anglis libertatem mercimonii impedientibus in Germania querimoniae. Edictum Caeſareum contra Anglos mercatores *inſtante Franciſco Mendoza* Pragae Kal. Sextilib. promulgatum. *Viciſſim, Stada revocatis ſuis,* Eliſabetha contrariis edictis contra Germanos fulminat. Chriſtiernus IV Daniae rex cum Anna Catharina Joachimi Friderici Brandeburgici filia nuptias *Haderſlabiae* V Kal. Decembr. celebrat. XIV. In Auſtria plebs praeſidiariorum licentia exaſperata *Georgio Brunero duce* in apertam defectionem erumpit. *Ex iis* IↃ *a Georgio Colnitio tribuno caeſi. Cum poſtea Sampelkam obſediſſent, Serinio comite noctu ſuperveniente huc illuc diſſipati ſunt.* Motus incentores ſupplicio adfecti. XV. Berneſtenius et Palfius de Totiſa *ante triennium amiſſa hoc anno* recipienda cogitant, quam *militari aſtu* VI *Eid. Maias* capiunt. Inde Pappam ducitur, quae et capitur. *Fruſtra renitentibus ducibus Turci contra fidem datam ſpoliantur. Pulvere a Turcis diſcedentibus ſubjecto ignem concipiente arx paene deſtructa.* Ad Javarinum poſita caſtra. Variae et proſperae noſtrorum in hoſticum excurſiones. Tatari caſtris exuti et praeda ingens abacta. *S. Martini mons Turcis diffugientibus a Berneſtenio occupatur.* Adventu Turcici exercitus Javarini obſidio ſolvitur. Turci ad Totiſam nuper a noſtris captam caſtra metantur, *quam Chriſtophorus Veida defendebat; qui poſt multas oppugnationes ſumma virtute depulſas, ſuffoſſo jam muro, per poſticum dilapſo praeſidio locum deſerit.* XVI. Bathorium Tranſylvanum *ſero ſe ab Auſtriacis deluſum ſentientem* temere ſuſcepti contra Turcos belli poenitentia ſubit. XVII. Virorum literis illuſtrium mortes, Gilberti Genebrardi, Suffridi Petreii Leovardienſis, Gabrielis Paleoti cardinalis, Franc. Patricii, Aldi Manuccii, Fr. Raphelengii, Hier. Commelini. XVIII. Principum obitus, Gunillae Joannis III Sueciae regis ſecundae uxoris, et Eliſabethae ejuſdem Joannis ſororis, Catharinae Infantis quae Sabaudo nupſerat, Alfonſi II Ferrariae ducis; qui ſine liberis cum deceſſiſſet, Caeſar Ateſtinus, *Alfonſi filius, et Alfonſi* I *ducis nepos, quem heredem Alfonſus* II *deſtinabat, et jam Carporum, Mutinae et Regii Lepidi, quae loca ad imperialem ditionem pertinent, beneficiariam in ipſum tranſlationem a Caeſare impetraverat, Ferrariae ſe primo ducem indigitavit, et ſcriptis ad pontificem literis per Zizolium comitem hos titulos ſibi ſumpſit: quas literas cum abjeciſſet pontifex, ad bellum parata omnia. Ipſe Caeſar Ateſtinus et vi poſſeſſionem primo obtinere certus militem conſcribit, eoque in agrum Bononienſem immiſſo pontificios male mulctat. Dein* trina denunciatione citatus cum non compareret, diris devovetur, *et ad cunctas urbis regiones ac vicinarum civitatum templa diri fulminis a ſpirituali brachio in ipſum vibrati programmata affiguntur.* Refrigeſcit priſtinus Caeſaris ardor, et, *oſtentato a noſtris armis terrore,* ab amicis monitus ad quieta conſilia inclinat; miſſiſque ad cardinalem Aldobrandinum, qui Faventiae ſubſtiterat, delegatis, ineunte
CIƆ IƆ XCVIII. Januario cum eo tranſigit. Conditiones inter pontificem et Caeſarem Ateſtinum perſcriptae, quas pontifex poſtea ratas habuit. Aldobrandinus ad urbem accedit cum V CIↃ peditum et CIↃ equitibus, pompa regia exceptus.

## LIB. CXX.

CIƆ IƆ XCVIII.

HENRICUS IV.

REBUS ad pacem inter regem ac Philippum inclinantibus, Vervinii, *quod eſt Veromanduorum oppidum,* in limite noſtro delegati ab utraque parte conveniunt. *Prima de ſedendi praerogativa inter partes controverſia fuit; quam primus Philippus in Tridentina ſynodo movit, tenuitque ut oratores ſui, ne poſt Gallos ſederent, ſeorſim ab aliis principum oratoribus in conſeſſu illo locum haberent: qua de re tunc oratores noſtri ſunt proteſtati. Heic inventa via, ne colloquium tantopere expetitum ſolveretur, iis, qui res adminiſtrabant, viſa pro tempore tolerabilis,*

*lerabilis, ut Florentinus cardinalis legatus, qui aderat, in medio conclavi ſub uraniſco loco editiore locato, ad dextram Fr. Gonzagâ orator pontificius proxime juxta cardinalem, poſt eum Philippici delegati, Richardotus praeſes, Jo. Baptiſta Taxis, et Lud. Verrichenus ſederent : ad laevam noſtri ; Pomponius Bellevreus ex adverſo Gonzagae et uno gradu prior ante Richardotum ſederet, et poſt eum Nic. Brulartus Sillerius praeſes : ut quantum dextrae praerogativa Philippicis poſt Gonzagam ſedentibus conceſſa noſtris detrahebatur, tantum prioris gradus dignitate, quam Bellevreus ad laevam tenebat, attributa Gallico nomini accederet. Quo facto tamen potius aequatam utriuſque dignitatem, quam noſtris regibus praerogativam ſuam ſervatam, plerique ipſique Hiſpani ſunt interpretati.* II. Rex interea, *a citerioris Britanniae ordinibus ſolicitatus, et Schombergio inſtigante,* in Armoricam cum exercitu venit. Dinamenſes, *a Sanlaurentio, qui arcem tenebat, alieni,* propinquantibus ex compacto copiis regiis, arma capiunt, et arcem Briſſaci et Coaquini marchionis, *qui fano Maclovii tormenta advexerat,* ope circumſident. *Sanlaurentio abſente, Bordagii uterinus frater, qui praeerat, conditionibus praeſcriptis locum Briſſaco pridie Eid. Feb. tradit.* Pleſſium-Bertrandi et Seſſonis Turris item recepta. III. *Per Monmartinum* Mercurianus de regis adventu certior factus, *qui huc uſque cunctatus fuerat,* mature *Mariam Lucemburgicam* uxorem cum delegatis praemittit. Petrus Cornutus Pleſſius, qui Cratumnum in Andibus tenebat, *miſſis delegatis a rege* in gratiam accipitur, *condito edicto, quo pleraque homicidia a praeſidio patrata oblivione ſepeliebantur.* Cum Santofangiis et fratribus tranſactum, qui Rupifortium in Andibus tenebant. *Conditum itidem edictum, quo pleraque maleficia itidem ſunt nominatim condonata.* Rex in itinere Aloiſiam reginam officioſe inviſit, *et de benignitate ſua erga Mercurianum fratrem, ſi quidem occaſione ſine tergiverſatione uteretur, bene ſperare juſſit.* Bullionius et Tremollius Eraldi-caſtro Salmuriam regi obviam veniunt. IV. Ad Seios pontes Jac. Aug. Thuanus, Sofredus Caligno, Gevreus, in Schombergii aedibus conveniunt, cum Mariae Lucemburgicae Mercuriani uxoris delegatis. *Datae a regiis conditiones, et ſilentio ab illis acceptae ; ſed ſtatim regia benignitate partim mitigatae, partim amplificatae.* Pactae filiolae Mercuriani cum Caeſare Vindocino regis naturali filio nuptiae, et edictum conditum *in ejus gratiam, Burcanio, qui Anceniſium, Villaboſio, qui Mirabellum, Campiniaco, qui Tiffaugium tenebant, prius in fidem acceptis, ne gratiam, quam a rege accipiebant, Mercuriano deberent.* Mercurianus Andegavum ad regem ſalutandum venit. Conditiones ab Armoricae ordinibus propoſitae *de Pentevriae familiae bonis dotalibus in Dolenſi et Briocenſi dioeceſi a Maria uxore emendis* et *regio patrimonio annectendis* rejectae. Nuptiae fiduciariae inter Franciſcam ſexennem et Caeſarem Vindocinum *in arce, verba faciente Franciſco a Jouſa cardinale,* contractae. Rex Condivicinum proficiſcitur. V. Andreas Huraltus Meſſius in Angliam ad Eliſabetham miſſus, qui pacis cum Hiſpano negotii rationes coram explicaret. Juſtinus Naſſovius et ab Ordinibus Belgicis in Galliam venit, ut *conjunctis cum Angla conſiliis* negotio interveniret. *Tandem convenit, ut grande aes, quod Anglae et Ordinibus hujus belli ultimi ratione ob ſummiſſa tam opportune auxilia rex debebat, certis penſionibus exſolveret, et Ordinibus non ſolum ex eo quod ab ipſo eis debebatur, ſed etiam ex eo quod Anglae debebat, ad ſuſtinenda belli onera in tempore ſatisfaceret, quo facto erga Anglam tantundem liberaretur.* VI. Edictum in gratiam Proteſtantium per biennium agitatum tandem accepit finem ; *et obſervatum, eadem in urbe, in qua ante* XXXIX *annos prima coitio Proteſtantium ob religionis cauſam ſive conjuratio contra Guiſianos facta fuerat, quae bellis civilibus toties infeliciter repetitis principium dedit, pacificatorium edictum, quod iiſdem finem eſſet impoſiturum, a rege conditum eſſe* ; *quod* hoc anno *factum* Eid. April. et Namnetenſe dictum, ob cardinalis legati praeſentiam non niſi anno ſequenti in ſenatu promulgatum fuit. VII. Pacis negotium, quod Vervinii diſceptabatur, a Lullini marchione, qui Sabaudi nomine interveniebat, paene abruptum. Tandem, ſalvo de Saluciarum principatu utriuſque jure, inter reges conventum, et perſcriptae conditiones VI Non. Maias. Iis et Sabaudus comprehenſus, *qui intra bimeſtre Berrenſe*

Tom. V. *renſe caſtrum et oppidum in Provincia reſtituere bona fide ſine demolitione et impenſarum repetitione teneretur; Fortunium, qui Inſubrum pagum in Heduis tenebat, deſereret, neque auxilio juvaret.* De ceteris controverſiis Clemens VIII arbiter delectus, qui intra annum a die pactionis pronunciaret. Diploma de pace a rege, *qui ex Armorica Germani-fanum venerat,* miſſum in ſenatu recitatum fuit III *Eid. Jun.* Idem Bruxellis factitatum VII *Eid. ejuſdem menſis.* VIII. In Sabaudia interim dum Aqua-bella arctius premeretur, Crequius, dum obſeſſis ſubvenire tentat, caeſus et ipſe captus. *Hanc cladem Diguierius inſigni facinore penſavit,* Barraliana munitione, *quam feſtinatis operibus Sabaudus ſtruxerat, admotis ſimul ſcalis et crepitaculis, ſumma vi* expugnata. IX. Pax ſolemni jurejurando Lutetiae *in majore templo* coram *legato pontificio et* delegatis *ab Alberto* miſſis ſancita. *Bironius cum Bellevreo* et *Sillerio* Bruxellas *profecti eodem officio defunguntur.* X. Edictum pridie Non. Sextil. in ſenatu promulgatum, quo promiſcuus ſcloppetorum uſus prohibetur. Inter Catharinam regis ſororem et Henricum Lotharingum Barri ducem pactae nuptiae. Severum *atque adeo ignominioſum* judicium contra Gul. Roſam epiſcopum Silvanectenſem latum, *nec minore ſeveritate executioni demandatum Nonis Septembribus.* XI. Sacri ordinis conventus, *qui* Lutetiae regis permiſſu *eo tempore* celebratus *fuit, nomine Fr. Gueſlaeus Turonum archiepiſcopus gravi oratione regem alloquitur; et appoſitum regis ac militare ad eum reſponſum.* XII. Jeſuitae patres *ante quadriennium Pariſienſi ſenatus-conſulto regno exacti, ſed* Burdigalae et Toloſae, *ubi decretum publicatum non fuerat,* retenti, ex hujus conventus occaſione libellum ſupplicem *typis mandatum* pro reſtitutione ſua regi offerunt; *nec deſtitere ab eo tempore, in obſecrationibus et commendationibus undique quaeſitis aſſidui, legatis pontificiis nihil non in eorum gratiam facientibus, donec tandem poſt conſtantem quinquennii continui advocationem voti compotes evaſere.* In eorum cauſa ſeverum ſenatus-conſultum contra Ludovicum Juſtum Turnonium XV Kal. Septembr. latum, *et gravi poena prohibitum, ne qui pueros in eorum ſcholas ſtudiorum cauſa mitterent.* Contrarium Toloſae pro Turnonio et Jeſuitarum ſocietate factum; *unde rex impetum cepit, inſtigante Cevernio cancellario, diplomatis ad ceteras regni curias mittendi, ut ſenatus-conſultum Pariſienſe ante quadriennium in cauſa Caſtelli parricidae factum in iis promulgaretur. Verum is impetus ab aliis, qui aliter de republica ſentiebant, retardatus et procraſtinatione ad extremum eluſus fuit.* XIII. Rex otioſe cardinalem Florentinum legatum inviſit, et de matrimonii cum Margarita diſſolutione *cum eo* agit, injecta obiter de Gabrielide Eſtraea mentione. *Qua in re cum officium legati depoſcere videretur, ille ſe honeſte excuſavit, et, monitis quorum intererat, ut regem ab hoc conſilio demoverent, petito commeatu* in Italiam diſceſſit. XIV. *Eodem, quo Carolus parens ante* XL *annos deceſſerat, menſe,* Eidibus Septembribus Philippus ad Laurentii-fanum deceſſit. Morbi genus et concurſus complurium infirmitatum, *et inter eas ſumma animi ad extremum conſtantia. Poſtquam adorando viatico et extrema unctione a Garſia Loaiſa ob id in archiepiſcopum Toletanum conſecrato procuratus fuit, vocata filia dilectiſſima, quam ſpeculum et lumen oculorum ſuorum vocare conſueverat, a Loaiſa poenitentiam accepit, quod eſt genus conſecrationis inter principes magnateſque Hiſpanos olim uſurpari ſolitae, aliud ab extrema unctione. Eadem item* monita, *quae Ludovicus* IX *olim Philippo filio dederat, et quae ipſe ſibi deſcripſerat,* dat filio. Apparatus funeralis ab ipſo ordinatus: et extrema mandata. Chriſtophori Morae fides. Philippi forma, ingenium, mores, cum patre comparantur. XV. Vitae ſeries fere proſpera adverſis immiſtis. *Bellum civile ab eo vindicandis injuriis in Gallia per Henoticam factionem excitatum, quod illi ad extremum fuit exitiabile, verſis contra nos, quae melius in ſuo occupabantur, viribus, et provinciarum foederatarum interim firmata potentia. Belgium de ceteris ditionibus avulſum, et in filiam herede filio ſuperſtite tranſlatum, aliter atque aliter multi interpretantur. Mors Caroli filii, uxores, liberi. Teſtamentum cum paterno minime comparandum. Inquiſitionis officium, ad extirpandas haereſeis ut ſummopere neceſſarium, praecipuo ut loco haberetur praecipit. Legem a Carolo* V *noſtrate ſapientiſſime promulgatam, ut rex*

*rex minor, quamprimum* XIV *aetatis annum attigerit, major cenſeatur, in regnis ſuis ſancit. De Navarreni regni negotio quaeſtionem retractat, et conditionibus adjectis ita filio onus in ſe a patre rejectum commendat, ut eluſos toties legitimos heredes porro eludendi novam materiam praebeat. Alexandro Carretto Finalii, quod ad imperialem juriſdictionem pertinet, marchioni pariter illuſum. Alia et ſecreta mandata, ex ſchedis manu propria exaratis, ut jactabatur, exſcripta; et in iis de ſacro ordine et nobilitate in Hiſpania temperandis, de Belgio conciliando, de navigatione ad utraſque Indias et gubernatione, colenda cum pontificibus et cardinalium collegio amicitia; Imperii item principibus, epiſcopis et aliis, et penſionibus inter eos, non per Caeſarem et ejus miniſtros, ſed per ſuos, diſtribuendis.* Funere modico corpus ante majus altare tumulatum. *Mortuum laudavit Terrones Aquilaris; et a pietate praecipue;* VIII *quippe ex ejus progenitoribus in ſanctorum numerum relatos, Arnulfum Moſellanae regulum, Begam Brabantinam Arnulfi nurum, Carolum Magnum, Gulielmum Aquitaniae ducem, Ludovicum* IX *Franciae regem, Iſabellam Portugalliae reginam Dionyſii uxorem, Milcolumbum* III *Scotorum regem, et ejus uxorem Margaritam.* XVI. Ante Philippum Anna Auſtriaca *archiducis Caroli filia* Poloni uxor ex puerperio obiit Warſaviae IV Eid. Febr. et ante eam ineunte anno Joannes Georgius Brandeburgicus ſeptemvir; et paulo poſt Richardus Baioarus Simerenſis; et mox ex eadem familia Fridericus, Wolfangi, *qui in Gallia militavit,* filius. Ex altera et tamen eadem familia tunc obiit Philippus Willelmi Baioariae ducis filius, in collegium cardinalium ante biennium cooptatus. XVII. Theodori magni Moſcorum imperatoris ſine liberis mors, *quae finem familiae per tot annos in potentiſſimo Europae et Aſiae principatu regnanti attulit, ac Imperium paene ad interregnum adduxit. Is Gerniam Boriſſii ſororem in matrimonio habebat; quam a patre ut dimitteret ſaepius interpellatus, uſque et poſt mortem ejus retinuerat.* Rerum ſumma Boriſſio fratri attributa, profundae et aſtutae diſſimulationis homini, *qui adfectata comitate Joannis Baſilidae crudelitates, quarum praecipuus incentor putabatur, derivata caute a ſe invidia in ipſum rejecerat, et proceres poſt ejus mortem, quod repudiandae uxoris ſterilis a patre datum conſilium ſupremis tabulis urgerent, male a Theodoro mulctatos ſibi dolere oſtendebat; et incendii, quo pleraeque domus conflagraverant, calamitatem e publico ſarciendam imperatori ſuaſerat. Juvenculus Theodori frater a demente jugulatus. Nec multo poſt ipſe Theodorus fatis conceſſit, ipſo Epiphaniae die,* adminiſtratione teſtamento penes Gerniam uxorem *dilectiſſimam* et patriarcham relicta. Illa in monaſterium conceſſit, abdicata a ſe et in Cneſios et Bojaricos auctoritate tranſlata. Cum populus fremeret, et reginae et Boriſſio fratri non Cneſiis et Bojaricis obedire paratum oſtenderet, Boriſſius ſe *cum Cneſiis adminiſtrationem ſuſcepturum profeſſus eſt. Cum illi Cneſiis et Bojaricis fidem oſculo cruci affixo addicere detrectarent, et Boriſſium ipſum principem depoſcerent, ingens Moſcae tumultus excitatur; quoque magis fratrem regina et ipſe ſe* a tanto munere excuſavit, *eo acrior comploratio tanquam in altero funere.* Tandem regina *ipſa, jam religioſam vitam profeſſa,* fratrem ad capeſſendum Imperium inclinat. Tatari *Crimiſci, ſpe praedae ad confuſas ut in interregno res accurrentes,* generoſe repreſſi. Inauguratio ſolemni pompa peracta, et praeclare ab eo primis Imperii auſpiciis geſta. *Ataulfo, qui Alarico poſt Romam captam Coſentiae extincto in Imperio ſucceſſit, comparatus Boriſſius. Ejus exitus, et Demetrii ſucceſſoris anticipata hiſtoria.* XVIII. Viri literis clari, qui vivere hoc anno deſierunt; Benedictus Arias Montanus Hiſpalenſis, Abrahamus Ortelius Antuerpianus, Joachimus Camerarius Joachimi filius, Dominicus Lampſonius, Henricus Stephanus, *Theodoricus Brius Leodicenſis.*

## LIB. CXXI.

CIↃ IↃ XCVIII.

Henricus IV.

Publicatae Alberti et Infantis per Belgium ritu ſolemni nuptiae, et ceſſionis Belgii in Infantem a Philippo parente factae inſtrumentum, *ante et poſt patris mortem a Philippo filio confirmatae. Provinciarum nomine procuratorio poſſeſſio ab Alberto capta ; et proceres ac Ordinum delegati, Richardoto praeſide verba faciente, in verba Infantis jurejurando adacti ; et viciſſim libertates, immunitates, privilegia confirmata.* II. Albertus in Hiſpaniam ad nuptias peragendas diſcedit, Andrea Auſtrio cardinali in Belgio cum ſumma poteſtate conſtituto. *Additae ſecretae conditiones, nec publicatae.* III. Albertus ad Ordines foederatos ſcribit, *et, ſeparatione Belgii ab Hiſpanis per matrimonium cum Infante ſuum facta, omnem diffidentiae fomitem ſublatum contendit. Additae et per Danielem Mulenum ad Mauritium exhortationes ; et de religione, quam Ordines profitentur, cautum ; et Mauritio ſpes facta de ipſo, ne tanti viri virtus per pacem in otio torpeſceret, in Pannoniam contra Turcos cum ſumma praefectura mittendo.* Nihil *ad ea* reſponſum, *auctaeque ſuſpiciones, ex eo quod de Mauritio in Pannoniam ablegando conditionibus adjectum erat, fabula Aeſopica in memoriam repoſita, qua lupi cum ovibus paciſcentes petebant, ut canem a ſe abigerent. Ubi ditionem ſuam egreſſus eſt Albertus, per Wormatiam, Spiram Nemetum in Sueviam deſcendit, et, Ulma et Auguſta Vindelicorum a tergo relictis, in Noricum pervenit, et per Oenipontem Tridentum ; indeque per Venetam ditionem iter habuit, donec Mantuae ducis fineis attigit :* IV. *Et Ferrariam delatus eſt, quo jam pontifex poſt res compoſitas venerat ; ubi poſt res ordinatas* Margaritae Philippo deſtinatae uxoris et Alberti *adventum praeſtolabatur, ut de gradibus conſanguinitatis eis gratiam faceret, et fiduciariis utriuſque nuptiis ſacerdotalem benedictionem interponeret.* Peractae ſolemni pompa ceremoniae XVII Kal. Decembr. *Dominica die, poſitis lugubribus veſtimentis. Inter ſpectacula aliquot dies extracti.* V. Quinto poſt die diſceſſum et Mantuam ventum, *exquiſitis ſpectaculis a Vincentio duce tantis hoſpitibus immani ſumptu apparatis. S. Andreae die feſto* Mediolanum Margarita et Albertus intrant, *majore quam uſpiam pompa, per arcum marmoreum inter alios, qui adhuc ſtat, in palatium deducti.* Bimeſtre Mediolani conſumptum, *dum hyems deſaeviret.* Pontifex ineunte Decembri Romam redit. Inſolita Tiberis inundatio, *aqua per omnem civitatem treis pedes altius quam anno* CIƆIƆXXX *reſtagnante ; quo caſu in urbe et in agro plus* CIƆ *homines perierunt.* VI. Penſiones ſuperiore anno a Philippo revocatae *diplomate promulgato* reſtituuntur. Sanctius Leva, *qui cum* VIII *navium armatarum claſſe in Belgium tendebat,* ad Caletum naufragium patitur, *majore* nave a Batavis *illac excurrentibus* capta *et Vliſſingam abducta, ex qua* de claſſe Indica veniente cognitum. Baltazar Mocheronus hinc capta occaſione V naveis inſtruit, *Clerangio et Stribofio ducibus, qui ad Principis Inſulam navigarunt, in qua jam erat Corn. Mocheronus. Subortis inſulanorum motibus, cum Clerangius et Stribofius ſeu moerore ſeu morbis abſumpti eſſent, claſſiarii ſuperſtites nulla alia re geſta in patriam redierunt.* Aliae et tunc a Batavis in Indias et Mediterraneum mare navigationes ſuſceptae. VII. Nicrus ad navigationem faciliorem a Friderico Wirtembergico, *commodatis in id ab Ordinibus harum rerum peritis,* purgatus. Percuſſor in Mauritii perniciem *ſive* ſubornatus *ſive veſano ſpiritu incitatus* Petrus Panna *Hipris natus, ut olim Cantaber Jauregius,* captus, *et inter tormenta et extra rem confeſſus,* ad mortem damnatur. *Confeſſiones publicatae a ſodalitii Jeſuitici presbyteris quibuſdam perſuaſum eum Duaci et ſumpto in id ſacroſancto viatico ad caedem auctoratum Lugdunum veniſſe teſtantur. Contra quas Franciſcus Coſterus ex eodem ſodalitio librum ſcripſit Sicae tragicae nomine, quo calumnioſe haec in ſuam ſocietatem a Calviniſtis conficta, et Pannam ad has confeſſiones ſycophantico aſtu adactum multis verbis oſtendere conatur, ut et quae in Chriſtianiſſimum regem et Angliae reginam a percuſſoribus ab eadem ſocietate ſolicitatis tentata memorantur.* VIII. Ordines ad Eliſabetham ad foedus ineundum contra communem hoſtem honorificam

eam legationem decernunt. IX. Fr. Mendoza, *penes quem ſumma armorum ſub Andrea cardinali erat, cum exercitu Ruremundam ducit, et, inde tranſmiſſo Rheno,* Orſoium in Clivenſi ditione occupat ; *et, carnificis metu intentato, praeſidiarios arcis in fidem accipit.* Walſomum in propinquo munitum. *Infeſtae per circumpoſitas regiones excurſiones.* Alpena *Aemiliae Nuenarae Friderici* III *Palatini ſeptemviri viduae* arx occupata ; Meurſina item ditio, *quamvis neutris partibus utraque addicta ſe publica fide ſecuram exiſtimaret.* Huic ſe Mauritius opponit. Clivenſis de *injuria* Orſoio occupato *et Walſoma munitione extructa ad Albertum* expoſtulatorias dat literas, *et Sibylla fratris nomine, ad quas verba data.* Berka a Mendoza obſeſſa. Falkenſtenius comes contra fidem datam *captus,* ſpoliatus, et *caeſis in ipſius conſpectu* XL *ex ſuis, poſtremo ipſe* interficitur. *Veſalienſes cum Mendoza* C *talerorum* CIↃ *exolutis tranſigunt, et acceptum pontificium oratorem diſcedentibus Hiſpanis mox urbe non citra periculum ejiciunt. Berka arctius obſeſſa ; et, nitrati pulveris caſu fortuito magna ruina edita, ad extremum praeſidiarii paciſcuntur.* Tolhuſiana munitio aſtu a Mauritio intercepta. *Praeſidia locis captis contra fidem datam ab Hiſpanis impoſita.* Dotecomum *ſine denunciatione* a Mendoza *pulſatum,* ac *tandem deditum.* Schulemburgium caſtrum *eodem ſucceſſu* captum. X. In Dormontenſi conventu de Hiſpanorum graſſationibus per Imperii ditiones querimoniae, *et crudelitates et libidines ſcripto publicato exagitatae.* Caeſar *his exaſperatus, quanquam in occulto Alberto fratri, qui tunc Mediolani erat, et Hiſpanis faveret,* ad *eum et* Andream cardinalem ac Mendozam dat literas, *et ut ab injuria in terra Imperii abſtineant, mandat.* XI. Emdae conjuratio detecta, *et conſcii capti et ex literis interceptis convicti capite luunt.* Ludovicus Naſſovius *occidentalis Friſiae praeſes Ezardum comitem cum ſuſpectum haberet,* loca munita in ejus ditione occupat. Caeſaris ſententia contra Aquiſgranenſeis *tanquam contumaces* lata, *Colonienſi et Trevirenſi ſeptemviris ac Clivenſi duci dato negotio, ut eam executioni demandarent.* Balaena *olim in mari Britannico frequens, poſt tormentorum uſum in illo anguſto mari rarior,* inter Catvicum et Schevelingam capta LXX *pedes longa, capite et cauda, quae* XIX *et* XIV *pedes conficiebant, in ea menſura enumeratis :* quod prodigii loco acceptum. XII. In comitiis Ratiſponenſibus de ſtipendio ab Imperii ordinibus penſitando et ſubſidiis deliberatum. XIII. Adolfus Schuartzenburgus Javarini intercipiendi conſilium init. Res *vi et* aſtu ad exitum XIII *Kal. April.* perducta. *Vobecurtii noſtratis et Gallorum, quos penes ſe habebat, praecipua laus fuit. Vario inde exitu inter exultanteis et ultionem quaerenteis certatum.* XIV. Sigiſmundus Bathorius Tranſilvanus *a Carillo et Silvio Picolomineo inductus, quod ſe tollendae proli inhabilem agnoſceret, ex foederis lege* Daciae principatu accepta compenſatione cedit ; *et, indicto Claudiopoli conventu, quid cum Caeſare convenerit exponit,* ſuoſque ſacramento ſolvit. Andreas Bathorius cardinalis, qui aegre ferret principatum *quaſi* patrimonialem, *et alioqui ex comitiorum potius auctoritate quam hominis male conſulti arbitrio pendentem,* in alienam familiam transferri, *cognito eum Maximiliano, qui adhuc Poloni regis titulos ſibi ſumebat, a Caeſare deſtinari,* protinus in eam aulam evolat, et Sigiſmundum regem contra aemulum accendit. *Orator pontificis, ut tempeſtatem inde Auſtriis impendentem averteret, Caeſari auctor ut Maximilianus frater Polonici regni titulos omitteret.* Bathorius, qui in aulam Caeſaream veniebat, ut renunciationem temere factam confirmaret, cum ſe turpiſſime deluſum ſero ſentiret, *credulitatis tandem poenitentia ſubeunte, aſſumptis ſecum duobus itineris comitibus,* nec opinato retro in patriam abit, *et ad Maximilianum venientem dat literas, quibus de repetenda ditione ceſſa eum certiorem facit.* Inde res inter utrumque hoſtiliter geri coepta. XV. Irrita purpurati Budenſis in Vaciam inſulam expeditio. Totis a Sultzio comite expugnata, *caeſis* CC *Turcis et praetore. Geſtes arx et Palota item recepta ; et toto Sextili Veſprinium, Samboca, aliaque caſtella a noſtris capta.* Omar purpuratus cum LX CIↃ bellatorum exercitu ad Varadinum caſtra ponit, *quod Melchior Rederus tuendum ſuſcipit. Urbs vaſta deſerta et igni majorem partem abſumpta. Arcis* V *propugnaculis conſtantis deſcriptio. Summa vi oppugnata, majore noſtrorum*

*virtute*

*virtute defenſa.* Tandem cum ſumma omnia feciſſent Turci, ab obſidione ſaepius cum damno repulſi diſceſſerunt, XIII CIↃ *ex ſuis deſideratis, cum* CIↃ CCC *tantum ex noſtris in ea perierint.* XVI. Buda interim a Schuartzenburgo obſeſſa, *et captum a tergo ſuburbium. Alterum et fronti praetenſum expugnatum. Munitiones et circum captae.* Irrito conatu Peſtum tentatum. *Tandem, ut Turci a Varadini, ita* noſtri a Budae obſidione diſceſſerunt. Mercurianus regis permiſſu operam ſuam Caeſari ad bellum in Pannonia gerendum defert. XVII. In Polonia ſeu Suecia res turbant. Comitia Warſaviae celebrata; *in quibus foedus cum Turcis renovatum; de ſtipendio militari actum, et ordinanda Livoniae republica; de Suecico item regno, quod a Carolo patruo perperam adminiſtrari Sigiſmundo regi addicti fremebant, et injuriam ad Polonos pertinere cenſebant, cum alii Polonicas res a Suecis ſeparatas haberi ſatius ducerent.* XVIII. Samuelis Laſci a Sigiſmundo rege in Sueciam miſſi in Ordinum conventu Upſaliae habito graves de Carolo querimoniae. *His cum apologia Carolus, qui aderat, ſua abunde reſponſum, et intempeſtivum eadem toties retractari diceret, Laſcus contra, ut ad ſingula capita diſtincte reſponderetur, urgeret,* mandatorum regiorum exemplum ſibi tradi Carolus poſtulat; traditoque ad ſingula reſpondit, *ad Ordinum regni conſenſum cuncta rejiciens, et Sudercopienſis conventus anni* CIↃ IↃ XXCV *decreta ſemper urgens.* Reverſo in Poloniam Laſco, iter regis in Sueciae avitum regnum acclamatione publica pronunciatur. *Ad Gedanum dum claſſis inſtauratur, mora longior facta. Principes vicini partes ſuas interponunt. Rex aeſtuario Viſtulae praecipiti aeſtate ſolvit, qui cauſa et viribus potior, ſparſa fama, quaſi ad profligandos Auguſtanae confeſſionis ſocios in regnum veniret, multos a ſe alienat et Caroli partes firmat. Miſſis utrinque delegatis cum nihil proficeretur, Polonis prae Suecorum deſpectu res acerbantibus, ad extrema deventum.* XIX. Rex Lincopiam verſus iter ingreditur, et bellum Carolo denunciat. *Cum Poloni totum diem in aciem inſtructi ſtetiſſent, et Suecis nuſquam comparentibus ſe quieti dediſſent, coelo ſumme nebuloſo trepidus in caſtra nuncius venit, Suecos adventare.* Primo conflictu ſuperiores Poloni ad extremum numero impares ceſſere: *ruptis juſſu regis pontibus plerique aquis hauſti.* Varia hinc inde de proelio Lincopienſi fama. *Nicolaus Fabii ſcribae filius, et a rege Joanne Raſchius appellatus, et ex ignobili inter patricios electus, cauſam cladi dediſſe creditur.* Poſt victoriam Carolus moderatior regem ad pacis conſilia invitantem audit. Tantum exules *Ericum Sparrem cancellarium, Turonem Bielkem, Guſtavum et Stenonem Banneros fratres, et Georgium Poſſenium,* non ad ſupplicium, ſed ut ſe in judicio ſiſterent, dedij poſtulavit: quod ſumma imprudentia a rege conceſſum; *et miſeri homines, lachrimabili utique ſpectaculo, uxoribus et liberis quaſi funus proſequentibus, in carcerem conjecti.* Mox poenitentia ſubeunte pudendum de fuga a rege conſilium captum;
CIↃ IↃ XCIX. *conſcenſiſque Calmariae navibus Gedanum naufragus appulit.* XX. Stokolmia, *quae Sigiſmundi adventu regiis patuerat,* poſt ejus diſceſſum a Carolo *pari facilitate* recepta. Calmaria longa obſidione preſſa, et tandem arbitrio Caroli dedita, *qui non, ut Lincopiae fecerat, victoria uſus eſt, Joanne Sparre cancellarii fratre, qui arcem tenebat, ſecuri percuſſo, Laurentio Andreano et Chriſtophoro fratre et Olao Magno ſuſpendio necatis.* Inde Jenocopiae comitia ab eo indicta, *in quibus Arbogae et Sudercopiae decreta confirmata. Conſtituta et dies Sigiſmundo regi, qua ſe in Suecia ſiſteret; ſi venire non poſſet, Uladiſlaum filium mitteret, aut Joannem ex ultimis cum Gunilla nuptiis natum fratrem Sueciae regem deſignaret.* Stokolmiae et indicta comitia, *quibus regnum Sigiſmundo abrogatum, et, ne illud ambitioſe ſibi parare videretur Carolus, in Uladiſlaum filium procerum ſuffragiis tranſlatum, addita conditione, ſi tempore praefinito in regnum mitteretur, moribus ac ritu Suecorum imbuendus. Decreta et ad Bataviae ordines legatio, ut in communi religionis cauſa eos placatos haberet Carolus.* In Finnonia geſta. Aboia *tandem poſt periculoſum cum Axillo Corke certamen* recepta. Narva item Livonica. *Severum de Joanne Flemingo ſumptum ſupplicium, et inaudita juvenis conſtantia.* Joachimus Schelius et ejus fortuna. Severe contra deditos exercitum *Stokolmiae* judicium, *Erico Sparre cancellario, Guſtavo Bannero, Turone*

Tom. V.

*rone Bielke, ipſi Carolo propinquis, morte adfectis ; reliquis, cum pariter damnati eſſent, gratia facta.*

## LIB. CXXII.

CIↃ IↃ XCIX.

Henricus IV.

UT *in Suecia ob regni ſucceſſionem, ſic* in Tranſilvania, Bathorio *inſita* levitate nutante, denuo res turbant. *Cum omnino a pactis cum Caeſare initis diſcedere et cum Andrea cardinali ac gentilibus ſuis reconciliari velle prae ſe ferret, ſubito mutavit, gentilium reconciliatione ſuſpecta ; et opimiores a Caeſare conditiones ſperans ad eum epiſcopum Albanenſem et Stephanum Boſtkaium cancellarium mittit. Legationis et rurſum miſſae poenitet, et* evocato cardinali Andrea cum ſucceſſorem tumultuario comitiis habitis deſignat. *Secundum haec miſſi ab Andrea ad Portam Othomannicam legati, et literae ſupplices eodem tempore ad Caeſarem, quibus belli neceſſitatem deprecabatur.* II. Georgius Baſta cum exercitu Caſſoviam mittitur, qui hoſtiliter cum Bathoriis agat. Contra eos et ſolicitatus Michael Walachiae deſpota a Caeſarianis, *facta ſpe praefecturae utriuſque Daciae ab Auſtriacis obtinendae.* Cardinalis ad obteſtationes deſcendit, *et malle ſe vel cum privatarum rerum diſpendio Caeſari adverſus communem hoſtem navare operam, quam opimas a Sultano conditiones accipere oſtendit.* III. *Id metu et ſimulate agi* Baſta *interpretatus, cum eadem diſſimulatione erga ipſum ageret,* Walacho negotium dat, ut cum numeroſo, *quem penes ſe habebat,* exercitu rem gerat. Stephanopolis ab eo xv *Kal. Novembreis* occupatur, et Ciculi in fidem accipiuntur. *Cardinalis, Hieremia Moldavo conciliato, juxta Cibinium caſtra metatur. Pontificis orator cum Gogare Monbarſio et Moyſe inter Ciculos primario viro intervenit, et facta ſpe a cardinali, ut Daciam S. S. beneficiariam profiteretur, partes ejus initio tutari viſus.* Tandem *ad arma res devenit, et* cum Michaele Walacho cardinalis v Kal. Novembr. animoſe congreſſus poſt *quinque horarum* obſtinatum certamen profligatus eſt, III CIↃ *ex ſuis amiſſis.* Alba Julia, *Claudiopolis,* et *Huſta* in victoris poteſtatem deveniunt. *Stephanus Bathorius cum Andrea cardinali Somlium concedit, ubi a Georgio Baſta interceptus mortis metu intentato Vivariam arcem munitiſſimam tradit. Inde verſa vis contra cardinalem,* qui cum paucis in montana confugerat ; ubi proditus immani parricidio ab Auſtriacis trucidatur. *Mortuo caput reciſum et ad Walachum allatum. Corpus diligenter a Walacho veſtigatum inſigni monumento, quod ſibi ipſe ſtruxerat, Albae Juliae conditur. Per ejus mortem eadem dignitate Georgii Martinuſii ab Auſtriacis item ex inſidiis interfecti renovata memoria. Sigiſmundus, qui ſua levitate ſibi ſuiſque tot mala accerſiverat, his ſucceſſibus turbatus, clade inſuper domeſtica per incendium infeſtatur.* Michael poſt tot victorias *ductu ſuo partas, cum meritorum ſuorum rationem haberi peteret,* in aula Caeſarea ſuſpectus, Baſta, qui ſummam Daciae praefecturam ambiebat, crimina intentante. *Peczius in provinciam a Caeſare miſſus, qui imperium Michaeli ablatum in Baſtam transfert. Michael Caeſarianorum ingratitudinem exoſus procerum provinciae fidem ſolicitat.* IV. Turci cum magna annonae penuria premerentur, per haec noſtrorum diſſidia nihil aggrediuntur, Tataros *Precopenſeis ad res Chriſtianorum infeſtandas* evocare contenti. Ii immaniter praedis abactis graſſantur, *interdum caeſi receptis captivis.* Vali arx, *a Strigonio* v *milliaribus diſſita,* a noſtris capitur. *Excurſionibus utrinque aequato eventu pugnatum. Sambocum caſtellum a noſtris captum, et trucidato praeſidio a fundamentis dirutum.* Alba-regalis tentata, et incenſa *tantum* ſuburbia. Heiduci praetorem Turcicum *in ſuos ſaevire ſolitum* miris cruciatibus excarnificatum necant. V. Claſſis Turcica in Danubio paene tota in Palfii poteſtatem venit. v CIↃ *Turcorum caeſa.* CCCC *captivi recepti.* Damnoſa et irrita ad Formarum Caſtellum oppugnatio. Zarcardum *a Paulo Niaro Varadini praefecto* expugnatum. Peſta a Schuartzenburgo irrito conatu tentata. Serdar purpuratus cum magno exercitu Belgradum venit. De induciis actum ; *et, dum protelatur negotium,* Tatari excurſionibus graſſantur. *Ceſnoca, Lacca et Patanica a Schuartzenburgo occupatae. Tatari noſtros intercipiunt ; et*

Tom. V. *juxta Filecum ſtatim ab Huſſaris caeduntur, captivis receptis.* Serdar, interrupto de induciis negotio, a Sultano revocatur, *ad res in Oriente contra Georgianos gerendas deſtinatus.* VI. Ob Mendozae per ditionem imperialem ſuperiore anno excurſiones indictus a circuli Rhenani principibus et Weſtfaliae ordinibus conventus, et Confluentia Monaſterium tranſlatus. *Excuſationibus et itu et reditu inter tot foederatos principes tempus inutiliter extractum. De munitione in Gravia inſula inter Ordines foederatos et Clivenſem controverſia.* Tandem conſcriptus *a principibus Imperii Proteſtantibus* exercitus XCIↃ *peditum,* CIↃ *equitum, ad reprimendos Hiſpanorum conatus,* duce Lippenſi comite, haud magno profectu. Mendoza *ex Monaſterienſi dioeceſi deductas* copias ad Reſam et Emmericum contrahit. Buquoii comes ab equitatu Batavo caeſus et captus. *Walſoma munitio ex adverſo Berkenſis in Rheno a Germanis obſeſſa et capta.* Emmericum *poſt bimeſtre nulla re geſta conſumptum* a Mendoza deſertum, qui ſubito ad Bommelam *inſulam* deflectit. Crepacordium munimentum captum. Bommela, *Andrea cardinali ſuperveniente,* obſeſſa. Cameracum *occultis conſiliis et irritis* a Balagnio tentatum. VII. Conventus Monaſterio Huxaram tranſlatus, *in quo cardinalis Andreas novam de Ordinibus Batavis querimoniam inſtituit. Tandem Tolhuſia et Seventria ab Ordinibus reſtituta, et Genepa ab Hiſpanis. Ad Reſam a Germanis obſeſſam et Bommelam ab Hiſpanis res lente agitur.* VIII. Antonia Caroli Lotharingiae ducis filia Clivenſi duci elocatur, et Sibylla Clivenſis ſoror Burgovii marchioni *Andreae cardinalis fratri.* IX. Exercitus a Bommela deductus, *et munitio in propinquo ad impediendam navigationem ſtructa, Santandreana dicta. In Voorna inſula* juxta Havardenam deproperata a Mauritio munitio, *eique Lanovius et Veerus impoſiti, in cujus oppugnatione* CCCC *Hiſpani deſiderati. Semel atque iterum tam vicinis copiis acriter utrinque certatum.* Orſoium ab Hiſpanis deſertum et in Friſia Dotecomum. Lippenſis ad Reſam, *quam Ramires Guſmanus tuebatur,* haerens, *eruptione ab auxiliaribus a Mendoza miſſis Andrea Oartico duce facta disjectus,* ab obſidione turpiter diſcedit. Lippenſis et *Simonis* Hohenloi mutuae exprobrationes. Reſa et Genepa *poſtea* ab Hiſpanis deducto praeſidio relictae. *De damnis ab Hiſpano acceptis ſarciendis Caeſar fidem interponit. Idque negotii dat Iſenburgico et Manderſchitino comitibus.* X. Iter Infantis et Alberti in Hiſpaniam. Valentiae celebratae utrinque nuptiae XIV Kal. Maias. XI. Albertus cum Infante uxore VI Eid. Jun. claſſem conſcendit in Belgium rediturus, *et* XIV *Kal. Quintil. Genuam appellit. Cum ambo Mediolanum veniſſent, et Diatriſtanus cardinalis ad eos pontificis nomine ſalutandos miſſus eſſet, ei a Velaſco prorege praefracte negatum, cum maximopere petierat ut urbem ſub uraniſco ingrederetur; cum minime convenire diceret, ut Albertus, cui ſicuti et sereniſſimae Infanti tantum honorem deferre a rege vetabatur, legatum ſub uraniſco incedentem ipſe extra uraniſcum ſequeretur. Inde in Belgium uterque contendit, et* Andreas cardinalis poteſtate ſe abdicat, *et, facto per Galliam itinere et rege Aureliani ſalutato, in Conſtantienſem epiſcopatum ſuum ire perrexit.* Ob non perſolutum ſtipendium Herentali in Eburonibus et juxta Moſae Trajectum copiae tumultum excitant. XII. Legati a Caeſare de pace ad Ordines Batavos miſſi fruſtra fuere. *Albertus et Infans Lovanium proficiſcuntur; ubi et Juſtum Lipſium, et doctrina et adfectu in Auſtrium nomen praecipuum, praelegentem audire dignati ſunt. Lovanio Mechliniam itum, et inde Antuerpiam, ubi inſolito laetitiae apparatu ſunt accepti.* XIII. Claſſis XXC navium ad infeſtandas res Hiſpanorum in Oceanum ab Ordinibus emiſſa, cui Petrus Does praeerat. *Gratioſae ex Fortunatis inſulis unius arx poſt certamen dedita. Inſignibus Philippi ſublatis Mauritiana erecta. Urbs, diffugientibus in montana inſulanis, tandem capta ac direpta. Inde ad Tenariſam deferuntur. Ad Gomeram damno adficiuntur. Does, claſſis parte domum remiſſa, ad S. Thomae inſulam ſub linea aequinoctiali tendit, et citra negotium occupat. Heic morbis contagioſis graſſantibus fere correpti omnes et ipſe Does perierunt, vixque ex omni numero quarta pars incolumis in patriam reverſa eſt.* XIV. *Apud nos* Petrus Eſpinacus archiepiſcopus Lugdunenſis, *qui per has turbas ſumme inclaruit, Lugduni* decedit. Nuptiae inter Catharinam regis ſororem et Henricum Lotharingum Barrenſem ducem. Caroli Gonzagae Clivenſis Nivernii ducis

ducis cum Catharina Meduanii filia, et Henrici Meduanii filii cum Henrica Nivernii ſorore peractae nuptiae. Henricus Jouſa, *monaſticam jampridem profeſſus, qui poſtea pontificis permiſſu militaribus muniis ſe mancipaverat,* rurſus mundi curarum pertaeſus cilicium ſumit, *et concionibus publice habitis magnam ſui admirationem concitat.* Antonia item Aureliana Longovillani ducis ſoror, viro mortuo, in virginum Foliacenarum coenobio Toloſae monaſticam profitetur. XV. Sillerius Romam miſſus, ut inter alia de Saluciarum principatu, *quem Sabaudus per bella civilia regno vexato occupaverat,* controverſiam coram pontifice arbitro *delecto* diſceptaret, *ante omnia debere regem reſtitui contendit. A poſſeſſione ad jus venire juſſus, marchionatum a Carolo* VII *judice inter partes delecto, Sabaudo excluſo, addictum fuiſſe Delphino oſtendit. Contra Arconatus Sabaudi nomine longa ſerie jus ſuum, confutatis a Sillerio adductis teſtimoniis, firmabat. Cum via concordiae pendente lite iniri non poſſet, et conditiones propoſitae a Sabaudo ſuſpicaci rejicerentur, tandem diſſeminatis in aula Romana rumoribus et Sabaudici oratoris imprudentia, qui intempeſtive de principatu uni ex fratris filiis attribuendo mentionem apud pontificem injecerat, effectum, ut cum ſtomacho pontifex omnem delati arbitrii auctoritatem a ſe abdicaverit. Sabaudus, de profectione ad regem ſpe facta, componendi diſſidii ſe rationes coram initurum recipit.* XVI. Edicti Namnetenſis promulgatio, *quae ob cardinalis Florentini legati reverentiam dilata fuerat, ut ad pacem publicam neceſſaria* a rege urgetur. *Caput de claſſe edictali Pariſienſi, quae de cauſis Proteſtantium judicatura erat, mitigatum ex procerum huic doctrinae addictorum conſenſu. De Proteſtantibus ad honores promiſcue admittendis major controverſia.* XVII. Rex in Luparam ſenatores vocat, et gravi oratione eos compellat, *ducto artificioſe initio a repetita mirabilis portenti memoria. Excepti ſine expreſſione in provinciis praetores juridici, criminalium cauſarum aſſeſſores, et cognitores regii.* XVIII. Edicto in curiam allato Lazarus Coqueleius, *qui ſtudio libertatis ab initio Henoticorum partes ſecutus fuerat,* luculenta admodum oratione edictum ſuaſit, *et prudentiae ac fortitudini maximi principis totum negotium relinquendum cenſuit. Ad ſingula capita rogati ſenatores ſententiam dixerunt. Cum reponeretur, carere exemplo in omni antiquitate, quod in gratiam Proteſtantium decretum erat, ut ad honores admitterentur, contra a quietis conſilia amplectentibus diſputatum fuit; et quamvis haeretici conſtitutionibus Chriſtianorum principum prohiberentur magiſtratum gerere, imo ex teſtamento legatum capere, tamen ab ea regula Gothos, quamvis Ariana peſte imbutos, ob foederationem exceptos fuiſſe, qui, prout imperatoriae majeſtati videbatur, honores ab ea ac dignitates conſequebantur; idque ex conſtitutione Graeca, codicis ſub titulo de Manichaeis et Samaritanis inſerta, et Pauli Aquileienſis hiſtoria miſcella conſtare. Itaque totum caput ſine conditione arbitrio regis relictum. Decreta ſeorſim in gratiam Odeti Lanovii. Obſidiales item urbes illis attributae ad octennium relictae.* Promulgatum edictum *Carniſprivii die.* De executione dein actum, *Confluentiae in Neovilli Villaregii aedibus ruſticis, coram rege ſequenti conventu. Unde dum reditur, Cevernius cancellarius raptato curru ab effuſis equis paene in flumen proximum praecipitatus fuit; quod in omen acceptum, ipſo eodem anno vivis exempto.* XIX. Schombergius *Nantolii comes inde rediens, familiari praecordiorum morbo ac proinde neglecto correptus, in curru ad Santantonianam portam* XVI *Kal. April.* exſpirat, *paterni nominis et virtutum digniſſimo herede relicto Henrico Nantolii comite.* Genus, ingenium, mores, res praeclare domi et foris geſtae; *domi facultates liberalitate et belli ſumptibus acciſae, quas Joanna Caſtanea Rupipozaea vidua virilis animi foemina ordinavit.* Huic cognominis et gentilis menſe Maio ſequenti Joannes Trevirenſis archiepiſcopus ſeptemvir debitum naturae perſolvit. XX. Gabrielis Eſtraea *paulo poſt ipſo paſſionis Dominicae die* ad alteram vitam *improviſa morte Lutetiae* migravit, *et inde regi oblata occaſio de nuptiis ſerio cogitandi.* Joannes Vivonus Piſanii marchio *eques domi foriſque clariſſimus* Nonis Octobribus *in Sanmauriana arce ſeu Foſſatenſi caſtro* decedit. Ejus elogium. XXI. Literis clarorum virorum mortes, Pauli Parutae patricii Veneti, Joſephi Zarlini Clodienſis, Alfonſi Ciaconi Dominicani, Garſiae Loaiſae archiepiſcopi Toletani, Joannis Levineii Gandenſis.

## LIB. CXXIII.

Henricus IV.
CIↃ IↃ XCIX.

MARTHAE Broſſeriae a maligno ſpiritu, ut prae ſe ferebat, poſſeſſae ſcena et fabula; *quod rex interpretatus in invidiam ſuam fieri ob Namnetenſe edictum publicatum, in rem diligenter inquirendum curat. Fraus primum detecta a Carolo Myrone epiſcopo Andegavenſi. Patres Capucini ab ea decepti. Sacri remedii ope Lutetiae implorata Pariſienſis epiſcopus eam a medicis inſpici et obſervari praecipit. Cum diverſa traderent, et Michael Mareſcotus audacter affirmaret cum Riolano, praeſtigias eſſe, quae a Martha ad ludificandam plebem geſticulationes fierent; alii, quae illa ſigna ederet, praeter et ſupra naturam eſſe; regis juſſu Mareſcotus ſcriptum publicat, quo argumenta in contrarium adducta rationibus ex arte medica petitis refellit, et Marthae meras impoſturas eſſe oſtendit. A jactatione populari cum res ad ſeditionem ſpectaret, quaſi libertati eccleſiaſticae vis a regio magiſtratu afferretur, ſenatus itidem regis juſſu auctoritatem ſuam interpoſuit, et ſequeſtrata puella per* XL *dies a primariis medicis viſa et obſervata eſt, qui omnes nihil praeter naturam in ea animadvertiſſe ſcripto teſtati ſunt. Contra cum fremerent theologi, et concionatores ex ſuggeſtu ad populum debaccharentur, a ſenatu increpiti et modeſtiam ſervare juſſi. Bullae in coena Domini obtentu cum Capucini a ſenatu citati non comparerent, et ita ab Alfonſo e ſuo ſodalitio ſcripto reſponſum eſſet, increpiti, et ſcriptum lacerari juſſum, idque coram fratrum collegio a duobus e ſenatorio ordine et cognitore regio executioni demandatum. Secundum haec Martha Romorantinum, unde venerat, reduci a ſenatu juſſa, unde eam poſtea Alexander Rupifulcaudius Sanmartinus abductam ſecum Romam duxit. Qua re rex ultra modum irritatus ad Sillerium et Oſſatum cardinalem ſcripſit, et ut de injuria ſibi ſenatuique facta expoſtulationem apud pontificem inſtruerent, mandavit. Inde ab Oſſato Jeſuiticis patribus, qui reſtitutionem ſuam urgebant, et apud quos ſummum praeſidium rebus ſuis repoſuerat Sanmartinus, metus injectus, et conſilium a prudentiſſimo viro datum, ne ſe huic negotio interponerent; eaque de re diligenter ad regem ſcribit, et literas in ſenatu rex recitari juſſit. Ita exploſa Martha, et omni ope deſtitutus Sanmartinus, qui paulo poſt ex moerore obiit. Ejus ante obitum et Franciſci Claromontani epiſcopi fratris, quod citati non comparerent, ſenatus-conſulto bona ſequeſtrata, et poſtea placato rege dedita. Alia naturae miracula ad praeſtigiatricem adjecta.* II. Fr. Troviluvius ex montanis Cenomanorum adductus, *qui ad carbonarias operam navabat,* cum cornu, quod illi poſt ſeptimum annum in ſincipite erupit, *et ſenſim ad* XXXV *annum, quem tunc agebat, crevit, vervecini forma et caprini, eademque prorſus craſſitie ac duritie, non tamen ſpiralibus lineis, ſed porrectis, ſtriatum.* III. Rarum inediae in virgine Confluentana in Pictonibus exemplum. Ejuſdem in aliis hoc aevo exempla; *Spirenſis temporibus Pauli* III, *ad quem ea de re Simo Portius commentarium ſcripſit; Katharinae Binderae in Jo. Caſimiri Palatini ditione, Juliacenſis puellae: aliud temporibus Lotharii Imperatoris Convernaci in Tullenſi dioeceſi ab annalibus noſtris memoratum: et Apolloniae denique virginis in agro Bernenſi natae, de qua Paulus Lentulus ante triennium ſcripſit. Franciſci Citeſii de Confluentana et Iſraelis Harveti contraria ſcripta.* IV. Morbus novus creditus, qui in regni Polonici et Hungarici finibus hoc anno graſſari coepit. Ejus ſymptomata et horrenda natura. *De eo a Laurentio Staringelio, Samoſcienſis academiae, a magno Samoſcio* VII *a Leontopoli in Ruſſia Polonica milliaribus de nomine ſuo inſtitutae, rectore, conſultus Hercules Saxonia Patavinae inter primarios medicos profeſſor libello edito reſpondit, et novum non eſſe exemplis et rationibus probavit. Clavus, plica, cirragra morbo nomina indita. Contra Saxoniam quidam Lucius Laelius Fulginas nomine diſputavit, et morbum illum cum lue venerea prorſus eundem eſſe probare conatus eſt. Et rurſus contra Laelium feſtivo dialogo, cui ſeptem ad Sarmatas titulus, pro Saxonia ſcripſit Andreas Poſthumus a Craſenberg.* A corporum prodigiis ad animorum monſtra tranſitum.

tranſitum. V. Conjuratio Caroli Ridicovii e Dominicano ſodalitio ex confeſſionibus ejus detecta, *qui ante triennium, jam rege cum eccleſia reconciliato, ſed nondum cum pontifice in gratiam reverſo, cum veſani animi verbis temerariis coram plerisque ſignum dediſſet, re ad Malavicinum pontificis oratorem, qui prius in Gallia cum Henoticis tunc Bruxellis erat, perlata, ille hominem ad ſe adduci jubet; et cum in propoſito regis interficiendi perſeverare videret, pontificis et ſacri cardinalium collegii nomine, ſic Ridicovius petebat, cum eo tranſigit; pecuniaque tradita et promiſſis ingentibus oneratum ad facinus patrandum obfirmato animo dimittit, libertate inſuper data ut militari habitu incedere, et citra conſcientiae morſum equitare, ſaltare, choreas ducere, et gladiatoriam impune facere poſſet. Re infecta in Belgium redit, et a Malavicino increpitus denuo ad parricidium auctoratus in Galliam venit. Eodem tempore Petrus Argerius ex eodem Dominicano ſodalitio facinus idem in ſe ſuſcipit. Malavicinus Romam venit, et Ridicovius eodem proficiſcitur; et, a Malavicino amplius et Hiſpanis confirmatus, in Galliam redit, et Samarobrigae aliquandiu commoratur, cum, jam rege cum pontifice reconciliato, Florentinus cardinalis ad regem veniſſet. Ibi Avenarii maternum nomen mentitus, quae ipſe facienda a Malavicino perſuaſus ſuſceperat, tanquam ab Ridicovio, qui alius a ſe eſſet, intellecta Vincentio Regio urbis praetori aperit, aditum ad regem quaerens; qui et ab eo in aulam adducitur. Rex jam cum pontifice in gratiam reverſus, qui vulnera illa refricari citra Malavicini infamiam et pontificis offenſionem non poſſe tunc temporis judicaret, et alioqui metueret, rebus ad pacem ſpectantibus, ne archiducis animus in ſuſpicionem veniret, quaſi rex ipſum in conjurationem conſenſiſſe perſuaſum haberet, rem diſſimulatione tranſigendam cenſuit, in cuſtodia hominem ſuſpectum retinere contentus; quem tandem cum dimittere ſtatuiſſet, lege addita ne unquam in Franciam rediret, confecto ea de re breviculo, ille effracto potius carcere cum Viardoto oſtiario aufugere quam regis gratia uti maluit, et in Sequanos abiit, et inde in Lotharingiam; ubi cum Joannis Caſtelli parricidae parentibus ad Nicolai-fanum collocutus rurſus de rege interficiendo conſilium inivit, et in Heduos tandem venit, et, cum Petro Morello Grancaei curione contracta amicitia, quid cum Malavicino egiſſet aperit: inde cum Viardoto captus, cum reditus in Galliam interdicti cauſas non ſatis purgaret, ſenatui poſtremo traditur; qui eum prius interrogatum et ſuperiora omnia confitentem, ceterum in conſilio poſt regis reconciliationem perſeveraſſe diffitentem, poſtremo* III *Non. April. ad mortem damnavit, et cum eo Nicolaum Anglum, qui e Capucinorum ſodalitio profugerat, et cum errone Ridicovio iiſdem conſiliis perſeveraſſe convictus fuerat.* VI. Caroli Crequii cum Philippino Sabaudi naturali fratre de decore controverſia, poſt crebras hinc inde miſſitationes et provocationes *Sabaudo ipſo inſtigante* ad duellum tandem deducta; in quo *cum Philippinus in mamilla laeſus imperante Crequio arma non quidem ipſe, ſed Pingonius, qui aderat, pro illo prior abjeciſſet, Sabaudus id indigniſſime tulit, et rurſus duello decus ea re laeſum ſarciri voluit. Loco condicto commiſſo certamine* Philippinus vulneribus cadit, ex quibus paulo poſt obiit. VII. Edicto vetitum ne qui in Belgium militaturi contra Albertum tranſirent. VIII. Philippus Huraltus cancellarius Cevernii III Kal. Sextil. decedit. In ejus locum ſuffectus Pomponius Bellevreus. IX. De matrimonio regis cum Margarita diſſolvendo agitur. *Exempla ex noſtris hiſtoriis in re ſimili propoſita. Diſſolutionis legitimae cauſae. Margarita ipſa inſtante res in judicium deducta per procuratores ſuos, qui ejus nomine apud regem petebant, ut matrimonium nullum declararetur.* Delegati a pontifice judices *cardinalis a Jouſa, epiſcopus Mutinenſis et Arelatenſis archiepiſcopus; qui in aedibus epiſcopi Pariſienſis cum ſaepius conveniſſent, re mature penſitata,* matrimonium *ob conſanguinitatis gradum, erroris in fide vitium, cognationem ſpiritualem, alterius partis metum ac diſſenſum,* ab initio nullum pronunciarunt, *libertatemque utrique parti fecerunt conjugii cum alia parte contrahendi.* Claudius Tremollius Franciae par creatur, *cum parens ejus Ludovicus a rege Carolo* IX *Thoartii dux creatus fuiſſet.* X. *Facta ſpe ut ſerici panni opificium in terra Francia leucomoris paſſim conſitis commode inſtitui poſſet,* vetita ſerici panni ex Italia et exteris nationibus in Galliam importatio. *Solidi in ſingulas libras ex pretio rerum, quae ad victum*

Tom. V.

*tum venales ex agro importantur, civitatibus impoſita penſitatio.* XI. Sabaudi in Galliam adventus et honorificus Lugduni ingreſſus. Eccleſiae Lugdunenſis apud nos praerogativa et ritus puriores, *ad quos etiam exteri ſuos conformaverint. Carolo* Sabaudo a ſacri collegii comitibus negata canonici honorarii dignitas, *quae Philiberto Emmanueli parenti olim delata fuerat.* Sabaudus Bironi ex delatione verborum *parum honorificorum de ſe* a rege habitorum irritati per Jacobum Lafinium fidem ſollicitat. Profuſa Sabaudi liberalitas Kal. Januariis. *Rex in ſenatum cum Sabaudo venit, et velo interpoſito cauſam a praeſtantiſſimis patronis Anna Roberto et Antonio Arnoldo diſceptatam audire voluit, et in aedibus palatio ſubjectis lautiſſimo convivio ab Achille Harlaeo ſenatus principe ambo cum aliis aulae principibus et proceribus excepti ſunt.* De Saluciani principatus reſtitutione agitata controverſia in aedibus Henrici Momorantii equitum magiſtri; *cui intervenit pontificis nomine Bonaventura Calatagirona, patriarcha Conſtantinopolitanus. Propoſitum ante omnia a Sabaudo, quo regi invidiam apud pontificem crearet, ut Genevae patrocinium deſereret. Dein, cum minime hoc aſtu commoveri regem videret, de Imperio et Mediolanenſi principatu mentionem injecit, et opes ſuas et auxilia in eam rem pollicetur.* XII. Poſtremo perſcriptae a rege conditiones IV Kal. Martias, *aut de ipſo marchionatu reſtituendo, aut ejus loco inter Ararim et Dubim qui interjacet tractu, Sturae et Peroſiae vallibus, necnon Pinarolio cum omni ejus juriſdictione tradendis: addito, ut utrum optaret, intra Kal. Jun. declaret: interim liberum ſit ut venire, ſic e terra Francia diſcedere.* Sabaudus per Sebuſianos in Taurinos tranſit: *dicterio, quod de ſe jactatum inaudiverat, quaſi nihil e Gallia praeter lutum reportaret, aculeata urbanitate eluſo, cui Bironi calamitas poſtea fidem aſtruxit.* Henricus Lotharingus Meduanii filius Aquillionis in Aginnenſi agro dux et par Franciae creatur, diplomate ea de re in ſenatu VI Non. Mart. promulgato. XIII. Collatio inter Jacobum Perronum epiſcopum Ebroicenſem et Philippum Mornaeum Pleſſium ad Fontem-Blaudi coram rege *poſt longas altercationes inchoata, nec ad exitum perducta. Ejus acta utrinque publicata, et ab Ebroicenſi pro imaginibus, quarum uſum Pleſſius improbaverat, addita apologia.* Actum et jam tum de concilii Tridentini promulgatione, *Bellevreo cancellario et Villaregio negotium urgentibus; ſed, incerto adhuc pacem necne rex cum Sabaudo habiturus eſſet, res dilata.* XIV. Reginaldo Belnenſi archiepiſcopo Bituricenſi et magno Franciae eleemoſynario diſciplinae in academia Pariſienſi inſtaurandae commiſſum cum aliis delegatis a rege negotium, *qui gnaviter in eo laborarunt, conſultis gymnaſiarchis, et facultatum primariis doctoribus, et repetitis a Gul. Tuttavilla cardinali ſub Carolo ſeptimo rege conditis ſtatutis ac legibus.* Nova ſtatuta ac leges ex eorum ſententia conditae, et in ſenatu VII Kal. Septembr. adprobatae. *Senatus-conſultum ea de re factum per Jac. Aug. Thuanum praeſidem, Lazarum Coqueleium, et Edvardum Molaeum ſenatores, Lud. Servinum fiſci patronum, in conventu frequenti omnium academiae ordinum ad Mathurinorum habito lectum, et leges ac ſtatuta recitata* XIV *Kal. Octobr. quae poſtea typis mandata ſunt.* XV. Virorum literis illuſtrium mortes, Fulvii Urſini Romani, Anton. Ricoboni Rhodigini, Conradi Daſypodii, Caroli Utenhovii, Petri Fabri Sanjorii curiae Toloſanae primarii praeſidis.

CIƆ IƆ C.

Tom. VI.

## LIB. CXXIV.

CIƆ IƆ C.

Henricus IV.

SAECULARIS annus, *initio* C *annorum, dein Sabbaticus* L, *poſtremo a Clemente* VI *ad* XXV *contractus, ut ſaepius recurreret,* Romae magna frequentia celebratur. Henricus Barrenſis dux eo quoque profectus, ut abſolutionem contracti cum Katharina regis ſorore matrimonii, *et libertatem cum ea ad liberos procreandos conſueſcendi,* a pontifice obtineret. II. Obitus cardinalium Georgii Ratzivilii, Laurentii Priuli, Inici Davali Arragonii, Ludovici Madrucii, Petri Dezae, Andreae Auſtrii. III. *Supplicationes Romae decretae pro Belgicis ſucceſſibus.* Tumultuatur pernicioſe miles *Crepacordii et Andreanae munitionis in Bommelenſi inſula ſtructae, et Aumontianorum ſuperiore anno rebellantium exemplum ſequitur; contra quos*

*vi*

*vi armata agendum cenſet Mendoza.* Wachtendonca trans Rhenum cum arce a Mauritio capta. Noveſium irrito conatu tentatum. *Albertus cum ſereniſſima Infante in Flandriam venit, et de Berkae reſtitutione apud Caeſaris oratorem ſe excuſat.* Colloquium inter Eliſabetham et archiduces de pace propoſitum nullo ſucceſſu. IV. Caroli Breautii infelix cum Silvae-ducis praeſidiariis *numero et loco ac die convento* congreſſus, *qui ſuffoſſo equo captus poſt certamen interfectus eſt. Vix tandem pacantur tumultuantes, exoluto* XIV *menſium ſtipendio.* V. Mauritius *Dordraco profectus* Crepacordium ducit, *et* CCCC *Sequanos auxiliareis in itinere caedit,* et loco potitur. Ad Santandreanam munitionem poſita caſtra VII Kal. Aprileis. *Rupto aggere diluvio tanta ſecuta, ut obſeſſis ac obſidentibus aeque incommodaret. Tandem* VIII Eid. Maias deditio facta. Rurſus tentatum cum Ordinibus colloquium nullo ſucceſſu, *cum ante omnia militem externum Belgio deduci Ordines peterent.* Circa Limburgum *ad Calepenam arcem* tumultuatur miles. *Inter Venloam et Graviam* CCC *a ſignis diſcedunt et electum creant.* Mauritius claſſem in Zelandia inſtruit, ut Oſtendae, quam Albertum obſeſſurum ſciebat, ſubveniret. Philippina munitio deditur. Fruſtra ſolicitati Brugenſes, *qui praeſidium ab Alberto accipiunt.* Mauritianae naves ab *Ambroſii* Spinolae triremibus ſuperatae, *ex iiſque* XVIII *captae. Blankardi ſtrenui viri virtus, et mors honorifica.* Munitiones ab Hiſpanis circa Oſtendam ſtructae. Albertina dedita Mauritio. VI. Albertus cum Infante Gandavum venit, *et ipſa luſtrato exercitu ordines in equo circumiens ad fortiter rem gerendam hortatur.* Ad Neoportum a Mauritio poſita caſtra. *Subito Alberti adventu* Snaskerka et Audenburgum, *quae loca Mauritius ceperat,* deduntur; *deditis contra leges male mulctatis. Ponte jam tranſmiſſo Albertini cum comparuiſſent, per tumultum in arenariis tumulis Erneſtus Naſſovius ad tranſitum impediendum ſerius miſſus aciem inſtruit. Ibi* acriter pugnatum, *deteriore Naſſoviorum, qui numero vincebantur, conditione. Capti extra pugnam cuncti fere interfecti. Haec mane acta. Poſt meridiem facies rerum mutata. Mauritii ad ſuos allocutio, certam victoriam ſpondentis.* Cruenta de Hiſpanis victoria; CV *ſigna capta et* VI *tormenta amiſſa, mane recepta. Captus ipſe Fr. Mendoza et alii; a quibus injuriam, cum Angli et Scoti matutina immanitate exacerbati fremerent, praeſentia ſua Mauritius prohibuit. Periere ex Albertinis* VI CIↃ, *ex Mauritianis bis mille, iis connumeratis qui matutino proelio ceciderunt.* VII. A Neoportus obſidione IX Kal. Sextil. diſceſſum, ac poſtridie Cl. Burlota *militum famoſus tribunus* ictu ſclopeti in capite accepto occubuit. Diſceſſu Mauritii munitiones circa Oſtendam ſtructae novo praeſidio firmatae; et, *pecunia ex Hiſpania ab Henrico Guſmano advecta,* luſtratus exercitus. *Sub id* Ambroſius Landrianus, *qui vicarii generalis titulo equitatui praeerat,* Bruxellis ex morbo deceſſit; *cui ſuffectus Nic. Baſta.* A Batavis in Scaldis aeſtuario Albertini male accepti: *praetoria in Antuerpiae conſpectu capta, et Mechlinienſes aliaeque Bruxellenſes naves.* Aemilia Meurſiae comitis vidua decedit, et Mauritium heredem inſtituit, *qui ſucceſſionem manu armata crevit.* VIII. Navigatio Batavarum navium in Indiam Orientalem ante triennium ſuſcepta. Cerne inſula, ſeu Mauritia, et ejus deſcriptio. *Piſcatio piſcium tanta latitudine, ut a nautis tabulae menſariae vocarentur. Raiae item et teſtudines immenſae magnitudinis. Pſittacorum et corvorum et turturum magnus numerus. Aliae et aves exoticae. Palma admiranda arbor.* Javae et in ea Tubani civitatis ac Moluccarum luſtratio. *Bantae grandaevi ſenes, qui ultra* CXX *annos vitam producunt. Ternate inſula item luſtrata. Inde eodem, quo profecti fuerant, itinere in patriam redeunt.* Aſcenſionis inſula in itinere luſtrata, *in qua teſtudines tantae magnitudinis, ut* XL *libras ſingulae pendant.* IX. Jacobo Scotorum regi a Gauriae comitibus parricidiali audacia theſauri ſpe facta illuditur, *qui Gulielmi patris ſupplicio a proregibus, cum rex in minori aetate eſſet, affecti ultionem perſequebantur. Ad Perthum poſt prandium ab Alex. Ruveno altero ex Gauriis fratribus in ſecretius conclave ductus pro theſauro percuſſorem obvium habuit, et cum Alexandro luctatus, ſuperveniente Ramiſaeo equite et mox Areskino, confecit; Joannes frater eodem tempore ab iiſdem confoditur.* De iis ut parricidis ſupplicium ſumptum, *et duo fratres ſuperſtites nomen Ruvenum materno in poenam mutare juſſi.*

X. In

Tom. VI.

X. In Pannonia Pappenſium praeſidiariorum defectione magna clades accepta. Praeſidiarii, *partim Galli partim Belgae, Javarino ſuperiore anno capto, nobilitati cum fiducia meritorum inſoleſcerent, et ſtipendio non repraeſentato ad ſeditionem ſpectarent, clam cum Turcis agunt, et, ut fidem tradendi oppidi facerent, tribunis et centurionibus ſuis imperium abrogant, et Mich. Marotum loci praefectum in vincula conjiciunt, et captivos Turcos dimittunt, fruſtra Schuartzenburgo obteſtante, qui cum pecunia ad eos veniebat; qui poſtremo tumultuanteis et poſt ſcelus admiſſum diffidenteis obſidione cingit, in qua eruptione facta cadit. Rederus in ejus locum ſuffectus; qui locum praeſidiariis per ſtagnum ſubjectum diffugientibus vacuum ad extremum capit. Recedentium ultimum agmen caeſum; qui capi potuerunt, et Pappae relicti,* variis et exquiſitis ſuppliciis excarnificati. XI. Caniſa *paulo poſt munitiſſimum tota Stiria oppidum cum arce* a numeroſo Turcorum exercitu obſeſſa. Mercurianus obſeſſis ſuppetias laturus aciem contra inſtruit; ſed, Turcis vallo ſe tenentibus, et intercluſa undique annona, ad extremum recedit, *vixque coeli horrida tempeſtate in Turcica caſtra detonantis auxilio praeſens periculum in receſſu evaſit.* Hujus diſceſſu infracti praeſidiarii Paradiſium praefectum ad deditionem *faciendam* compellunt: *qui tamen, cum deditionis praecipitatae rationes non ſatis purgaret, cum centurionibus aliquot Matthiae juſſu capite luit.* XII. Michael Walachus, *ſuſpicione Caeſarianis ex Turcici legati adventu injecta, fore, niſi ſecum convenirent, ut ad Turcos tranſeat, conditiones proponit, et exiguam ab iis pecuniam accepit; qua fretus* contra Sigiſmundum Bathorium *cum Hieremia Moldavo copias colligentem* quaſi Caeſaris auſpiciis ducit, et *juxta Ortunum caſtrum ad Iſtrum* conſerta diu ambigua pugna caedit, et Moldaviae magnam partem in poteſtatem redigit. XIII. *Poſt tot proſperos ſucceſſus cum* Baſtae inſtigatu Caeſar ei tandem imperium abrogaſſet, *ab omnibus deſertus, et hinc Samoſcio, qui Bathorio et Hieremiae cum auxiliaribus praeſto futurus aderat, hinc Baſta urgentibus, extremum in Caeſaris clementia perfugium habuit, ad quem exeunte anno profectus eſt.* XIV. In Stiria Graecii Auguſtanae confeſſionis ſociis libertas conveniendi omnino adempta, *fruſtra porrecto archiduci Ferdinando libello, Carinthiae praeterea et Carniolae ordinum nomine, quo libertatem illam immani pecuniae ſumma et penſitationibus ob id annuis a patribus ſuis redemptam conteſtabantur. Severe in non parenteis animadverſum.*

## LIB. CXXV.

CIƆ IƆ C.

Henricus IV.

TANDEM inter regem et Sabaudum, *cum nullas nec vero promiſſas conditiones acciperet Sabaudus, et mutatis ſubinde delegatis moras inutileis adfectaret,* ad arma devenitur. *Rex Lugdunum venit, et per Roncaſium Sabaudo denunciandum curat, niſi intra Kal. Sextil. conditionibus Lutetiae conventis ſatisfaceret, ſibi bellum cum eo futurum. Roncaſio ad regem reverſo* novae perſcriptae conditiones; quibus cum nec ſtaret Sabaudus, omnis de pace conſultatio abrumpitur, *edicto ea de re* III *Eid. Sextil. Lugduni publicato.* II. Tum Diguierio et Birono *primariis belli ducibus* negotium datum, ut hic in Breſſae comitatu, ille in Sabaudia, principium bello faceret. Bironus Burgum ducit, Diguierius Monmelianum; eodemque die, *hoc eſt Eidibus Sextilibus,* vi ab utroque facta utrumque captum oppidum. Ad arces obſidio diuturnior fuit. III. Calatagirona pontificis nomine intercedit; grave ad eum regis reſponſum. IV. *Eodem quo Monmelianum oppidum captum die,* Lud. Bertonus Grillonius *praetorianorum tribunus* Camberii ſuburbia occupat. Regi ſupervenienti mox urbs patuit; *et octo poſt diebus* arx, *quam Jacobius tuebatur, honorificis conditionibus* deditur. Confluentia eodem ſucceſſu capta, *quae munitio eſt in concurſu Arcae et Iſarae ad ſervandum in Tarentaſienſem vallem aditum. Inde* Miolanum *ducitur, quod et ad primum regiorum conſpectum patuit.* Turris Carbonaria *dein admotis tormentis tandem deditione* capta. Diguierius Joannis-fanum et Mauriennae vallem ſubjectam uſque ad Ceniſium montem in poteſtatem redigit: in Tarentaſienſi valle itidem Monaſterium primo captum, et

mox

mox circumpoſita loca, *ut tota Sabaudia in poteſtate regis eſſet, excepta S. Catharinae, quae Genevae imminebat, munitione, et Monmeliani arce*; ad quam verſus impetus. *Arcis ſitus et caſtrorum hoſpitia et ordinatio.* V. De conjurationibus domeſticis jam tum rumor ſparſus, *Jacobo Laſinio ultro citroque in Inſubres et ad Bironum commeante, neque Sabaudo, qui in Taurinis ſedebat, interea tota Sabaudia amiſſa, ſe movente, quaſi plus in iis praeſidii, quam in viribus ſuis, reponeret.* Rex *inde* in ſuſpicionem adductus, Sueſſionem cum ſummo imperio in Sabaudia relinquit, et *colore Sancatharinae munitionis luſtrandae* in Sebuſianos deſcendit, ut Bironi conſilia obſervaret; *quem et tunc monuit, ut a Laſinio ſibi caveret, et fore praedixit, ut eum in perniciem adductum feſtinato indicio ad extremum anteverteret.* Rex in periculo verſatur, dum propius munitionem contemplatur. VI. *Inſtante Sueſſano Philippi apud pontificem oratore* Aldobrandinus cardinalis ad regem mittitur, *qui in itinere Fontanum belli incentorem Mediolani convenit, ac dein ipſum Sabaudum. Rex aditus luſtrat, per quos auxiliarem exercitum Sabaudus adducturus eſſet, et Herminium ab epiſtolis ab Aldobrandino miſſum ad cardinalem remittit, et bona ſpe impletum Camberii ſe praeſtolari jubet.* VII. Brandiſius comes, qui Monmeliani arcem tenebat, *tandem ex ducum belli conſilio* de loco tradendo fidem interponit, *niſi intra* XXX *dies Sabaudus auxiliari cum exercitu adveniret.* Dati obſides. *Interceptae Sabaudi literae, quibus Brandiſius orabatur, ne pactis ſtaret.* VIII. Aldobrandinus Camberium venit. *Baionenſis et Ebroicenſis epiſcopi adventu legati, quod ille petebat, epiſcopalia inſignia ponere recuſant.* Aldobrandini cum rege colloquium. IX. Sabaudus Auguſtam praetoriam venit *cum* X CIↃ *peditum,* IV CIↃ *ſcloppetariorum equitum, et* IↃCCC *cataphractis. Sueſſio et Diguierius ad Tarentaſiam occurrunt*; *ſed, nivibus et oppoſitis montibus tardantibus, nihil actum.* CCCC *ex Diguierianis, dum ſolutius agunt, intercepti.* Tandem tempore condicto exeunte arx Monmeliani a Brandiſio tradita. *Sabaudus tardior in ſuppetiis ferendis, quod ei a mathematicis praedictum eſſet, fore, ut Sextili menſe rex in Francia non eſſet. Boventius, intractabilior, nullis minis aut promiſſis inflectitur. Notato a Nereſtano loco, quo ad hoſtem adiri poterat, nivium immenſa vi prohibiti regii.* Rex, cum nihil cum Aldobrandino et Sabaudi delegatis proficeret, Luiſetum primo a Sancatharinae munitione lapide venit; *quo ad eum a Genevenſi republica legati venere, et in iis Theod. Beza octogenario major, in illa aetate adhuc equitans, orantes ut jugum, Sancatharinae munitionem innuentes, beneficio ſuo, antequam exercitum e provincia deduceret, clientelaris urbis a cervicibus excuteretur.* Tandem Boventius, qui Burgi arcem tenebat, extrema neceſſitate victus cum rege tranſigit, *aliquot dierum petito ſpatio*; *qui dum exirent,* rex, *relicto in caſtris Sueſſione,* Lugdunum excurrit, *quo et Aldobrandinum ſe exſpectare voluerat.* X. Genevae origo ab occaſu Imperii Romani repetita. *Ab Imperio Germanico deſerta: cum epiſcopis, dein cum Sabaudiae comitibus, foederationes. Inde cum a civitatis et Sabaudi, Genevenſium comitum ſtirpe extincta, delegatis res Hermancae diſceptaretur, pro Sabaudo haec in medium afferebantur: titulo emptionis Amadeum Sabaudum jus in ea ab Odone Villario ſibi quaeſiviſſe, et a Sigiſmundo Caeſare anno* CIↃ CCCC XXII *inveſtituram ejus impetraviſſe, et vicarios Imperii jam ante Sabaudiae principes a Carolo* IV *conſtitutos eſſe*; *eodem jure ſub Carolo* V, *Ferdinando et Rodolpho Caeſaribus Sabaudiae principes uſos eſſe, cui et acceſſit Apoſtolica auctoritas: atque ita antiquorum comitum, epiſcoporum, Apoſtolicae ſedis et Imperii jura in ſereniſſimos Sabaudiae duces cumulata, qui ex Genevenſium et epiſcopi conſenſu omnia ſupremi imperii jura in ea urbe ſemper exercuerunt, uſque ad annum hujus ſaeculi* XXXV, *quo, mutata religione, et epiſcopi et principis et pontificis, et Imperatoris ſimul omni ſe juriſdictione exemerunt. Contra a Genevenſis reipublicae delegatis diſputatum; Genevenſis territorii dominos nihil in civitate juris ab antiquo habuiſſe, ſed potius epiſcopis et eccleſiae ſacramentum fidei dixiſſe, uſque ad Friderici Ahenobarbi tempora, qui denuo idem jus epiſcopo confirmavit, Zeringenſi duce, qui vicarii titulo in illo tractu res adminiſtrabat, et id juris in Gebenneſii comitem transferre cogitabat, increpito et excluſo: ab eo tempore Sabaudiae comites cum epiſcopis tranſigentes ſe beneficiarios eorum agnoviſſe, et fidei juratae inſtrumenta uſque ad*

Tom. VI. *annum* CIↃ CCCCV *extare. Argumenta et documenta a Sabaudo adducta confutantur. Equitis Sabaudi ampullatus eadem de re liber poſt publicatus, quo plura documenta et inſtrumenta coacervantur ad fidem faciendam, Genevae comites ſemper ab initio Sabaudiae comites tanquam beneficiarios agnoviſſe : quae tamen acta abſentibus neque conſentientibus epiſcopis, quorum maxime intererat, et qui jus illud ſemper, vel fatente ipſo comite, Sabaudiae ducibus controverſum fecerunt.* XI. Diſſoluto regis cum Margarita matrimonio, Sillerius, qui Romae erat, Florentiam mittitur, ut pactis cum Maria Franciſci magni Etruriae ducis filia conventis regis nomine ſubſcriberet. *Miſſum et ſpeciale ad Ferdinandum patruum mandatum de ſponſalitiis contrahendis*; et mox Rogerius Bellogardius eodem venit. Celebratae fiduciariae nuptiae ab Aldobrandino cardinali illac tranſeunte, magna et inſigni pompa; *in qua nihil quoad ſpectacula, haſtiludia, venationes, et alia ſumptuoſa oblectamenta defuit.* XII. Nova regina *claſſem Liburnii conſcendit, et aliquandiu in itinere tempeſtate jactata Maſſiliam* appulit III *Non. Novembr. ab Henrico Momorantio equitum magiſtro et Pomponio Bellevreo et magno ex aulicis tam foeminis primariis quam viris comitatu excepta. Bellevreus regis nomine adventum gratulatus eſt. Gul. Varii ſenatus Provinciae praeſidis primarii a Bellevreo introducti ad reginam luculenta oratio. Magna in appulſu claſſis ac prope ſanguinolenta contentio inter Melitenſeis equites, quorum dux Petrus Mendoza, et Florentinas triremes, quas Joannes Medices ducebat; quae vix tandem a Momorantio ita compoſita eſt, ut Melitenſes equites dextram tenerent, S. Stephani equites in praetoria, qua regina vecta fuerat, et quam ipſi ducebant, jus ſuum ac dignitatem tuerentur. Dimiſſo comitatu, qui eam ſecutus fuerat, duodecimo poſt die, hoc eſt* XV *Kal. Decembr. Aquas Sextias venit, et biduo poſt Avenionem, ubi inſolita et adfectata a patribus Jeſuitis, qui reſtitutionem ſuam urgebant, pompa excepta eſt, ſeptenario numero exquiſita curioſitate et regi et reginae applicato. Inde per Valentiam, Turnonium, Viennam,* Lugdunum IV *Non. Decembr. pervenit, ubi tumultuaria pompa excepta ad archiepiſcopi aedeis deducitur. Septem diebus cum in urbe morata eſſet, prono Rhodano advenientem regem ſub veſperam excepit, qui obſoleto et militari habitu, qui maxime illum decebat, poſt commutata honeſtatis et mutui adfectus verba, lecti, quod ſuum prae feſtinatione nondum adveniſſe diceret, cum ea participationem non infacete petiit, qui ea nocte conjugalis factus eſt.* Aldobrandinus, *qui Camberii remanſerat, ſubito evocatus, ut externae nuptiarum pompae et negotio de pace cum Sabaudo intereſſet, urbem* ſolemni ritu ingreditur XVII *Kal. Januarias.* Mandata ejus ſeu facultates, in ſenatu minime publicatae. *Repetitum poſt Domini natalem pacis negotium et propoſitae conditiones.* XIII. *De quibus cum in eo partes*
CIↃ IↃ CI. *eſſent ut convenirent,* rex a Genevenſibus exoratus Sancatharinam munitionem deſtruendam mandat, *quod non aliter ſecurum per Cluſuras tranſitum habere poſſet; quod tanta celeritate peractum, ut non niſi re confecta nuncius Lugdunum ad Aldobrandinum pervenire potuerit, qui caſu ultra modum irritatus in Italiam re infecta diſcedere ſe paratum, neque huic negotio ultra auctoritatem interponere velle initio oſtendebat. Ad extremum cum arx Burgi, in qua Sabaudo reliqua ſpes erat, periclitaretur, aſſentiente Jo. Baptiſta Taxi, quaſi placatus mutat.* XIV. *Et cum omnia ad bellum pararentur, Ronio, qui ad rem pecuniariam ac tormentariam expediendam a rege Lutetiam mittebatur, ad eum ſalutandum officioſe profecto,* conditiones perſcribuntur, quibus vix tandem poſt multas obteſtationes delegati Sabaudi ſubſcripſere. XV. *Fontanus et Sabaudus, ab Aldobrandino rebus compoſitis moniti ut ab armis diſcederent, alienos ſe a pace facta oſtendunt.* Eorum longe diverſi adfectus. Lermaei in aula Hiſpana pollentis ingenium, et occultae cum Fontano aemulationes. *Tandem, additis ad menſem, intra quem Sabaudus pacta Lugduni conventa habere rata debebat,* XV *diebus, literae a Philippo venerunt, quibus placere ſibi, ut conditionibus ſubſcriberetur, oſtendebat; de copiis, quas alio deſtinabat, ſtatuendi plenam poteſtatem faciebat.* Ab Hiſpanis cum ſe deſertum videret Sabaudus, ad extremum, quae Lugduni acta erant, ſubſcriptione ſua comprobat, *monito Boventio, qui Burgi arcem tenebat, ut non niſi extrema neceſſitate victus eam traderet.* Quod tandem ineunte Martio fecit, et Petrus Eſcodeca Boetius ei cum va-

lido

lido praeſidio imponitur. XVI. Rex reginaque *rebus ex voto confectis et* pace parta Aurelianum ambo veniunt, ut anni propitiatorii indulgentiis huic loco *peculiariter* conceſſis participarent. *Templum, ſuperioribus bellis dirutum, aſſignatis vectigalibus inſtaurari coeptum. Crimen falſi inter confeſſiones frequens, et ita ad regem delatum, ut remedium per leges quaereretur.* XVII. Roberti Ebroici Eſſexiae comitis, *qui vulgo Achilles Anglicus indigitabatur,* generoſa ambitio ex aemulatione cum Roberto Cecilio, poſtremo ipſi fatalis. *Is a Cobhamo et Raleigho, qui cum Cecilio faciebant, in Hiberniam honorificae expeditionis ſpecie ablegatur; quam tamen ea lege ſuſcepit, ut quoties expedire videretur, non expectato reginae reſponſo in Angliam redire poſſet; quod ei contrariis literis, poſtquam in provinciam venit, negatum. Cum Tircennae comite, qui res in inſula miſcebat, colloquitur, et tranſegiſſe ſibi viſus in Angliam injuſſu reginae redit: a conſpectu ejus arcetur, et captivus ſiſtitur, accuſatione in eum inſtituta, quod mandata reginae ſpreviſſet, et capita cum perduellibus contuliſſet. Ab aula ad biennium removetur. Poſt annum gratia facta, ut Londini cum famulitio privato manere poſſet. Dein cum amicis de curia occupanda et regina in poteſtate habenda ſumptum conſilium. Conjurationis indicium a domeſtico corrupto per Cecilium ad illam perlatum. Citatur ut ad concilium in aedibus Thomae Buckhurſti magni theſaurarii veniat, ab Herberto in arcano monitus, ut urbe excedat. Sibi inſidias a Cobhamo, Raleigho, Cecilio ſtructas per urbem apud plebem homo gratioſus famam ſpargi curat. Concurſu plebis ad ejus aedeis facto, et ſeditione excitata, edicto publico perduellis et proditor pronunciatur. Dein poſt aliquem conflictum ipſe ſub veſperam a Thoma Howardo maris praefecto capitur, et cum eo Southamptoniae et Rutlandiae comites, et poſtremo Chriſtophorus Bluntus et plerique alii ad* C *per diverſos urbis carceres diſtributi. Thomas Leaeus cum ſcloppeto deprehenſus maturandi judicii, quod protelatum iri apparebat, occaſionem praebuit. Forma ſolemnis judicii. Capita accuſationis propoſita. A judicum rejectione ob criminis titulum et judicum dignitatem excluditur. Ad capita reſpondet. Cum Cobhamo et Raleigho altercationes et cum Cecilio acerbae expoſtulationes, nullo demiſſi animi aut miſericordiam implorantis ſigno edito. Auditus poſt eum Southamptonius, qui pari conſtantia cauſam dixit. Damnato poſt ſententiam a Buckhurſto pronunciatam tanquam perduelli et proditori poenae genus a regina remiſſum, et ipſe magni animi conſtantia ſupplicium decollationis pertulit, nuſquam implorata reginae miſericordia, quam ſine dubio obtinuiſſet, niſi vitae pertaeſus mori quam ad miſeras preces deſcendere ſatius duxiſſet. Alii et cum eo ſupplicio adfecti, et ipſe Bluntus.* XVIII. Ad Kinſalam in Hibernia Hiſpani, *Alfonſo Ocampio duce, a Tiroennae comite evocati,* conſerta pugna ab Anglis profligati, *et Ocampius captus. Qua clade accepta Alfonſus Aquillarius, qui Kinſalam tenebat, deditionem fecit, commodatis ab Anglis navibus, quibus cum ſuis in Hiſpaniam portaretur.*

## L I B. CXXVI.

CIƆ IƆ CI.

Henricus IV.

Motus in Anglia inter Catholicorum illius regni reliquias exorti origo. *Gul. Alanus Philippo auctor, ut ex Catholicis Anglis ſeminarium Duaci inſtitueret; quod poſtea Durocortorum Remorum apud nos a cardinali Lotharingo tranſlatum fuit. Inde cum multi in Angliam migrarent, in ſuſpicionem adducti, ob frequenteis conjurationes, quaſi potius rebus novis quam pietati ſtuderent, ob idque vexati et quaſi perduelles ſupplicio adfecti. Alani pro iis apologia. Eodem auctore a Gregorio* XIII *Romae ſeminarium erectum, et ejus cura Jeſuitis patribus attributa. Abolitis archiepiſcoporum et epiſcoporum, quae penes Proteſtanteis erant, nominibus, nova diſciplina ab iis in arcano inſtituta, in quo principatum ſibi ſumpſerunt tanquam a pontifice delegati; quo tamen moderate uſi ſunt, Alano et Fr. Toleto, qui interim in cardinalium collegium cooptati ſunt, ſuperſtitibus: iis decedentibus, Jeſuitae patres contra ſeminarii alumnos, qui tuto et pacate ſub regina vivere malebant, infeſta ſigna extulerunt, Petro Weſtono et Roberto Parſono ex illo ſo-*

*dalitio*

Tom. VI.

*dalitio ducibus; quorum hic matura fuga, fratribus ad vexationes expoſitis, cum Romam conceſſiſſet, miſeros homines apud pontificem calumniis onerabat;* II. *Ille in Anglia relictus ab Henrico Garneto per regnum provinciali auctoratus Georgium Blackwellum archipresbyterum renunciandum curat, cum ſumma in cuncta ſeminaria poteſtate. Inde diſſidia inter eos, cum Blackwellus immodicis laudibus Jeſuitas extollere, ſacerdotes eorum imperia detrectanteis inceſſere, non deſiſteret; illi et quae falſo de Jeſuitis jactarentur elevarent, et ſuam innocentiam ſcriptis editis tuerentur. Wisbicenſe presbyterium. Nova ejus ſub Blackwello ordinatio. A Cajetano cardinali confirmati ſacerdotes Angli Romam miſſi, ut de ſtatu rerum ſuarum pontificem coram edocerent, et certius de voluntate ejus cognoſcerent, peſſime a Parſono habiti, et duritia ejus coacti, qui in Anglia erant, novae ſubordinationi ſubſcribere. De qua cum ſcripto queſti eſſent nonnulli, virulentum libellum contra eos Thomas Liſterus edidit. Ita ſacerdotes Angli, non plus a ſectariis quam ab archipresbytero et Jeſuitis patribus infeſtati, ad ſedem Apoſtolicam poſtremo appellant, ob id a Blackwello ſuſpenſionis poena mulctati. Nova decreta e gremio ſacerdotum ad pontificem legatio. Confirmata non auditis partibus a pontifice a Cajetano cardinali facta ordinatio. Quo facto, cum res aliquandiu quieviſſent, archipresbyteri duritia, qui ſchiſmaticos eos, qui ab initio, cum de pontificis voluntate nondum adhuc conſtabat, parere noluerant, injurioſe appellabat, rurſus exacerbatae ſunt. Conſulti ſuper injuria theologi Pariſienſes, qui ſecundum ſacerdotes contra archipresbyterum reſponderunt. Denuo Romam miſſi, qui ſciſſurae, cujus calumnioſe inſimulabantur, cauſam in Jeſuitas patres rejiciunt; qui ubi in inſulam venerunt, pacem et concordiam, in qua Alano ſuperſtite degebant, adventu ſuo confeſtim turbaverunt: antea nullum gravius in eos in Anglia promulgatum edictum, et crimina majeſtatis inaudita. Alia aculeate in eorum invidiam addita, etiam beatae memoriae Borromaei cardinalis facto repoſito, qui, cognita Jeſuitarum patrum ambitione, in dioeceſi Mediolanenſi ſeminariorum curam illis ademptam ſaecularibus ſacerdotibus attribuit. Anglorum ſacerdotum petitiones, ut epiſcopus presbyterorum ſuffragiis non ex Jeſuitarum ſententia crearetur: Romani ſeminarii cura Jeſuitis adimeretur: prohiberet pontifex, ne libri de rebus ad Reipublicae ſtatum et reginae ac magiſtratus offenſionem ſpectantibus editi in Angliam deinceps tranſmittantur: ad ultimum poteſtatem ſacerdotibus faceret, leges ſibi ac ſtatuta, prout opportunum videretur, condendi.* Toto quadriennio haec digladiatio duravit, *quouſque Clemens* VIII, *qui videret non ſolum infructuoſos ſed detrimentoſos in Anglia Jeſuitarum conatus eſſe,* IV *Non. Novembr. diplomate Blackwellum monuit, poteſtate ſibi commiſſa moderate uteretur, nulla negotia ad adminiſtrationem ſuam pertinentia cum ſocietatis Jeſuiticae patribus communicaret, eleemoſynas, qua de re maxime querebantur ſacerdotes, ſemoto adfectu large et bona fide erogaret, abolita contentionum et libellorum hinc inde publicatorum memoria.* III. Colloquium in Germania Ratiſponae inſtitutum inter theologos a Maximiliano Baioariae duce miſſos, et Auguſtanae confeſſionis ſocios a Proteſtantibus principibus itidem miſſos, *Baioaricis, Saxone, Brandeburgicis ſeptemviris, Wirtembergico, quod* XIV *ſeſſionibus abſolutum fuit; quibus inde S. ſcripturae ſolius in controverſiis dirimendis auctoritas urgebatur; hinc ad S. ſcripturam et conciliorum et traditionum auctoritas atque orthodoxorum patrum conſenſus praeterea adjungebatur.* Acta hinc Witembergae, hinc Ingolſtadii publicata. IV. In Belgio Mauritius *eductis copiis* ad Berkam Rhemenſem caſtra ponit VI *Non. Quintileis.* Locus *a Ferdinando Davalo pridie Kal. Sextil.* deditur. Meurſiae caſtellum *Valpurgis comitiſſae donatione ad Mauritium delatum* deditione receptum *ac muniri coeptum. Controverſia ſucceſſionis inter Clivenſem ducem ac Mauritium ad Spirenſem cameram remiſſa.* V. Oſtenda, *quod Parmenſis ſemper facere recuſaverat,* Flandriae Ordinibus efflagitantibus ab Alberto tandem obſeſſa. Loci ſitus, et natura, ac munitiones. Principium obſidioni factum III Non. Quintil. Franciſcus Veerus loco praepoſitus, *cum valido praeſidio. Eruptionibus crebris certatur.* VI. Rex Caletum uſque procedit. Bironus inde in Angliam miſſus. Eliſabethae cum eo ominoſum colloquium, *capitibus nuper ſupplicio*

*ſupplicio*

*plicio adfectorum eminus oſtentatis.* VII. Balmetae in Andibus Franciſcanorum caufa contra Recollectos in ſenatu agitata. VIII. Aquenſis ſenatus contra archi-epiſcopum decretum. IX. *Catrius, qui rei tormentariae in Oſtendae obſidione prae-erat, globi ictu occiſus; cui ſubſtitutus Buquoii comes ex Longovallorum familia. Morte Henrici Colinii Caſtellionaei ſummae ſpei adoleſcentis accepta in Catrii nece clades penſata: quem Uctenbrochius tribunus paulo poſt ſecutus eſt.* Ab obſi-dione ob aquarum inundationes parum abeſt quin Albertus diſcedat. *Veerus tot eruptionibus aliquoties ſauciatus, quo liberiore aere frueretur, Mildeburgum tran-ſlatus, ad obſidionem redit. Accepto de filio regi nato nuncio, obſeſſi diſploſis fragore inſolito tormentis publicae laetitiae ſignum ediderunt.* Conjuratio in oppido detec-ta et revicta. X. Mauritius Berka capta Silvam-ducis tentat. Portus novi Oſten-dae *ſubinde, ut ab Hiſpanis veteres obſtruebantur,* ab obſeſſis excavati. *Decreta ab Alberto oppugnatione Veerus, ut tempus duceret, colloquium poſcit, dum aux-iliares advenirent; quibus comparentibus colloquium abrumpitur, et ita annus ex-actus,* XXXIII *poſt menſibus extracta obſidione.* XI. Olivarii Nortii in Indias ſuſcepta navigatio. *Magellanicum fretum poſt varias et periculoſas jactationes, cum* *VI *Kal. Quintil. ſolviſſet,* †VIII *Kal. Decembr. intrat. Ejus exacta deſcriptio,* * ann. 1597. *et inſulis circumpoſitis indita a Batavis nomina. Pinguium et canum marinorum in* † ann. 1598. *eo copioſa piſcatio. Homines a cultu humano alieni Pinguium pellibus teguntur, et facie fuco infecta Struthiocamelorum ovis et carne illo tractu frequentium vitam tolerant. Mergorum, phocarum, thynnorum rarae formae, et alatorum piſcium heic ingens copia. Inde toto bimeſtri ſummis difficultatibus conflictatus Olivarius Februario exeunte in mare pacificum, Deſiderato promontorio ſuperato, enavigat, et* IV *Eid. Mart. Mocham inſulam ex adverſo Chilienſis regionis appulit. Chili-enſis tractus deſcriptio, ſalubritas coeli, fertilitas ſoli. Provincialium contra Hiſpanos defectio. Ad Latronum inſulas tranſitum, ubi morbus Neapolitanus primum dictus frequens. Cum Manillienſibus acre certamen: inde Bolutonam peninſulam praegrandem praetervecti Borneae inſulae ſinum ingrediuntur. De-mum ad Javam deſcendunt* XI *Kal. Febr. hujus anni. Rex is Balamboamam urbem ante quinquennium obſederat, injuriam injuria cumulans, et rege ejus forte ſub-lato urbe capta familiam ejus extinxerat. Heic patriam repetendi captum conſi-lium; et Olivarius,* V *Non. Maias Bonae Spei promontorio ſuperato,* XV *Kal. Jun. Tropicum Capricorni iterum tranſit, et inde ad S. Helenae inſulam exſcendit; et* XXXVIII *menſe, ex quo ſolverat, Roterodamum incolumis pervenit,* XII. Fonta-nus poſt pacificationem cum Sabaudo copias adhuc ſub ſignis tenebat, *pontificio legato nequaquam inſtante, ut ad liberandam formidine Italiam eae quamprimum dimit-terentur.* Expeditio Algeriana. Tremecenum regnum, et ejus origo ac ſucceſſio *uſque ad Horuxii Mitylenaei famoſi piratae tempora. Algeriam dein frater ejus Hariadenus Ahenobarbus tenuit. Naufragio Caroli* V *Caeſaris claſſis foedo conflictata eſt anno ſaeculi praeteriti* XLI. *Dein propter infeſtas per Hiſpaniae lito-ra et toto mari Tyrrheno excurſiones, in regnorum comitiis ſemper de Algeria ex-pugnanda mentio injicitur, et ordinariae penſiones illa aut negata aut dilata pari-ter negantur. Rufo Gallo milite, qui ad Chion ducendi magno Etruriae duci non infelici conatu auctor fuerat, inſtigante, et rationem rei conficiendae monſtrante,* Philippus Auriae negotium dat, ut claſſem ſummo ſilentio inſtruat, *parte copiarum, quas Fontanus habebat, in eam expeditionem deſtinata: nam aliae in Pannoniam, aliae in Belgium deſtinabantur.* Serius inſtructa claſſis *omnino* LXX *triremium vix tandem* XIV *Kal. Sept. Gymneſiam appulit. Dies inutiliter navigiis a claſſe deerran-tibus extracta; ac poſtridie tam foeda tempeſtas incubuit, ut retro re infecta Gym-neſiam rejecti ſint, Traductus a Toletano qui in claſſe militabat, et Ranutio Parmenſi qui ultro nomen dederat, in Hiſpana aula ob id Auria, quanquam juſtas excuſationis cauſas haberet, invidiae in aetate jam ingraveſcente cedendum ratus, ultro ſe triremium praefectura poſtea abdicavit.* XIII. Res ad Caniſam haud ſatis felici ſucceſſu geſta, Ferdinandi archiducis *Caroli filii* ductu, *et vicarias partes ob-eunte Vincentio Mantuae duce.* Sigiſmundi Turriani miſerabilis caſus triſte ſucceſ-ſus augurium fuit. Franc. Aldobrandini, qui pontificiis copiis praeerat, Varadini

Tom. VI.

mox ſecutus obitus. Dorniſchi luſtratus exercitus. *Joannes Medices ſummus caſtrorum praefectus. Ad Coderibam, ubi Murrha ponte jungitur, in Hungariam terram ineunte Septembri traductus exercitus,* II *a Caniſa, quam Haſſen purpuratus tuebatur, nec amplius leucis; ad quam* V *Eid. ejuſdem menſis admota caſtra.* Sero et lente adminiſtrata omnia. VII *Kal. Novembr. tentata duobus locis oppugnatio ab Heberſtenio et Madrutio, et noſtri cum damno repulſi. Interim excurſionibus circa Zigethum a noſtris felicius pugnatum.* Camorrhae caſtellum admotis crepitaculis interceptum. *Auxiliares Hermanno Ruſwormio duce a Matthia miſſi; cum frigore et gelu, quod jam illis locis intenſum erat, miſerabiliter potius quam cum hoſte luctati.* Tandem ſoluta obſidio, *Turcorum ludibrio tormentis relictis. Ingens et foeda ſtrages, ad quam morbi acceſſere.* XIV. Ad Albam-regalem felicior ſucceſſus fuit ductu Mercuriani; *qui Nonis Septembribus cum urbem obſidione cinxiſſet, ſuburbia primo impetu capta, et in iis* XIV *machinae aeneae, ac biduo poſt in urbem perrupit. Belgarum mira intemperies, qui ne Germanis quidem pepercere, etiam regum Hungariae oſſibus revulſis.* Auxiliares Buda profecti a Mercuriano caeſi, *amiſſis tormentis. Poſtea et cum iis obſtinata pugna certatum, in qua bis mille Turci occubuerunt, et in iis Budenſis purpuratus et aliquot praetores ac praefecti.* XV. Feliciter et a Caeſarianis in Dacia pugnatum. Comitiis Claudiopoli indictis Sigiſmundus Bathorius Tranſilvaniae princeps renunciatus, *decretumque ut e Moldavia revocaretur. Stephanus Tſchiakus Michaelis Walachi, qui ad Caeſarem ſupplex profectus fuerat, uxorem et liberos capi imperat. Sigiſmundus* in patriam reverſus *a Tſchiako facta per literas apud Baſtam excuſat, moxque mutat, et* temerario auſu cum Michaele Walacho a Caeſare in Daciam remiſſo et Baſta confligit. Amiſſa plus X CIↃ, *et caſtra a Caeſarianis capta et direpta.* Non diu inter victores concordia fuit, Baſta in Walachum inſurgente, quem ad extremum oppreſſit, *poſt mortem ſparſa fama quaſi in tentorio ejus repertae eſſent literae, quibus de occultis cum Turco conſiliis fides fiebat.* Fruſtra Claudiopolis a Sigiſmundo tentata. Baſta totam Daciam in Caeſaris verba adigit. [1] *Biſtriciae contra deditionis leges injurioſe ſaevitum. Qua re exacerbatus Ciculorum dux Moyſes pro libertate patriae arma ſumit, et conſerto proelio victus in montana aufugit. Sigiſmundus poſtremo Baſtae ſe dedit, et loco ſummi beneficii inter Bohemiae barones allegitur. Tſchiakus in Dacia principatum retinet. Suecus in Livonia rem gerit, ad Coquenhuſam Cocovitio cum Polonis occurrente caeſus. Clades a Carolo cum recenti exercitu ſuperveniente ad Wendam ſarta, capto ipſo Cocovitio, et ad Rigam poſita caſtra. A Samoſcio denunciatum Carolo bellum, ſcripto publicato, quo ille tanquam impius, perfidus, ac perduellis perſtringitur. Facto verba ulciſcitur Carolus, et praemiſſos Polonos invadit ac trucidat, et inde aſpera hyeme a Rigae obſidione diſcedit, et cum Jo. Naſſovio et Reinardo Solmenſi in Sueciam renavigat.* XVI. Pſeudo-Sebaſtiani praeſtigiis Hiſpania ac Luſitania imprimis turbat. *Sparſa de eo prima fama pronis auribus accepta.* Ejus errores poſt cladem in Africa acceptam, *et apud Perſas et inter Georgianos diuturna mora. Poſtremo in Siciliam venit, praemiſſo M. Tullio Cotiſone Coſentino, qui de ipſius incolumitate Luſitanis fidem faceret. Cum Romam tenderet in itinere ſpoliatus Venetias divertit, ubi Philippico oratore inſtante in cuſtodiam a ſenatu ducitur. Luſitanorum ſuſpicioſum ac credulum de regibus ſuis ingenium. Interrogatus cum indicia dediſſet, quae occaſionem quaerentibus deliberandi materiam praeberent, dimittitur. A ſuis, qui eo jam magno numero accurrerant, de ratione itineris conſultatum, cum alii per Rhaetos et Helvetios, alii ſectarios pertaeſi per Etruriam illi proficiſcendum ſuaderent.* Florentiae captus repoſcentibus Hiſpanis a Ferdinando duce traditur: *inde Neapolim ductus, et impoſturae ab Hiſpanis convictus aſello ad ludibrium impoſitus traducitur,* et ad Baetis aeſtuarium in Hiſpaniam tranſportatus perit. Joſephi Texerae apud nos de eo publicata ſcripta, *additis etiam vaticiniis ab Alfonſo* I *Luſitani nominis fundatore repetitis. Pſeudo-Alexandri, Pſeudo-Philipporum, Pſeudo-Neronis, Pſeudo Balduini, Pſeudo-Edvardi* V *et Richardi apud Anglos, Pſeudo-Caroli nuper in Hiſpania, et apud nos, et Pſeudo-Muſtapharum inter Turcos repoſita exempla.* Campanae ad Velillam ſive Juliam Celſam in Terraconenſi provincia ſponte

ſe

[1] *Vid. Lib.* CXXVII. *c.* IX. *et ſeq.*

ſe moventis et ſonum edentis, *quod aliquoties jam accidiſſe indigenae jactabant,* portentum. *Hier. Suritae de ea judicium.* XVII. Mortes illuſtrium virorum, Friderici Willelmi Saxonis ſeptemviratus tutoris, Martini Garcis Hieroſolymitani ordinis principis, cui Adolfus Vignacurius ſuffectus; Jo. Vincentii Pinelli patricii Genuenſis, *ejus bibliotheca*; Tychonis Brahe *equitis* Dani *aſtronomorum principis*, Richardi Streinii *liberi in Auſtria baronis*, Davidis Chytraei Suevi. XVIII. Obitus heroinarum item illuſtrium, Aloiſiae Lotharingiae reginae Henrici III viduae, Mariae Borboniae Helionori Aureliani Longovillani, Franciſcae Aurelianae Ludovici Borbonii Condaei, Henricae Cliviae Ludovici Gonzagae Nivernii viduarum; Joannae Coëmiae Franciſci Borbonii Contii uxoris. [1] *Additum ad extremum ab auctore veniam praefato Mariae Barbanſonae Caniae dilectiſſimae uxoris epicedium, cum inſcriptionibus ſtatuae e Lunenſi marmore ad S. Andreae in arcubus in monumento majorum poſitae.* XIX. *Rex ad Fontem-Blaudi, appetente gravidae uxoris tempore, venit; quae S. S. Coſmae et Damiani feſto die profunda jam nocte ſub horam undecimam puerum felicibus auſpiciis enixa eſt, Delphinique fauſtum nomen tanto tempore in regia domo intermortuum per eum revixit. Comprecatio ab auctore addita. Paulo ante eodem menſe Margarita Hiſpaniae regina filiam Mantuae Carpetanorum peperit, haud minore populorum illorum gratulatione; apud quos, ut maſculorum, ſic iis deficientibus foeminarum legitima ſucceſſio eſt.*

## LIB. CXXVII.

CIↃ IↃ CII.
Henricus IV.

Nova operis praefatio. II. VII Eid. Jan. ad Oſtendam totis viribus oppugnatio tentata. Vario eventu utrinque pugnatum. Albertus animum ad obſidionem obfirmat. Novae munitiones ab utraque parte excitatae. Undecim dierum ſpatio plus C naves non ſine damno plerumque intra oppidum acceptae. III. Frid. Spinola in Hiſpaniam profectus Philippo auctor fuit, ut VIII triremeis ad ſuas adderet, novoſque delectus Ambroſio fratri habere liceret. Sub id irrito conatu tentata Breda a Frid. Bergenſi comite. IV. Mauritius Graviam deditione capit. Ad Oſtendam interim variae machinae excogitatae ab Albertinis. Ad Hamontium miles tumultuatur. V. Frid. Spinola acceptis VIII triremibus Hiſpali cum ſolviſſet, in Anglicano freto a Batavis navibus illac excubantibus multum damni accepit. VI. Wachtendonka paene intercepta. Negotium de pace inter Emdanos et comites coeptum interventu Ordinum repetitur. VII. Mercurianus, re bene ad Albam-regalem geſta laetus in patriam rediens, Norimbergae inopinata morte oppreſſus eſt. Ejus ingenium, mores. VIII. Caroli Gonzagae Clivii Nivernenſium ducis longinqua peregrinatio: in Pannoniam deſcendit. Alis purpuratus ab Heiducis interceptus. Ad Budam irrito conatu poſita caſtra. Peſta a noſtris capta. Nivernius fortiter pugnans gravi vulnere ictus. IX. In Dacia Baſta ſucceſſus urget. Biſtriciam in fidem accipit. Moyſes Ciculorum dux proelio victus in montana confugit. Bathorius omni ope deſtitutus ultro ad Baſtam ſupplex venit. X. Res in Livonia a Sigiſmundo Polono et Carolo Sueco geſtae altius repetitae. Proelio acriter commiſſo Sueci funduntur. Polonorum in victoria crudelitas. Wenda et alia loca circumpoſita a Radzivilio et Sicinskio in poteſtatem redacta. XI. Joannes Naſſovius ad Carolum venit, et ſummam ſub eo armorum praefecturam accipit. Carolus ad res conſtituendas domum redit. Leges militares a Naſſovio dictae. Caroli in Naſſovium livor. Diſſidio ducum amiſſa rei bene gerendae occaſio. Ad Rigam poſita caſtra, ſed de Sigiſmundi adventu nuncio allato per tumultum ſoluta obſidio. Rex tandem Seelburgum venit cum Joanne Zamoſcio Polonicorum exercituum imperatore. XII. Zamoſcii aliorumque belli ducum et procerum nomine luculentum ſcriptum ad Carolum mittitur. Carolus reſpondet et in Zamoſcium acerbe invehitur. Zamoſcii acerbum itidem reſponſum. Ad Livonos Sigiſmundus ex iiſdem caſtris ſcribit. XIII. A verbis ad arma deventum. Rex ab obſidione Wolmariae diſcedit, et Vilnam venit. Zamoſcius ad Wolmariam caſtra admovet, et deditione capit. Zamoſcii et Naſſovii utrinque res geſtae.



[1] *Vid. Tom.* VII. *hujus edit. cap.* IV. *p.* 155. *et ſeq.*

Tom. VI.

Naſſovius in patriam redit. XIV. In Africam ad Mahometam arcem a Melitenſibus equitibus expeditio ſuſcepta. Claſſis Turcica duce Cicada in Calabriam appulit. Rhegium vaſtatum. XV. Praetoriani occaſione Scribae qui in Aſia proxima ſeditioſos fovebat, et ſub portas uſque novae Romae excurrebat, tumultuandi occaſionem captant. XVI. Finalium in Liguria ab Hiſpanis occupatum. Medeſimus portus captus, et milite firmatus. XVII. Virorum literis illuſtrium mortes, Lazari Superantii, Maximi Margunii Cytherenſis epiſcopi, Pauli Meliſſi, Martini Rulandi, Gaſp. Peuceri, Fr. Junii, Jo. Paſſeratii.

## LIB. CXXVIII.

CIↃ IↃ CII.

Henricus IV.

Apud nos initium anni a pompis nocturnis et choreis factum. Interim rex domeſticis conjurationibus conflictari coepit. In Petrocorios proficiſci ſtatuit. Bloeſis cum eſſet, acrem cum Bullionio verborum concertationem habuit. Rex Pictavii Panchartae vectigali abolito Fontem-bellaqueum redire ſtatuit. II. Lutetiae in Mercuriali conventu de advocatorum ſalariis moderandis agitatum, quae res paene totam urbem commovit. Motus tandem conquievit. III. Jac. Lafinius delator ad regem venit, et impetrata venia teſtimonia molitionum Bironi apud cancellarium depoſuit. Bironus ab Eſcurio et Janino a rege miſſis perſuaſus in aulam venit. Bironi durum et pervicax ingenium. IV. Rex cum nihil precibus impetraviſſet, ipſum, Arvernorumque comitem conſiliorum participem, comprehendi juſſit. Captivi ad urbem adducti et Baſtilia incluſi. Rex cum ad Foſſatenſe caſtrum profectus eſſet, Bironi gentiles ſupplices ad eum venere. Pro iis Forcaeus de geniculis verba fecit. Rex legibus fraenum laxare apud ſe conſtituiſſe reſpondet. Bironus, cognito regis reſponſo, paulatim infringi coepit. Libellus ſupplex, ab ipſo ſeu conſcio factus, per manus hominum volitavit. V. Diploma ad ſenatum miſſum, quo de Bironi conjuratione cognoſcendi plena poteſtas fiebat. Achilles Harlaeus primarius praeſes aliique delegati Baſtiliam veniunt et Bironum adeunt. Ab Harlaeo de ſecretis cum Sabaudo conſiliis interrogatur : tum prolatae ipſius ad regem et alios literae manu propria ſcriptae ; quas cum agnoviſſet, prolata quatuor folia integra, quibus ſeries conjurationis continebatur. Inde confectae adverſus reum probationes et auditi teſtes. Mox a delegatis Bironus interrogatus. VI. Summa teſtimoniorum Lafinii et Renazaei ipſius domeſtici fuſius declaratur. Lafinius, Renazaeus, et reliqui teſtes cum reo commiſſi. VII. E Baſtilia in ſenatum adducitur, et coram cancellario ſiſtitur, qui eum interrogat. Quae a reo pro defenſione in medium allata. In Baſtiliam reducitur. Poſtridie dictae ſententiae, concordibuſque ſuffragiis decretum, ut reus in platea Portuenſi capite plecteretur. VIII. Rex eum in Baſtilia plecti voluit. Cancellarius eum ad conſtantiam hortatus eſt. Reus commotior regis miſericordiam imploravit. Amanuenſis decretum contra ipſum latum pronunciat. De rebus ſecretis a cancellario et Harlaeo interrogatus paulo poſt ad mortem ſe comparat, et in genua procumbenti caput a cervice reciſum. IX. Carolus Hebertus Bironi ab epiſtolis ad carcerem perpetuum damnatur, qui poſtea regis indulgentia dimiſſus eſt. Burgundiae praefectura quam Bironus tenebat Bellogardio attributa. Exteri principes de conjuratione revicta per oratores ſuos regi gratulati ſunt. Regis ad Philippicum oratorem reſponſum. Guido Ederus Fontanella tanquam reus laeſae majeſtatis ad ignominioſam mortem damnatur. Cum eo et alii ſupplicio affecti. Monbarotus comprehenſus. Arvernorum comes ex reo delatoris partes induit, ac in gratiam receptus libertati reſtituitur. Luxius conjurationis itidem particeps eadem fiducia in aulam venit. X. Bullionius, in Septimaniam deſcendens, Caſtrum venit, et ad regem literas dedit, quibus profectionis ſuae et mutati conſilii rationes reddebat ; et ſe coram judicibus in Caſtri camera conſtitutis purgare paratum oſtendit. Rex cognitionem cauſae Caſtri camerae interdixit. Bullionius Monpelium venit, Proteſtantiumque advocatione apud regem implorata, tandem Genevam pervenit. Proteſtantes in gratiam Bullionii dant literas. XI. Eliſabetha, quam rex per oratorem ſuum de Bullionii conſiliis monuerat, pro eo nimis fortaſſe

fortaſſe libere intercedit. XII. Scriptum publicatum quo praecipua accuſationis capita continebantur. Quae omnia fere inficiatione Bullionius diluit. XIII. Claudius Lotharingus Jonvillae princeps cum Phil. Anglurio Guionvillano conſilia perniciosa agitaſſe delatus juſſu regis ſiſtitur, ſed deprecante pro eo illuſtriſſima familia in gratiam receptus.

## LIB. CXXIX.

CIↃ IↃ CIII.

Henricus IV.

Renovatum a rege cum Helvetiis foedus, ad quod ſervandum delegati Lutetiae in aede D. Mariae, coram rege et omni aulico comitatu tactis ſacroſanctis evangeliis, adacti ſunt. II. Edictum ad refraenandam duellorum licentiam conditum, et in ſenatu publicatum. III. Perniciosa et in re monetaria mutatio facta eſt. Edictum Moncelli conditum. Promulgatio ejus poſt enixum regis mandatum ſaepius repetitum facta. IV. De auri argentique venis, plumbi, ſtanni, aliorumque metallorum fodinis aperiendis apud nos actum, nullo proventu. Edictum ea de re conditum et in ſenatu promulgatum. V. Burdigalae inter ſenatum et cardinalem Surdiſium urbis praeſulem, qui altare inconſultis S. collegii ſodalibus demoliri aggreſſus fuerat, ingens orta contentio. Cardinalis primarium praeſidem et Jo. Bonellum Verdunum a ſenatu delegatos extra eccleſiae communionem ponit. Severum ſenatus contra cardinalem decretum. Rex diplomate ſuo negotii cognitionem ſibi ſumpſit. VI. Lis inter plebeium ordinem et reliquos duos in Delphinatu, tandem hoc anno in regis conſiſtorio finem accepit, ſed deteriore plebis conditione. VII. Cauſa inter epiſcopum Andegavenſem, qui Breviarii et Miſſalis recepti uſum inconſultis rege et dioeceſis ordinibus abolere voluerat, et S. Trinitatis collegii ſodaleis ab ejus decreto ab abuſu appellanteis magna contentione in ſenatu agitata. VIII. x Kal. Dec. regina filiam Lutetiae enixa eſt. IX. Sabaudus irrito conatu Genevam tentat. Expeditionis ordo. Cum res hac occaſione ad bellum apertum erupturae crederentur, interventu tandem regis inter Sabaudum et Genevenſeis perſcriptae pacis conditiones. X. Rex Gaſtonem a Fuxo naturalem filium ex Henrica Balſaca ſuſceptum diplomate ſuo legitimum declarat. Id tacito curiae decreto firmatum, et in acta relatum. Rex cum regina in Mediomatrices ad res provinciae ordinandas profectus eſt. Motus bellicus inter Car. cardinalem Lotharingum et Brandeburgicum de epiſcopatu Argentinenſi contendenteis a rege compoſitus. XI. Dum rex Divioduri eſſet, Jeſuitae de reſtitutione ſua ſoliciti ex Varani conſilio ſolemnem ad eum legationem adornant. Ignatii Armandi provincialis ſupplex ad regem oratio. Rex eos benigne excepit, et bono animo eſſe juſſit. XII. Rex literas in Bullionii gratiam ſcriptas a Friderico ſeptemviro accepit. Ad eas reſponſum. Nancium rex excurrit ad inviſendam ſororem. XIII. Rex ubi Lutetiam rediit, totus in pacis otia intentus, augendis rebus et opulentiae regni ſtudere coepit, omnium opificiorum officinis inſtitutis, atque ante omnia ſerici artificio. XIV. Eliſabethae Anglorum reginae mors. Ejus elogium, ingenium, mores, proſpera fere ſemper fortuna. XV. Poſt ejus mortem in Jacobum Scotorum regem concordibus ſuffragiis omnes regni ordines conſenſerunt. Cum toto comitatu novus rex Londinum xvi Kal. Junias venit. Magna de eo a Catholicis ſpes concepta. Ab iis libellus ſupplex oblatus. Eam ſpem fidei confeſſio ſub id evulgata non parum imminuit. Eliſabethae juſta perſolvuntur. XVI. Max. Bethunius Ronius ad novum regem ſalutandum a rege miſſus. Antiqua foedera firmata, nova addita. XVII. Inter Sueſſionem et Ronium, nuper in aulam reverſum, atrox jurgium, quod tandem compoſitum eſt. XVIII. In Anglia rex Weſtmonaſterii cum Anna uxore in regem unctus eſt. Detecta in eum conjuratio. In conſciis plectendis memorabile clementiae regis exemplum. XIX. Joannes Taxis ad eum a Philippo miſſus. Taxim mox ſecutus Jo. Ferd. Velaſcus comes ſtabuli Caſtellae. XX. Apud nos Vapinci in Allobrogibus ſynodus a Proteſtantibus celebrata. Quae in ea decreta. Hen. Roanus dux et patricius creatus in ſenatu ſacramentum dixit. XXI. Illuſtrium mortes : Mariae Caroli v filiae, Georgii Friderici Brandeburgici Onosbacenſis, Chriſt. Ratzivilii, A-

Tom. VI.

dami a Bikema Moguntini praeſulis ſeptemviri. XXII. Literis clari obierunt Jac. Monavius, Andreas Caeſalpinus, Franciſcus Vieta, Vidus Coquillius Romaneius. XXIII. Mors Hametis Mahametis filii Marochi, Feſſae, et Suſiani regis. Ejus liberi.

## LIB. CXXX.

CIↃ IↃ CIII.

Henricus IV.

In imperio Turcico hoc tempore periculoſi motus. Gaſſius Begus Tauriſium capit et Perſarum regi tradit. Satrapa, Horologerus vulgo dictus, Perſarum conatus reprimit. II. Equitum Melitenſium in Graeciam felix ad Patras expeditio. III. Mahometis III obitus relicto impubere filio. IV. Venetorum cum Rhaetis vicinis foedus. V. Res in Pannonia a Ruſwormio contra Turcos geſtae. VI. In Dacia Moyſes Albam Juliam intercipit. Baſta commiſſo proelio inſignem de Moyſe victoriam reportat. VII. In Germania celebrata Ratiſponae comitia. In Saxonia inter Chriſtianum Saxonem ſeptemvirum et Anhaltinos principes grande diſſidium. VIII. Oſtendana obſidio continua ſerie ad exitum perducta. Ambroſius et Fridericus Spinolae fratres opibus pollentes nec minores animis ad majora ſe hoc anno parant. Silvae-ducenſes praeſidium urbe ſua ejiciunt. IX. Frid. Spinola navali certamine contra Batavos fortiter pugnans ingenti ſui relicto deſiderio occubuit. Ejus praefecturae et dignitates in Ambroſium fratrem a Philippo collatae. Frid. Bergenſis comes Italos et Hiſpanos, qui ſuperiore anno rebellaverant, ad obſequium ſine conditione, Alberti juſſu vi cogendos ſuſcepit. Seditioſi cum Ordinibus conveniunt. Silva-ducis a Mauritio irrito conatu obſeſſa. Tandem aſtu ab Alberto in oppidum immiſſi praeſidiarii. X. Interim in Oſtendana obſidione multae machinae a Pompeio Targone Romano excogitatae nullo ſucceſſu. XI. Albertus de obſidionis exitu deſperans cum Ambroſio Spinola agere coepit, eique ultro delatum ſummum armorum imperium. Spinola ad Oſtendam venit. XII. Ordines de exitu veriti exercitum inſtruunt. Cum dubium eſſet quo tenderet Mauritius, praefecti vicini ſibi metuentes ad Albertum ſcribunt, et auxilia ſummitti petunt. Tandem Mauritius ad Vliſſingae canalem cum claſſe IↃ omnis formae navigiorum appulit. Mauritiana claſſis in Sluſenſis canalis oſtio haeret. Quae ad exſcenſionem hoſtium impediendam ab Albertinis facta. Cum nec Graviae ſeditioſi quieſcerent, Albertus neceſſitate adductus cum iis tranſegit. XIII. Mauritius Iſendika capta ad Sluſas caſtra ponit. Loci ſitus. Spinola Mauritium a Sluſarum obſidione prohibere fruſtra tentat. Obſeſſi extrema penuria preſſi deditionem faciunt. Sluſis Lud. Guntherus Naſſovius ex morbo decedit. Mauritius ex Ordinum conſilio loco luſtrato munitiones veteres dirutas inſtaurat, et novas ſtruit. Iſendikam itidem firmat. XIV. Albertus hunc caſum aegerrime tulit. Ordines Sluſis captis minus de Oſtenda ſoliciti. Contra Albertus loci capiendi majore deſiderio flagrat. Spinola ad obſidionem redit. Mauritius, ſolvendae obſidionis conſilio omiſſo, recedit. Obſeſſi ad magnas anguſtias redacti cum Spinola honorificis conditionibus tranſigunt. XV. Urbis captae rudera ab Alberto et Infante luſtrata. Spinola in Hiſpaniam exeunte anno diſceſſit, magnis a Philippo honoribus ob rem bene geſtam cumulatus. Cum eo belli in poſterum gerendi rationes init. XVI. Ordines aerarii adminiſtrandi tributorumque cogendorum ad belli ſumptus ſuſtinendos rationes ineunt, novaſque copias conſcribunt. XVII. Nuperi imperii magnitudo et felicitas. Ad Indias Orientaleis ſocietates inſtitutae, cautumque ut ſub una ſocietate omnes coirent. XIII naves ad id inſtructae. XVIII. Georgii Spelbergi et Jacobi Cornelii Nekii, poſt triennalem navigationem in Indias Orientaleis ſuſceptam, felix in patriam reditus. Hominum barbarorum conditio, victus, habitus, ingenium, mores, religio, copia aromaticarum arborum, civitatum et oppidorum frequentia, fuſiſſime exponuntur.

CIↃ IↃ CIV.

LIB.

## LIB. CXXXI.

CIƆ IƆ CIV.
Henricus IV.

In Anglia celebrata regni comitia. II. Magnae Britanniae nomen in iis recipitur, et unio regnorum unius nominis appellatione ſancitur. III. Synodus nationalis Londini. IV. Poſt pacis conditiones a delegatis a Philippo et Alberto miſſis conventas, Ferdinandus Velaſcus Londinum magno comitatu venit. V. Tactis ſacroſanctis Evangeliis rex in foedus juravit. Foederis praecipua capita. Velaſcus per terram Francicam redit. VI. Tricesimae a Philipppo et Alberto impoſitae occaſione rex commercium Hiſpanis et Belgis nobiſcum et ſuis cum illis interdixit, tandemque abolito vectigali commercii libertas reſtituitur. VII. Brunſvicae in Saxonia detecta conjuratio. Emdae et tumultuatum in Friſia Orientali. Joannes Ennonis comitis frater Paterbornam epiſcopi nomine occupat. Motus Argentinenſis inter Lotharingum et Brandeburgicum ſedatur. Hanſeaticae urbes pro ſocietatis privilegiis ſolemnem ad principes legationem adornant. VIII. Memorabilis in Sueciae regno mutatio. Ordinum decreto regia dignitas Sigiſmundo abrogata, et in Carolum patruum tranſlata. IX. In Pannonia ob religionis cauſa res turbant. Nimia Baſtae ſeveritas. Peſta pudendo caſu a noſtris amiſſa. Serinienſis comes juxta Sigethum Turcos profligat. Serdares purpuratus ad Strigonium caſtra ponit. Praeſidiariorum virtus. X. In Dacia Bethleem Gabor a Dampetrae comite fuſus. Dampetra victor Juliam uſque progreditur, et praedas agit. XI. Induciarum negotium ad Strigonium urget purpuratus nullo ſucceſſu. Strigonii obſidio a Turcis ſoluta. XII. Belli-jocenſis comes Baſtae inſtigatu Caſſoviae in Proteſtanteis ſumma ſeveritate graſſatur. Stephanus Boſtkaius ob injurias a Belli-jocenſi acceptas exaſperatus in eum ducit, commiſſoque proelio fudit. Baſta Belli-jocenſis periculum minime negligit. Boſtkaius publico programmate a Caeſare proſcriptus, ad eum legatos mittit, qui factum extrema neceſſitate excuſarent. XIII. In Stiria et ob religionem magni motus excitati. XIV. Horrenda fames in Tranſilvania. In Sicilia et Gallia Narbonenſi magna annonae penuria. Novum hoc anno in coelo phaenomenon v Non. Octobreis primo viſum. De hoc varia paſſim agitata judicia. XV. Magnus Etruriae dux ad incendendas Turcorum naves, quae ad Caeſaream Juliam in oppoſita Africae ora hyemabant, triremeis inſtruit. Re a Judaeis detecta conatus irritus fuit. XVI. Novi Romae cardinales creati. Quaeſtiones a Jeſuitis propoſitae aulam Romanam exercent. Actum de Ignatio Loiola in beatorum numerum cooptando, nullo ſucceſſu. Tumultuatum periculoſe in urbe occaſione malefici, qui in Farneſii cardinalis aedeis tanquam in aſylum ſe receperat. XVII. Virorum principum mortes: Joannis Baioari ſenioris Wolfangi filii, Othonis Henrici fratris, Lud. Heſſi, Erneſti Friderici marchionis Badenſis, Petri Erneſti Mansfeldii; apud nos Claudii Tremollii Thoartii ducis. XVIII. Literis illuſtrium obitus, Jani Douzae Nordowici, Chriſtophori Coleri, Jacobi Typotii, Oberti Gifanii, Hieronymi Mercurialis, Arnaldi Oſſati cardinalis: Gualteri Franciſcani Pictavorum epiſcopi, viri ſanctitate praecipui, ex occaſione memoria renovata. XIX. Carolo Borbonio Sueſſioni filius hoc anno naſcitur.

## LIB. CXXXII.

CIƆ IƆ CIV.
Henricus IV.

Jesuitae apud nos reſtituuntur. Schola Jeſuitica Flexiae in Andibus inſtituta, et a rege opimis reditibus fundata. II. Diplomati de Jeſuitarum reſtitutione ſenatus intercedit. III. Harlaei primarii praeſidis gravis et vehemens ad regem oratio. IV. Rex peramanter ad eam reſpondet. V. Meſſius a rege ad accelerandam promulgationem in ſenatum venit. Tandem diploma in acta curiae certis conditionibus refertur. Diplomatis ſumma. VI. Renovata querimonia de ſecreta quadam theologicae ſcholae cenſura in cauſa epiſcopi Andegavenſis ante biennium agitata. Senatus auctoritatem ſuam interponit. VII. Alexander regis naturalis filius inſigni pompa militiae Melitenſi inauguratur. VIII. Catharina Ambarenſis regis

regis ſoror moritur. IX. Rex aedificiis ſtruendis, operibus publicis, artibus manuariis excolendis ſe oblectat. Novi Devotorum ordines in regno admiſſi. X. Nicolai Hoſtae ab Hiſpanis corrupti detecta proditio. XI. A Carolo Valeſio Arvernorum comite, et Henrica Vernolii marchioniſſa uterina ſorore, nova et in perniciem regis agitata conſilia. Res altius repetita. Arvernorum comes, qui Claromontium conceſſerat, regis juſſu captus, et Lutetiam deductus in Baſtilia includitur. Fr. Balſacus Entraguius, et marchioniſſa filia, regis juſſu itidem ſiſtuntur. XII. Curia de repetundis, quae contra aerarii quaeſtores jus dixerat, grandi exſoluta pecunia revocatur. Extremo anno auctore Ronii marchione pernicioſiſſimi inſtituti res invaluit, qua officia tam judicialia quam quaeſtoria per omnia exaequata ſunt, et annua penſitatione, quae a Pauleto nomen ſumpſit, exſoluta, illa ad heredes tranſeunt, qui de iis arbitrio ſuo ſtatuant. Decretum ea de re factum in cancellaria Palatina publicatum. XIII. Puella nomine Hadriana Fraxinea tanquam a ſpiritu maligno obſeſſa Lutetiam venit: ad eam undique fit concurſus. Petrus Cotonus hinc occaſionem ſumpſit ab Hadriana ſeu ſpiritu maligno multa curioſa et vetita ſciſcitandi. Ejus petitiones, et quomodo res in publicum emanaverit. XIV. Canadae ſeu Novae Franciae tractus luſtratus. Barbarorum ingenium, mores, ritus, habitus, ſoli fertilitas, animalia. Petri Guae Montii, Pongravii, Potrincurii et Camplanii in has terras navigationes haud multum fructuoſae. XV. Duarum navium ex India in Zelandiam appulſus: Sebaldi Waertii earum praefecti navigatio, ad Zeilam inſulam infelix caſus. XVI. Hiſpaniae rex omne circa maritimas Luſitaniae oras commercium vetat. Ab Ordinibus Belgii in Indias Orientaleis altera inſtituta ſocietas duce Cornelio Mattelivio.

## LIB. CXXXIII.

CIↃ IↃ CV.
HENRICUS IV.

SPINOLA de bello e Belgio in Friſiam transferendo cum Alberto conſultat. II. Legatus Anglicanus ad firmandam pacem Bruxellas venit. III. Carolus Howardus, maris Anglicani praefectus, in Hiſpaniam eandem ob cauſam ablegatur. Magna pompa in illa aula excipitur. Luſtrico ſacro abluti regis Hiſpaniae infantes inſigni ceremonia. IV. Mauritius, fruſtra tentata Antuerpia, Woudam arcem occupat. V. Petrum Sarmientum in Flandriam trajecturum Batava claſſis profligat. VI. Bucoii comes copias ad Rhenum colligit, eoque trajecto una cum Spinola Oldenſeelam et Lingenam expugnat. VII. Mauritius motis e Flandria caſtris eodem contendit, ſed ſero. Coevorda, Bortanga, Groeninga et Grolla, quibus metuebatur, novis miſſis praeſidiis, munitae. Berga ad Somam a Spinola fruſtra tentatur. Spinola Rhenum trajicit, ſequitur Mauritius. Mulhemi ad Ruram conflictus editur, deteriore Mauritianorum conditione. Wachtendonca a Bucoio deditione capta. Geldriae oppido in Sicambris Mauritiani fruſtra inſidiantur. Frid. Burgenſis a Spinola in Flandria relictus Mildeburgum caſtellum cepit. Cracovia arx in Bucoii poteſtatem venit. Spinola re bene geſta laetus in Hiſpaniam diſcedit. VIII. Conflictus navalis inter Batavos et Dunkerkanos. Brugenſes munitionem ad Sluſas excitant. IX. Injecta pacis ſive induciarum ab Auſtriacis mentio; varii utrinque libelli ea de re diſſeminati. X. Caeſar Ordines de pace ſolicitat. Ordines actis Caeſari gratiis ſe excuſant. XI. Aquiſgranenſium motus narratione longius repetita explicantur. XII. Marpurgi in Thuringia ob religionem tumultuatum. XIII. Henricus Julius Brunſvicus cum Brunſvicam urbem aſtu primum intercipere conatus eſſet, magna cum jactura repulſus vi aperta eandem expugnare aggreditur. Brunſvicenſes ad Caeſarem legationem mittunt, et ejus auctoritatem implorant. Severum Caeſaris contra Julium edictum. Urbes Hanſeaticae miſſis ad Brunſvicum legatis, ut a ſocia civitate vim abſtineat, deprecantur. Pacis conditiones a Brunſvico propoſitae, ſed duriores. XIV. In Pannonia Turci ad Strigonium caſtra poſuerunt, et poſt longam obſidionem tandem deditione ceperunt. Tatari igne ferroque omnia circum vaſtant. Majus interim a Pannoniis, qui cum Boſtkaio arma ſociaverant, damnum acceptum. Inter Caeſarem et Boſtkaium pax agitatur. Turci pacis itidem negotium urgent. XV. Regis Perſarum legati ad Caeſarem veniunt, orantes ut in

bello contra communem hoſtem conſtanter pergeret, neque cum eo pacem habere vellet. Caeſaris ad Perſarum regem literae. XVI. Tumultuantium Pannoniorum graves et juſtae, ſicuti rebantur, cauſae, quibus ſumpta arma excuſarent. Eorum ad Bohemiae, Sileſiae, et Moraviae Ordines literae, ubi de Caeſarianorum duritia, violatis juribus et libertatibus, conquerebantur. Eadem in conventu Carponae inter Boſtkaianos celebrato repetita. XVII. In Polonia ob res bene in Livonia geſtas, et feſta nuptialia, laeta omnia. XVIII. Sueci a Polonis proelio vincuntur. XIX. Hermanni Chriſtophori Ruſwormii de Caeſare et Auſtriaca familia bene meriti triſtis exitus. Tres hoc anno eclipſes viſae memorabiles, duae lunae, altera ſolis. Tom. VI.

## LIB. CXXXIV.

ROMAE Clemens VIII pontifex moritur. Ejus elogium. II. Hiſpanienſes veriti, ne Baronius cardinalis in pontificem eligeretur, contra ipſum querimoniam de Siciliae monarchia inſtituunt. Tandem Alexander Medices, qui et Leo dici voluit, electus; et poſt eum rurſus Camillus Borgeſius, qui Pauli V nomen ſumpſit. III. Fontanus in Italia res turbat; arcem novam erigit. Diploma eo auctore a Philippo publicatum, quo plerique Italiae reguli quaſi Mediolanenſis imperii beneficiarii citantur. Malaſpinae marchiones, qui praecipue petebantur, ſcriptum evulgant. Miſſis ad Philippum oratoribus, re protelata, perſecutio ejus cum tempore evanuit. IV. Mortes virorum illuſtrium, Joannis Sarii Samoſcii Poloniae cancellarii, Caroli Lotharingi Ellebovii ducis, Vidi Lavalli comitis. V. Ponti Thiardaei Biſſiani Cabilonenſis epiſcopi, Theodori Bezae, Roberti Conſtantini, Simonis Marioni. Eidibus Octobribus Monpenſerii duci filia nata: Andium duci deſponſata. VI. Accuſationis contra Arvernum comitem, Entraguium, marchioniſſam ejus filiam, Thomam Morganum, ſuperiore anno inſtitutae probationes in ſenatu confectae. Conjurationis arcana ex reorum interrogationibus et confeſſionibus. VII. Severum ſenatus decretum a rege mitigatum. Ejus erga conjuratos et praecipue marchioniſſam clementia. Varii de hoc judicio ſermones. VIII. Ab Helvetiorum aliquot pagis oratores pro Bullionio deprecantes. Ad eos ſcripto rex reſpondet. IX. Inſtantibus Jeſuitis pyramis in palatii majore porta erecta, auctoritate regia diruitur. In eam rem varia et licentioſa ſcripta vulgata. X. Franciſci Borbonii Contii cum Aloiſia Lotharinga Guiſii ſorore nuptiae celebratae. Margarita regina Lutetiam venit. XI. Rex, dum ad Sedani obſidionem omnia parantur, ad diſturbandas Bullionii machinationes in Aquitaniam proficiſcitur, Bellevreus cancellarius ſigillorum adminiſtratione in Sillerii gratiam ſe abdicat. Motus gliſcentes regis praeſentia ubique compoſiti. Joan. Jacobo Memmio Roiſſio mandatum a rege datum, ut de poſtulatorum criminibus cognoſceret: conjuratorum conſilia et praecipua accuſationis capita. Sententia in eos lata. XII. Rege Lutetiam reverſo Merargii de Maſſilia Hiſpanis tradenda conjuratio detecta. Merargius et Brunellus Baltazari Sunicae Philippico oratori ab epiſtolis comprehenſi. Inter regem et Sunicam, qui Brunellum ſibi reddi poſtulabat, acerbae altercationes. XIII. Rex inter haec de grandi aere alieno, quod a mercatorum praefecto et urbis aedilibus debetur, diſſolvendo cogitat. Sed ſuborientibus difficultatibus negotium indeciſum. XIV. Sacri ordinis in urbe apud Auguſtinianos conventus. Praeſulum poſtulata, et regis ad eos reſponſum.

CIƆ IƆ CV.

HENRICUS IV.

## LIB. CXXXV.

MAGNAE in imperio Moſcico hoc anno mutationes. Fames et peſtis. Boriſſius, qui ſuperſtite Theodoro tyrannidem affectabat, Demetrium ejus fratrem unicum imperii heredem per fidos interficiendum curaverat. Varia de hac morte hominum judicia. II. In Poloniae et Moſcoviae finibus aliquot poſt annos homo, qui ſe Demetrium ferebat, comparuit. Is Jeſuitis primum innotuit, qui eum apud pontificem et regem Poloniae commendatione ſua adjuvant. Sendomirienſis

CIƆ IƆ CV.

HENRICUS IV.

mirienſis Palatinus, jam tum fide data, ſi compos votorum evaderet, ut ejus filiam in uxorem acciperet, Demetrii cauſam tutandam ſuſcipit. Ad Sigiſmundum Poloniae regem admittitur. III. Exercitum in Polonia conſcribit, et ad recuperandum imperium in viam ſe dat. Coſacos ſibi conciliat. Multi Boriſſii tyrannidem exoſi ejus partes ſequuntur, et arces ac loca munita tradunt. Boriſſius contra eum ducit. Sendomirienſis a Boriſſio funditur. Demetrius novis contractis copiis ad Rilſci arcem commiſſo proelio de Boriſſianis inſignem victoriam reportat. Multae urbes in ejus partes concedunt. Boriſſius inter haec moritur, filio ſucceſſore relicto. Magna in caſtris et Moſcuae ſecuta animorum inclinatio. Uxor defuncti cum filio et filia in cuſtodiam data, ubi hauſto veneno ultro perierunt. IV. Demetrius magno procerum comitatu et feſta plebis gratulatione Moſcuam ingreditur. Quae ab eo primis imperii initiis geſta. Solemni ceremonia inauguratur. De foedere cum Polonis ſanciendo cogitat, decretaque ab eo in Poloniam legatio: a rege, ut ſibi Sendomirienſis filiam in uxorem ducere liceat, impetrat. Fiduciariae nuptiae Cracoviae contractae. V. Sub id Sigiſmundus uxoris ſororem ſibi copulat. Magnifico apparatu res acta. VI. Horrenda in Magnae Britanniae regem ſub exitum anni

CIↃ IↃ CVI. detecta conjuratio fulminalis. Comitia regni celebrata. VII. Henricus Garnetus comprehenſus, et in turrim conjectus, ultimo ſupplicio afficitur. VIII. Rerum Moſcicarum interrupta narratio ad exitum perducitur. Moſcica ſponſa cum parente et toto gynaeceo, magno diverſarum gentium comitatu, Moſcuam tandem appulit. Nuptiae ſolemni ceremonia et ingenti pompa celebratae. Inter tanta gaudia Demetrius de conjuratione contra ſe inita ſubodoratus gravibus curis angitur. Ruſſi proceres ſenſim ab eo alienantur. Ruſſorum et Polonorum aemulationes. Conjurati conveniunt, et, aggregante ſe ad eos plebeia multitudine, ad Polonorum hoſpitia properant, et caedibus cuncta permiſcent; inde ad arcem tendunt, et Demetrium multis vulneribus conficiunt. Miſera ſponſa omni gaza ſpoliatur. Mercatores multi male habiti. In mortui cadaver ſaevitum. IX. Sedato tumultu a Bojaricis in conſilium itum. Suiskii ad eos oratio. X. Concordibus procerum ſuffragiis Suiſkius in principem eligitur. Scriptum ab eo ad leniendam facti invidiam contra Demetrium tanquam impoſtorem publicatum. XI. Legatio a novo principe in Poloniam.

## LIB. CXXXVI.

CIↃ IↃ CVI.

Henricus IV.

In Polonia vaivoda Cracovienſis et Januſſius Ratzivilius turbas movent. Conventus invito rege indicunt. Rex armata manu in eos ducit. Concordiae rationes initae. II. Gedani monaſterio S. Brigittae, et Thorunae in Boruſſia majore urbis templo, Jeſuitae expulſi. III. Matthias Caeſaris frater poſt motus domeſticos in Hungaria compoſitos de pace cum Turcis ſerio cogitat. IV. Poſt Mechmetis obitum in imperio Turcico mutationes. V. Delegati de pace acturi ab utraque parte Camorram veniunt: re diſceptata v Eid. Nov. capita foederis conſcripta. VI. Boſtkaius moritur. Poſt ejus mortem in Dacia geſta. VII. Ad Brunſvicam in Germania res lente gerebatur. Tandem Julius obſidionem ſolvit. VIII. In Belgio Brevorda capitur et recipitur. Vehemens ventus. Spinola ex Hiſpania reverſo, de belli gerendi ratione conſultatur. Sluſae irrito conatu tentatae. Wouda et Hoeſtrata moenibus nudantur. Spinola Lochumum caſtellum expugnat. Swollam verſus progreſſus repellitur. Grollam magna celeritate obſidet et expugnat. De Rinberka obſidenda ſerio cogitat. Loci ſitus. Cum Mauritius fruſtra ſuppetias ferre tentaſſet, obſeſſi cum hoſtibus tranſegerunt. Mauritius Venloam irrito conatu tentat. Poſt tot felices ſucceſſus ſeditio in caſtris Albertinis excitatur. Mauritius Lochumum capit. Poſtea tentata Grollae obſidio, ſed ſuperveniente cum exercitu Spinola ab ea diſcedit. Milites ab utraque parte in hyberna deducuntur. IX. Santacrucio marchione duce Hiſpani Dyrrachium, deinde Mahometam quoque in Africa occupant et diripiunt, ſed praedae intenti a Turcis caeduntur. X. Batavi claſſem ad infeſtandas Hiſpaniae oras et intercipiendam claſſem Indicam mittunt; ſed fruſtra. Claſſis Indica in Hiſpaniam appellit. Batavi-

cae

cae claſſis ſubpraetoria navis perit. XI. Ex Joannis Uſſelingi conſilio ab Ordinibus in Americam navigatio ſuſcepta, et ſocietas in id inſtituta. XII. Infauſta Anglorum ad Guianam expeditio. XIII. Motus Embdanus rurſum paeatur. XIV. Philippi Hohenloi comitis, Joannis Naſſovii, et Joannis Andreae Auriae, obitus. Repoſita et a Caeſarianis inter archiducem et Ordines pacis mentio. XV. Annus apud nos a pompis et choreis equeſtribus inivit. Regina Eidibus Februariis filiam enixa eſt. Max. Bethunius Ronius Sullii dux creatus. XVI. Rex ad Sedani obſidionem ſe parat. Duncherium tertio a Sedano milliari venit. Ibi de reconciliatione actum, et propoſitae pacis conditiones ; in quas Bullionius facile aſſenſit. Diploma ea de re ad ſenatum miſſum ſine ulteriore diſceptatione promulgatum. XVII. Rex ad Germani-fanum aeſtate ineunte ſe contulit. Inde dum in urbem redit, ingenti periculo defunctus eſt. Gratiae Deo publicae actae. Regina Margarita Carolo Valeſio Arvernorum comiti de Catharinae matris ampliſſimis poſſeſſionibus litem movet. Cauſa in ſenatu magna contentione acta. Ad Blaudi-fontem Delphinus et ſorores ſolemni ceremonia ſacro lavacro abluuntur. XVIII. Senatus-conſultum Toloſanum in ſacerdotes qui in Miſſae canone orationem pro rege omittebant. XIX. Renovata et contra theſaurarios actio, et ſpecioſo Juſtitiae nomine Camera inſtituta. Poſtulata ſacri Ordinis in regis conſiſtorio diſcuſſa ſunt. Concilii Tridentini promulgatio, toties petita, a rege denuo illuditur. XX. Decretum antiquae libertatis pro tuenda regia auctoritate Burdigalae factum in cauſa Phil. Prenneti appellantis tanquam ab abuſu ad ſenatum a ſententia cardinalis Surdiſii urbis archiepiſcopi. XXI. Phil. Naſſovii cum Helionora Borbonia Condaei ſorore nuptiae celebratae. XXII. Virorum literis illuſtrium mortes, Sofredi Calignoni Navarrae cancellarii, Philippi Portae, Reginaldi Belnenſis archiepiſcopi Senonenſis, Juſti Lipſii, Heliae Putſchii.

## LIB. CXXXVII.

CIϽ IϽ CVI.
Henricus IV.

Diſſidii inter pontificem et rempublicam Venetam exorti origo et ſeries. Pro legibus patriis et juribus pugnabant Veneti ; pontifex libertatem eccleſiaſticam his infringi dicebat. II. Cum Delphinus et Valerius cardinales rem ad concordiam adducere tentarent, Hiſpanae factioni addicti et Philippicus orator nutantem pontificem ad praecipitandum negotium impellunt. Miſſi a pontifice ad nuncium ſuum duo libelli, ut eos ſenatui traderet. III. Grimanus dux ſub id decedit, et in ejus locum electus Leonardus Donatus. Petrus Duodus extra ordinem ad pontificem a ſenatu miſſus fruſtra fuit. Reſerati interim libelli. Senatus ad eos reſponſum. IV. Pontifex, diplomate ſuo ad praeſules Venetae ditionis miſſo, principem, ſenatum, et totam Venetam ditionem excommunicat et interdicto ſubjicit. Pauci epiſcopi huic detulerunt, et coetus eccleſiaſtici more ſolito celebrati. Contraria ad ſuos praeſules mandata ſenatus. V. Jeſuitae et novorum ordinum fere cuncti devoti Venetias relinquunt. Cum res ad bellum inclinare videretur, ſenatus triremeis inſtruit, et novas copias conſcribit. VI. Rationes, quibus Veneti cenſuram contra ſe publicatam oppugnarunt. Jo. Gerſonis ſententia pro fundamento poſita. VII. Antonii Quirini ſenatoris populare ſcriptum, quo et legum controverſarum promulgatio ſive renovatio multis verbis defenditur. Aliud et eodem tempore contra Pauli v interdictum. VIII. Fratris Pauli Servitae reipublicae theologi conſiderationes. Ejus ſcripti ſumma. Bellarminus, Jo. Gerſonis opuſculis ſub id cum praefatione anonymi editis, in auctorem anonymum et opuſcula ſtylum ſtrinxit. Huic a Jo. Marſilio ex ordine Seraphico reſponſum. Fr. Paulus Venetus, qui praefationis auctor credebatur, Gerſonis defenſionem prolixa et accurata apologia ſuſcipit. Duo vota Aſcanii Columnae et Caeſaris Baronii cardinalis ſub id edita. Multa alia ſcripta ab utraque parte publicata. Jo. Marſilius, Romam ad ſanctae inquiſitionis tribunal citatus, ſe defendit. Citatus et Fr. Paulus per literas comparet, deque innocentia ſua proteſtatur. IX. Rebus exacerbatis pontifex exercitum inſtruit. Hiſpaniae regis ad pontificem literae artificioſe ſcriptae. Fr.
Caſtrenſis

Tom. VI.
CIↃ IↃ CVII.

Caſtrenſis ab eo Venetias extra ordinem miſſus. Fontanus copias conſcribit. X. Cardinalis Jouſa ad componendum diſſidium a rege miſſus Venetias venit. Ejus in tractandis negotiis ſolertia. XI. Senatus contra Jeſuitas exaſperatur. Tandem decretum factum quo exilio perpetuo mulctantur. XII. Jouſa conditionibus per bimeſtre cum ſenatu agitatis Romam venit; ad audientiam admiſſus conditiones a Venetis oblatas, et quid illi viciſſim peterent, exponit. Pontifex, niſi Jeſuitae reſtituantur, omnes concordiae ineundae rationes reſpuit. Quibus rationibus Perronus cardinalis pontificis animum expugnaverit. Aliae in peragendo negotio ſubortae difficultates ſuperantur. XIII. Hiſpanorum artes ad diſturbandam negotiationem. Jouſa accepto diplomate Venetias revolat. Quae ab eo in interdicti revocatione et abſolutione geſta. Diſſidio compoſito Fontanus cum copias ex ea occaſione ſcriptas non dimitteret, ſuſpenſi omnium et maxime Venetorum in Italia animi. XIV. Nefarius contra Fr. Paulum conatus.

## LIB. CXXXVIII.

CIↃ IↃ CVII.
Henricus IV.

Palatinus (Jo. Caſimirus) Friderici III ſeptemviri filius cum copiis auxiliaribus ſe Condaeo adjungit, II. 615. dimiſſus in Germaniam redit, 625. Eliſabetham Auguſti Saxonis ſeptemviri filiam uxorem ducit, 778. cum copiis in Galliam deſcendit, III. 483. Alençonio ſe adjungit, et abdicato ſummo imperio exercitum illi tradit, 486. de pace violata apud regem per literas expoſtulat, 497. pecunia a rege accepta in Germaniam redit, 498. literas expoſtulatorias ad regem mittit, 519. ad regem ſuper bello ſcribit, 520. copias pro Belgii Ordinibus conſcribere ſuſcipit, 605. Ordinum copiis ſe adjungit, 608. Gandenſium cauſam apud Ordines protegendam ſuſcipit, 613. a Gandenſibus honorifice exceptus, 614. in Angliam proficiſcitur magnifice ab Eliſabetha exceptus, 680. Germanis ſuis ignominioſe e Belgio diſcedentibus in Germaniam indignabundus redit, 681. Gebbardo Truchеſio Colonienſi auxiliaturus copias conſcribit, IV. 180. Wormatiae indicta comitia urget, 182. ad Caeſarem reſcribit, 187. morte Ludovici Palatini ab exercitu nulla re facta diſcedit, 191. diſceſſionis ſuae rationem ſcripto publicato exponit, *ib.* Saxonem a Gallica expeditione dehortatur, V. 49. obit, 178

Paleoti, *Paleotti*, (Gabrielis) obitus et elogium, V. 716

Palfius (Nic.) Turcorum inſidias fortiter evadit, V. 196. Tataros in Danubii tranſitu caedit, 392. domum redeuntes fundit, 401. Vicegradum capit, 551. Vaciam intercipit et incendit, 572. Sambocam capit, 573. Totiſam intercipit, 713. Pappam capit et Javarinum irrito obſidet, 714. Tataros caedit, 790. Turcicam in Danubio paene totam claſſem intercipit, 791. de pace cum Turcis irrito agit, 792. Strigonio praefectus, 793

Pallavicinus (Sfortia) Caeſari in Smalcaldico bello militat, I. 72. et in bello Dacico, 317, 318. in Lippae obſidione ſtrenue ſe gerit, 321. Martinuſium cardinalem interficit, 322. ad Ferdinandum miſſus, 324. a Turcis captus, 331

Pallavicinus (Alex.) ex P. Aloiſii Farneſii interfectoribus, I. 158. capite luit, 301

Pallavicinus (Camillus) in P. Aloiſii Farneſii caedem conjurat, I. 158

Pallavicinus (Hippolytus) ab Octavio Farneſio Mantuam miſſus, I. 211. ad Caeſarem legatus, 214. captus, 331

Palma nova munitio a Venetis in Fori-Julii limite contra Turcos extructa, V. 195

Palota a Turcis irrito obſeſſa, IV. 493

Paludanus. *Vide* Santanianus.

Pamelii, *Pamele*, (Jac.) deceſſus et elogium, IV. 487

Panigarteneri, *Paungartner*, (Auguſtinus) Alberti Baioari ad Concilium Tridentinum orator orationem coram patribus habet, II. 250

Panna

Panna, *Panne*, (Petrus) in Mauritii Naſſovii vitam conjurat a Jeſuitis ſubornatus, ob id extremo ſupplicio adfectus, V. 757
Pannnoniae, *la Hongrie*, ſtatus, I. 39. deſcriptio et ſtatus, 309, 310
Pannonii tumultuantes cauſas graves pro armis ſumptis proferunt, VI. 296
Pannonicae res, I. 312, 317, 366. II. 438, 493. IV. 114. V. 193, 389, 541. VI. 23, 189, 294.
Pantagathi (Octaviani) obitus et elogium, II. 571
Panvinii, *Panvini*, (Onuphrii) deceſſus et elogium, II. 658
Papa Santalbanus, *Pape de S. Auban*, (Albertus) Minerbiam intercipit, III. 632
Pappa a Turcis capta. V. 397. a Palfio et Bernſtenio recepta, 714. a praeſidiariis deficientibus direpta, VI. 23. a Schuartzenburgo obſeſſa et capta, praeſidiariis variis ſuppliciis excarnificatis, 24
Papii Andreae mors et elogium, IV. 43
Pardaillanus Segurius, *de Segur Sr de Pardaillan*, (Jacobus) ad diſſidia inter Proteſtantes in religione componenda in Germaniam a Navarro legatus, IV. 194. ad Caeſarem Apologiam pro legatione et Navarri literas mittit, 198
Parisienses Curiones academiae liti contra Jeſuitas interveniunt et petunt ut ſi non Francia pellantur, ſaltem ſacramentorum adminiſtratione, omnique alia ſacra quae ad curiones ſpectat, functione interdicantur, V. 411, 415
Parisiensis laniena, III. 130, *et ſeq.* gratiae pro ea Deo actae, 140. varia de ea judicia et elogia, 148. Romae magna laetitia celebrata, 152
Parisienses ſeditioſi Guiſio in urbe excepto arma capiunt, IV. 570
Parisiensis tumultus a ſcholae juventute excitatus, I. 183
Parisotus. *Vide* Valeta.
Parium Franciae numerus et origo, II. 105
Parmensis. *Vide* Farneſius (Alex.)
Parmensis. *Vide* Margarita.
Parmense bellum, I. 159. belli origo, 288. et cauſae praetenſae, 291. et ſucceſſus, 292, 296, 374
Parnovia, *Pernau*, in Livonia a Polonis capta, II. 469. a Moſcis capta, III. 404. a Joanne Sueciae rege capta, 847. a Suecis obſeſſa, IV. 109. a Suecis capta, VI. 110
Parrii (Gulielmi) contra Eliſabethae Anglae vitam conjuratio, IV. 213. ſupplicium, 218
Parthenaeus, *de la Parthenaye*. *Vide* Subiſius.
Parutae (Pauli) deceſſus et elogium, V. 816
Pascasii, *Paſquier*, (Stephani) contra Jeſuitas in Curia Pariſienſi oratio, II. 432
Passeratii (Joannis) contra Jeſuitas oratio declamatoria, V. 418. obitus et elogium, VI. 128
Paterborna epiſcopi nomine occupata, VI. 231
Patrae, *Patras*, a Melitenſibus equitibus captae et dirutae, VI. 186
Patrassius Campaniolus, *de Patras Sr de Campagnol* (Bertrandus) Bononiae praefectus auxiliareis in Caleti arcem introducit, V. 601. arce expugnata captus, 602
Patricii, *Patrici*, (Fran.) deceſſus et elogium, V. 716
Pauletana a Pauleto nomen ſumens penſitatio annua inſtituitur, VI. 261. decreto de ea re a rege facto et novo more in Cancellaria Palatina promulgato, 262.
Paulus (F.) Servita theologus Venetus contra cenſuram pontificiam *Conſiderationes* edit, VI. 392. pro Jo. Gerſonis ſententia contra Bellarminum Apologiam ſcribit, 394. Romam citatus ſe per literas defendit deque innocentia ſua proteſtatur, 399. contra ejus vitam nefarius conatus exitu caret, 408. Senatu Veneto mox ejus patrocinium ſuſcipiente, 409
Pedifolius Commerondus, *de Puidufou Sr de Commeronde*, (Gilbertus) per Cenomanos impie graſſatur, IV. 749. a Dumbarenſi fuſus, 886
Pedifolius Severius, *du Puy du Fou Sr de la Severye* (Euſebius) Ganachiae praefectus ad regis partes tranſit, V. 689
Pelargus (Ambroſius) Tridenti concionatus in haereticos acerbius invehit et Proteſtantium legatis querimoniae cauſam praebet, I. 336
Peletarius, *Pelletier*, (Joan.) Henoticorum in urbe factioni nomen dat, IV. 441
Peletus Veruna, *Pelet de la Verune*, (Gaſpar) Cadomenſis arcis praefectus regi operam ſpondet, IV. 594. Henrico iv regi fidem defert, 798
Pelletarii, *Pelletier*, (Jacobi) obitus et elogium, IV. 99
Pellevaeus, *Pellevé*, (Robertus) Apameae epiſcopus Proteſtantibus publice conveniendi uſum interdicens ſeditionis anſam praebet, II. 510
Pellevaeus (Nicolaus) avunculi cauſam prodit, I. 107. in Scotiam miſſus de religionis cauſa diſceptaturus, 811. archiepiſcopus Senonenſis Ferrerii regis nomine proteſtationem in Concilio Tridentino factam in dubium revocat et oppugnat, II. 373. pontificem urget ut Navarrum et Condaeum proſcriberet, IV. 287. archiepiſcopus Remenſis, ejus ingenium, V. 62. oratio in Henoticorum comitiis, 234. Feriae ducis orationi non inepte reſpondet, 237. obit, 353
Pellicani (Conradi) mors et elogium, I. 561
Penae (Joannis) obitus et elogium, I. 726
Penna, *Penne*, a Buria et Monlucio expugnata, II. 289
Peraldus, *du Perault*, Belloquadri praefectus Taraſconem intercipit, IV. 823
Percius (Henr.) Northumbriae comes in Turri Londinenſi ſeipſum interficit, IV. 347
Percius, *Percy*, (Thomas) Northumbriae comes pro majorum religione arma ſumit, II. 764. ejus copiae diſſipatae, 765. in Scotiam fugit a Moravio in cuſtodiam traditus, 766. *Vide* Northumbrius.
Perezius (Alfonſus) ejus virtus, I. 318. Olimanum et Turcos irrito aggreditur, 321. ſtupenda virtute elapſus, equo in paludem praecipitato interficitur, 329
Perezius (Ant.) Joan. Eſcovedum interfici curat, III. 552. Eſcovedi caedis poſtulatus Arragonenſium privilegiorum obtentu ſe defendit, V. 172. codicillos Philippi manu ſcriptos reddere recuſans in carcerem truditur, et iis redditis liberatur, ſed iterum captus, et tortus evadit et in Arragoniam transfugit, 174. ad Inquiſitionis tribunal raptus, 175. ad Pavium in Benearni pago et in Angliam confugit, 177
Perionii, *Perion*, (Joachimi) mors et elogium, I. 791
Perona, *Peronne*, regi reddita, V. 339
Perottus, *Perrot*, (Joannes) Momoniae praeſes Hibernos rebellanteis caedit, III. 83, 246
Perpinianum, *Perpignan*, a Carolo viii Galliae rege Ferdinando Arragonio conceſſum, I. 5
Perpiniani, *de Perpignan*, (Petr. Joan.) obitus et elogium, II. 479
Perrenoti Granvellani, *de Perrenot de Granvelle*, (Nicolai) mors et elogium, I. 230

Perrenoti Granvellani (Antonii) Atrebatum praeſulis ingenium, I. 230. fraudis in detinendo Heſſo auctor, 147, 289. Parmenſis belli ſuaſor, 290. cum cardinali Lotharingo occulta Peronae conſilia, 687. novorum in Belgio epiſcoporum creationis auctor, II. 98. archiepiſcopus Mechlinienſis et cardinalis Inquiſitionem ſenſim introducere conatur, 519. in Sequanos ſecedit, 521. obit. Ejus elogium, IV. 375

Perrenotus Campaniacus, *de Perrenot Sr de Champigny*, (Fridericus) Belgii ordinibus militat Antuerpiae praefectus, III. 471. inde ab Hiſpanis pulſus, 474. Endanum fundit, 552. Woudam, Bergas et Tolam capit, 553. a plebe Bruxellenſi ſuſpectus in vincula conjicitur, 610. ab Arauſionenſi liberatus, 692. Philippo pacem cum Angla ſuadet, IV. 771. ejus de bello in Galliam a Philippo tranſlato judicium, V. 10. aerario praefectus, 171

Perrenotus Cantonetus, *Sr de Chantonnet*, (Thomas) Guiſianorum aula ad tempus ſeceſſionem conſulit, II. 10

Perretus, *Peretto*, (Felix) cardinalis pontifex electus Sixti v nomen aſſumit, IV. 294, 295

Perronus David, *Davy Sr du Perron*, (Jacobus) in Proteſtantium religione educatus eam ejerat, et in cardinalis Borbonii familiam receptus Tertianae factionis auctor fit, V. 58. ejus ingenium, *ib.* in aulam cum Vindocino cardinale veniens a rege familiariter excipitur et ei conjurationis Tertianae arcana detegit, 65. concilii regii contra Ambroſii Landriani mandata decreto ſubſcribit, 72. Ebroicum epiſcopus deſignatus in ſecretum colloquium a rege admittitur, 293. regis reconciliationi et abſolutioni adeſt, 294. Nivernio legationem ad pontificem obeunti a rege attributus ſe excuſat, 298. regis juſſu cardinalem Placentinum in Italiam diſcedentem Montargirium uſque proſequitur, 352. regis procurator abſolutionem a pontifice petit, 518. et obtinet, 522. cum Mornaeo Pleſſio de religione diſputat, 843. cardinalis creatus, VI. 241. rationibus allatis pontficis animum flectit ad pacis cum Venetis conſilia, 405

Perrotus, *Perrot*, (Fran.) declamationem Italice ſcriptam pro Navarro contra Sixti v proſcriptionem edit, IV. 304

Persicum cum Turcis bellum ejuſque cauſae, III. 641

Persae Erem et Sumachiam recipiunt, et Tataros caedunt, III. 659. Turcos caedunt magna ſtrage edita, IV. 358. Turcos ad viii ciↄ mox ad xx ciↄ occidunt, 361. Turcos iterum ad xx ciↄ occidunt, jumentis Tauriſiana praeda et annona onuſtis captis et abactis, 362. in Turcos impreſſionem faciunt damno utrinque accepto, 363. Turcomannos caedunt, 364. Salmam ac Zeinellum capiunt, et Reivani purpuratum fundunt, 366. bellum cum Turcis renovant, V. 31. Tauriſium et Naſivanum recipiunt, VI. 185, 235. Bagdatum occupant, 235. Turcos fundunt et Adenam capiunt, 295. legatos ad Caeſarem mittunt, *ib.*

Persici imperii hiſtoria et ſucceſſio, III. 636. fines, ſatrapiae, diſciplina, opes, 638

Persica ad Philippum Hiſpanum et Rodolphum Caeſarem legatio, VI. 421

Perthi, *Perth*, ſitus opportunus, I. 730

Peruvia, *Perou*, a Fr. Pizarro ſubacta motibus inteſtinis infeſtatur, I. 44, 45

Pesta a copiis Chriſtianis capta, VI. 108. a praeſidiariis Chriſtianis deſerta, 235

Pestis Zuiccaviae graſſatur, I. 135. in Anglia et Germania, 236. Lutetiae, 428. in Dacia, 432. per Germaniam, II. 381. Lugduni, 404. per Italiam, III. 456. Lutetiae, 814. Laoduni clavati, 815. Revaliae et Narvae, V. 35. Romae, 102. in Creta, 187. per Moſcoviam, VI. 329

Petralongus, *de Pierrelongue*, caſtrorum Proteſtantium praefectus rei in Verenſi pugna male geſtae auctor a regiis captus et duriter habitus, II. 504

Petra Viva, *de Pierre Vive*, (Henr.) academiae Pariſienſis cancellarius cenſurae in Lud. Servini actionem forenſem pro collegio Andegavenſi contra Car. Mironem epiſcopum a Sorbonicis ſecrete factae auctor ob id a ſenatu increpitus, et cenſurae acta ſuppreſſa, VI. 256

Petreii, *Petre*, (Gul.) obitus et elogium, III. 99

Petreii, *Petri*, (Suffridi) deceſſus et elogium, V. 715

Petrobufierius. *Vide* Cambaretus.

Petrogurdius, *de Pierregourde*, ab Acierii exercitu cum Moventio ad Meſillacum divertit, II. 689. ibi ſe munit et Briſſaci comitis impetus fortiter repellit, *ib.* mox fruſtra ſaniora Moventio ſuadens vallo exit, a regiis circumventus et caeſus, 690

Peuceri (Gaſparis) mors et elogium, VI. 128

Peutingeri (Conradi) obitus et elogium, I. 122

Pezenacum, *Pezenas*, a Jac. Cruſſolio Acierio Jouſae traditum, II. 277

Philandri (Gul.) obitus et elogium, II. 468

Philippinarum inſularum deſcriptio, IV. 542

Philippopolis, *Philippeville*, a Joanne Auſtrio capta, III. 601

Philippus Hiſpaniae rex. *Vide* Hiſpaniae reges.

Philippus Pomeraniae dux obit, II. 69

Phaenomenon in coelo novum, VI. 240

Pialis purpuratus Turcicae claſſis praefectus Jo. Andream Auriam cum claſſe Hiſpana ad Gerbin inſulam intercipit, xxxiii navibus captis, II. 63. Sandaeum caſtra perrumpere tentantem capit, et perhonorifice excipit, munitione mox dedita, 66. Turcicae claſſi Melitenſi expeditioni deſtinatae a Solimanno praefectus, 443. ad Marzam Siroccum copias exponit, 446. nonnulla Chriſtianorum navigia capit, 449. omnes aditus quibus ad Hermetis arcem ſubſidia pervenire poſſent obſidet, 450. de Chriſtianorum claſſe certior, obſidionis ſolutionem urget, 455. Melitae oppidum omnibus viribus oppugnat cum damno dejectus, 458. claſſis ad S. Pauli ſtationem appellendae negotium ſumit, dum Muſtaphas et Aſanes contra quod Pialis cenſuit exſcenſionem faciunt ad oppugnationem arcis et oppidi renovandam, 461. cum claſſe Turcica Byzantio ſolvit ad Cypri inſulam tendens, III. 8. militem in terram ſine certamine exponit, 10. claſſe Chriſtianorum conjuncta, pugnae univerſae aleam vitandam cenſet, 18. Cypro ſolvit et Byzantium redit, in itinere Vincentii Marii Priuli trireme capta, 19. Conſtantinopoli morbo aut alia de cauſa retentus, 21. Selimi gener, 44. quod Chriſtianorum claſſem cedentem perſecutus non eſſet, a dignitate ſummotus, *ib.*

Pibracius. *Vide* Faber.

Picardia. Res in illa provincia geſtae, II. 193, 194. V. 73, 339, 358

Piccolominei, *Piccolomini*, (Alexandri) deceſſus et elogium, III. 594

Piccolomineus (Aeneas) Senenſes ad defectionem ſolicitat, I. 377. in urbem receptus, 378. ſuſpectus, 423

Piccolomineus (Silvius) Militiae S. Stephani coneſtabilis Hipponam in Africa expugnat et diripit, VI. 413

Picorum gens et ſucceſſio, I. 295

Pictavienſis, *de Poictiers*, (Dianae) apud Henricum II gratia, I. 108. illum ad ſectarium malum extirpandum impellit, 756. a Guiſio et cardinale Lotharingo poſt Henrici II mortem deſerta, 767. aula pulſa, *ib.*

Pictavium, *Poictiers*, a Jo. Haio irrito tentatum, III. 408. a regiis irrito obſeſſum, V. 309. *Vide* Auguſtoritum.

Pictones, *Poictou*, res illic geſtae, II. 206, 617, 685, 716, 750, 801. III. 312, 314, 330, 367, 406, 409, 411, 499, 525. IV. 278, 305, 315, 603, 644. V. 78, 307, 359.

Picus Mirandulanus comes in proelio Baſſacenſi occiſus, II. 705

Piena. *Vide* Halvinius.

Pigallarius, *de Puygaillard*, Montacutum capit, II. 707. Fontenaeum deſertum occupat, 750. Graviam, Talmonium et Chiſaeum capit, 787. ad Gemmae fanum a Lanovio fuſus, 798

Piginas (Odo) concionator Henoticus furore correptus obit, V. 305

Pignonium (alias Velezia) *Pennon de Velez*, a Mahamete Buaçonis filio Turcis traditum, I. 673. fruſtra ab Hiſpanis tentatum, II. 386. a Garſia Toletano captum, 412

Pilius. *Vide* Claromontius.

Pinarius, *Pinart*, (Claud.) regi a ſecretis epiſtolis ab aula relegatus, IV. 623. Claudio filio auctor ut poſtquam obſidionis ſpecie pudori ejus et famae aliquantulum ſatisfactum eſſet, Theodorici caſtrum Henoticis facile dederet, V. 61

Pinarius (Claudius) ob Theodorici-caſtri deditionem a Curia Catalaunenſi damnatus et bona fiſco addicta, V. 62

Pinelli, *Pinelli*, (Vincentii Joannis) obitus et elogium, VI. 96

Piquinius. *Vide* Dallius.

Piſanius Vivonus, *de Vivonne marquis de Piſani*, (Joannes) Juliam Sabellam ducit, IV. 300. ejus ad pontificem acre reſponſum, 303. Guiſii cardinalis caedis abſolutionem a pontifice pro rege petit, 699. ejus cum pontifice ſermones, 705. et proteſtatio, 706. decreto contra regem a pontifice facto Roma diſcedit, 734. ſedendi praerogativam ab oratore Hiſpano Romae controverſam vindicat, V. 17. regis ad pontificem legatus miſſus, 135. Condaei pueritiae moderator deſtinatus mittitur qui eum Tremolliamque matrem in aulam adduceret, 465. ejus obitus et elogium, 815

Piſcarius, *du Peſché*. *Vide* Sanchamantius.

Pithoei, *Pithou*, (Petri) deceſſus et elogium, V. 643

Placentia, *Piacenza*, a Caeſareis occupata, I. 160. arce tandem Octavio Farneſio Parmae duci a Philippo Hiſpano reddita, IV. 336

Placentinus. *Vide* Sega.

Placius, *de la Place*, (Petrus) curiae vectigalium primarius praeſes, III. 137. in Pariſienſi laniena interfectus, 138. ejus elogium, *ib.*

Plancius Renerius, *Renier de la Planche*, (Lud.) de pacanda Gallia a Catharina regina parente conſultus, II. 11. relationem tumultus Pariſienſis quando cardinalis Lotharingus urbem cum armatis ingreſſus eſſet ſcribit, 427

Plantini, *Plantin*, (Chriſtophori) obitus et elogium, IV. 785

Plaſſacus Pontius, *de Pons de Plaſſac*, (Joannes) Pontio praefectus Roianum intercipit, IV. 399

Platerius Bordillonius, *de la Platiere Sr de Bourdillon* (Imbertus) Taurini reſtitutioni rationes contrarias proponit, II. 244. equitum tribunus creatus, 322

Pleſcovia. Ejus ſitus, origo et hiſtoria, III. 844. obſidio, 845. obſidio continuata, IV. 107

Pleſſia, *de Pleſſe*, in Saxonia familia Theodori morte extincta, III. 68

Pleſſius Richelius, *du Pleſſis de Richelieu* (Antonius) novae ſcloppetariorum equitum cuſtodiae praefectus, I. 830. motum Caeſaroduni Turonum excitare tentat, II. 7. ejus crudelitas, 192

Pleſſius Richelius (N.) ſapiens dictus ad Franciſcopolim occiſus, II. 352

Pleſſius (Philippus) Phil. Mornaei filius in Gelria oppugnanda occiſus, VI. 280

Pleſſius. *Vide* Mornaeus.

Plombinum, *Piombino*, a Mendoza occupatum, I. 168. a Caeſare Coſmo Mediceo conceſſum, 376. a Philippo Jacobo Apiano redditum, 629

Pluvialius, *de Puviaut Claveau*, Maugironum fugat, II. 222. a Fr. Lanovio miſſus cum auxiliaribus copiis Niortium ingreditur, mox ibi vulneratus, 716. in proelio ad Gemmae fanum egregiam navat operam, 798. in Pariſienſi laniena interfectus, III. 131

Podienſis. *Vide* Monbrunius.

Poella (Joannes) Rullerio accuſante reus peractus, IV. 97. *Not.*

Poetus. *Vide* Blanius.

Poiana. *Vide* Balleolius.

Poignius. *Vide* Angeneus.

Polinius, *Poulain*, (Nic.) Guiſii et Henoticorum conſilia regi aperit, IV. 444, 446, 566, 569. ad regem introductus, 569

Polinius Garda, *le baron de la Garde dit capitaine Poulin*, (Ant. Iſcalinus Adaemarus) in Caprarienſes ſaevit, I. 227. Belgarum negotiatorum naves intercipit, 297. Turcicae claſſi conjunctus in Ilvam, dein et in Corſicam exſcenſionem facit, 425. Triremium praefecturae reſtitutus Rupellam in arctum redigit, II. 783. a Fr. Lanovio paene oppreſſus, 784

Politicorum nominis origo, III. 135. factionis incentores, 303

Politrotus. *Vide* Mereus.

Poloni Parnoviam a Suecis occupatam recipiunt, II. 469. Andinum in regem eligunt, III. 278. delegatos in Galliam mittunt, 279. Lutetiae magna gratulatione exceptos, 280. ad regem admiſſos, 286. qui eorum pro Proteſtantibus interceſſiones eludit, 288. ut Henricus III in Poloniam rediret per legatos urgent, 420. Stephanum Bathorium in regem eligunt, 425. Niſcerdam recipiunt, 720. de rege poſt Stephani mortem eligendo diffident, IV. 507. Samoſciani Sigiſmundum Suecum, Sboroviani Maximilianum Auſtrium regem denunciant, utrique legibus dictis, 510

Poloni Proteſtantes inter ſe de religionis capitibus diſſident, II. 778. ab Andino Pariſienſis lanienae cauſa alienati, III. 272. Thorunae in Boruſſia conveniunt, V. 533. contra comitia Warſaviam indicta proteſtantur, VI. 418. de Jeſuitis querimoniam inſtituunt, *ib.* prope Warſaviam a regiis fuſi, 419

Poloniae regni deſcriptio, lingua, civitates, provinciae, III. 265. regum poteſtas legum fraeno temperata, 268. Senatores et Palatini, 270

Poloniae reges, viz. Sigismundus, obit, I. 176. Sigismundus Augustus Eliſabetham Ferdinandi Romanorum et Hungariae regis filiam in uxorem ducit, I. 176. Rigam recipit et Gotardum Ketlerum Ordinis Livonici magiſtrum Curlandiae ac Semigalliae ducem creat, II. 135. foedus cum Daniae rege contra Suecum init, 263. ejus obitus, III. 155. funus, 500. Henricus Andium dux. *Vide* Henricus III Galliae rex. Stephanus Bathorius Tranſilvaniae princeps Poloniae

loniae rex electus, III. 425. inauguratus, 458. Gedanenſes proſcribit, 567. cum iis tranſigit, 569. Georgium Frid. Brandeburgicum Anſbacenſem Boruſſiae adminiſtratorem conſtituit, 569. Duneburgum et Wendam recipit; Jo. Podicovam Walachia pellit et capit, 706. Warſaviae comitia celebrat, bellumque contra Moſcum decernit, *ib.* judiciorum formulam per Poloniam ordinat, 707. Podocovam capite plectit, 708. Moſci legatos inauditos dimittit, 709. bellum Moſco denunciat, 710. de belli ratione conſultat, 711. Gotardum Ketlerum Curlandiae ducem in clientelam recipit, 712. Polotiam obſidet, 713. et capit, 715. templum epiſcopo Ruſſo ad Graecos ritus vetus permittit, novum Romanae eccleſiae cultoribus attribuit, 716. Socolam et Suſam capit, 717. Warſaviae comitia celebrat, ibi belli ſuſcepti invidia laceratus et a Jo. Samoſcio defenſus, 719. de belli contra Moſcum ratione conſultat, 818. Welifium capit, 820. mox Uſviatam, 821. et Lukos, 824. Nevelam et Jeſeriſciam deditione accipit, 825. Savolocia mox a Samoſcio capta, 827. Rigam in fidem accipit, 828. Comitia Warſaviae celebrat et biennale tributum impetrat, 828. Turci et Tatari legatos excipit, 829. ad Moſcum acerbe ſcribit, 842. Oſtroviam capit, *ib.* Pleſcoviam obſidet, 845. de pace agit, 849, 851. pacem cum Moſcis facit, IV. 108. Rigam venit et a Sueco Livoniae partem ab eo occupatam repetit, 110. Tatarorum legatos excipit, 111. Jancolam Walachiae deſpotam morte afficit, 112. Warſaviae comitia celebrat, *ib.* cum Gedanenſibus tranſigit, 224. Muſtafam a Turco legatum audit, 225. Warſaviae comitia celebrat, et Chr. Sborovium proſcribit, 345. cum Moſco inducias paciſcitur, 346. ejus deceſſus et elogium, 379.
Sigismundus Joannis Sueciae regis filius Poloniae rex, a Samoſcianis electus, IV. 510. Gedanum venit legeſque ei dictas jurejurando firmat, 512. Cracoviam ingreditur mox ſolenni ritu inauguratus, 514. ei de Polonorum in Livonia jure controverſia mota, 515: cum Maximiliano Auſtrio tranſigit, 517, 780. Joannem Suecum patrem in Livonia inviſit, 782. Amurathis Turcae interventu Eliſabethae Anglae reconciliatus, V. 13 Annam Caroli archiducis filiam uxorem ducit, ita diſſidium inter inter ſe et Auſtriacos componens, 34, 181. Stocolmiam Suecici regni poſſeſſionem adepturus adit, 207. rex Upſaliae inauguratus, 375. de Auguſtana confeſſione ſervanda fidem interponit et Stocolmiae regni comitia indicit, 376. in Poloniam redit, *ib.* Comitia Cracoviae celebrat ubi de bello Turcico deliberatur, 540. in Boruſſia templa a Proteſtantibus aufert et de majorum religione in Suecia reſtituenda cogitat, 582. per legatos de Caroli patrui prava regni adminiſtratione querimoniam inſtituit, cui Carolus reſpondet, 583. a foedere cum Caeſare contra Turcos ineundo ſe excuſat, 667. pro pace inter Philippum et Anglos Batavoſque partes ſuas irrito interponit, 708. in Livoniam cum exercitu progreditur, VI. 117. ad Livonos ſcribit, 118, 119. Ordinum decreto regia dignitate in Suecia exauctoratus, 232. uxoris prioris ſororem Caroli archiducis filiam ducit, 336. cum Rokoſſanis tranſigit, 356
Poloniae regni comitia celebrata. Warſaviae de rege eligendo, III. 274. IV. 507. Warſaviae de templo Rigae Jeſuitis patribus reſtituendo, et Kalendario Gregoriano, IV. 781. Cracoviae de bello contra Turcos movendo, V. 540. Warſaviae de Livoniae regimine conſtituendo, 775. Warſaviae de Rokoſſanorum negotio, VI. 419
Polonicae res, I. 38, 175. II. 134, 399, 658. III. 126, 154, 265, 286, 290, 299, 321, 420, 457, 565, 705, 817, 841. IV. 107, 224, 344, 507, 780. V. 11, 34, 533, 582, 771. VI. 109, 299, 336, 355, 417.
Polotia, *Poloczko*, a Moſcis capta, II. 388. ejus ditio, ſitus et obſidio, III. 712. deditio tandem Stephano Poloniae regi facta, 715. Bibliotheca, 716
Polvillerius, *le baron de Polweiler*, (Nic.) Philippo militans in Sebuſianos deſcenſum facit, I. 662. nulla re memorabili facta recedit, 663
Polus, *Pole*, (Reginaldus) cardinalis reſponſionis Mendozae proteſtationi de Synodi Tridentinae vitio a pontifice factae auctor, I. 171. pontificatum non ambiens duobus tantum ſuffragiis deficientibus illa dignitate excidit, 213. natalibus reſtitutus, 447. in Angliam legatus, 448. in itinere Carolum v Caeſarem et Henricum II Franciae regem ad pacem hortatur, 453. in Angliam venit, 454. regnum ad unitatem cum eccleſia Romana revocat, 455. colloquio de pace inter Carolum v Caeſarem et Henricum II Galliae regem intereſt, 524. academiam Cantabrigienſem per delegatos viſitat, 577. ejus deceſſus et elogium, 702
Pomeraniae dux (Philippus) obit, II. 69
Pons Adaemari, *Ponteau de Mer*, a rege captus, IV. 827
Pons-Episcopi, *Pons l'eveſque*, ab Henrico IV captus, IV. 827
Pons-Esiae, *Pontoiſe*, a Navarro obſeſſus, IV. 759. et captus, 760. a Meduanio captus, 830. a Navarro receptus, V. 339
Pontis-Arcuensis, *Pont de l'Arche*, arx ab Henoticis intercepta, V. 141
Poncenacus, *de Poncenac*, copias Condaei nomine conſcribit, II. 610. mox fuſus et copiae diſſipatae, 611. in nocturna pugna per errorem occiſus, 621
Poncetus, *Poncet*, (Mauritius) in aulicorum mores invectus, Melodunum relegatur, IV. 152
Pontacus, *de Pontac*, (Arnoldus) epiſcopus Vaſatenſis de diſciplina collapſa eccleſiaeque Gallicanae ſtatu a praeſulum conventu delegatus apud regem expoſtulat, III. 677
Pontanus, *da Ponte*, (Nic.) Venetiarum dux electus, III. 592. obit. Ejus elogium, IV. 291
Pontevesius, *de Pontevez*, Flaceanus. *Vide* Flaceanus.
Pontevesius (Gaſpar) Carſii comes Aquas Sextias in regis obſequium reducit, V. 339. Eſpernonio ſe cum nobilitate opponit, 439. Salonis oppidum intercipit, 510
Pontifices Romani, viz. Leo x PP. epiſcopos praeſuleſque eligendi poteſtatem Galliae regibus concedit, I. 17. diplomata omnium delictorum expiationem pollicita per orbem Chriſtianum mittit, 18. Urbini ducem bello fruſtra perſequitur, 19. adfinitatem cum Franciſco I contrahit eique pecuniam ex bonis eccleſiaſticis coactam in quos vellet uſus abſumendi poteſtatem concedit, *ib.* foedus cum Carolo v Imp. init, 20. moritur, 21. Clemens vii papa electus, I. 22. foedus cum Caeſare percutit, 24. decedit, 25. Pauli iii PP. creati ingenium et mores, I. 25. Nicaeae cum Franciſco I congreſſus, 28. Guidum Ubaldum Roboreum Camertibus, Aſcanium Columnam Palliano ſpoliat, 44. Hermannum archiepiſcopum Colonienſem proſcribit, 60. ad Helvetios de bello in Proteſtantes Germanos ſuſcipiendo ſcribit, 70. Parmam et Placentiam filio P. Aloiſio Farneſio attribuit, 156. aſtrologiae addictus, 158. de

de Placentiae Octavio nepoti reſtitutione cum Caeſare agit, 160. Concilium Tridentum revocare differt, 163. ad Germanos epiſcopos ſuper Concilii tranſlatione ſcribit, 165. Mendozae proteſtationi ſcripto cujus auctor Reginaldus Polus cardinalis, reſpondet, 170. legatos ad Caeſarem mittit, coenaeque Dominicae integrae uſum ſub conditionibus permittit, 200. nepotibus Octavio Camertii principatum, Horatio Caſtri dominium deſtinat, 210. mors et mores, 211, 212. Julius III pontifex electus, ejus ingenium et mores, I. 215. Concilium Tridenti indicit, 233. ad Helvetios ſcribit, ut legatos Tridentum mittant hortatus, 286. Octavium Farneſium bello adoritur, 290. belli pertaeſus legatos ad Caeſarem et in Galliam mittit, 303. cum Henrico II convenit, 348. et ab armis contra Octavium Parmenſem abſtinet, 349. Caeſare conſentiente, 350. de Martinuſii cardinalis caede Ferdinandum Romanorum regem abſolvit, 368. Senarum imperio inhiat, 418. rerum in Senenſi ditione pacificandarum viam init, 420, 423. ejus ingenium, 481. obitus et mores, 517. Marcellus II papa electus, I. 520. ejus ingenium, mores et obitus, 521. Pauli IV pontificis electio, ingenium et mores, I. 525. a Coſmo alienus animus, 540. ob privatas injurias Caeſari infeſtus copiarum delectus habet, 542. foedus cum Henrico II init, 546. ſex cardinales creat, 551. Columnios proſcribit et caſtella occupat, 583. Caeſari et Philippo de Neapolis et Siciliae regnis S. Sedis beneficiariis litem movet, 584. Aſcanium Corneum comprehendere irrito tentat, 588. de induciis cum Albano convenit, 596. cum Philippo de pace tranſigit, 637. Ferdinandi Caeſaris oratorem non admittit, Ferdinandique inaugurationem quaſi non rite factam S. Sede non conſentiente improbat, 707. oratorem tandem non publice ſed privatim admittit, 708. a ſuis alienatus, 744. Caraſis dignitates abrogat, 745. novos epiſcopatus in India et Belgio erigit, 746. obit, 788. Caraſae familiae inſignibus per urbem a plebe confractis, 789. Pius IV pontifex electus, I. 797. ejus ingenium et mores, 798. Imperatoriam dignitatem in Ferdinandum tranſlatam ratam habet, *ib.* Mediceae gentis nomen et inſignia uſurpat, et privatis caritatibus indulget, II. 50. Coſmum Mediceum Hetruriae regem creare meditatur, 51. Concilii Tridentini inſtaurationem in longum extrahit, 51, 53. odium in Caraſas renudat, Carolo cardinali et Joanne Montorii comite in carcerem truſis, 52. Petilianum contra fidem ſpoliat, 53. Concilium inſtaurare perſuaſus, legatos deligit, 54. Concilium inſtaurat, 129. ad Germaniae principes Naumburgi congregatos legatos mittit, 130. item ad Fridericum Daniae regem, et Eliſabetham Angliae reginam, 131. Caraſam Carolum cardinalem et Joannem Montorii comitem morti addicit, 136. in ſuas caritates indulgentia, 137. una vice 18 cardinales creat, *ib.* cardinalem Ferrarienſem in Galliam mittit, 140. de Concilio, Hiſpanis praeſertim epiſcopis anxius, legatos Tridentum mittit, 247. de Concilii libertate petitiones eludit, 248. contra Gallicanos epiſcopos exaſperatus, 249. cardinalem Lotharingum perſtringit, 253. de ejus mandatis anxius, quantum poteſt epiſcoporum cogit, ut major votorum eſſet numerus, *ib.* emendationem et Concilii finem urget, 364. cardinalibus inquiſitoribus in haereticos et fautores ſummarie et extra judicium inquirendi et ſententiam ferendi poteſtatem per Galliam diplomate concedit, et Joannam Navarram ipſe Romam citat, et ni compareret, dignitate privat, 367. Oiſellii regis nomine interventu, mox iſta revocat, 369. Concilii acta confirmat, 376. Inquiſitionis tribunal Mediolani inſtituit, mox abolet, 386. regem orat ut Concilii Tridentini decreta per Galliam obſervari curaret, 403. controverſiam inter Gallicum et Hiſpanum oratores de loci praerogativa ſecundum Gallum decernit, 409. conjurationem Accoltii contra ſe ſtructam detegit et conſcios ſupplicio afficit, 415. privatis caritatibus indulgens, ſubditos onerat, Balnei comitem et Corn. Bentivolium vexat, Aſcanium Corneum in carcerem conjicit, Vitelliis de Tiferno et Alfonſo Ferrarienſi litem movet, et turpi nundinatione dignitates et gratias a Concilio prohibitas vendit, 415. Vitelloccium Vitellium et Alex. Sfortiam cardinales creat, 416. Car. Borbonio cardinali legationem Avenionenſem attribuit, 416. a Maximiliano Caeſare, Carolo archiduce et Alberto Baioaro, ut gratiam calicis laicis et conjugii ſacerdotibus indulgeat, poſtulata rejicit, 416, 417. Vipuſcoam et Biſcaiam Baionenſi dioeceſi divellit, 436. a Caeſare de calicis uſu et ſacerdotum conjugio ſolicitatus, non alienum ſe oſtendit, ſed Philippi inſtigatu rem eludit, 441. ejus mors et mores, 463. S. Lazari equitum militiam inſtaurat, 464. Pius V pontifex electus, II. 481. Caraſis dignitates reſtituit, 482. magna ſeveritatis exempla in ſectarii criminis ſuſpectos edit, 483. meretrices in lupanaribus includit, *ib.* ejus mores et ingenium, 484. Ordini Melitenſi ſubvenit, *ib.* ejus mandata, ſiquid de religionis diſſidiis componendis in comitiis Auguſtanis actum eſſet, cardinali Commendoni commiſſa, 488. Concilii Tridentini per Germaniam promulgationem apud Caeſarem urget, 489. Guipuſcoam et Biſcaiam Baionenſis epiſcopi juriſdictione eximit, 513. ſacri ordinis immunitates ampliare ſatagens Bullam in Coena Domini publicat; quae a Philippo prohibita et a ſenatu Veneto eluſa eſt, 673. copias auxiliares S. Sfortia Sanfloriano comite duce ad Andinum mittit, 713. Coſmum Mediceum magnum Etruriae ducem creat, 753. gladium inauratum ad Albanum mittit, 759. Eliſabetham Angliae reginam publico diplomate proſcribit, 770. foedus cum Venetis et Philippo contra Turcas init, III. 9, 21. Caeſarem et Polonum ut foederi ſubſcribant, fruſtra invitat, 26, 54, 55. Michaelem Bonellum cardinalem Alexandrinum in Hiſpaniam legatum mittit, 26. in qua legatione de Siciliae et Mediolani eccleſiaſtica juriſdictione a Philippo et pontifice ſibi vindicata actum, 52, 53. Arabas et Perſas contra Turcam ſolicitat, et ad Mennam Aethiopum regem ſcribit, 53. Mahameti Turco inſolita ſuis oculis pompa offenſionem dat, 56. ejus mors et mores, 96. Gregorius XIII pontifex electus, III. 97. Navarri et Condaei literis reſpondet, 151. Deo pro Pariſienſi laniena gratias ſolemniter agit, Jubilaeumque publicat, 152. Fabium Urſinum cardinalem legatum in Galliam mittit, 153. Tridentini Concilii in Gallia receptionem urget, 198. Seraphinum Olivarium ad Henricum Poloniae regem ſalutandum mittit, 280. ad motum Genuenſem componendum partes ſuas interponit, 442. Sebaſtiano Luſitano Cruciatam concedit, 577. Stucleio ad Hiberniam invadendam auxilia ſubminiſtrat, 579. Portugalliae regnum Romanae ſedis beneficiarium dictitans, regis in eo conſtituendi jus ſibi vindicat, 591. petit ut rei inter Henricum Luſitanum et Philippum Hiſpanum componendae ſibi arbitrium deferatur, 726. a Philppo eluſus, 748. cum Philippo agit de bello in Britanniam transferendo, et San-joſephum in

in Hiberniam mittit, 761. Moſci legatos excipit et Poſſevinum ad Moſcum mittit, 842. de Kalendarii emendatione et novi anni promulgatione diploma emittit, IV. 93. et Caeſari mandat, *ib.* ad Gebbardum Trucheſium archiepiſcopum Colonienſem ſcribit, 105. Jouſam ad colloquium admittit, 156. Philippo gratiam de 2000 religioſis interfectis diplomate condito facit, 170. Andream Auſtrium cardinalem de Gebbardi Trucheſii cauſa cogniturum legat in Germaniam, 182. Gebbardum excommunicat et dignitate privat, *ib.* a Pellevaeo ut Navarrum et Condaeum proſcriberet ſolicitatus procraſtinatur, in excipiendis Japoniorum legatis occupatus, 287. legatos excipit, 289. ejus mors, ingenium, mores, 290. Fabium Muretum Frangipanium in Galliam rege reclamante mittit, 302. Sixtus v pontifex electus, IV. 294. legatos Japonienſes dimittit, 295. graſſatores exules perſequitur et ſeveritatis inuſitatae ſpecimina dat, 295, 300. Navarrum et Condaeum proſcribit, 301. programmate contra cenſuram Romae publice affixo de Navarri fortuna bene auguratur, 304. Gul. Patricii Tolonenſis epiſcopi caedis auctor, 319. obeliſcum in Vaticano obſcuro loco defoſſum in beati Petri aream transferri curat, 371. cum Helvetiorum Quinquepagicis foedus pro Catholica religione init, 373. Hippolytum Aldobrandinum cardinalem de Maximiliani Auſtrii libertate acturum in Poloniam mittit, 517. diplomate Eliſabetham Anglam proſcribit ſubditoſque ejus a fide abſolvit, 531. ejus de Guiſii ad Henricum iii adventu et dimiſſione ſententia, 574. ad cardinalem Borbonium et Guiſium literae, 617. ad oratores Gallicos pro rege Guiſiani cardinalis caedis abſolutionem petentes orationem habet, 699. ad Cenomani orationem reſponſum facit, 703. voluntatem apertius renudat, 705. abſolutionem regis nomine a Cenomano petitam non concedit, 706. ut captivi tradantur inſtat, 707. Flaviam et Urſinam nepteis nobilitatis Romanae primariis regulis elocat, *ib.* abſolutione non conceſſa regem monet ut cardinalem Borbonium, et archiepiſcopum Lugdunenſem libertati reſtituat; regemque Romam citat, 733. ejus de Jac. Clemente in conſiſtorio oratio qua in Henrici iii mortui memoriam ſaevit, 767. Cajetanum cardinalem ad Henoticos mittit cum mandatis, 815. ambiguum reſponſum ad Gallorum procerum literas reſcribit, 837. Meduanio auxilia ſummittere detrectat, bellum in Hiſpanos meditatus, 851. cardinali Cajetano quod factioſis in Lutetia ſe adjunxiſſet ſuccenſet, 855. cum Olivare Philippi oratore acerbe contendit, regios diris devovere recuſans, 860. ejus obitus, ingenium, opera publica, V. 14, &c. Urbanus vii pontifex electus, V. 20. ejus obitus et elogium, 21. Gregorius xiv pontifex electus, V. 23. ejus origo, *ib.* edictum contra exules et graſſatores proponit, 26. Alfonſum Piccolomineum graſſatorum ducem citat, qui paulo poſt captus et ſtrangulatus eſt, 28. ad Segam cardinalem Placentinum et S. Unionis concilium literas dat, 55. Herculem Sfondratum fratris filium Montis Marciani ducem et Romanae eccleſiae praefectum creat, 56. Philippo et Meduanio bona eccleſiaſtica alienandi facultatem negat, *ib.* ejus copiae in Galliam deſtinatae ad Laudem Pompeii recenſentur, 57. regis Romano-Catholici electionem urget, 62. Marſilium Landrianum cum mandatis in Galliam mittit, 64. ejus mandata a Curiis Catalaunenſi et Caeſarodunenſi et Galliae praeſulibus qui in regis comitatu erant cenſura notata, 66, 68, 72. ejus mors, 101. elogium, 102. cardinalibus monachis galerum rubrum geſtare permittit, 102. Innocentius ix pontifex electus, mox decedit, V. 103. ejus elogium, *ib.* Clemens viii pontifex electus, ejus origo, V. 137. cardinalem Gondium ab acceſſu prohibet, 138. Segae cardinali de regis Romano-Catholici electione dat mandatum, 139. quod S. C. Catalaunenſi cenſura notatur, 140. ab Hiſpanis ne regem reconciliatum abſolvat ſolicitatus, 298. Nivernium ut legatum admittere recuſat, 318, 323. regem in foro conſcientiae ſe abſolvere non poſſe declarat, 322. Cenomanenſem et Seguierium admittere recuſat, 323. a Nivernio pro rege exoratus abſolutionem negat, 324. per cardinalem Gondium ſpem reconciliationis regi facit, 518. conditiones duras proponit a legatis rejectas, 520. tandem de conditionibus et formula convenit, 521. rem ſolenni ceremonia peragit, 522. Alexandrum Mediceum in Galliam legatum mittit, 523. Alexandrinae et Ruthenae eccleſiarum cum Romana ſede reconciliationes magna pompa nullo tamen exitu celebrat, 530. copias auxiliares in Pannoniam mittit, 547 Sigiſmundum Polonum ad bellum contra Turcos movendum irrito hortatur, 576. Caeſarem Ateſtinum diris devovet, mox cum eo tranſigit, 717. Ferraria Romanae Sedi ceſſa et tradita, 718. matrimonium inter Philippum iii Hiſpaniae regem per procuratorem Albertum et Margaritam Auſtriam celebrat, 754. controverſia inter Galliae regem et Sabaudum de Saluciano principatu audita arbitrii auctoritatem a ſe abdicat, 805. Henrici iv cum Margarita Valeſia matrimonium per delegatos irritum pronunciat, 837. Calatagironam pro Sabaudo interventurum ad regem mittit, VI. 34. mox et Petrum Aldobrandinum cardinalem, 38. Fr. Aldobrandinum cum xii bellatorum cIɔ in Hungariam mittit, 88. xviii cardinales una vice creat, 241. ejus mors et elogium, 303. Leo xi electus mox decedit, VI. 305. Paulus v electus, VI. 305. libertatem eccleſiaſticam et canonum Concilii auctoritatem contra Venetos vindicat; hinc diſſidii origo, 384. ab Hiſpanis ad bellum movendum incitatus, 386. duos libellos ad Senatum mittit, *ib.* Senatum totamque ditionem Venetam excommunicat interdictoque ſubjicit, 387. copias conſcribit, 399. omnes pacis conditiones niſi Jeſuitae revocarentur rejicit, 405. a cardinali Perrono perſuaſus ad pacem inclinat, 406. difficultatibus ab Hiſpanis cardinalibus invectis tandem ſuperatis, ipſiſque ut Jeſuitarum reſtitutioni non inſiſteret ſuadentibus, interdictum tandem revocat, 407. ad Angliae Catholicos ſcribit ne ad templa haereticorum accedant aut novum jusjurandum praeſtent, 425

Pontificiorum doctrina, quae reges pontificibus in temporalibus ſubjicit a Senatu Pariſienſi damnata, II. 129. quae ſupremam in omneis poteſtatem tam ſpiritualem quam temporalem pontifici attribuit ab eadem curia damnata, V. 525

Pontificis ſolenni ſupplicationum publicarum die triplici corona inſigniti pompa a Mahamete Eubaeae Sangiaco indignabundo ſpectata, III. 56

Pontificiorum intemperies et ſaevitia in Gallia, Lutetiae, II. 141, 167. Vaſſiaci, 161. Agendici Senonum, 171. Blaeſis, 188. in Vindocino agro et Andegavi, 190. Caeſaroduni et Burgolii, 192. Vindini Cenomanorum, 193. Abbatis villae, 194. in Meldis et Tricaſſibus, 216. Ceani in Ota Silva et Antiſſiodori, 217. Molinii, 218. Matiſcone, 222. Arauſione, 228.

Foxii,

Foxii, 512. Aureliani, 723. Arauſione, III. 60. Meldis, 141. Aureliani, 141. Gergolii, *ib.* Andegavi, 142. Auguſtobonae Tricaſſium, 142. Avarici Biturigum, Charitaei et Lugduni, 142. Valentiae et Romanii, 144. Toloſae et Rotomagi, 145. Burdigalae, 164. Galliaci, 273. Limuſii, 276

PONTIFICIAE copiae ad Charrae pontem fuſae, V. 93. ad Virodunum luſtratae, 101. iterum recenſitae, multum licet imminutae, 121

PONTIUS LEGIONENSIS, *Ponce de Leon*, (Lud.) Aracoſiae dux cum Mauriſcis Granatenſibus tranſigit, II. 847. Mauriſcos fundit, Melico eorum duce interfecto, 849, quod bello finem imponit, *ib.*

PONTIUS (Conſalvus) Legionenſis regem relapſum a pontifice non poſſe abſolvi ſcripto probare conatur, V. 298

PONTIUS. *Vide* Mirambellus et Plaſſacus.

PONTIUS (Pontianus) *Pons de Pons*, Antonii Pontii filius a quodam cardinalis Altempſii domeſtico nefaria proditione Romae interfectus, de ſicario aegre impetrato ſupplicio, IV. 291

POPELINERIUS VICINUS, *de Voiſin Sr de la Popeliniere*, (Ladiſlaus) a Rupellanis ad Milialdi conventum delegatus pacem ſuadet, III. 330. Caſtri interceptioni adeſt, 332. Tonaeum ad Botonam intercipit, 411. Retam inſulam recipit, 414

PORTAE, *Des Portes*, (Philippi) obitus et elogium, VI. 380

PORTA, *de la Porte*, (Euſtochius) Senator Pariſienſis ob ſententiam libere dictam in carcerem conjectus, I. 760. ejus cauſa agitata. 782

PORTALIUS. *Vide* Turrius.

PORTII, *Portio*, (Simonis) obitus et elogium, I. 459. ejus liber de puella quae biennium ſine cibo vixit, V. 825

PORTOCARRERA TELLUS, *Tello Puertocarrero*, (Ferd.) Durlanio praefectus, V. 485. Samarobrigam Ambianorum intercipit, 676. Suburbia incendit, 677. auxiliaribus copiis Joanne Guſmano duce firmatus, 678. ſcloppeti ictu occiſus, 681

PORTOCARRERI Guletanae arcis praefecti egregia ignavia, III. 337. ſuperbia, 339. inter Turcos ſervitus et ludibrium, *ib.*

PORTUGALLIAE reges, viz. SEBASTIANUS Portugalliae rex. Ejus ingenium, III. 573. ad Africam invadendam apparatus facit, 576. conditiones a Melico oblatas et Philippi Hiſpani monita rejicit, 576. copiis auxiliaribus firmatus, 579. in Africam navigat, 580. viam per terram longe a mari deligit, Mahamete fruſtra dehortante, 582. copias diſponit, 584. ad Alcaſarium fuſus, 586. et interfectus, 587. Cadaver ejus ad Hametem allatum, 588. et ad Septam in loci praefecti manus conſignatum, 589. HENRICUS. *Vide* Henricus cardinalis.

PORTUGALLIAE regni ambitores, III. 590, 721. jus ſuum urgent, 721. gubernatorum qui de ſucceſſionis jure pronunciarent nomina, 727. gubernatores lente omnia adminiſtrant, 736. Cetobriga pulſi Philippum legitimum Portugalliae regem declarant, 743

PORTUGALLIAE Ordines regem eligendi jus ſibi arrogant, III. 724. conveniunt, 729. per Baretum auxilia a pontifice, Caeſare, et Eliſabetha Angla implorant, 736

PORTUGALLUS, *de Portugalle*, (Franciſcus) Vimioſi comes Antonii Cratenſis cauſae favet, III. 729. ſummae armorum praefecturae inhiat, 747. et obtinet, 750. ejus ingenium et infelix Strozzio conſilium, IV. 52. captus ex vulneribus moritur, 57

PORTUGALLUS (Joan.) Gardae epiſcopus Henrico Luſitaniae regi ſuſpectus, in Antonii Cratenſis partes familiam ſuam pertrahit, III. 729

PORTUS CRETENSIS, *Porto Candiot*, (Franciſcus) obit. Ejus elogium et mores, IV. 44. hujus nomine ad Carpentarii epiſtolam editum reſponſum, III. 159

PORTUS FERRATI, *Porto Ferraio*, in Ilva inſula deſcriptio et munitiones, I. 168

POSSEVINUS (Ant.) ad Jo. Sueciae regem a pontifice miſſus, III. 302. ad Moſcum miſſus, 842. e Moſcovia Rigam redit, IV. 111. a pontifice miſſus ut Nivernio ſignificaret pontificem eum ut legatum admittere non poſſe, V. 318

POSSIACENUM, *de Poiſſy*, colloquium, II. 117. ſolutum, 126. Hiſpanis offenſionis cauſam praebet, 127

POSTELLI (Gulielmi) obitus et mores, IV. 42

POWLETTUS, *Powlet*, (Gulielmus) Wintoniae marchio moritur, III. 98

PRADA, *la Prade*, homo rapax captus et ſupplicio adfectus, III. 628

PRATENSIS MONPESATUS, *des Prez Sr de Montpezat*, (Hen.) in Hiſpaniam a Meduanio ad excuſandam impeditam a ſe Guiſii electionem miſſus, V. 298. a Bocardo Albaterrano fuſus, 311. cum Philippo agit et pro reſponſo procraſtinationes habet, 332

PRAECEDENTIA, de ea contentiones inter oratores Gallum et Hiſpanum apud Venetos, I. 700. in Concilio Tridentino, II. 254, 364. Romae, 409. ubi pro Gallo decernitur, *ib.* Warſaviae item, III. 274. inter oratores Baioarum, Florentinum et Helveticum, II. 249 inter Alexandrum Farneſium et Franciſcum Mediceum, II. 256. inter Coſmum Florentinum et Alfonſum Ferrarienſem duces, II. 256, 672

PRENNETI, *Prennet*, (Phil.) appellatio ab abuſu, a cardinalis Surdiſii ſententia ad Senatum Burdigalenſem ſecundum eum pronunciata, VI. 378

PREVOTIUS, *Prevoſt*, (Joannes) Henoticorum factioni in urbe nomen dat, IV. 440

PREVOTIUS (Antonius) Burdigalae archiepiſcopus Synodum provincialem celebrat, IV. 96

PREVOTIUS Carbonarius, *Prevoſt de Charbonieres*, (Gabriel) occiſus, IV. 760

PRISBACHII (Wolfgangi) reſponſum ad Bellevraei orationem in comitiis Badenſibus habitam, III. 158

PRIULI (Laurentii) cardinalis obitus, VI. 3

PRIULI (Laurentii) Venetiarum ducis obitus, I. 789

PRODIGIA, I. 138, 195, 196, 265, 407, 408. II. 92, 276, 334, 760, 777. III. 71, 257, 372, 570. IV. 318, 368, 553. dens maxillaris aureus, V. 201. homo cornutus, et inediae in virgine decenni exemplum, 825. VI. 236, 377

PROTESTANTES Germani de religionis formula Caeſaris juſſu perſcripta ſententiis variant, I. 171. Heſſi Moguntini praeſulis literis reſpondent, 200. de coena Domini diſſident, 569. ut Tridentinae Synodi tanquam vitio contractae cuncta decreta et acta reſcindantur petunt, 748. concordiae inter eorum theologos a Jac. Andreano perſcripta formula, II. 777. eorum theologi de doctrina inter ſe diſſident, III. 71. eorum diſſidia componendi ratio a Navarro propoſita, IV. 195, 196

PROTESTANTES Galli Lutetiae vivi cremati, I. 181, 205, 664. Lugduni item, 428. ſummo ſupplicio aliis

